Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatusdedivin0000joan

Sanctissimo Domino Nostro PIO PP. X.

Beatissime Pater,

Paterna allectus benignitate, qua Tu, Pater Sanctissime, vel humillimos excipis Ecclesiae filios, non ego veritus sum ad hanc Apostolicam Cathedram accedere. Nolui tamen vacuus in conspectu Tuo apparere; cumque mihi, paupertatem religiosam professo, neque aurum sit ullum neque argentum, librum attuli, in quo scribendo plurium annorum operam collocavi, quem quidem spero non fore Tibi injucundum.

Nam liber ille, qui de *Gratia Divina* inscribitur, eo totus spectat, quo Tua, Sanctissime Pater, perpetua studia collineant: *instaurare omnia in Christo.*

Scholastica usus methodo in tractanda hac vasta et difficili materia, duces ego prae ceteris mihi delegi S. Augustinum et D. Thomam, horumque fidum discipulum atque interpretem S. Alphonsum M. de Ligorio. Quem postremum ut sequerer, non mea me tantum impulit in legiferum Parentem pietas, verum etiam ipsius, quam non semel S. Sedes testata est, insignis auctoritas. « Ipse enim » (ita Pius PP. IX in Decreto quo Alphonsus renuntiatus est Ecclesiae Doctor) « errorum » tenebras, ab incredulis et Jansenianis late diffusas, doctis operibus » dispulit, obscura dilucidavit, dubiaque declaravit, cum inter implexas » theologorum sententias tutam straverit viam, per quam animarum » moderatores inoffenso pede incedere possent ».

Quae cum Alphonsus in re morali praestiterit, praestitit pariter in disciplinis dogmaticis, ac nominatim in iis, quae satis ample scripsit de Gratia divina: in qua *obscura non pauca dilucidavit*, quae ad conciliandam libertatem humanam cum divina praedestinatione pertinent; asserta imprimis orandi facultate singulis hominibus ita a Deo impertita, ut singuli, modo velint, actu orare valeant, perque orationem uberiores et ex se efficaces obtinere gratias, quibus ad

opera difficiliora, ad perseverantiam in bono, ad salutem aeternam indigent omnino.

Oblatum igitur librum benigne excipiens, Pater Sanctissime, humili, quaeso, benedic scriptori, qui Tuis advolutus pedibus, esse gloriatur

E collegio SS. Redemptoris Liverpolitano, mense Mariali anno MCMIV.

Sanctitatis Tuae

hum.mus add.mus obed.mus servus et filius

JOANNES HERRMANN

Sac. e Congr. SS. Red.

DILECTO FILIO JOANNI HERRMANN

SACERDOTI E SODALITATE SSMI REDEMPTORIS.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Egregium donum nuper exhibuisti Nobis, volumine de Gratia Christi officiose oblato. Studia inde tua elucent, quibus in re dogmatica emines; amor etiam inde patet, quo Alphonsum parentem sodalitatis legiferum complecteris. Quod tam sanctum tamque praecellentem secutus doctorem fuisti, vertendum id laudi est, quum non modo in disciplinam scriptoris uberrimam, verum etiam in tutissimum sententiarum fontem ingenium appuleris. Grati propterea sumus humanitati tuae, tuamque diligentiam laetamur. Operi vero ominamur ut eruditorum studiosorumque manibus non sine favore pervolutetur, tibique testem animi Nostri Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus. Datum Romae apud S. Petrum, die XXV Julii anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. X.

Romae, 86-1904 — Ex Typ. Ph. Cuggiani.

TRACTATUS

DE DIVINA GRATIA.

TRACTATUS

DE DIVINA GRATIA

SECUNDUM

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

DOCTRINAM ET MENTEM

SCRIPSIT

JOANNES HERRMANN

SACERDOS E CONGREGATIONE SANCTISSIMI REDEMPTORIS

IN PROVINCIA PARISIENSI S. THEOLOGIÆ LECTOR

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA *DELLA PACE*, PHILIPPI CUGGIANI

Vico *della Pace* N. 35.

1904

43679

Quæ per leges jura sunt scriptoribus, ea sibi auctor reservat.

Tractatum hunc *De Divina Gratia*, scriptum a sacerdote sodali Joanne Herrmann, quum duo a nobis delecti Congregationis theologi diligenter perlegerint, traditamque in eo doctrinam solidam reperererint, atque imprimis saluberrimis S. Patris nostri et Doctoris Alphonsi documentis consentaneam, libentes approbamus, typisque mandari jubemus, servatis ceterum de jure servandis.

Romæ, ad S. Alphonsi, die 6 Januarii 1904, festo Epiphaniæ D. N. J. Ch.

MATHIAS RAUS, Congr. SS. Red.
Sup. Gen. et Rect. Maj.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P.
S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Josephus Ceppetelli Arch. Myr.
Vicesgerens.

PROŒMIUM

Mira sunt profecto et sublimia, quæ Deus peregit in ordine naturæ; sublimiora tamen et longe majori admiratione digna, quæ in ordine gratiæ ad salutem hominum quotidie operatur. Creatione quidem, singulis creaturis quamdam Deus impertivit suæ essentiæ suorumque attributorum similitudinem; datâ illis, cum ante non essent, existentiâ, eâque variis ornatâ dotibus, quæ in universo mundo gloriam celebrarent Conditoris. Gratiâ vero, non solum ille adumbratam suî similitudinem creaturæ intellectuali imprimere dignatus est, sed veram ac propriam divinæ naturæ participationem, quâ a peccatis abluimur (I Cor. VI, 11), filii Dei nominamur et sumus (I Joan. III, 1), divinæ naturæ efficimur consortes (II Petr. I, 4), quâ demum ordinamur ad Dei majestatem coram in cœlis intuendam, et beato amore possidendam in ævum.

Christiano igitur theologo quid jucundius hoc nostro de divinâ Gratiâ argumento? quo in munere divitiæ hominis consistunt omnes, quo genuina in nobis vita oritur, adolescit, perficitur, consummatur. Quid sublimius eo studio, quo viæ investigantur, per quas mirabilis in omnibus Deus, mirabilior autem in providentia supernaturali, electos suos perducit ad sempiternam gloriam? Quid porro magis necessarium, quam accurata divinæ gratiæ cognitio, sine quâ de quæstione omnium gravissimâ, de œconomiâ æternæ sive salutis sive perditionis, nemo recte et catholice sentire

potest? Quid eodem hoc studio salutarius? Nam recta circa gratiam institutio, cum unâ ex parte nostram, sine divino adjutorio, omnimodam imbecillitatem in negotio salutis demonstret, alterâ vero ex parte summam Dei prodat in donis suis erogandis munificentiam, eo ipso nos incitat, ut Deo constanter atque humiliter innitamur, ejus auxilium assidue et fiducialiter imploremus, nostramque salutem cum metu et tremore operemur. Quid tandem Christifidelibus ipsique Ecclesiæ utilius frequenti de divinâ gratiâ et prædicatione et meditatione? Quod potissimum hac nostrâ obtinet ætate, in quâ plerique homines, rerum caducarum studiis absorpti, præclaræ dignitatis quam gratia confert obliviscuntur; adeoque, posthabitis bonis supernis, in pravis concupiscentiis explendis omnem suam collocant felicitatem, hanc ob causam misere perituri. Qui, si rectam gratiæ doctrinam didicissent, probe agnoscerent, finem ac beatitudinem hominis, utpote ad majora nati, in solo Deo reponi debere, neque ulli mortalium, modo velit, iter ad beatam hanc metam divinitus intercludi.

Alliciat ergo nos, ut studio divinæ gratiæ sedulam demus operam, cum rerum dicendarum decus et magnitudo, tum hujus disciplinæ summa utilitas. Verum in hoc ipso studio, moniti Apostolici nunquam simus immemores (Rom. XII, 3): *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Multa in hac tractandâ materiâ occurrunt, quæ ad divinæ prædestinationis inscrutabilem abyssum pertinent; in quibus satius est supremam adstupendo revereri Sapientiam, quam temerariâ inquisitione Altissimi judicia velle rimari. Huc optime cadunt quæ scripsit S. Prosper, vel quisquis est auctor libri *De Vocatione Gentium:*

« Nec sapientiores (sic ille) aut scientiores beatis-» simo Apostolo sumus, qui, cum de gratiæ potentiâ

» disputaret, magnorum mysteriorum ingressus arca-
» num, iis quæ impossibile erat narrare succubuit.
» Cum enim dixisset (Rom. XI, 25 et seq.): *Nolo vos*
» *ignorare, fratres,* etc.; cum... hæc divinorum ope-
» rum mysteria, supra mensuras humanæ intelligentiæ
» excellentia, quodam mentis suæ profudisset excessu,
» totam expositionis rationem transtulit in stuporem
» et admirator eorum quæ protulerat, exclamavit et
» dixit: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ*
» *Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et*
» *investigabiles viæ ejus!*... Horum mysteriorum judi-
» ciorumque causas pius et doctus Magister maluit
» ad altitudinem divitiarum sapientiæ Dei scientiæque
» suspendere, quam justissimæ veritatis et misericor-
» dissimæ bonitatis subtractum ab humanâ cognitione
» secretum temerariâ inquisitione discutere, nihil omit-
» tens de his, quæ non oportet ignorari, nihil contre-
» ctans de his quæ non licet sciri. » *(De Vocat. Gent., L. 1, c. 13. Migne, T. 51, col. 665).*

Hæc beati Prosperi monita secuti, ea omnia pro viribus investigavimus, quæ, licet ardua, ignoranda non erant; quæ vero scire nobis non licet, ea proposuimus quidem, altius tamen scrutari non tentavimus; ne caliginosas regiones audacius peragrantes, a recto veritatis tramite abduceremur. In exponendis autem doctrinis, ut tuto incederemus gradu, post sacram Scripturam, ad Sedis Apostolicæ Conciliorumque decreta, item ad SS. Patrum Ecclesiæque Doctorum testimonia perpetuo respeximus. Quidquid enim ad gratiam spectat, id per solam novimus divinam revelationem. Quare, etsi inter hanc et rationem humanam nulla possit esse dissensio, nec parum ipsa juvet ratio ad accuratam dogmatis explanationem, nihilominus, ubi disceptatur de gratiæ indole,

virtute et œconomiâ, principiis fidei insistendum magis est, quam philosophiæ placitis.

Ac talem nos ingressi viam, minime quidem, in exponendo dogmate, aspernati sumus principia metaphysicæ; primas tamen dedimus partes Patrum testimoniis, præcipue vero S. Augustino, qui in doctrinâ de gratiâ (ut ait S. Fulgentius) « indutus virtute ex » alto, abundantius illis omnibus laboravit; non autem » ipse, sed gratia Dei cum illo. Ipsius enim ministerio » Dominus uberiorem hujus rei fidelibus suis instru- » ctionem præbuit... Sensum quippe Christi habens, » tam gratiæ Dei quam humani arbitrii, et officia » discrevit et merita, semper divinis humana subji- » ciens, et veraciter docens, divinitus homini et gra- » tuito justificationis donum et bonæ voluntatis exor- » dium, et plenum tribui glorificationis effectum. Hunc » legat omnis qui salutem æternam adipisci desiderat, » humiliter orans misericordem Deum, ut eumdem spi- » ritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit » ut scriberet; et eamdem illuminationis gratiam adi- » piscatur ut discat, quem ille adeptus est ut do- » ceret. » *(De Verit. Prædest., L. 2, c. 18. M., 65. col. 643).*

Præter *S. Augustinum* duces etiam secuti sumus fidissimum Doctoris gratiæ discipulum, *D. Thomam,* et utriusque accuratum interpretem, *S. Alphonsum M. de Ligorio.* Quapropter si quid est in hac nostrâ elucubratione, quod laude videatur dignum, hoc totum nostris ducibus acceptum referatur; quidquid vero dictum fuerit minus recte, id, nostræ adscriptum imperitiæ, benigne ignoscatur: *errare enim humanum est,* ut vulgatum fert adagium. *At perseverare in errore* cum foret *diabolicum,* ideo, quæcumque a nobis scripta sunt, Ecclesiæ judicio corrigenda ultro subjicimus.

Postremo neminem latet, in quæstionibus ad gratiam spectantibus, magnas inter doctores, etiam catholicos, exarsisse olim et nunc quoque fervere controversias. Illas, ubi res locusque postulabant, summâ fide declarare studuimus, depromptâ variarum opinionum descriptione ex ipsis auctorum et patronorum libris; ne forte (quod interdum fieri solet) adversariorum doctrina, ut facilius refellatur aut, quod pejus est, ut habeatur derisui, minus recte a nobis proponeretur. Et nos quidem, in re quaque controversâ, eas amplexi sumus sententias, quæ nobis, duce S. Alphonso, menti SS. Augustini et Thomæ visæ fuerunt magis consentaneæ; hasque idoneis firmavimus argumentis, ita tamen ut adversis sententiis nulla inureretur immerita nota, juxta notissimum canonem: *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.*

Inter hujusmodi controversias hinc inde a theologis agitatas, ceteris illa gravior est, quæ modum respicit quo gratia suos producat effectus. Hæc scholas theologicas jam a tribus sæculis in plura, quæ sibi adversantur, castra dispertiit. In hanc enodandam, toto hoc tempore, incubuerunt acerrima ingenia. Nec mirum, cum ex eâ quæstione pendeat maximarum in vitâ christianâ rerum solutio. In exponendis et dijudicandis variis, quæ hac in re excogitata sunt, systematibus, longum nos ac diligentem laborem adhibuimus. Quoniam vero S. Alphonsus, Congregationis nostræ legifer Parens idemque Ecclesiæ Doctor, ample hanc pertractavit quæstionem, delecto inter omnia systemata systemate uno, quod et speculative judicavit firmius et utilius ad praxim: idcirco nos, pro nostrâ erga tantum Patrem pietate (quam et lector in nobis pietatem probabit), systema Alphonsianum

de gratiâ efficaci et sufficienti cæteris fusius explanavimus, omnique argumentorum genere suffultum adversus ea, quæ objiciuntur, teximus missilia.

Unum superest, quod lectorem moneamus. Ut facilius ille allegatos a nobis auctores adire, singulosque librorum locos illico inspicere possit, eosdem locos, notatâ fere semper paginâ, indicavimus accurate. Auctorum vero, quorum est apud nos maxima copia, nullum adduximus, quem nostris non perlegerimus oculis. Teximus etiam, in calce hujus operis, horum auctorum Indicem, signatâ pariter eâ, quâ usi sumus, editione.

Hæc scripsimus die I mensis Marialis anno 1904, in Collegio Provinciæ Anglicæ Liverpolitano, quod exsules nos e Gallia fraterno hospitio excepit.

OPERIS PARTITIO

Duplex distinguitur gratia: quae nempe actualis dicitur, et quae habitualis; utrique autem proprii sunt in homine effectus. Traditis igitur, in *Sectione prævià*, notionibus quibusdam generalioribus de gratiâ, notatisque erroribus eidem oppositis, Opus hoc nostrum in tres Partes dividetur, ageturque:

In Parte I, de *Gratiâ actuali;*
In Parte II, de *Gratiâ habituali;*
In Parte III, de Gratiæ effectibus, seu de *Merito.*

SECTIO PRÆVIA.

Studioso lectori, qui scientiæ adipiscendæ incumbit, nihil utilius esse potest quam ejusdem statim ab initio clare pernoscere objectum, atque hujus objecti, si in diversas species dispesci debet, divisionem tenere, necnon et causas investigare, quæ ansam præbuere, cur temporum decursu hæc scientia magis semper atque perfectius fuerit evoluta. Prius igitur quam doctrinam de gratiâ sive actuali sive habituali tractandam suscipiamus, opportunum judicamus generalem divinæ gratiæ notionem atque divisionem præmittere, necnon et principaliores errores, quorum occasione dogma profundius fuit investigatum et magis explicite definitum, summatim indicare. In hac igitur prævia sectione:

1° Generaliorem trademus gratiæ notionem;

2° Ejus divisionem indicabimus;

3° Errores, qui sanam doctrinam oppugnarunt, referemus.

CAPUT I.

DE NOTIONE GRATIÆ.

1. — Nominis etymologia. — Ad nominis etymologiam quod attinet, *gratiæ* vocabulum ex eo desumptum esse videtur quod gratis, non autem ex aliquâ obligatione aut debito, a Deo concedatur. *Si autem gratia,* inquit Apostolus, *jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia;* (Rom. XI, 6); et *cap. IV, 4,* gratiam opponit debito: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* — Ait etiam S. Augustinus: «Christi gratia... non meritis »redditur, sed gratis datur: propter quod et gratia nominatur.» *(De Nat. et grat., c. 4. M., 44, c. 249).*

2. — Variæ nominis acceptiones. — *Gratia* ab auctoribus cum sacris tum profanis in multiplicem accipitur sensum.

Aliquando sumitur pro *amore* seu *benevolentiâ*, quâ Deus hominem, vel unus homo alterum prosequitur; sic *(Luc. I, 30)* Angelus ad Virginem ait: *Invenisti gratiam apud Deum.* — Et *(Gen. XXX, 27)* Laban ait socero suo: *Inveniam gratiam in conspectu tuo;* et de Daniele legimus: *Dedit Deus Danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis eunuchorum.* (Dan. I, 9). — Modo accipitur pro *dexteritate dicendi*, (Ps. XLIV, 3): *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis;* modo pro *decore* et *pulchritudine*, (Prov. XXXI, 30): *Fallax gratia et vana est pulchritudo;* modo pro *gratitudine* et *gratiarum actione*, (II Reg. II, 6): *Retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem, sed et ego reddam gratiam eò quod fecistis verbum istud.*

Gratia etiam quandoque dicitur quodcumque donum, quod Deus, in ordine tam naturali quam supernaturali, creaturis gratis elargitus est. Quo sensu creatio, conservatio, intellectus et liberum arbitrium cæteraque beneficia naturalia vocantur gratiæ. Quis enim prior dedit Deo, ut ei existentia, aut indoles bona retribueretur? « Quadam non » improbandâ ratione, *ait S. August.*, dicitur gratia Dei quâ creati » sumus, ut nonnihil essemus, nec ita essemus aliquid ut cadaver quod » non vivit, aut arbor quod non sentit, aut pecus quod non intelligit, » sed homines... unde meritò et ista gratia dici potest, quia non præ- » cedentium aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuitâ Dei boni- » tate donata est. » *(Epist. 177, n. 7. M., 33, c. 767).*

Gratia autem, si stricte sumitur et prout in SS. Scripturis et a SS. Patribus et theologis communiter intelligitur, atque prout contradistinguitur a naturâ, significat donum supernaturale, quod ad æternam salutem aliquo modo ordinatur, hominemque ad Deum facie ad faciem videndum conducit. De solâ gratiâ hac acceptione intellectâ sermo erit in decursu nostri tractatûs.

3. — Definitio. — Gratia, stricto sensu accepta, definitur: *Donum supernaturale creaturæ intellectuali gratis a Deo concessum in ordine ad vitam æternam* [1].

Explicatur definitio: Gratia dicitur: *a) Donum;* quæ vox genus proximum exhibet; convenit quippe omnibus beneficiis cum in ordine

[1] Cf. *Montanius*, Compendium Tourn., De Grat., disp. præv., a. 2. - *Tournely*, De Grat. q. 1.

naturali, tum in ordine supernaturali. — Indicat insuper gratiam esse aliquid positivum, animam hominis, cui tribuitur, afficiens.

b) *Supernaturale;* id est, donum quod hominem supra naturalem ordinem elevat, eumque in Deum, auctorem gloriæ, in cælis facie ad faciem videndum, ordinat et dirigit. Per hoc gratia a donis naturalibus secernitur.

c) *Creaturæ intellectuali;* quæ verba subjectum gratiæ referunt, quod sunt Angeli et homines. Cum enim gratia eam recipientes in Deum intuitive videndum ordinet, illius recipiendæ eæ solæ creaturæ sunt capaces, quæ ad intuitivam Dei visionem elevari possunt: quod solius intellectualis creaturæ proprium est.

d) *Gratis;* quæ particula omnem rationem debiti excludit, tam ex parte dantis, Deus quippe nullâ lege ad dona supernaturalia concedenda obligari potest; quam ex parte recipientis, quippe quum creatura jus nullum habere possit ad gratiam, nec ex merito personæ, nec ex conditione naturæ. « Gratia, *inquit S. Thomas*, secundum quod » gratis datur, excludit rationem debiti. Potest autem intelligi duplex » debitum: unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad per- » sonam cujus est agere meritoria opera... Aliud est debitum secundum » conditionem naturæ; puta si dicamus, debitum esse homini quod habeat » rationem et alia quæ ad humanam pertinent naturam... Dona igitur » naturalia carent primo debito, non autem carent secundo debito. Sed » dona supernaturalia utroque debito carent; et ideo specialius sibi » nomen gratiæ vindicant. » *(1. 2, q. 111, a. 1, ad 2).*

e) *A Deo concessum;* quæ verba auctorem gratiæ referunt, qui est solus Deus, secundum illud (Ps. 83, 12): *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

f) *In ordine ad vitam æternam;* quæ verba finem exhibent, ob quem solum Deus gratias elargitur, ut scilicet creatura intellectualis vitam adipiscatur æternam, quæ in intuitivâ Dei visione consistit.

CAPUT II.

DE DIVISIONE GRATIÆ.

Gratia multifarie dividitur.

4. — Ratione sui, dividitur in gratiam *increatam* et gratiam *creatam* [1]. — Gratia *increata* vocatur ipsa æterna Dei dilectio, seu benevolentia, seu voluntas, quâ Deus nos ab æterno gratuito dilexit, atque ea dona supernaturalia nobis concedere statuit, quæ decursu temporis accipimus, ut ad vitam æternam pertingere valeamus. « Augustinus, » *inquit S. Th.*, ibi [2] gratiam nominat gratuitam Dei voluntatem gratis » beneficia largientem. » *(P. 3, q. 7, a. 13, ad 1)*, Et: « Quandoque gratia » Dei dicitur ipsa æterna Dei dilectio. » *(1. 2, q. 110, a. 1).*

Gratia increata vocatur etiam ipsa SS. Trinitas quatenus sese justis donat, atque eos speciali modo inhabitat, secundum illud, (Joan. XIV, 23): *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* — Peculiari etiam ratione Spiritus Sanctus gratia increata dicitur; ipse enim speciali ratione est *Altissimi Dei donum* [3]. « Gratia quippe Dei donum est, » *ait S. Augustinus.* Donum autem maximum ipse Spiritus Sanctus est, » et ideo gratia dicitur. » *(Sermo 144, c. 1. M. 38, c. 788).*

Gratia *creata* ea omnia generatim sunt beneficia et dona, quæ creaturæ rationali conferuntur ex æterno illo ac supernaturali amore, quo Deus eam diligit in ordine ad vitam æternam.

5. — Ratione diversi statûs, gratia creata dividitur in *gratiam Dei* et in *gratiam Christi.* — *Gratia Dei*, sensu eorum theologorum qui Verbi Incarnationem unice post prævisum Adæ peccatum decretam dicunt, sunt ea beneficia, quæ in ordine ad vitam æternam Angelis et homini innocenti independenter a meritis Christi collata fuerunt. *Gratia* verò *Christi* sunt ea dona supernaturalia, quæ homini lapso vi et intuitu meritorum Christi conceduntur.

Hanc distinctionem respuunt quotquot cum Scotistis atque Suaresio [4] docent, futurum fuisse ut Christus incarnaretur, etiamsi homo non peccasset. Hi ratione statûs gratiam dividunt in gratiam *Christi*

[1] Cf. *Salmant.*, De Grat., disp. 1, c. 1, § 3; tom. 9, p. 8. - *Suarez*, De Grat., proleg. III, c. 3; tom. 7, p. 136. — [2] De Prædest. Sanct., c. 15. — [3] Cf. *Herrmann*, Instit., n. 596 et seq. — [4] De Grat., proleg. III, c. 2, n. 8 et 9.

Capitis aut *Sanctificatoris*, quam datam fuisse dicunt Angelis et Adamo innocenti; et in gratiam *Christi Redemptoris*, quæ homini lapso confertur.

6. — Ratione modi, gratia dividitur in gratiam *internam* et *externam*[1]. — Gratia *interna* ea est, quæ, sive per modum habitûs sive per modum actus transeuntis, hominem intrinsecus afficit vel quoad ipsam animæ essentiam, qualis est gratia sanctificans, vel quoad spirituales ejus facultates, intellectum scilicet et voluntatem, quales sunt habitus virtutum infusarum, dona Spiritûs Sancti, gratiæ actuales illuminationis et inspirationis. — *Gratia externa* sunt ea omnia quæ Deus, qui homines per sensus plerumque gubernat, extrinsecus præstat ad producendum internos actus intellectûs et voluntatis, quorum occasione ipse tunc immediate in hominem agit per gratiam internam; hujusmodi sunt Verbi Incarnatio, verbi divini prædicatio, sacramenta, miracula, sanctorum exempla. « Magna omnipotentis Dei est gratia, » *ait S. Gregor.*, cum inique agentibus durus a Doctoribus sermo » increpatorius profertur. » *(L. 1, Hom. 12, in Ezech., n. 16. M., 76, c. 925).*

Ad gratiam externam etiam pertinent effectus externæ divinæ protectionis et directionis, quibus speciali Dei providentiâ vel occasiones boni propositi exsequendi offeruntur, vel occasiones peccandi avertuntur. « Hoc tibi dicit Deus tuus, *inquit S. August.*: Regebam » te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suasor » defuit; ut suasor deesset, ego feci. Locus et tempus defuit: et ut » hæc deessent, ego feci... Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes et » quod non admisisti. » *(Serm. 99, c. 6. M. 38, c. 598).*

Sub gratiâ externâ continentur etiam illæ immutationes sensuum internorum, ut phantasiæ, cogitativæ, appetitûs sensitivi, etc., quæ ex supernaturali providentiâ quandoque in ordine ad actus bonos excitantur. Licet enim istæ immutationes sint aliquo modo internæ, sunt tamen res sensibiles, et versantur extra facultates spirituales; quocirca gratiis externis simpliciter sunt adnumerandæ.

Utramque gratiam, internam videlicet et externam, precibus suis Ecclesia a Deo efflagitat. « Mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostende. » *(Fer. VI quatuor temp. quadrages.)* — « Da, quæsumus Domine, populis christianis et quæ profitentur agnoscere, et cœleste munus dili-

[1] Cf. *Suarez*, Proleg. III, c. 3, n. 10 et seq. - *Philipp. a SS. Trinit.*, In q. 111, dub. 1; p. 459.

gere quod frequentant. » *(Fer. V post Dom. 1m quadrag.).* — « Tua nos Domine protectione defende, et ab omni semper iniquitate custodi. » *(Fer. III post Dom. 3m quadrag.).* — « Ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus, securâ tibi mente serviamus. » *(Fer. IV post Dom. 4m quadrag.).*

7. — **Ratione entitatis,** gratia dividitur in supernaturalem *quoad entitatem,* et supernaturalem *quoad modum tantum* [1]. — Gratia *entitative supernaturalis* est donum, cujus intrinseca entitas est ordinis supernaturalis; est scilicet donum: *a*) quod totius naturæ creatæ ordinem, vires et exigentiam superat, ita ut creatura nulla nec illud producere queat, neque ad illud jus ullum habeat, neque suis viribus naturalibus illud sibi promereri possit; *b*) quod ad Deum ut auctorem gloriæ facie ad faciem videndum ex naturâ suâ tendit et ordinat; *c*) quod naturam creatam supra seipsam elevat, eam in ordine divino constituit, eamque formaliter aut dispositive divinæ naturæ consortem reddit.

Gratia supernaturalis quoad modum tantum est donum, cujus intrinseca entitas est ordinis naturalis, quod tamen modo supernaturali, modo scilicet vires et exigentiam creaturæ excedente, conceditur. Ad hanc gratiam pertinent omnia ea naturalia beneficia, quæ præter concursum generalem causarum secundarum ex gratuitâ et indebitâ Dei providentiâ vel ex speciali externâ Dei protectione et directione conceduntur. Tales forent extraordinariæ illuminationes in ordine pure naturali; tales sunt delectationes a Deo voluntati immissæ ad bonum honestum arduum ordinis naturalis operandum; extraordinaria præservatio a malo temporali, extraordinaria ministratio occasionum naturalium ad bonum eliciendum.

8. — **Ratione effectus,** gratia dividitur *in sanantem et elevantem.* — Homo per Adami prævaricationem non solum gratuitis fuit privatus, sed etiam vulneratus in naturalibus [2]. Si gratia a Deo intuitu meritorum Christi nobis concessa, consideratur quatenus contra vulnera naturæ ordinata est, ad refrænandam videlicet inordinatam concupiscentiam, ad fugandas naturales intellectûs tenebras, ad innatam voluntatis malitiam reprimendam aut ejus imbecillitatem depellendam, vocatur gratia *sanans* seu *medicinalis,* quia medetur vulneribus

[1] Cf. *Philipp. a SS. Trinit.,* De Grat., disp. 2, dub. 2; p. 461. - *Oviedo,* Controv. 1, punct. 9; p. 618. — [2] *Herrmann,* Instit., n. 826.

peccato inflictis, naturamque sanat, ut juxta dictamen rectæ rationis bonum honestum prosequi et malum ei oppositum vitare valeat [1]. — Si verò gratia consideratur quatenus hominem ad Deum in se possidendum et intuitive videndum ordinat, vocatur *elevans*, quia hominem supra seipsum elevat, eumque in ordinem divinum constituit.

In fidelibus gratia sanans semper est etiam elevans; Deus enim de providentiâ ordinariâ non sanat nisi ut elevet. Sedulò tamen hæc duo gratiæ munera sunt ab invicem distinguenda, cum aliud sit naturam in propriam ejus integritatem restituere, et aliud, eamdem in superiori ordine constituere. — Præterea, nihil per se obstat quominus concedatur gratia sanans quæ non sit elevans, aut elevans quæ non sit sanans. Sic, v. gr., gratia Angelis, Adamo innocenti et B. Virgini Mariæ concessa, fuit elevans, non sanans, cum nullum in eis peccati vulnus repererit; in statu verò naturæ puræ, si exstitisset, adfuisset gratia sanans, non autem elevans; et in infidelibus ad opera ardua naturaliter honesta, ad quæ non sufficiunt vires naturæ corruptæ, per se sufficerent gratiæ sanantes, quin sint elevantes, cum necesse non sit principia operationis altioris esse ordinis quam opus ponendum.

Gratia elevans, ut constat, necessariò est semper entitative supernaturalis; pure sanans, si qua datur, est semper supernaturalis quoad modum tantum, naturalis verò quoad entitatem.

9. — Ratione finis, gratia dividitur in *gratiam gratum facientem*, et *gratiam gratis datam* [2]. — Gratiæ a Deo in duplicem finem conferri possunt: vel ad propriam ipsius hominis, qui gratiam recipit, sanctificationem; vel ad sanctificationem aliorum. Si gratia ad ipsius recipientis sanctificationem ordinatur, vocatur *gratia gratum faciens*, quia recipientem Deo gratum reddit sive formaliter, sive dispositive. Definitur: *Donum supernaturale gratis a Deo concessum, ad propriam uniuscujusque salutem, primariò et per se ordinatum.* — Si verò ad aliorum sanctificationem ordinatur, vocatur *gratia gratis data.* Definitur: *Donum supernaturale gratis a Deo concessum non ad propriam recipientis, sed in aliorum salutem per se et primariò destinatum.*

Omnes quidem gratiæ sunt gratis datæ, et antiquiores theologi gratiam actualem communissime vocant simpliciter gratiam gratis datam. « Gratia gratis data, *ait Alexander Ales*, proprie dicitur do-

[1] Cf. *S. August.*, Serm. de verbis Apost. 13, c. 2. M., 38, col. 850. — [2] Cf. *Suarez*, Proleg. III, c. 5; p. 149. - *Philipp. a SS. Trinit.*, Disp. 2, dub. 3; p. 461.

» num infusum rationali creaturæ sine meritis, quantum in se est dispo-» nens ad salutem propriam, vel ædificationem alterius » *(Summa, P. 3, q. 63. Mem. 2; fol. 271).* — Et *Gabriel Biel:* « Gratia proprie sive » stricte pro dono supernaturali accepta dividitur in gratiam gratum » facientem, et gratiam gratis datam... Gratia gratis data est donum » supernaturale datum alicui ad utilitatem sui, vel aliorum, quod » habens non est formaliter gratus Deo. » *(In 2 Sent., D. 26; fol. 135).*

Aptissime tamen nomen *gratia gratis data* communi usu theologorum recentiorum iis reservatur donis supernaturalibus, quæ alicui in aliorum utilitatem conferuntur; et hoc quidem tum quia Christus Dominus, postquam Apostolis gratiam curationum et donum miraculorum concessit, subjunxit: *Gratis accepistis, gratis date,* (Matth. X, 8); tum quia vulgò receptum est ut commune generis nomen speciei minus nobili attribuatur, sicut manifestum est de cœlestibus spiritibus, qui quamvis omnes sint Angeli, speciale sortiti sunt nomen in ordinibus superioribus, retento nomine communi *Angelorum* in ordine inferiori [1]. Porrò, nobilior est gratia, quâ homo Deo gratus efficitur, quam illa, quâ ad aliorum salutem cooperatur [2].

10. — Gratiarum gratis datarum novem species enumerantur ab Apostolo, (I Cor. XII, 8-10): *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum; alii operatio virtutum; alii prophetia, alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum* [3].

Gratias gratis datas ab Apostolo convenientissime enumerari, his probat Angelicus, *(1. 2, q. 111, a. 4):* « Gratia gratis data, *inquit,* » ordinatur ad hoc quod homo alteri cooperetur, ut reducatur ad Deum. » Homo autem ad hoc operari non potest interius movendo (hoc enim » solius Dei est), sed solum exterius docendo vel persuadendo. Et ideo » gratia gratis data illa sub se continet quibus homo indiget ad hoc » quod alterum instruat in rebus divinis, quæ sunt supra rationem. » Ad hoc autem tria requiruntur: primò quidem quod homo sit sor-» titus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex hoc instruere alios » possit; secundò ut possit confirmare vel probare ea quæ dicit; aliàs » non esset efficax ejus doctrina; tertiò ut ex quæ concipit, possit con-» venienter auditoribus proferre.

[1] Cf. *Frassen,* De Grat., prælud., § 2; tom. 9, p. 5. — [2] Cf. *S. Th.,* 1. 2, q. 111, a. 5. — [3] Cf. *Brancatus de Laurea,* In 3 Sent., tom. 4, disp. 19; p. 419. — *Frassen,* De Grat., disp. 2, a. 3, sect. 1; p. 190.

« Quantum igitur ad primum tria sunt necessaria, sicut etiam » apparet in magisterio humano. Oportet enim quod qui debet alium » instruere in aliquâ scientiâ, primò quidem ut principia illius scientiæ » sint ei certissima; et quantum ad hoc ponitur *fides*, quæ est certi- » tudo de rebus invisibilibus, quæ supponuntur ut principia in catholicâ » doctrinâ. Secundò oportet quod doctor recte se habeat circa princi- » pales conclusiones scientiæ; et sic ponitur *sermo sapientiæ*, quæ est » cognitio divinorum. Tertiò oportet ut etiam abundet exemplis et » cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifestare causas; » et quantum ad hoc ponitur *sermo scientiæ*, quæ est cognitio rerum » humanarum, quia *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta* » *cònspiciuntur*. (Rom. I, 20).

» Confirmatio autem in his quæ subduntur rationi, est per argu- » menta; in his autem quæ sunt supra rationem divinitùs revelata, » confirmatio est per ea quæ sunt divinæ virtuti propria; et hoc dupli- » citer: uno quidem modo, ut doctor sacræ doctrinæ faciat quæ solus » Deus facere potest in operibus miraculosis, sive sint ad salutem » corporum, et quantum ad hoc ponitur *gratia sanitatum;* sive ordi- » nentur ad solam divinæ potestatis manifestationem, sicut quod sol » stet aut tenebrescat, vel quod mare dividatur; et quantum ad hoc » ponitur *operatio virtutum*. Secundò, ut possit manifestare ea quæ » solius Dei est scire, et hæc sunt contingentia futura, et quantum ad » hoc ponitur *prophetia;* et etiam occulta cordium, et quantum ad hoc » ponitur *discretio spirituum*.

» Facultas autem pronuntiandi potest attendi vel quantum ad idioma, » in quo aliquis possit intelligi, et secundum hoc ponuntur *genera lin-* » *guarum;* vel quantum ad sensum eorum quæ sunt proferenda, et » quantum ad hoc ponitur *interpretatio sermonum*. »

11. — Gratia gratum faciens subdividitur in *habitualem* et *actualem*. — *Habitualis* ea est, quæ homini per modum habitûs, seu qualitatis fixæ et permanentis conceditur. Hujusmodi triplex distinguitur, videlicet: *gratia sanctificans, virtutes infusæ*, et *dona Spiritus Sancti*.

Gratia *habitualis sanctificans* ea est, quâ homo redditur formaliter justus et sanctus, Dei amicus et filius, atque hæres vitæ æternæ. — *Virtutes infusæ* sunt dona supernaturalia, quibus homo disponitur ad opera entitative supernaturalia connaturaliter ponenda, quales sunt actus fidei, spei, caritatis, etc. — *Dona Spiritûs Sancti* sunt habitus supernaturaliter infusi, quibus homo disponitur ad prompte sequendum

instinctum Spiritus Sancti in ordine ad actiones quasdam præstantiores supernaturales eliciendas.

Gratia actualis est auxilium internum supernaturale per modum actûs seu motionis transeuntis concessum, quo Deus creaturam intellectualem illuminat, excitat, corroborat, et adjuvat ad salutariter operandum. Ipsa hominem non reddit Deo gratum formaliter, sed *dispositive* tantum, quia disponit, excitat et adjuvat tum peccatorem ut in Dei amicitiam redeat, tum justum ut in sanctitate jam adeptâ proficiat. — Gratia actualis in plures subdividitur species de quibus infra *(n. 38 et ss.)* sermo erit.

12. — **NB.** Nomen *gratia gratum faciens* a recentioribus theologis soli gratiæ sanctificanti ordinariè tribuitur, utpote quæ sola nos Deo perfecte et formaliter gratos reddat. — Item, etsi virtutes infusæ et dona Spiritûs Sancti veræ sint gratiæ habituales, quippe cum sint dona gratuitò collata, attamen confusionis vitandæ causâ, gratiæ dici non consueverunt, et nomen *gratia habitualis* uni gratiæ sanctificanti reservatur. Quâ de causâ in decursu hujusce tractatûs *gratia gratum faciens*, *gratia habitualis*, *gratia sanctificans* idem sonant atque promiscue usurpantur.

13. — Gratia demum aliquando dividitur in *gratiam simpliciter*, et *gratiam pro gratia*, juxta illud Joannis, I, 16: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratiâ.* — *Gratia simpliciter* ea dicitur, quæ ex meritis Christi conceditur absque ullo ex parte hominis merito, etiam procedente ex gratiâ. — *Gratia pro gratiâ* ea dicitur, quæ tribuitur ob meritum præcedens ortum ex ipsâ gratiâ. Hujusmodi est augmentum gratiæ sanctificantis in homine justo, et præsertim gloria cœlestis, quæ est merces simul et gratia: merces quidem, quia meritis rependitur; gratia verò, quia hæc merita ex gratiâ profluunt.

Hujus divisionis meminit *S. Augustinus.* « Si bona vita nostra » *inquit*, nihil aliud est quam Dei gratia, sine dubio et vita æterna, » quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: et ipsa enim gratis datur, » quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo » gratia est: hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, » gratia est pro gratiâ, tanquam merces pro justitiâ. » *(De Grat. et lib. arb., c. 8. M., 44, c. 893. — Cf. etiam De Corr. et gr., n. 41. M., 44, c. 942).*

CAPUT III.

DE ERRORIBUS CONTRA DOCTRINAM CATHOLICAM DE GRATIA.

14. — Cum errorum notitia, quorum occasione dogma catholicum perfectius fuit evolutum, ad ipsius dogmatis accuratiorem intelligentiam multum valeat conferre, idcircò antequam ad doctrinam de divinâ gratiâ evolvendam accedamus, contractam errorum delineationem præmittere juvat.

Doctrina catholica de divinâ gratiâ medium inter duos scopulos iter tenet, ita ut pari sollicitudine vitet tum scopulum superbæ independentiæ voluntatis humanæ a Deo, tum scopulum destructionis liberi arbitrii. Sedulò proinde adlaborat ut, cum commendatur gratiæ necessitas, non tollatur creatæ voluntatis libertas; aut cum defenditur libertas, non auferatur gratiæ necessitas aut ejusdem efficacitas.

Quæ media via omninò est necessaria, ut inter homines moralitas servetur integra. Si enim negetur gratiæ necessitas, voluntas utpote per se jam nimis independens atque in præsumptionem proclivis, nihil boni faciet; sin autem negetur libertas sub motione gratiæ, homo fatalismo quodam obcæcatus et abductus, aliâ viâ bonum derelinquet. Exinde conspicere licet cur, instigante inimico salutis, perversi homines tanto cum ardore dogma catholicum modò unâ, modò alterâ viâ, pro rerum temporumve opportunitate, pervertere conati sint.

15. — Sanam doctrinam, exaggerando scilicet nativas liberi arbitrii vires, perverterunt Pelagiani et Semipelagiani. Ipsam posteriori modo, plus æquo videlicet extollendo voluntatis humanæ imbecillitatem e peccato originali exortam, perverterunt Protestantes et Jansenistæ. Qui omnes, exceptis forsan protestantismi fautoribus, errores suos clanculum sparserunt, et, ut ait S. Augustinus de Pelagianis, cum versutiâ serpentinâ, « quâ volunt mentes corrumpere simplices et » avertere a catholicæ fidei castitate. » *(Cont. duas Epist. Pelag., c. 4. M., 44, c. 615).*

Cum gratia, de quâ hic agitur, sit gratia hominis reparati, præcipua capita de gratiâ pendent a rectâ intelligentiâ statûs innocentiæ, naturæ lapsæ, necnon et naturæ reparatæ. Contrà verò, præcipui errores adversus gratiam fluunt ex pravo eorumdem statuum conceptu. *(Pro doctrinâ de diversis statibus, cf. Instit., n. 779 et ss.).*

Quatuor principaliores enumerantur hæreses, quæ in materiâ de Gratiâ exortæ sunt, videlicet: *Pelagianismus*, *Semipelagianismus*, *Protestantismus*, et *Jansenismus*. De quibus in totidem articulis quædam sunt dicenda.

ARTICULUS I.

DE PELAGIANISMO [1].

16. — Pelagianismi auctor exstitit *Pelagius*, in Britanniâ natus, professione monachus, sed ad sacros ordines nunquam promotus. Versus annum 405 venenosa sua dogmata spargere cœpit, plurimosque statim sibi adscivit discipulos; inter quos eminent *Cœlestius* monachus, *Julianus* Episcopus Eclanensis, et *Annianus* Celedensis diaconus.

Fons errorum pelagianorum quoad gratiam hominis reparati, est prava eorum conceptio de statu innocentiæ et naturæ lapsæ. Docent nimirum:

17. — I. QUOAD STATUM NATURÆ INTEGRÆ:

1° Adamum passibilem et mortalem a Deo fuisse creatum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, mortuus fuisset, non merito culpæ, sed conditione naturæ.

« Unde vos sequitur, *inquit S. Augustinus, Pelagianos alloquens*, » ut, si nemo peccasset, cogamini etiam dicere in paradiso fuisse non » solum tot et tanta onera molestiarum quas videmus parvulos ferre, » verum etiam tot et tanta vitia ingeniorum et corporum cum quibus » plerique nascuntur. In quo felicitatis et quietis loco etiam suspectam » vestram, quâ caro concupiscit adversus spiritum, libidinem ponitis. » *(Op. imperf. cont. Julian., L. 6, c. 3. M., 45, c. 1507).* — Et: « Dicunt » (pelagiani) non de peccato nos mori, quantum pertinet ad corporis » mortem, sed naturæ esse quod morimur, et moriturum fuisse Adam » etiamsi non peccasset. » *(Serm. 229, n. 11. M., 38, c. 1375. — Cf. etiam De Hæres., 88; M., 42, c. 48. — Op. imperf. cont. Jul., L. 2, cap. 66; M., 45, c. 1170; cap. 92; M., 45, c. 1178; et L. 6, cap. 25; M., 45, c. 1559 et ss.).*

2° Adamum et Evam ad ordinem supernaturalem non fuisse elevatos, nec ullam accepisse gratiam sanctificantem, nec ullos habitus infusos, nec ullo gratuito auxilio actuali supernaturali indiguisse; sed liberum eorum arbitrium ex suis viribus congenitis plane suffecisse ad vitam æternam, ad quam destinati erant, consequendam.

[1] Cf. *Tourn.* (*Montanius*), De Grat., Pars histor., disp. 1.

18. — II. Quoad statum naturæ lapsæ:

1° Infantes nullum ex protoparentibus contrahere peccatum originale, quandoquidem Adamus suâ prævaricatione sibi soli, non autem suis posteris, nocumentum intulit [1]. Proinde infantes non indigere Christi redemptione [2], atque eos, quos mors præmatura ante baptismum e vivis sustulit, intrare non quidem in regnum cælorum, sed in vitam æternam [3].

2° Infantes nunc in eodem statu nasci, in quo fuit Adam ante suam prævaricationem [4]; hominisque liberum arbitrium nunc esse æquè sanum, æquè validum, æquè perfectum, quam in Adamo innocenti [5], et posse per suas vires nativas, absque ullâ gratiâ sanante aut elevante, quam libertati inimicam autumant [6], præcepta omnia tam naturalia quam positiva perfecte servare [7], absque ullo peccato vitam transigere [8], et vitam æternam adipisci. Necessitatem etiam orationis ad divinum efflagitandum auxilium negant [9].

19. — III. Errores quoad gratiam:

Ex dictis plane jam sequitur pelagianismi summam in eo sitam esse, quod ad vitam æternam consequendam homo nullo indigeat supernaturalis gratiæ auxilio, sed solius liberi arbitrii viribus nisus salutem suam operari possit. Quâ de causâ S. Augustinus Pelagium vocat *liberi arbitrii elatum assertorem. (De Grat. Ch., cap. 25. M., 44, c. 373).*

Non una tamen nec sibi constans fuit Pelagii assertio de Gratiâ, sed pro suæ causæ opportunitate sententiam sæpius mutavit, cum catholicis tamen doctoribus nunquam consensit. « Istam quippe gratiam »quâ justificamur, *ait S. August.*, id est, quâ caritas Dei diffunditur »in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, in »Pelagii et Cœlestii scriptis, quæcumque legere potui, nusquam eos »inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri. » *(De Grat. Ch., c. 30. M., 44, c. 375).*

[1] Cf. *S. August.*, De Hær., 86; M., 42, c. 48; - De pecc. orig., cap. 15 et 16; M., 44, c. 393. - De peccat. merit., l. 1, cap. 9; M., 44, c. 114. — [2] Cf. *S. August.*, Epist. 178, n. 1; M., 33, c. 773. — [3] Cf. *Epist. Innocentii III* ad Conc. Milevit.; M., 33, c. 785; *S. August.*, Serm. 314; M., 38, c. 1336. — [4] Cf. *S. August.*, Op. imperf. cont. Julian., L. 5, cap. 61. M., 45, c. 1496; et L. 6, cap. 14, col. 1532. — [5] Cf. *S. August.*, De Nat. et Grat., c. 19; M., 44, c. 256. — [6] Cf. *S. August.*, Epist. 194, cap. 2; M., 33, c. 875; *S. Prosper.*, Cont. Collat., n. 54; M., 45, c. 1827. — [7] Cf. *S. August.*, Epist. 177, n. 1; M., 33, c. 765; Epist. 179, n. 3, col. 774; Epist. 175, n. 3, col. 760; Hær. 88; M., 42, c. 48. — [8] Cf. Epist. Conc. Milevit., M., 33, c. 763; *S. August.*, Epist. 186, cap. 9 et 10; M., 33, c. 827. — [9] Cf. *S. August.*, Epist. 175, n. 4; M., 33, c. 761; Epist. 176, n. 2; col. 763.

Quatuor principaliores enumerantur hæreses, quæ in materiâ de Gratiâ exortæ sunt, videlicet: *Pelagianismus*, *Semipelagianismus*, *Protestantismus*, et *Jansenismus*. De quibus in totidem articulis quædam sunt dicenda.

ARTICULUS I.

DE PELAGIANISMO [1].

16. — Pelagianismi auctor exstitit *Pelagius*, in Britanniâ natus, professione monachus, sed ad sacros ordines nunquam promotus. Versus annum 405 venenosa sua dogmata spargere cœpit, plurimosque statim sibi adscivit discipulos; inter quos eminent *Cœlestius* monachus, *Julianus* Episcopus Eclanensis, et *Annianus* Celedensis diaconus.

Fons errorum pelagianorum quoad gratiam hominis reparati, est prava eorum conceptio de statu innocentiæ et naturæ lapsæ. Docent nimirum:

17. — I. QUOAD STATUM NATURÆ INTEGRÆ:

1° Adamum passibilem et mortalem a Deo fuisse creatum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, mortuus fuisset, non merito culpæ, sed conditione naturæ.

« Unde vos sequitur, *inquit S. Augustinus, Pelagianos alloquens*, » ut, si nemo peccasset, cogamini etiam dicere in paradiso fuisse non » solum tot et tanta onera molestiarum quas videmus parvulos ferre, » verum etiam tot et tanta vitia ingeniorum et corporum cum quibus » plerique nascuntur. In quo felicitatis et quietis loco etiam suspectam » vestram, quâ caro concupiscit adversus spiritum, libidinem ponitis. » *(Op. imperf. cont. Julian., L. 6, c. 3. M., 45, c. 1507).* — Et: « Dicunt » (pelagiani) non de peccato nos mori, quantum pertinet ad corporis » mortem, sed naturæ esse quod morimur, et moriturum fuisse Adam » etiamsi non peccasset. » *(Serm. 229, n. 11. M., 38, c. 1375. — Cf. etiam De Hæres., 88; M., 42, c. 48. — Op. imperf. cont. Jul., L. 2, cap. 66; M., 45, c. 1170; cap. 92; M., 45, c. 1178; et L. 6, cap. 25; M., 45, c. 1559 et ss.).*

2° Adamum et Evam ad ordinem supernaturalem non fuisse elevatos, nec ullam accepisse gratiam sanctificantem, nec ullos habitus infusos, nec ullo gratuito auxilio actuali supernaturali indiguisse; sed liberum eorum arbitrium ex suis viribus congenitis plane suffecisse ad vitam æternam, ad quam destinati erant, consequendam.

[1] Cf. *Tourn.* (*Montanius*), De Grat., Pars histor., disp. 1.

18. — II. QUOAD STATUM NATURÆ LAPSÆ:

1° Infantes nullum ex protoparentibus contrahere peccatum originale, quandoquidem Adamus suâ prævaricatione sibi soli, non autem suis posteris, nocumentum intulit [1]. Proinde infantes non indigere Christi redemptione [2], atque eos, quos mors præmatura ante baptismum e vivis sustulit, intrare non quidem in regnum cælorum, sed in vitam æternam [3].

2° Infantes nunc in eodem statu nasci, in quo fuit Adam ante suam prævaricationem [4]; hominisque liberum arbitrium nunc esse æquè sanum, æquè validum, æquè perfectum, quam in Adamo innocenti [5], et posse per suas vires nativas, absque ullâ gratiâ sanante aut elevante, quam libertati inimicam autumant [6], præcepta omnia tam naturalia quam positiva perfecte servare [7], absque ullo peccato vitam transigere [8], et vitam æternam adipisci. Necessitatem etiam orationis ad divinum efflagitandum auxilium negant [9].

19. — III. ERRORES QUOAD GRATIAM:

Ex dictis plane jam sequitur pelagianismi summam in eo sitam esse, quod ad vitam æternam consequendam homo nullo indigeat supernaturalis gratiæ auxilio, sed solius liberi arbitrii viribus nisus salutem suam operari possit. Quâ de causâ S. Augustinus Pelagium vocat *liberi arbitrii elatum assertorem. (De Grat. Ch., cap. 25. M., 44, c. 373).*

Non una tamen nec sibi constans fuit Pelagii assertio de Gratiâ, sed pro suæ causæ opportunitate sententiam sæpius mutavit, cum catholicis tamen doctoribus nunquam consensit. « Istam quippe gratiam » quâ justificamur, *ait S. August.*, id est, quâ caritas Dei diffunditur » in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, in » Pelagii et Cœlestii scriptis, quæcumque legere potui, nusquam eos » inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri. » *(De Grat. Ch., c. 30. M., 44, c. 375).*

[1] Cf. *S. August.*, De Hær., 86; M., 42, c. 48; - De pecc. orig., cap. 15 et 16; M., 44, c. 393. - De peccat. merit., l. 1, cap. 9; M., 44, c. 114. — [2] Cf. *S. August.*, Epist. 178, n. 1; M., 33, c. 773. — [3] Cf. *Epist. Innocentii III* ad Conc. Milevit.; M., 33, c. 785; *S. August.*, Serm. 314; M., 38, c. 1336. — [4] Cf. *S. August.*, Op. imperf. cont. Julian., L. 5, cap. 61. M., 45, c. 1496; et L. 6, cap. 14, col. 1532. — [5] Cf. *S. August.*, De Nat. et Grat., c. 19; M., 44, c. 256. — [6] Cf. *S. August.*, Epist. 194, cap. 2; M., 33, c. 875; *S. Prosper.*, Cont. Collat., n. 54; M., 45, c. 1827. — [7] Cf. *S. August.*, Epist. 177, n. 1; M., 33, c. 765; Epist. 179, n. 3, col. 774; Epist. 175, n. 3, col. 760; Hær. 88; M., 42, c. 48. — [8] Cf. Epist. Conc. Milevit., M., 33, c. 763; *S. August.*, Epist. 186, cap. 9 et 10; M., 33, c. 827. — [9] Cf. *S. August.*, Epist. 175, n. 4; M., 33, c. 761; Epist. 176, n. 2; col. 763.

20. — Pelagianismi variationes ad quatuor periodos referri possunt :

1° In primordiis suæ hæreseos, Pelagius opus nostræ salutis viribus liberi arbitrii ita adscripsit, ut vel nomen gratiæ nunquam protulerit.

2° Cum verò, teste S. Augustino, *(Serm. 11, de verbis Apost., cap. 7, M., 38, c. 174)*, catholici tam nefariam doctrinam abhorrere ejusque auctorem tanquam hæreticum devitare cœpissent, Pelagius se gratiam admittere simulavit; atverò, ipsam naturam ipsumque liberum arbitrium declaravit esse gratiam, utpote dona absque nostris meritis, sed gratis a Deo creatione nobis concessa. Tunc temporis a Pelagianis invecta est celebris distinctio inter *posse*, *velle* et *agere*. *Posse*, seu *possibilitas* volendi et faciendi bonum, est, aiebant, a Deo, quia ipse gratis dedit nobis liberum arbitrium, seu facultatem volendi et faciendi; ast *velle* seu *ipsa volitio* boni, et *facere* seu *exsecutio* operis, sunt ab homine solo, sine ulteriori gratuito Dei adjutorio [1].

3° Cum verò a catholicis urgerentur, ut gratiam a naturâ et libero arbitrio distinctam agnoscerent, Pelagiani eis obtemperaverunt; sed subdolè gratiam intelligebant legem atque doctrinam, quibus Deus infirmitati humanæ subvenit, ut sciat homo quid vitare quidve facere debeat [2]. — Deinceps etiam, ne mors Christi otiosa videretur atque inutilis, gratiam quoque dixerunt Christi exemplum nostræ imitationi propositum. « Solent dicere, *ait S. August.*, nobis in eo Christum ad »non peccandum præbuisse adjutorium, quia juste ipse vivendo jus»teque docendo reliquit exemplum. » *(De Grat. Chr., cap. 2. M., 44, c. 361).*

4° Demum, catholicis acrius vehementiusque urgentibus, Pelagius internum quoddam admisit gratiæ auxilium, gratiam scilicet ex parte intellectûs, non autem ex parte voluntatis. Et in hoc quidem admittendo auxilio Pelagiani in triplicem adhuc impegerunt errorem, dictitantes : hanc illustrationis gratiam dari non ad inchoandum opus bonum, sed ad illud perficiendum [3]; eam non esse gratuitam, sed cuique pro merito naturali retribui [4]; eam denique non esse necessariam absolute, sed tantum utilem, ad facilius scilicet operandum [5].

[1] Cf. *S. August.*, De Grat. Chr., cap. 3, 4, 5; M., 44, col. 362 et ss. — [2] Cf. *S. Augustin.*, De spir. et litt., cap. 2; M., 44, c. 202; De Grat. Chr., passim, præsertim cap. 41; M., 44, c. 381. — [3] Cf. *S. August.*, Cont. duas Epist. Pelag., L. 2, cap. 8 et 9; M., 44, c. 583 et ss. — [4] Cf. *S. August.* De Grat. et lib. arb., cap. 14; M., 44, c. 897. — [5] Cf. *S. August.*, De Grat. Chr., cap. 26-29; M., 44, c. 374; Epist. 186, n. 35; M., 33, c. 829.

21. — PELAGIANISMI CONDEMNATIO. — Pelagianorum errores a pluribus SS. Pontificibus proscripti et condemnati sunt, præsertim ab Innocentio I. in suis dogmaticis epistolis ad Episcopos Concilii Carthaginiensis et Concilii Milevitani, atque in suâ responsione ad quinque Episcopos, *(Migne, T. 20, col. 564-597)*; et a Zozimo, in suâ *sententiâ tractoriâ* ad omnes totius Orbis Episcopos directa, ut ei subscriberent, *(Migne, T. 20, col. 690 et ss.)*.

Eosdem errores condemnarunt, tum concilium generale Ephesinum, an. 431, tum viginti quatuor concilia particularia, inter quæ eminent concilium Carthaginiense an. 416 celebratum, Milevitanum ab Innocentio I. confirmatum, et Carthaginiense III. in quo 214 Episcopi errores Pelagii ac Cœlestii condemnarunt [1].

ARTICULUS II.

DE SEMIPELAGIANISMO [2].

22. — A Pelagianismo ortum duxit Semipelagianismus, sic dictus quasi a dimidiato Pelagii errore. Hæc hæresis in urbe Massiliensi præsertim grassabatur, inde Semipelagiani etiam *Massilienses* nuncupabantur. Præcipui hujus erroris fautores erant: *a*) *Cassianus*, presbyter, abbas Lirinensis, cui cognomen *Collator*, propter collationes Patrum quas confecit; vir alioquin pius et doctus. Adversus eum scripsit S. Prosper librum *Contra Collatorem*. — *b*) *Faustus*, ex abbate Lirinensi Episcopus Regiensis creatus, quem refutavit S. Fulgentius. — *c*) *Vincentius*, quem nonnulli etiam abbatem Lirinensem fuisse autumant.

Condemnati sunt præsertim in Concil. Arausicano II, an. 525 [3], cujus decreta a Bonifacio II fuere approbata [4].

23. — ERRORES. — Semipelagiani, ex unâ parte, existentiam peccati originalis agnoverunt, ac proinde etiam necessitatem baptismi, debilitatem virium liberi arbitrii in homine lapso, necessitatem supernaturalis gratiæ tum ad opera salutaria incipienda et perficienda, tum ad perseverandum in acceptâ justitiâ. Quibus patet eos in multis distare a Pelagianis.

Ast, ex alterâ parte, vires naturæ lapsæ nimis tamen extollentes, Pelagianis consentiunt docendo gratiam non esse necessariam ad salu-

[1] Cf. *Tourn.* (*Montan*), De Grat., disp. 1, a. 2, § 2. — [2] Cf. Epist. S. Prosperi ad S. August.; et Epist. S. Hilarii ad eumdem; M., 44, col. 947 et 953; *S. Prosper*, Cont. Collat., passim, præsertim cap. 3 et 4; M., 51, col. 222 et ss. — [3] *Migne*, T. 51, col. 723. — [4] Cf. *Migne*, T. 65, col. 31.

tare initium fidei, sed liberum arbitrium posse viribus sibi congenitis salutare fidei initium sibi comparare, cui deinceps Deus per gratiam tribueret complementum. Quod salutare fidei initium, eorum sensu, tria complectitur, nimirum: *a*) pium credulitatis affectum, quem homo, audita Evangelii prædicatione, per semetipsum in se excitare potest; *b*) desiderium salutis æternæ, ortum ex illo pietatis affectu; *c*) implorationem divinæ benignitatis hoc desiderium consequentem. Quod per similitudinem hominis ægrotantis illustrabant. Sicut ægrotus, etsi semetipsum sanare non valeat, potest tamen salutem desiderare et medicum arcessere, et hac ratione sibi dare suæ sanitatis initium; ita etiam homo lapsus, etsi non possit per semetipsum ad Deum venire, potest tamen sibi congenitis viribus velle ad Deum per fidem venire, salutem desiderare, medicumque cœlestem rogare, ut sibi spiritualem sanitatem conferat [1].

Ex hoc suo fundamentali errore, quod scilicet fidei et salutis initium est ab homine et non a præveniente gratiâ, Massilienses quædam deducebant erronea corollaria ad pravam suam doctrinam latius evolvendam, nimirum:

1° Primam gratiam et fidem non esse dona mere gratuita, sed retributionem pro præcedentibus meritis naturalibus. « Volunt unum» quemque, *ait S. Prosper*,... ad hanc gratiam, quâ in Christo rena» scimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, quæ» rendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia » bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam, initialis gra» tiæ ope meruerit pervenire. » *(Epist. ad S. August., n. 4. M., 51, c. 70)*. Per initialem autem gratiam intelligebant Semipelagiani, non secus ac Pelagiani, ipsam naturalem liberi arbitrii facultatem.

2° Christum pro omnibus æqualiter esse mortuum, eosque meritorum Christi fieri participes, qui sponte suâ, id est, voluntate suâ naturali, ad Christum venire voluerint. — Item, Deum, quia non est personarum acceptor et vult omnes salvos fieri, paratum esse ad dandam æqualiter omnibus gratiam; exspectare tamen ab eis bonæ voluntatis initium, ita ut gratia desiderantibus et petentibus detur in præmium; nolentibus verò negetur in supplicium [2].

3° Pueros, qui ante usum rationis cum baptismatis beneficio mortui sunt, baptismi gratiam accepisse propter eorum prævisa merita conditionata, quia videlicet Deus per scientiam conditionatorum præ-

[1] Cf. *S. Prosper.*, Cont. Collat., cap. 4; M., 51, c. 223. — [2] Cf. *S. Prosper.*, Epist. ad S. August., n. 6.

vidit quod si vixissent, libero arbitrio bene usi fuissent, propter quod eis regenerationis lavacrum impertitus est. Eos verò, qui ante susceptum baptismum e vivis discesserunt, ideò eâ gratiâ fuisse privatos, quia Deus eosdem prævidit libero arbitrio abusuros fuisse, si ad annos discretionis pervenissent [1].

ARTICULUS III.

DE PROTESTANTISMO [2].

24. — Inter innumeros errores, quibus reformatores sæculi XVI sanam Ecclesiæ doctrinam adulterare attentarunt, plures et hi quidem gravissimi continentur circa gratiam tam habitualem quam actualem. Qui errores fere omnes ex eorum falsâ opinione de statu hominis integri et lapsi sponte fluunt.

Docet *Lutherus*, justitiam originalem naturæ humanæ ita fuisse debitam atque naturalem, ut, inspectâ hominis naturâ, non potuisset creari in statu naturæ puræ, id est, absque gratiâ habituali donisque eidem annexis. « Statuamus, *inquit*, justitiam non fuisse quoddam » donum, quod ab extra accederet, separatum a natura hominis, sed » fuisse vere naturalem; ut natura Adæ esset diligere Deum, credere » Deo, agnoscere Deum. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam » naturale est quod oculi lumen recipiunt. » *(Comment. in Cap. 3 Gen.)*.

Calvinus similiter non alia nisi naturalia dona in primis nostris parentibus agnoscere videtur; quâ de causâ possibilitatem statûs naturæ puræ etiam negat; et hoc quidem, non præcise propter jus quod habet natura humana, sicut contendit Lutherus, sed propter ipsius Dei bonitatem et justitiam, ne scilicet « in contumeliam Dei recideret si quid vitii naturæ inesse probaretur », ut ait ipsemet Calvinus, *(Instit., L. 1, c. 15, n. 1)*.

Ex hoc nefario principio plura consectaria deducunt protestantes:

25. — *Inferunt* 1°: Naturam humanam, amissâ per Adami prævaricationem originali justitiâ, non remansisse integram in suis naturalibus, sed fuisse intrinsecè læsam, vitiatam et contortam; et imprimis liberum arbitrium ita fuisse penitus ablatum et exstinctum, ut sit res de solo titulo, vel *titulus sine re*, ut ait Calvinus, *(Instit., L. 2,*

[1] Cf. *S. Prosper.*, Epist. ad S. August., n. 5. - *S. August.*, De Prædest. Sanct., cap. 12; M., 44, c. 977. — [2] Cf. *S. Alph.*, Hist. hær., P. 1, cap. 11, T. 2; p. 202.

cap. 2). « Porrò, *inquit etiam Lutherus*, hæc probant, originalem justi- » tiam esse de naturâ hominis: eâ autem per peccatum amissâ, non » mansisse integra naturalia. » *(Comment. in cap. 3 Gen.).* Et lutherana propositio 36ª a Leone V damnata, sic sonat: « Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo. » *(Denzing., n. 660).*

2° Cum natura fuerit intrinsece sauciata, atque aliquâ suâ parte essentiali orbata, cui successit profundissima, intima et essentialis totius animæ corruptio, et rebellio partis inferioris adversus superiorem, quam concupiscentiam peccatum originale esse autumant, deducunt: peccatum factum fuisse homini intrinsecum et essentiale, quod ab animâ non possit amplius auferri.

3° Cum ob justitiæ privationem natura sit intrinsece vitiata et essentialiter mala, liberumque arbitrium sit prorsus exstinctum, inferunt: hominem lapsum ex viribus sibi congenitis nullum bonum morale, ne ordinis quidem naturalis, efficere posse; sed omnia ejus opera, utpote quæ semper procedant a principio essentialiter malo, totidem esse peccata. « Omnia hominum opera, *ait Calvinus*, nihil nisi » inquinamenta esse et sordes. » *(Instit., L. 3, c. 14, n. 4).*

Ex his principiis sponte fluit doctrina protestantica de gratiâ tam habituali quam actuali.

26. — I. Ad gratiam habitualem et justificationem quod attinet:

1° Docent reformatores sæculi XVI, nullam dari in justificatione veram peccatorum deletionem, sed remissionem peccatorum in merâ extrinsecâ eorum condonatione consistere, eo modo quod Deus peccata jam non aspiciat, nec odio habeat, neque ullis pœnis velit persequi. Nullam etiam in justificatione agnoscunt infusionem gratiæ habitualis, quæ homini intrinsece inhæreat, ipsumque Deo gratum et acceptum formaliter reddat. Enimverò, cum animæ deordinatio, quam peccatum originale vocant, facta sit homini naturalis, et proinde peccatum sit quasi in naturam conversum, peccatum non potest amplius ab animâ expelli, nec proinde justitia eidem intrinsece reddi. Consequenter, et in justo et in injusto peccatum remanet æqualiter, sed justificato non amplius imputatur in punitionem, impio verò imputatur.

2° Cum tamen, teste Apostolo, admittenda sit justificatio per Christi gratiam facta, docent: justificationem impii consistere in favore Dei extrinseco, seu in imputatione justitiæ Christi, quâ peccata nostra quasi quodam pallio contegantur. Deus enim, aiunt, Christi justitiam, satisfactiones et merita nobis imputat et tanquam nostra considerat; propter quæ et peccata nostra nobis non amplius imputat, atque nobis vitam æternam retribuit.

3° Ad illam peccatorum remissionem consequendam et Christi justitiam nobis appropriandam, nullam aliam dispositionem necessariam dicunt, præter solam fidem, seu fiduciam peccata nobis esse remissa; exinde axioma: *Sola fides justificat.* Cum enim, eorum opinione, omnia hominis opera sint peccata, quò magis aliquis suis actibus ad justificationem sese disponere conaretur, eò magis congereret peccata.

4° Docent demum, hanc acceptam justitiam in omnibus esse æqualem, nec posse per opera bona augeri; et, addunt Calvinistæ, nec per mala opera amitti posse, quandoquidem fides, quâ vere justificamur, nonnisi in prædestinatis invenitur, atque eis inamissibiliter inhæret.

27. — Ad gratiam actualem quod attinet:

1° Docent gratiam actualem ejus esse naturæ, quæ voluntati necessitatem semper inferat, non quidem necessitatem violentiæ et coactionis, sed eam quæ *simplex* vocatur, quâ scilicet voluntas sponte et lubens, tametsi necessariò, operatur. Cum enim liberum arbitrium fuerit in Adami prævaricatione prorsus exstinctum, voluntas nihil habet virium ad resistendum sive gratiæ sive pravæ concupiscentiæ, sed necessariò, etsi lubens et volens, fertur sive ad bonum sive ad malum: ad bonum, si gratia adest; ad malum, si deest. Solam proinde agnoscunt gratiam efficacem; sufficientem verò, quæ non sit simul efficax, penitus rejiciunt.

2° Cum autem, non obstante hac omnimodâ gratiæ efficaciâ, homines non pauci permulta præcepta non impleant, affirmant: hominibus persæpe deesse gratiam necessariam, multaque dari præcepta, quæ eis sunt impossibilia. Proinde, nec peccata impediunt salutem, nec opera bona sunt necessaria sive ad salutem, sive ad justificationem, dummodo adsit fides.

3° Ex hac omnimodâ hominis necessitate sive ad bonum sive ad malum, deducit Calvinus: ex hominibus alios ad beatitudinem, alios verò ad æternum supplicium, absoluto Dei decreto esse destinatos.

Doctrina protestantica, sicut ex his paucis manifestum est, tota in hunc finem vergit, ut homo fatalista effectus, opera bona negligat; et falsam mortiferamque pacem ope doctrinæ de fide per se solam justificante ac salvante, sibi præbeat; et securus ad mortem usque in iniquitate dormiat, ac demum damnetur.

ARTICULUS IV.

DE JANSENISMO.

Hæresis janseniana in tria capita apte dividi debet: in Baianismum scilicet, Jansenismum proprie dictum, et Quesnellismum.

§ 1. *De Baianismo* [1].

28. — *Michael Baius* Melini apud Belgas an. 1513 natus, an. 1550 laureâ doctorali in facultate Lovaniensi fuit insignitus. Sequenti anno professor in eadem academiâ institutus, nova statim dogmata, ex Calvinistarum doctrinis pleraque hausta, disseminare cœpit [2].

Errores docuit tum circa statum naturæ innocentis, tum circa statum naturæ lapsæ et reparatæ. Propositiones 79 ex ejus scriptis desumptæ, damnatæ sunt *in globo* tanquam respective hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, scandalosæ, et in pias aures offensionem immittentes, a S. Pio V, an. 1567, a Gregorio XIII, an. 1579, et ab Urbano VIII, an. 1641 [3].

29. — I. Baii error fundamentalis. — Præcipui errores Baii circa tres prædictos status ex uno eodemque fluunt erroneo principio [4], videlicet: Non sunt in homine nisi duo amores, nimirum, aut caritas, virtus theologica, quæ Deum tanquam finem ultimum diligit; aut vitiosa cupiditas, quæ creaturæ tanquam ultimo fini inhæret; amor verò naturaliter honestus, quo homo bonum morale naturale prosequitur et in Deum tanquam auctorem naturæ fertur, penitus non existit. *(Cf. prop. damn. 34ª, 36ª, et 38ª).*

30. — II. Errores circa statum naturæ innocentis.

Statuto principio nixus, docet Baius: 1° Deum, habitâ ratione suæ justitiæ et bonitatis, non potuisse hominem creare in statu naturæ puræ, id est, absque ordinatione ad intuitivam sui visionem. — Enimverò, cum ex unâ parte non detur in homine nisi vel caritas, quâ necessitatur ad bonum, vel prava concupiscentia, quâ necessitatur ad

[1] Cf. *S. Alph.*, Hist. hær., P. 1, cap. 12, a. 2, p. 296; et P. 2, confut. 12, p. 449; Magn. orat. med., P. 2. - *Tourn.* (*Montan.*), Pars hist., disp. 6. — [2] Pro consonantiâ doctrinæ Baii et Jansenii cum erroribus Lutheranorum et Calvinistarum, cf. *Steph. Dechamps*, S. J., De hæresi Jansenianâ, L. 1. — [3] Cf. *Denzing.*, Enchir., n. 881 et ss. — [4] Cf. *S. Alph.*, Hist. hær., P. 2, confut. 12, n. 5. T. 2, p. 454.

malum; cum ex alterâ parte divinæ bonitati et justitiæ repugnet hominem cum solâ pravâ concupiscentiâ creare, (secus enim Deus ipse dicendus foret auctor peccati), sequitur Deum debuisse necessariò hominem creare cum caritate, cujus finis est visio beatifica; ac proinde finem necessarium et intrinsecum creaturæ rationalis, quo absque prævio peccato citra injustitiam privari nequeat, esse fruitionem Dei in cœlis. *(Cf. prop. damn. 21, 23, 24, 26, 27, 55, 72, 79).*

2° Gratiam sanctificantem et dona eidem annexa, quæ Adamo concessa erant, naturæ innocenti debita fuisse et naturalia, non autem fuisse dona gratuita et supernaturalia. — Etenim, cum ordinatio ad intuitivam Dei visionem sit homini innocenti debita, debita etiam erant media ad eam consequendam necessaria. Porrò, gratia sanctificans et dona eidem annexa sunt media necessaria, et consequenter erant non dona gratuita et supernaturalia, sed debita et naturalia, et naturales quasi humanæ naturæ appendices. *(Cf. prop. damn. 9, 23, 26, 72, 78).*

3° Merita hominis innocentis ex gratiâ producta fuisse naturalia; ipsam etiam æternam beatitudinem fuisse naturalem mercedem, non autem supernaturalem, nec gratiam. — Cum merita oriantur ex gratiâ, si gratiæ beneficia erant naturæ innocenti debita et naturalia, ergo et merita sunt tantum naturalia. Si verò meritum est tantum naturale, ergo et merces, quæ merito retribuitur, est naturalis. Proinde vita æterna est merces naturalis, non autem supernaturalis, nec gratia. *(Cf. prop. damn. 1, 3, 4, 5, 6, 7, 9).*

31. — III. Errores circa statum naturæ lapsæ.

Docet Baius: 1° Hominem peccato orbatum esse omnibus gratiæ donis, quæ, ejus sententiâ, erant veluti appendices naturæ, et quibus malum vitare bonumque operari potuisset; proinde hominem lapsum cujuslibet boni esse incapacem, capacem verò solius iniquitatis; liberum ejus arbitrium non valere nisi ad peccandum, omniaque infidelis et peccatoris opera totidem esse peccata. — Cum enim, juxta Baium, non adsit in homine amor naturaliter rectus, amissâ caritate, in eo sola remanet vitiosa cupiditas, quæ ad malum necessariò inclinat. Consequenter, amissâ caritate, jam nullum bonum, sed solam iniquitatem operari potest homo; nec ullas vires habet ejus liberum arbitrium nisi ad sequendam pravam concupiscentiam; et omnia infidelis aut peccatoris opera, cum ex pravâ semper procedant concupiscentiâ, necessariò sunt peccata. *(Cf. prop. damn. 27, 28, 29, 30, 35, 37, 40, 61, 65, 68).*

2° Ad merendum vel demerendum non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione. — Cum in homine lapso

sola existat prava concupiscentia, quæ ejus voluntatem necessariò trahit, peccatum videtur non posse imputari: ubi enim necessitas, ibi tollitur ratio peccati. Quâ de causâ docuit Baius, naturalem hominis libertatem non necessitate, sed solâ violentiâ auferri, *(prop. damn. 39, 66)*, ac proinde hominem peccare, etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit, *(prop. 67)*. Sed quia et meriti et demeriti par est conditio, si ad demerendum non requiritur libertas a necessitate, ergo nec ad merendum.

32. — IV. Errores contra statum naturæ reparatæ.

Docet Baius: 1° Quodlibet opus bonum ex naturâ sua esse vitæ æternæ meritorium, independenter tum ab ordinatione divinâ, tum a meritis Christi, tum a conditione personæ operantis. *(Cf. prop. damn. 2, 6, 11, 12, 13, 15, 17)*.

2° Nullum esse opus bonum nisi procedat a caritate. — Cum enim omne opus bonum sit ex naturâ suâ meritorium vitæ æternæ, et sola caritas hominem ad vitam æternam ordinet, nullum erit opus bonum, nisi ex caritate prædominante procedat.

3° Veram justificationem et caritatem etiam perfectam non esse semper conjunctam cum remissione peccatorum. *(Cf. prop. damn. 31, 32, 33, 43, 70)*.

4° Quodlibet peccatum ex naturâ suâ dignum esse pœnâ æternâ, et nullum ex naturâ suâ esse tantum veniale. *(Cf. prop. damn. 2, 20)*.

Ex dictis patet Baium, quantum ad statum naturæ innocentis, Pelagii errores renovasse; quantum verò ad statum naturæ lapsæ, in Lutheranismum et Calvinismum deflexisse.

§ 2. *De Jansenismo proprie dicto* [1].

33. — *Cornelius Jansenius* apud Batavos an. 1585 natus, in academiâ Lovaniensi laureâ doctorali donatus et sacrarum Litterarum professor institutus est; tandem an. 1635, Episcopus Yprensis creatus.

Baii dogmata avidè amplexus, in eis evolvendis et perficiendis ad ultimum usque vitæ halitum insudavit, adeò ut hujus hæreseos fautores non immeritò ab eo nomen hæreditaverint. Celeberrimum conscripsit librum, cui titulum *Augustinus* præfixit, eo quod, juxta ipsum, genuinam S. Augustini doctrinam de Gratiâ contineret; qui liber,

[1] Cf. *S. Alph.*, Hist. hær., P. 1, cap. 12, a. 3, p. 298; et P. 2, confut. 13, p. 459; Magn. orat. med., P. 2. - *Tourn.* (*Montan.*), Pars hist., disp. 8; *Tournely*, De Grat., P. I, q. 3.

mortuo jam auctore, an. 1640, Lovanii editus, illicò a S. Sede proscriptus est.

34. — ERRORES. — Jansenii errores de Gratiâ quinque continentur propositionibus, ex ejus libro *Augustino* excerptis, et ab Innocentio X, Constit. *Cum occasione,* die 31 Maii 1653, tanquam hæreticis damnatis [1].

PROP. I. Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus et conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.

PROP. II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

PROP. III. Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

PROP. IV. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

PROP. V. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Harum propositionum basis ac fundamentum est Yprensis doctrina de delectatione relative victrice. Docet nimirum: Voluntatem solâ delectatione ad operandum impelli posse; non dari alium amorem præter delectationem sanctam et delectationem pravam; illamque earum, quæ sit relative victrix, quæ scilicet relative ad oppositam, majorem gradum virium obtineat, voluntatem semper vincere et necessitare; nullam proinde dari gratiam vere sed mere sufficientem, quandoquidem si gratia gradibus non superat pravam concupiscentiam, est insufficiens; si superat, est necessariò efficax. *(Cf. dicenda n. 83 et ss.).*

Jamverò, admisso semel hoc Jansenii principio, necessariò admittendæ sunt quinque damnatæ propositiones, quæ ex eo sponte fluunt. Enimverò:

35. — Prop. I. *Aliqua Dei præcepta,* etc. — Illis præcepta sunt impossibilia secundum præsentes quas habent vires, quibus deest gratia vere et relative sufficiens. Sed justi, etsi conentur ac velint, nonnunquam peccant; ergo non habuerunt gratiam efficacem, seu delectationem sanctam gradibus superiorem: quam si habuissent, præceptum necessariò implevissent. Sed, teste Jansenio, nulla datur gratia vere

[1] Cf. *S. Alph.,* Confut. 13, n. 6 et ss., p. 461.

et relative sufficiens, nisi sit etiam efficax. Ergo justi, cum legem transgrediuntur, gratiam vere sufficientem non habent; ac proinde præcepta sunt eis impossibilia.

Prop. II. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* — Resistere gratiæ est eam frustrare effectu, quem habere posset iis in circumstantiis, in quibus datur. Sed admisso principio quod voluntas agere non possit nisi delectatione gradibus superiore trahatur, jam nulla erit gratia, quam voluntas effectu, quem producere posset, frustrare valeat. Vel enim gratia est oppositâ concupiscentiâ superior, vel inferior, vel ei æqualis. Si superior, voluntatem necessitat, et effectum necessariò producit; si inferior, oppositam concupiscentiam vincere nequit, et est necessariò inefficax; si æqualis, ejus vis ab æquali vi oppositæ concupiscentiæ eliditur, nec voluntatem trahere potest. Et sic nulla interior gratia frustrari potest effectu, quem posset producere in iis circumstantiis in quibus datur; ac proinde interiori gratiæ nunquam resistitur.

Prop. III. *Ad merendum vel demerendum*, etc. — Homo superiori delectatione necessariò trahitur, sive ad bonum si cœlestis prædominatur delectatio, sive ad malum si prævalet terrena; attamen bene operando meretur, sicut demeretur male operando. Ergo ad meritum et demeritum non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Prop. IV. *Semipelagiani admittebant*, etc. — Semipelagiani in eo erant hæretici quod negarent veram Christi gratiam; sed nulla est vera gratia, nisi sit vere sufficiens. Porrò, secundum Jansenium, nulla est vere sufficiens nisi sit efficax; et nulla efficax, nisi voluntatem necessitet. Hinc sequitur Semipelagianos in eo fuisse hæreticos quod assererent gratiam talem esse, cui voluntas resistere aut obtemperare possit.

Prop. V. *Semipelagianum est dicere*, etc. — Qui Christum pro omnibus mortuum esse asserunt, ii necessariò gratias vere sufficientes admittere debent, quibus voluntas resistat; quandoquidem multi ex iis, qui ex beneficio mortis Christi gratias recipiunt ad salutem necessarias, miserabiliter damnantur. Sed asserere voluntatem veræ gratiæ resistere posse, semipelagianum est, ut dicitur in prop. 4ª. Ergo et asserere Christum pro omnibus esse mortuum, semipelagianum est.

§ 3. *De Quesnellismo* [1].

36. — *Paschasius Quesnellus*, an. 1634 Lutetiæ natus, an. 1657 Congregationi Oratorii nomen dedit, e quâ tamen ob pertinacem suam adhæsionem proscriptis Baii atque Jansenii doctrinis an. 1678 ejectus est. Regis imperio in causâ jansenianâ parere renuens, metu pœnarum in Belgium primum, deinde in Hollandiam se recepit, ubi an. 1719 excommunicatione adhuc devinctus, morte exstinctus est.

Is, non solum Baii Janseniique errores circa gratiam amplexus est, sed et novos eisdem adjecit, docens: *a*) gratiam habitualem hominem intrinsece non sanctificare; *b*) gratiam actualem esse efficacem efficaciâ ineluctabili, ad omne opus etiam naturaliter bonum necessariam, atque omnibus peccatoribus denegatam; *c*) gratiam actualem nihil aliud esse quam omnipotentem Dei voluntatem.

Opus conscripsit suo tempore celeberrimum, cui titulus: *Observationes morales in Novum Testamentum*, e quo 101 propositiones excerptæ, a Clemente XI, die 8 Sept. 1713, Bullâ *Unigenitus*, condemnatæ sunt [2].

[1] Cf. *S. Alph.*, Hist. hær., P. 1, cap. 12, a. 4; p. 303. — [2] Cf. *Denzing.*, n. 1216. Pro confutatione propositionum Quesnelli, cf. *Jacobum Fontana*, In Bullam *Unigenitus*, 4 vol. in fol.

PARS PRIMA.

DE GRATIA ACTUALI

37. — Gratia actualis definitur: *Influxus supernaturalis, quem Deus homini gratis elargitur, per modum actûs vel motionis transeuntis, ad operandum in ordine ad vitam æternam.*

De gratiâ modo definitâ quærendum est: primò quidem quotuplex distinguatur et quænam sit ejus essentia; deinde investigandum est quanta sit ejus necessitas; et cum omnibus gratia sit necessaria, videndum est an omnibus detur; denique scrutandum est quomodo ipsa in homine suos producat effectus.

In I^a^ igitur Sectione de gratiæ divisione atque essentia disseretur;

In II^a^ de ejus necessitate;

In III^a^ de ejus distributione;

In IV^a^ de ejus efficaciâ, seu de modo quo gratia suos effectus producit.

SECTIO PRIMA.

DE GRATIÆ ACTUALIS DIVISIONE ATQUE NATURA.

Plures referuntur gratiæ actualis divisiones, quæ tamen omnes ad tres reduci possunt. Agemus proinde:

IN CAPITE I. De Gratiâ excitante et adjuvante.

IN CAPITE II. De Gratiâ communi et speciali.

IN CAPITE III. De Gratiâ sufficiente et efficaci.

CAPUT I.

DE GRATIA EXCITANTE ET ADJUVANTE.

38. — In ordine naturali Deus duplici modo ad actiones creatæ voluntatis concurrit: concursu prævio eam ad agendum movet, et concursu simultaneo eam adjuvat, ei cooperatur, atque unà cum eâ

suâ excitante hominis intellectum illuminat ejusque voluntatem supernâ suavitate perfundit et inclinat ut homo, his indeliberatis actibus evigilatus et allectus, ad subsequentes actus salutares deliberatos ponendos accedat, quibus æternam mereatur accipere beatitudinem.

40. Gratia excitans, sicut ex datâ definitione constat, duplicem complectitur motionem, *intellectûs* scilicet et *voluntatis*. Ex parte intellectûs, gratia excitans vocatur gratia *illustrationis* vel *illuminationis;* ex parte voluntatis, vocatur gratia *inspirationis*.

Divinis illuminationibus incipit mens cognoscere quid boni sit faciendum aut quid mali vitandum; incipit advertere turpitudinem peccatorum, pœnarum magnitudinem, pulchritudinem virtutis, præmia cœlestia, majestatem divinam et similia. — Divinis inspirationibus incipit voluntas inclinari ad bonum propositum exsequendum aut malum fugiendum; incipit terreri suppliciis, allici promissis, aversari peccati turpitudinem, delectari amore virtutis, erigi spe bonorum cœlestium, attrahi ad dilectionem divinæ bonitatis, etc.

Pelagius primò omnem gratiam supernaturalem tam illuminationis quam inspirationis respuit; dein verò gratiam admisit illustrationis, inspirationis verò gratiam agnoscere semper recusavit. Sit igitur sequens propositio.

Propositio.

Gratia excitans complectitur
et intellectûs illuminationem et voluntatis inspirationem.

41. — Propositio est *certa* et *communis*.

Prob. **I. Ex S. Scriptura.** — 1° Quoad illustrationes. Legimus, (Ps. 118, 34): *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.* — (Ps. 12, 4): *Illumina oculos meos, nè unquam obdormiam in morte.* — (Eph. I, 17 et ss.): *Deus... det vobis spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus: illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus.* — (II Cor. IV, 6): *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* Quæ verba, intellectum per gratiam illuminari, manifeste comprobant.

2° Quoad inspirationes. Gratia in S. Litteris sæpissime vocatur *caritas, suavitas, benedictio dulcedinis, cordis inclinatio, cor novum, inspiratio.* — Legimus, (Ps. 118, 36): *Inclina cor meum in testimonia tua.* — (Ibid., 32): *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* — (Ps. 20, 4): *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.*

In quæ verba scribit *S. Augustinus:* « Quid hic aptius intelligitur » quam ipsa de quâ loquimur cupiditas boni? Tunc enim bonum con- » cupisci incipit, quando dulcescere cœperit... Ergo benedictio dulce- » dinis est gratia Dei, quâ fit in nobis ut nos delectet et cupiamus,hoc » est, amemus quod præcipit nobis; in quâ si nos non prævenit Deus, » non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. » *(Cont. duas Epist. Pelag., L. 1, n. 21. M., 44, c. 586).*

42. — Prob. **II. Ex Traditione.** 1° Ex Conciliis. Legimus in Concilio *Milevitano II*, ab Innocentio I approbato, *can. 4:* « Quisquis » dixerit, eamdem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum » propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam » nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid » appetere et quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præ- » stari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque » valeamus, anathema sit. Cum enim dicit Apostolus, scientia inflat, » caritas verò ædificat: valde impium est, ut credamus ad eam, quæ » inflat, nos habere gratiam Christi; ad eam, quæ ædificat, non habere, » cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et di- » ligere ut faciamus. »

Concil. Arausicanum II, a Bonifacio II confirmatum, statuit, *can. 7:* « Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem per- » tinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id » est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illu- » minatione et inspiratione Spiritûs Sancti, qui dat omnibus suavita- » tem in consentiendo et credendo veritati, hæretico fallitur spiritu. » *(Denz., n. 150). — Cf. etiam Conc. Trident., Sess. VI, cap. 5.*

Jamverò illis in verbis gratiæ excitanti tribuitur tum mentis illuminatio, tum voluntatis inclinatio, et utrumque dicitur *donum Dei.* Ex mente igitur Conciliorum gratia, quâ homo ad bonum provocatur, includit tam intellectûs illuminationem, quam inspirationem voluntatis.

2° Ex Patribus. — Scribit *Cœlestinus I* in Epistolâ ad Episcopos Galliæ, *cap. 8:* « Præparatur voluntas a Domino; et ut boni » aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fide- » lium. » — Et *cap. 9:* « Quod ita Deus in cordibus hominum atque » in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, » omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid » boni possumus, sine quo nihil possumus. » *(Denzig., n. 92 et 93).*

S. Augustinus in suis disputationibus contra Pelagianos totus est in adstruendâ internâ gratiâ illuminationis atque inspirationis; gra-

tiamque frequentissime appellat *illuminationem, lucem, bonam et piam cogitationem, sanctam delectationem, cœlestem suavitatem et voluptatem.* « Nolunt homines facere quod justum est, *inquit*, sive quia latet, »an justum sit, sive quia non delectat. Tantò enim quidque vehe»mentius volumus, quantò certius quam bonum sit novimus, eoque »delectamur ardentius... Ut autem innotescat quod latebat, et suave »fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat vo»luntates. » *(De peccat. merit., L. 2, cap. 17. M., 44, c. 167).* — Et *(loc. cit., cap. 19, col. 170)* : « Intelligamus, si possumus, Dominum »Deum bonum ideò etiam sanctis suis alicujus operis justi aliquando »non tribuere vel certam scientiam vel victricem delectationem, ut »cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, quâ illumi»nentur tenebræ eorum, et suavitatem, quâ det fructum suum terra »eorum. »

43. — Prob. III. **Ex Liturgia.** « Legem credendi statuit lex supplicandi », ait Cœlestinus I in Epist. ad Episcopos Galliæ. *(Denzing., n. 95).* Atqui Ecclesia in suis precibus Deum indesinenter orat, tum ut fidelium mentes illuminet, tum ut eorum voluntates in bonum moveat. Pauca referre sufficit. *(Fer. IV quatuor temp. infra quadrages.)* : « Mentes nostras, quæsumus Domine, lumine tuæ claritatis illustra, »ut videre possimus quæ agenda sunt, et quæ recta sunt, agere va»leamus. » — *(Fer. V post Domin. I quadrages.)* : « Da, quæsumus »Domine, populis christianis, et quæ profitentur agnoscere, et cœleste »munus diligere, quod frequentant. » — *(Fer. V post Domin. II. quadrag.)* : « Dirige ad te tuorum corda servorum, ut Spiritûs tui fer»vore concepto, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces. » — *(Fer. V post Domin. Pass.)* : « Esto, quæsumus Domine, propitius »plebi tuæ, ut quæ tibi non placent respuentes, tuorum potius re»pleantur delectationibus mandatorum. »

44. — Prob. IV. **Ex Ratione.** — 1° Gratia sese accommodat naturæ. Sed ignoti nulla cupido. Ut igitur homo in aliquem actum supernaturalem consentiat, hic ei proponatur necesse est. Sed cum non sit in hominis potestate ut aliquid ei in mentem occurrat, nec cogitatio entitative supernaturalis a rebus creatis ei possit ingeri, oportet ut boni salutaris cogitatio ei a Deo infundatur.

Item, ut in aliquid consentiat, voluntas objecto proposito delectari debet, cum omnis affectionis principium sit amor. Porro, delectatio de bono supernaturali non aliunde quam a Deo tribui potest.

« Quis potest credere, *inquit S. Augustinus*, nisi aliquâ vocatione, »hoc est, aliquâ rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate

» tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? » Quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? aut » quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum delectare possit, » vel delectet cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant quibus pro- » ficiamus ad Deum, inspiratur hoc et præbetur gratiâ Dei, non nutu » nostro et industriâ aut operum meritis comparatur... Sed voluntas » ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, » moveri nullo modo potest: hoc autem ut occurrat, non est in hominis » potestate. » *(Ad Simplic., L. 1, q. 2, n. 21 et 22. M., 40, c. 127).*

2° Gratia, cum ad medelam contra vulnera facultatibus nostris peccato originali inusta concedatur, languidis facultatibus debet applicari. Sed sicut in intellectu vulnus ignorantiæ, ita in voluntate ex peccato enatum est vulnus malitiæ. Gratia igitur tum intellectui, ut circa bonum illuminetur, tum voluntati, ut ad bonum inclinetur, applicari debet.

45. — Corollarium [1]. — Auxilians igitur gratia, quâ Deus hominem ad bonum salutare vocat et excitat, duo complectitur, indeliberatam scilicet intellectûs illuminationem, et inclinationem voluntatis. Indaganti verò quodnam ex his duobus elementum sit potius in gratiâ, respondendum est, utrumque ad gratiæ excitantis essentiam requiri, potiorem tamen esse voluntatis motionem quam intellectûs illuminationem. « Legem quippe, *inquit S. Augustinus,* diversis locutionum » modis et varietate verborum in omnibus disputationibus suis (Pela- » giani) volunt intelligi gratiam, ut scilicet a Domino Deo adjutorium » cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sunt, noverimus; non » inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus, quæ » proprie gratia est. » *(Cont. duas Epist. Pelag., L. 4, c. 5, n. 11. M., 44, c. 617).* — Et: « Cognitionem et dilectionem, sicut sunt discernenda, » (Pelagius) discernat. Quia scientia inflat, caritas ædificat, (I Cor. » VIII, 1). Et tunc scientia non inflat, quando caritas ædificat. Et cum » sit utrumque donum Dei, sed unum minus, alterum majus, non sic » justitiam nostram super laudem justificatoris nostri extollat, ut horum » duorum quod minus est, divino tribuat adjutorio, quod autem majus » est, humano usurpet arbitrio. » *(De Grat. Chr., cap. 26. M., 44, c. 374).* In his autem verbis per *caritatem* S. Doctor intelligit non caritatem, virtutem theologicam, sed *cupiditatem boni,* quâ incipit omnis voluntatis motus ad bonum, sicut ipse S. Antistes testatur. Agens enim de

[1] Cf. *Marcellius,* Instit theol., L. 29, c. 4, concl. 3; tom. 5, p. 194.

gratiâ inspirationis ait: « Ipsi (Pelagiani) enim volunt in homine ab » ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum etiam » perficiendi gratia consequatur... Loquimur enim nunc de boni cupi- » ditate, quam si volunt a nobis incipere, a Domino perfici, videant » quid respondeant dicenti Apostolo: *Non quod idonei sumus*, etc. » *(Cont. duas Epist. Pelag., L. 2, c. 8. M., 44, c. 583).*

QUÆSITA.

46. — Quæritur I. *Utrum pia voluntatis inspiratio semper sit necessaria ad quemlibet actum supernaturalem?*

Resp. Digladiantur auctores. Alii [1] docent non necessarium esse ut semper præcedat indeliberatus voluntatis affectus; sed contingere posse ut voluntas, dummodo habeat vires sufficientes et adsit pia cogitatio ex parte intellectûs, libere consentiat in bonum ab intellectu propositum. Secundum eos igitur, quandoque ad bonum salutare et meritorium sufficit sola supernaturalis et indeliberata intellectûs illuminatio.

Alii [2] verò docent, ad actum salutarem nunquam sufficere solam indeliberatam intellectûs illuminationem, sed semper etiam requiri indeliberatum voluntatis affectum; ac proinde omnem gratiam excitantem necessariò semper afficere immediate tum intellectum, tum voluntatem. Quæ sententia probabilior videtur. Ex verbis enim tam Concilii Arausicani II, quam S. Augustini *(Ad Simplic.)* supra relatis *(n. 42 et 44)* plane sequi videtur, pro quolibet actu salutari prærequiri tum gratiam illustrationis, tum gratiam inspirationis. — Hoc idem ex ipsâ voluntatis suadetur naturâ. Ejusmodi enim naturæ est voluntas, ut, nisi delectatio præcesserit, bonum non amplectatur. « Quis » autem, *inquit S. August.*, animo amplectitur aliquid quod eum non » delectat. » *(Ad Simplic., loc. cit.).* Ut autem objectum supernaturale voluntatem delectet, hoc non potest provenire ex solâ boni propositione. « Quis habet in potestate, *ait iterum S. August.*, ut vel occurrat » quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit? » *(Loc. cit.).* Quoties igitur voluntas in aliquod bonum salutare consentit, toties ad illud a Deo internâ inspiratione inclinetur oportet.

[1] Cf. *Montesinus*, De Grat., disp. 31, q. 2, n. 54; tom. 2, p. 798. - *Tanner*, De Grat., disp. 6, q. 3, dub. 10; tom. 2, col. 1267. - *Platel*, Curs. theol., tom. 2, cap. 6, § 5, n. 548 et ss.; p. 395. — [2] Cf. *Caspensis*, Disp. 3, sect. 4, n. 26; p. 520. - *Oviedo*, Tr. 7, controv. 1, punct. 6, n. 54; p. 614. - *Gibbon*, De Grat., disp. 34, dub. 2, n. 9; tom. 3, p. 435.

47. — Quæritur II. *Undenam proveniant, cum gratia excitans conceditur, humanæ mentis illuminatio et inclinatio voluntatis?*

Resp. I. QUOAD MENTIS ILLUMINATIONEM. Duplex distinguitur mentis illuminatio, mediata una, altera immediata. *Mediata* est quæ producitur per externa objecta, puta per lectionem spiritualem, exercitia spiritualia, exempla sanctorum, præsertim per evangelicam prædicationem, etc. Vi enim legum psychologicarum, quando sensus hujusmodi rerum visu tanguntur, piæ in intellectu sponte exsurgunt cogitationes. — *Immediata* est quam ipse Deus secretâ et occultâ operatione immediate et per se in ipsâ mente operatur.

Pelagius, in tertio statu suæ hæreseos, gratiam dixit esse mediatam mentis illuminationem, per legem scilicet, atque doctrinam et exempla Christi nobis proposita. Jamverò, hæc mediata mentis illuminatio, etsi possit dici et sæpissime sit reapse vera gratia *externa*, non tamen est ea gratia interna, quam Concilia et SS. Patres ad opera meritoria necessariam dicunt. Mediata enim illa mentis illuminatio est actus entitative naturalis; illuminatio verò intellectûs, quæ requiritur, est actus entitative supernaturalis; ac proinde non potest aliunde provenire quam ab ipso Deo eam immediate et per se in mente producente.

Porrò, hanc immediatam intellectûs illuminationem Deus quandoque causat seclusâ omni exteriori occasione; sed plerumque eam occasione alicujus exterioris circumstantiæ, ut loci, temporis, lectionis spiritualis, et præsertim evangelicæ prædicationis, operatur. Homine enim exterius exhortante, piæ in mente naturaliter suscitantur cogitationes, quarum occasione Deus ipse intus in corde loquitur et mentem illuminat. Si intus taceret Deus, in vanum sonarent prædicatoris verba.

« Jam hic videte magnum sacramentum, fratres, *inquit S. August.:* » sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est. Nolite » putare quemquam aliquid discere ab homine. Admonere possumus » per strepitum vocis nostræ; si non sit intus qui doceat, inanis fit » strepitus noster... Quantum ad me pertinet, omnibus locutus sum; » sed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus Sanctus intus » non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus, adjutoria quædam » sunt, et admonitiones. Cathedram in cœlo habet qui corda docet... » Interior ergo magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius » docet. Ubi illius inspiratio et unctio illius non est, forinsecus ina- » niter perstrepunt verba. » *(In Epist. I Joan., Tr. 3, n. 13. M., 35, » c. 2004. — Cf. De Civit. Dei, L. 15, c. 6. M., 41, c. 442).*

S. Fulgentius: « Quis non videat hominem ab homine inutiliter ser- »monem doctrinæ cœlestis audire, nisi ei magister Deus revelando, »misericorditer loquatur in corde. » *(De Verit. prædest., L. 1, c. 22. M., 65, c. 626).*

S. Gregorius: « Nisi Spiritus Sanctus cordi adsit audientis, otiosus »est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore »docentis intelligit, quia nisi intus sit, qui doceat, doctoris lingua »exterius in vacuum laborat. » *(Hom. 30 in Evang., n. 30. M., 76, »c. 1222).*

Et *S. Thomas:* « *Ille vos docebit omnia,* quia quæcumque homo »doceat extra, nisi Spiritus Sanctus interius det intelligentiam, fru- »stra laborat; quia nisi Spiritus cordi adsit audientis, otiosus erit »sermo doctoris; inspiratio omnipotentis dat intelligentiam *(Job. »XXXII, 8),* et in tantum, quod etiam ipse Filius organo humani- »tatis loquens non valet, nisi ipsemet operetur interius per Spiritum »Sanctum. » *(Lect. 6 in Joan. — Cf. De Imitatione Christi, L. 3 c. 2, n. 2).*

48. — Cum igitur Deus occasione exterioris circumstantiæ, præ- sertim evangelicæ prædicationis, mentem illuminet, sequitur quod, ut ait *Marsilius ab Inghen:* « Summe expediens est bonis et malis au- »dire verbum Dei. Patet: quia tale est instrumentum Spiritûs Sancti »quo interius trahit animam, confirmando bonos in bono, et retra- »hendo malos a malo, ipso Spiritu Dei intrinsecus animam instruendo, »unum uno verbo et alium alio secundum quod sibi videbitur expe- »dire. Et eodem modo expediens est revolvere beneficia Dei, mise- »ricordias Dei, terribile Dei judicium, benignissimam passionem Chri- »sti, et consimilia. Patet: quia cogitantem animam de his ipsis sæpius »Dominus confortat in bono, et a malo convertit aut retrahit. Hæc »enim sunt nutrimenta spiritualia, de quibus dicitur, Deut. VIII: *Non »in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* »— Et ex illis posset inferri: Expedire civitatibus habere bonos præ- »dicatores et bonos mentis medicos plus quam corporis. » *(In II Sent., Quæst. 18, a. 1; fol. 296, verso).*

49. Resp. II. Quoad inspirationem voluntatis [1]. Duplicem volun- tatis inspirationem, mediatam scilicet et immediatam, distinguere licet. *Mediata* dicitur ille indeliberatus motus, qui ad propositionem objecti ex parte intellectûs sponte exsurgit in voluntate. Propter radicationem enim intellectûs et voluntatis in eadem animæ essentiâ, naturaliter

[1] Cf. *Salmant.* De Grat., disp. 5, dubi 2. T. 9, p. 656.

contingit hominem, statim ac intellectus percipit bonum conveniens aut malum disconveniens, in voluntate suâ subitaneam etiam experiri inclinationem, sive ad bonum perceptum prosequendum, sive ad malum fugiendum. — *Immediata* est ille indeliberatus motus, quem Deus occultâ et secretâ operatione immediate et per se intus in voluntate operatur, inclinando eam ad prosequendum bonum, cujus cognitionem ipse excitavit in mente.

Docuerunt igitur nonnulli theologi [1], voluntatis inspirationem in gratiâ excitante esse tantum mediatam, intellectumque supernâ illuminatione illustratum posse voluntatem sufficienter ad bonum inclinare, quin Deus novo favore cor hominis tangat ipsiusque voluntatem ad bonum supernaturale prosequendum immediate moveat. — Horum tamen opinio etsi a Pelagianorum dictis discrepet, quandoquidem hi omnem influxum in voluntatem rejiciebant, nimis arctam tamen cum horum doctrinâ videtur habere affinitatem, quam ut tutò possit admitti.

Communis proinde et omninò tenenda sententia docet, piam voluntatis motionem semper etiam a Deo immediate provenire. Prærequiritur quidem intellectûs illustratio, ut voluntatis motio fiat modo connaturali: nam ignoti nulla cupido; et Deus qui gratiam naturæ accommodat, hominem non violenter, sed suaviter juxta naturam suam regit et ad bonum inclinat. Hæc verò mentis illuminatio et eam sponte suâ consequens voluntatis motio, ad rationem gratiæ excitantis non sufficiunt, sed insuper requiritur ut Deus immediate et per se voluntatem sive ad peccati fugam, sive ad boni supernaturalis prosecutionem inclinet.

Hanc immediatam Dei actionem in hominis voluntatem omninò suadent Scripturæ, Conciliorum et Patrum testimonia supra allata *(n. 41 et ss.)*; eamdem suadet ratio. Ob vehementes enim motus passionum contra rationem insurgentium sæpe contingit, vel bonum ab intellectu propositum non delectare, vel malum nullatenus displicere. Quo in casu, nisi adesset in voluntate aut suavitas a Deo immediate producta ad bonum operandum, aut terror a peccato avertens, voluntas sufficienti auxilio instructa non foret.

Præterea, in homine habitibus infusis destituto, voluntas per gratiam elevari debet, ut possit actum supernaturalem producere; et in homine habitibus infusis ornato, voluntas etiam corroborari et con-

[1] Cf. *Petavius*, De dogm. Pelag. et Semipel., cap. 10, n. 12; tom. 3, p. 333. - *Vasquez*, In 1-2, disp. 185, cap. 6. T. 4, p. 399.

fortari debet. *(Cf. n. 51 et ss.; n. 61 et ss.)*. Voluntas autem per nudam objecti propositionem ex parte intellectûs nec elevatur nec corroboratur. Ut igitur voluntas elevetur, corroboretur, et ad bonum sufficienter moveatur, immediatus in eam requiritur influxus divinus.

§ 2. *Gratiæ excitantis nomina* [1].

50. — Gratia excitans, una quoad entitatem, diversis tamen insignitur nominibus. Vocatur *operans, excitans, vocans, prævenians, antecedens.*

Vocatur *operans*, ex ordine scilicet ad suam causam, quia Deus operatur in nobis sine nobis libere agentibus indeliberatum illum intellectûs et voluntatis actum, de quo supra. « Ipse (Deus), *inquit* » *S. August.*, ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur » perficiens. Propter quod ait Apostolus: *Certus sum quoniam qui ope-* » *ratur in nobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* » (Philipp. I, 6). Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem » volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen » sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad » bona pietatis opera nihil valemus. » *(De Grat. et lib. arb., c. 17. M., 44, c. 901).* — Et *S. Thomas:* « Operatio alicujus effectus, *inquit*, non attri- » buitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectu in quo mens nostra » est mota, et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo » attribuitur: et secundum hoc dicitur gratia operans. » *(1.2, q. 111, a. 2).*

Vocatur EXCITANS et VOCANS, ex ordine videlicet ad effectum, ad quem datur. Deus enim gratiâ suâ vocat et excitat, tum infideles ut a somno infidelitatis exeant, tum peccatores fideles ut a morte peccati exsurgant, tum justos tepidos ut a desidiâ liberati opera bona faciant, tum sanctos ut ex non operantibus operantes fiant, atque in sanctitate et merito proficiant. De quâ divina vocatione atque excitatione multa habentur in Scriptura Sacra. Legimus, (Hebr. III, 7): *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* — (Eph. V, 14): *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* — (II Tim. I, 9): *Qui nos liberavit et vocavit vocatione suâ sanctâ.* — (Apoc. III, 20): *Ecce sto ad ostium et pulso.*

In verba Apostoli ad Ephes. V, 14, scribit *S. Augustinus:* « Apo- » stolus... excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam exci- » tabat ut illuminaretur a Christo. Ergo secundum ipsas vigilias dicit

[1] Cf. *Isaac Habert.*, Theol. Patr. Græc., L. 2, cap. 2 et ss.

» iste: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Non enim vigilares in » te, nisi oriretur lux tua, quæ te de somno excitaret. Illuminat enim » animas Christus, et facit eas evigilare: si autem lumen suum de- » trahat, obdormiunt.» *(In Ps. 62. M., 36, c. 750).* Et de excitatione atque suscitatione infidelis scribit: « Fac hominem primò nihil quæ- » rentem,... negligentem quemdam et socordem, obrutum cor habentem » illecebris mundi, et mortiferis delectationibus consopitum: ut exci- » tetur iste ad quærendam gratiam Dei, ut fiat sollicitus, et tanquam » de somno evigilet, nonne manus Dei excitat eum?» *(In Ps. 106. M., 37, c. 1421).*

Vocatur PRÆVENIENS, ANTECEDENS, et aliquando PRÆOPERANS, quia intellectum nihil tale cogitantem voluntatemque nihil volentem prævenit eorumque actiones deliberatas antecedit, animam illuminat, atque ad bonum volendum aut malum fugiendum excitat. — (Ps. 68, 11): *Misericordia ejus præveniet me.* « Profecto, *inquit S. August.*, ipsum » velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia » ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissen- » tire, propriæ voluntatis est.» *(De Spir. et litt., c. 34. M., 44, c. 241).* — Et *S. Prosper* S. Augustinum his verbis alloquitur: « Digneris ape- » rire... quomodo per istam præoperantem et cooperantem gratiam » liberum non impediatur arbitrium.» *(Epist. ad S. August., n. 8. M., 51, c. 73).*

§ 3. *Gratiæ excitantis munera.*

51. — Ex SS. Scripturis et Patrum testimoniis constat, duo esse gratiæ actualis munera, scilicet: *præbere vires* et *movere ad actum.* « Vocat te Deus, *ait S. August.*, et jubet ut facias; sed ipse dat vires, » ut quod jubet, impleri possit.» *(Serm. 32, n. 9. M., 38, c. 200).*

Et *S. Petrus Damianus:* « Ille (Spiritus Sanctus) lumen mentibus » ingerit, desiderium excitat, vires infundit. Illustrat siquidem ut vi- » deamus; provocat ut velimus; roborat ut bona, quæ volumus, implere » valeamus.» *(Serm. 21. M., 144, c. 620).*

S. Bernardus: « Ipsa (gratia), *inquit*, liberum excitat arbitrium, cum » seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut per- » ducat ad actum; servat, ne sentiat defectum.» *(De Grat. et lib. arb., n. 47. M., 182, c. 1026).*

Et *S. Thomas:* « Facultatem (ad salutares actus) dat Deus infun- » dendo virtutem et gratiam, per quas homo efficitur potens et aptus » ad operandum. Sed ipsam operationem confert, in quantum in nobis

» interius operatur movendo et instigando ad bonum... in quantum » virtus ejus operatur in nobis velle et perficere pro bonâ voluntate. » *(Lect. 2, in cap. 3 ad Eph.)*. Igitur:

52. — I. Si gratia excitans datur homini habitibus infusis destituto, ipsa *facultates transeunter in ordinem supernaturalem elevat*, addendo naturalibus facultatum viribus vires supernaturales, quibus facultates physicè præparentur et physicè potentes fiant ad operandum supernaturaliter. *Ratio est:* quia nullus actus potest proportionem principii sui activi excedere; ut igitur facultas naturalis actum supernaturalem producere possit, necesse est ut supra se elevetur, atque ut ei vires ordinis superioris addantur. Sicut, v. gr., si lapis actum aliquem vitalem elicere deberet, omninò necesse foret ut supra se ad ordinem entium viventium eveheretur, ejusque viribus naturalibus principium vitale superadderetur.

53. — II. Si gratia homini habitibus infusis jam instructo conceditur, facultates non elevat, quippe quæ per habitus infusos sunt jam physice potentes et aptæ ad operandum supernaturaliter; earum tamen *vires roborat et confortat*, ita ut ad omnia etiam difficillima divina mandata exsequenda pares inveniantur. *Omnia*, inquit Apostolus, *possum in eo qui me confortat.* (Phil. IV, 13). Et, (Eph. III, 16): *Det vobis* (Deus) *secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum ejus.*

Etenim ex unâ parte, « licet per baptismum remittantur peccata, » remanet tamen fomes peccati nos impugnans interius, et mundus et » dæmones qui impugnant exterius »; *(S. Th., P. 3, q. 39, a. 5)*; ex aliâ verò parte, per peccatum originale liberum arbitrium viribus est attenuatum et inclinatum, ut docet Tridentinum, *Sess. VI, cap. 1.* Inde evenit hominem, etiam justificatum, in morali esse impotentiâ ad legem servandam, nisi per gratiam vires ei conferantur. Quam præsertim ab causam gratia nuncupatur *adjutorium divinum, auxilium divinum, robur divinum.* « Quomodo, *inquit S. August.*, (Deus) » te a te liberat? Dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires » ad pugnandum adversus concupiscentias tuas, inspirando virtutem, » dando cœlestem delectationem, quâ omnis terrena delectatio supe- » retur. » *(De Verbis Isaiæ, Serm. 42, c. 3. M. 38, c. 254).* — Et: « Cer- » tum est nos facere, cum facimus; sed ille facit ut faciamus, præ- » bendo vires efficacissimas voluntati. » *(De Grat. et lib. arb., c. 16. M., 44, c. 900).*

Et *S. Fulgentius:* « Vigilandum est igitur in certamine, ut requie- » scatur in pace; cogitanda est liberi arbitrii semper infirmitas quam

»nobis primi hominis generavit iniquitas; et ad subrogandum virtu-»tis auxilium suppliciter poscenda est divina majestas, ut laboran-»tibus tribuat virtutem, et victores nos perducat ad pacem.» *(De Verit. prædest., L. 3, c. 16. M., 65, c. 664).*

54. — III. Voluntatem per acceptas vires præparatam et roboratam gratia *ad consensum invitat et movet.* Ut enim homo supernaturaliter agat, necesse est, non solum ut ei occurrat quid agere debeat, sed etiam ut ejus voluntas ad operandum inclinetur; porrò, hoc non est in hominis potestate, sed ei a solo Deo per gratiam confertur, ut supra dictum est *(n. 41 et ss.)*, Quam divinæ gratiæ motionem miris encomiis celebrant Patres. «Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur »voluntas eorum, *ait S. August.*, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo »sic velint, quia Deus operatur ut velint... Subventum est igitur infir-»mitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter et insu-»perabiliter ageretur; et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, »neque adversitate ullâ vinceretur.» *(De corrept. et grat., n. 38. M., 44, c. 939).*

Et *S. Prosper:* «Agit quippe in nobis (Deus), ut quod vult et ve-»limus et agamus; nec otiosa esse in nobis patitur, quæ exercenda, »non negligenda donavit; ut et nos cooperatores simus gratiæ Dei.» *(Lib. de Auctor. Ep. de Gr., c. 9. M., 51, c. 210).*

§ 4. *Gratiæ excitantis natura.*

55. — Gratiæ excitantis natura computatur inter mysteria: est enim res ordinis supernaturalis, vincens ex omni parte naturales intellectûs vires. Si enim modus, qua in ordine naturali Deus ad creaturarum actiones concurrit, ad abscondita jam referendus est divinæ providentiæ arcana, a fortiori eis adnumerandus est modus, quo in ordine supernaturali Deus in animam agit, et unà cum eâ ad actus salutares concurrit. Gratiæ quidem existentiam Deus nobis manifestare dignatus est; ejus verò naturam nobis abscondit. Non possumus igitur gratiæ excitantis naturam certò cognoscere; et quidquid auctores hac de quæstione proferunt, opinionis limites non prætergrediuntur. Verùm, si scire nequeamus in quo gratiæ essentia sita sit, certò tamen scire valemus in quo non consistat.

De gratiæ igitur excitantis naturâ plures proferuntur sententiæ, quarum duæ, utpote hæreticæ aut saltem erroneæ, prorsus sunt removendæ; aliæ catholicorum disputationibus libere dimittuntur.

I. SENTENTIÆ REMOVENDÆ.

56. — Prima sententia, hæretica aut saltem erronea, est Quesnelli, docentis: *gratiam nihil aliud esse quam omnipotentem Dei voluntatem.*

Jamverò hæc sententia: *a*) Damnata est in Constitutione *Unigenitus*, prop. 19. *(Cf. Denzing., n. 1324).*

b) Contradicit unanimi Patrum et theologorum sententiæ, qui omnes docent, gratiam esse donum creatum ab actione Dei distinctum, atque animæ communicatum.

c) Confundit gratiam increatam, quâ Deus nos ab æterno diligit in ordine ad vitam æternam, cum gratiâ creatâ, quæ est increatæ effectus.

d) Ad hæreticas ducit conclusiones, scilicet: non dari veram Christi gratiam nisi efficacem; et veræ gratiæ nunquam resisti posse, sicut ex professo docuit Jansenius. Enimverò, si gratia est omnipotens Dei voluntas, liquidò sequitur omnem veram gratiam esse omnipotentem, ac proinde semper efficacem, et quidem talem, cui voluntas non possit resistere; si enim voluntas gratiæ posset resistere, ipsi Dei omnipotentiæ resistere posset: quod repugnat[1].

57. Secunda sententia, erronea, est Arnaldi, qui gratiam docet esse deliberatum actum creaturæ.

Porrò, licet actus deliberatus supernaturalis sub influxu prævenientis gratiæ elicitus, possit aliquo modo esse adjutorium et auxilium ad actus subsequentes, ac proinde aliquâ ratione dici gratia excitans relate ad hos actus, attamen ipse haberi nequit ut gratia excitans de quâ agimus. Enimvero:

a) Actus deliberatus supernaturalis est effectus tum gratiæ adjuvantis tum excitantis; siquidem, sicut definiunt Concilia et Patres, nemo in actum supernaturalem prodire potest, nisi gratiâ prævenius fuerit et adjutus. Sed effectus gratiæ dici nequit ipsa gratia. — Præterea, Tridentinum hominis consensum ab excitante gratiâ manifeste discernit, dum, *can. 4, Sess. VI*, definit: « Liberum hominis arbitrium » a Deo motum et excitatum, cooperari assentiendo Deo excitanti ad » obtinendam justificationis gratiam. »

b) Gratia excitans non supponit necessariò liberum hominis consensum: hujuscemodi enim naturæ est hæc gratia, cui possit homo pro suo beneplacito consentire vel non; actus verò deliberatus necessariò supponit hominis consensum, ut per se patet. Nequit igitur actus deliberatus esse ipsamet gratia.

[1] *Fontana*, In Constit. Unigenitus, prop. 19. T. 1, p. 294.

c) Demum, hæc Arnaldi sententia gratiam sufficientem eliminat, juxta Jansenistarum placita, et solam statuit efficacem. Si enim gratia voluntatis consensum necessario includit, ubi est vera interior gratia, ibi semper etiam erit actus deliberatus; et quando homo bonum non agit, ad quod tenetur, verâ gratiâ fuit destitutus.

II. SENTENTIÆ LIBERÆ DISCUSSIONIS.

58. — Unanimiter docent doctores catholici, in gratiâ excitante semper includi cum intellectûs illuminationem per indeliberatam et subitaneam cogitationem, quâ intellectui bonum faciendum proponitur; tum voluntatis motionem, quâ voluntas ad bonum volendum et faciendum per subitaneam inspirationem inclinatur. Quâ de causâ omnes theologi cujusvis scholæ gratiam excitantem definire solent: *mentis illuminationem et motionem voluntatis a Deo nobis impressam*; et Concilia atque SS. Patres gratiam semper nominant *vocationem, illuminationem, lumen, suavitatem, dulcedinem, tactum cordis*, etc.

Sed controvertitur inter theologos, utrum in hisce actibus indeliberatis constituatur formaliter tota ratio gratiæ excitantis, an præter illos quidquam aliud gratiam formaliter constituat, aut saltem ad ejus essentiam requiratur.

Tres in hâc quæstione adsunt præcipuæ sententiæ.

59. — I. Thomistæ [1], cum aliis non paucis, ut *Montanius* [2], *Pennotus* [3], *Salas* [4], *Egger* [5], etc., docent gratiam excitantem consistere formaliter non in ipsis actibus indeliberatis intellectûs et voluntatis, sed in entitate quadam physicâ prævie a Deo transeunter communicatâ, quâ facultates novis instruantur viribus, atque, si habitibus infusis careant, in ordinem supernaturalem transeunter eleventur, et in actu primo physice potentes et aptæ constituantur ad actus supernaturales producendos. Hæc entitas non vitalis (sic dicta, quia non est actus vitalis hominis) naturâ prius quam actus indeliberati in animâ producitur, estque illorum actuum causa. Proinde, secundum istos, etsi in gratiâ excitante terminative semper necessariò adsit intellectûs illuminatio et motio voluntatis, ac proinde gratia vere dici possit *illuminatio* et *motio*, attamen, formaliter et in suâ essentiâ considerata,

[1] Cf. *Philipp. a SS. Trinit.*, In q. 111, disp. 2, dub. 4; p. 463. - *Salmant.*, De Grat., disp. 5, dub. 2 et 3; T. 9, p. 620. - *Puteobonelli*, De Grat., q. 2, a. 1; p. 385. - *Wenzl*, De Grat., controv. 2, q. 1 et 2; p. 66. — [2] De Grat., P. 2, q. 2, a. 2, § 2, concl. 3. — [3] De Auxil., L. 9, cap. 3. — [4] In 1.^{m} 2,^{æ} q. 3, tract. 2, disp. 5. — [5] Enchirid., n. 341.

gratia excitans consistit proprie in aliquo dono prævio, quod sit illorum actuum causa.

Quid sit autem illa prævia entitas, in quâ gratia formaliter consistit, non est facile dictu. Alii, præsertim antiquiores thomistæ, eam dicunt esse qualitatem quamdam fluentem; alii virtuosam quamdam motionem a Deo animæ transeunter impressam, ad instar motionis ab artifice impressæ instrumento, quâ illud ad effectum producendum elevatur, quem suis viribus producere non posset [1].

60. — II. Patres S. J. fere omnes [2], cum multis aliis, ut *Ysambertus* [3], *Curiel* [4], *Montesinus* [5], *Mascarenhas* [6], etc., docent: gratiæ excitantis essentiam unice consistere in solis actibus indeliberatis intellectûs et voluntatis, sive detur homini habitibus infusis instructo, sive eis destituto. Quum autem facultas, si habitibus infusis careat, suis viribus impar sit ad actum supernaturalem producendum, qualis est jam ipse actus indeliberatus, docent, in homine habitibus infusis destituto Spiritum Sanctum speciali assistentiâ defectum habituum supplere, suâque virtute efficere ut facultas eos actus producere possit. Solam igitur in hoc casu admittunt extrinsecam facultatuum elevationem, intrinsecam verò per aliquod donum animæ transeunter inhærens, respuunt.

61. — III. Alii demum, ut *Gibbon* [7], *Gonzalez de Albeda* [8], *Panger* [9], etc., distinctionem inducunt inter hominem habitibus infusis instructum, atque eis destitutum, et docent: in homine, cujus facultates sunt jam per habitus infusos elevatæ, gratiam excitantem in solis actibus indeliberatis formaliter consistere; enimverò, cum istius facultates jam sint elevatæ et in actu primo potentes ad actus supernaturales eliciendos, non indigent ullo alio perfici ut supernaturaliter operari valeant, sed sufficit ut ad actum moveantur et applicentur, ad quod præstandum abunde sufficiunt indeliberata intellectûs illustratio atque motio voluntatis.

Si verò gratia excitans conceditur homini, cujus facultates habitibus infusis nondum sunt elevatæ, ac proinde per se impares ad actum supernaturalem, facultates naturâ prius elevari debent quali-

[1] Cf. *Montan.*, loc. cit. — [2] Cf. *Muniessa*, De Grat., disp. 2; p. 17. - *Mazzella*, De Grat., disp. 1, a. 5. - *Suarez*, De Aux., L. 3, cap. 3 et 4. - *Mayr*, Theol. schol., De Grat., disp. 1, q. 1, a 2; p. 89. - *Ripalda*, Disp. 104. — [3] In 1. 2, q. 111, disp. 2, a. 4 et 5; p. 390. — [4] In 1. 2, q. 111, dub. 1; p. 894. — [5] In 1. 2, q. 111, disp. 31, q. 2, § 1; p. 787. — [6] De Auxil., disp. 1; p. 15. — [7] De Grat., disp. 34, dub. 2; p. 433. - [8] In 1 Part. D. Th, q. 19, disp. 59, sect. 3; tom. 2; p. 92. — [9] De Grat., disp. 1, q. 2; p. 479.

tate quadam non vitali fluente, aut motione quâdam virtuosâ prævie a Deo concessâ, deinde actibus indeliberatis excitari et moveri ad actum deliberatum: ex quâ qualitate fluente aut virtuosâ motione transeunte et actibus indeliberatis unum constituitur auxilium relate ad subsequentes actus salutares. « Judico autem, *ait Gibbon, (loc. »cit., n. 18)*, quod ex qualitate transeunte et actu indeliberato, ad »quem datur, resultet unum auxilium. »

62. — CONCLUSIO. Quælibet ex his sententiis est probabilis, quia quælibet validis fulcitur argumentis atque a gravibus admittitur auctoribus. Magis tamen arridet nobis sententia prima quæ docet: omnem gratiam excitantem, sive detur homini habitibus infusis ornato, sive eisdem destituto, formaliter consistere in entitate quadam physicâ, motione scilicet virtuosâ, speciali Dei influxu in animâ productâ, quæ sit causa actuum indeliberatorum. Addimus tamen, cum tertiâ sententiâ, ex prævià illâ motione et actibus indeliberatis unum relate ad subsequentes actus deliberatos resultare auxilium.

Proinde, nostrâ sententiâ, *omnis gratia excitans essentialiter duplici constat elemento: motione scilicet virtuosâ a Deo nobis prævie impressâ, et indeliberatâ intellectûs illuminatione atque motione voluntatis.*

63. — Probatur I^a^ Pars Conclusionis. 1° Si homo habitibus infusis caret, facultates ejus sunt omninò impares ad actum supernaturalem eliciendum, sive sit deliberatus, sive indeliberatus. Ratio est, quia nullum agens potest supra suam virtutem operari. Facultas igitur elevari debet ut actum supernaturalem, etiam illum indeliberatum in quo secunda sententia gratiæ essentiam constituit, elicere valeat.

Non negamus quidem facultatem extrinsece elevari posse per specialem Dei assistentiam, qui habitum supplet et virtute suâ per facultatem illum actum operatur; nemo tamen inficiari potest connaturalius et suavius esse facultati, ut intrinsece per aliquid sibi transeunter inhærens elevetur et perficiatur. Ideò probabilius judicamus in gratiâ excitante semper conferri istiusmodi homini aliquod donum prævium, quo potentia elevatur atque apta redditur ad actum supernaturalem connaturaliter eliciendum; et in eâ entitate, quæ est actûs indeliberati principium, excitantem gratiam consistere dicimus.

2° Si agitur de gratiâ præveniente homini habitibus infusis instructo concessâ, res majorem patitur difficultatem, cum ejus facultates, utpote jam elevatæ, jam sint in actu primo potentes ad salutariter operandum; quam ob causam tertia supra relata sententia ejus excitantem gratiam in solis actibus indeliberatis reponit, quibus fa-

cultates ab actu primo reducuntur in actum secundum. Dicendum tamen videtur, etiam in homine justo excitantem gratiam non in solis actibus indeliberatis, sed in prævià simul etiam entitate quadam consistere. Scripturæ enim et Patres, absque distinctione hominis justi aut injusti, gratiam exhibent tanquam *confortantem facultates, inspirantem virtutem, dantem vires, præbentem vires efficacissimas voluntati, tanquam roborantem ut bona implere valeamus, tanquam robur et auxilium nobis divinitus datum; (cf. n. 51 et ss.);* et ipsa Ecclesia ad Christum orat: *Da robur, fer auxilium.* — Porro, hæc omnia manifeste indicant, gratiam vires in hominem etiam justum physice influere; gratiam facultates physice corroborare et confortare; ac proinde ipsam formaliter consistere in entitate quadam physicâ, in motione scilicet virtuosa, aut virtute quadam supernaturali animæ a Deo transeunter communicatâ; et non in solis actibus indeliberatis, cum vix concipi possit quomodo actus indeliberati vires physice augere possint in facultatibus, eisque tantam conferre fortitudinem, quantam SS. Patres gratiæ vindicant.

64. — Probatur II^a Pars conclusionis, scilicet ex entitate prævià et actibus indeliberatis unum resultare auxilium relate ad actus salutares.

Gratiæ excitantis munus est, non solum vires operi proportionatas ministrare, sed etiam, sicut ex ipsius definitione constat, monstrare quid sit faciendum, voluntatemque allicere ut, quod faciendum esse cognoverit, libere exsequatur. Sed intellectus non aliter nisi cogitatione, quæ sit actus vitalis, illuminari, nec voluntas aliter nisi internâ inclinatione moveri potest. Ut igitur relate ad actus salutares gratia veri et perfecti auxilii rationem habeat, ipsa præter entitatem quâ facultates roborantur, necessariò etiam includere debet eos actus indeliberatos, quibus Deus mentem de bono exsequendo illuminat, et voluntatem ad illud faciendum inclinat.

ARTICULUS II.

DE GRATIA ADJUVANTE [1].

De gratiâ adjuvante agentibus, tria occurrunt inquirenda, videlicet: 1° Ejus definitio; 2° Ejus nomina; 3° Ejus natura.

[1] Cf. *Montesinus,* In q. 111, disp. 31, q. 4, § 2; p. 807. - *Is. Hab.,* Theol. Patr. Græc., L. 2, cap. 3, 4 et 5. - *Petrus a S. Jos.,* De Grat., disp. 6, sect. 1-5; p. 241. - *Curiel,* In q. 111, dub. 2 et 3; p. 902. - *Brancatus de Laurea,* Opusc. De Gratiis actualibus, cap. 2, § 3, 4, 5; p. 265. - *Suarez,* De Auxil., L. 3, c. 20 et ss.

§ 1. *Gratiæ adjuvantis definitio.*

65. — Gratia adjuvans, prout ab excitante stricte contradistinguitur, definitur: *Concursus supernaturalis, quo Deus nobiscum agentibus concurrit ad faciendum bonum, ad quod per gratiam operantem invitavit.*

Dicitur: *prout ab excitante stricte contradistinguitur;* si enim gratia adjuvans large accipiatur, plura ad eam referri possunt auxilia, ut habitus virtutum infusarum, dona Spiritûs Sancti, etc., quæ cum sint dona supernaturalia, et ad effectum salutarem concurrant, recte dici possunt gratia adjuvans [1]. Sed nos nunc agimus de gratiâ adjuvante proprie dictâ, prout scilicet significat auxilium Dei transiens, homini in ordine ad salutariter operandum concessum.

Gratiâ excitante eò res adducitur ut homo, viribus supernaturalibus instructus, ad actum salutarem proxime sit dispositus, et divinâ vocatione pulsus, ad salutariter operandum invitetur. Potest autem homo, pro liberi arbitrii nutu, huic divinæ vocationi respondere, aut ei aures obturare; potest gratiam sequi, aut eam abjicere. Si gratiæ libere consentit et actum salutarem ponit, Deus auxilio suo ad hunc ipsum consensum et ad actum salutarem concurrit, voluntatemque adjuvat in præstando consensum et in exsequendo opus; et illud Dei adjutorium, ille Dei concursus vocatur *gratia adjuvans.* Hæc gratia, ut patet, est cum homine cumprincipium consensûs et actûs; ipsa, unà cum voluntate, influit in effectum, ita ut effectus sit simul et a Deo et ab homine. *Abundantius illis omnibus laboravi,* inquit Apostolus, *non ego autem, sed gratia Dei mecum.* (I Cor. XV, 10).

66. — Gratiæ adjuvantis necessitas commendatur a Conciliis, Patribus, imò et ipsâ ratione.

Legimus in *Arausic. II, can. 9:* « Quoties bona operamur, Deus » in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur. » In quibus per ly *in nobis,* gratia excitans, et per: *atque nobiscum,* gratia adjuvans aperte significatur.

In *Tridentino* verò, *Sess. VI, cap. 5:* « Ut qui per peccata a Deo » aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad con» vertendum se... disponuntur. » Et, *can. 3 ejusdem Sessionis:* « Si quis » dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione atque ejus adju» torio, hominem credere... posse, A. S. » In quibus verbum *præve-*

[1] *Gamachœus,* In q. 111, cap. 3; p. 375.

niens gratia gratiam excitantem, verbum verò *adjutorium*, adjuvantem denotat.

Hæc gratia a Patribus celebratur. « Ut velimus, *inquit S. August.*, »sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut facia»mus, nobiscum operatur; tamen sine illo vel operante ut velimus, »vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus... »De cooperante cum jam volumus et volendo facimus, dictum est: »*Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. VIII, 28. » *(De Grat. et lib. arb., c. 17. M., 44, c. 901).*

S. Gregorius: « Superna pietas, *inquit*, prius agit in nobis aliquid »sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod »jam appetimus, agat nobiscum. » *(Moral., L. 16, c. 25. M., 75, c. 1135).*

S. Bernardus: « Cujus (liberi arbitrii) conatus ad bonum, et cassi »sunt, si a gratiâ non adjuventur; et nulli, si non excitentur. » *(De Gr. et lib. arb., c. 13, n. 42. M., 182, c. 1024).*

Eadem gratia ratione suadetur. In ordine naturali, ut creatura aliquid agere valeat, non sat est ut a Deo concursu prævio ad opus moveatur, sed insuper requiritur ut Deus concursu simultaneo eam adjuvet, et unâ cum eâ ad effectum concurrat. *Ratio est*, quia in quolibet actu quædam reperitur entitas, quæ non a creaturâ per propriam virtutem, sed ab eo solo, qui est Ens per essentiam, produci potest; proinde, agente creaturâ, omninò necesse est ut Deus ei cooperetur, et unà cum eâ effectum producat [1]. Porro, et ipse consensus gratiæ excitanti libere præstitus, et actus salutaris ad quem movet gratia excitans, entitate quadam et quidem supernaturali donantur. Ut igitur voluntas gratiæ excitanti libere consentire, et actum salutarem ponere valeat, omninò requiritur ut Deus voluntatem suâ virtute adjuvet, et unà cum eâ tum ad consensum eliciendum, tum ad actum salutarem ponendum concurrat: qui concursus nequit esse ordinis naturalis, sed ordinis supernaturalis esse debet; cum enim effectus sit ordinis supernaturalis, etiam concursus ejusdem sit ordinis oportet.

67. — **Scholia.** *Ex dictis sequitur:*

I. Adjuvantem gratiam ad omne opus bonum semper et omnibus esse necessariam; imò eamdem fuisse necessariam Christo homini [2]. Si enim divina illa cooperatio deesset, homo nullum opus elicere posset, sicut constat ex dictis; vel si quod posset elicere, illud independenter a causâ primâ produceret, foretque principium essendi, quod repugnat.

II. Quoties gratiam excitantem homini concedit, toties Deus pa-

[1] Cf. *Herrmann*, Instit., n. 838. — [2] Cf. *Herrmann*, Instit., n. 915.

ratus est adjuvantem etiam conferre. « Deus, *ait S. August.*, hominis »voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præpara»tam.» *(Enchir., c. 32. M., 40, c. 248).* — Et *S. Fulgentius:* « Sola »igitur gratia, *inquit*, in nobis bonam voluntatem facit, sola fidem »ipsi voluntati tribuit. Sed cum bona voluntas habuerit fidem,..... »incipit operari bonum, si tamen operanti gratiæ nunquam desit auxi»lium. Ideò enim in nobis gratia Dei bonam efficit voluntatem, ut »habeat quam in nobis adjuvet, non solum volentem, sed etiam ope»rantem: et ideò voluntati nostræ donum credulitatis infundit, ut eidem »voluntati credenti operantique non desit.» *(De verit. prædest., L. 1, c. 18. M., 65, c. 622).*

Deus enim gratiam excitantem eo solo fine concedit, ut homo eidem libere consentiat, et opus ad quod est excitatus, ponat. Sed, ad consensum eliciendum et opus ponendum, gratia adjuvans est prorsus necessaria. Deus igitur, qui non est hominum illusor, sed sapiens bonorum distributor, quando excitantem elargitur, etiam adjuvantem gratiam, sine quâ excitans effectu necessariò careret, concedere semper paratus est, quam consentientibus semper benigne concedit, resistentibus juste denegat.

§ 2. *Gratiæ adjuvantis nomina.*

68. — Gratia adjuvans, una quoad entitatem, ex officiorum diversitate diversis designatur nominibus. Vocatur enim *adjuvans, cooperans, concomitans, subsequens.*

Vocatur ADJUVANS, quatenus hominem illuminatum et excitatum adjuvat ad bonum propositum libere volendum et opere exsequendum. De eo gratiæ munere legimus, (Ps. 78, 9): *Adjuva nos, Deus, salutaris noster.* — (Ps. 108, 26): *Et tu Domine fac mecum, adjuva me, Domine Deus meus.*

« Hominis propositum bonum, *ait S. August.*, adjuvat quidem sub»sequens gratia, sed nec ipsum esset nisi præcederet gratia. Studium »quoque hominis quod dicitur bonum, quamvis cum esse coeperit, »adjuvetur gratiâ, non tamen incipit sine gratiâ.» *(Ad Bonifac., L. 20, c. 10. M., 44, c. 587).*

Et *S. Fulgentius:* « Eadem est operatio gratiæ, *inquit*, quæ me»ritum hominis bonum, et initiat ad justitiam, et consummat ad glo»riam. Primò inchoans in homine voluntatem bonam, deinde eamdem »voluntatem adjuvans inchoatam, ut eadem voluntas et divino dono »bona sit, et divino adjutorio malam superare concupiscentiam possit.» *(Ad Monimum, L. 1, c. 8. M., 65, c. 157).*

Vocatur COOPERANS, quia Deus nobiscum operantibus ad bonum producendum cooperatur; et CONCOMITANS, quia hominem operantem comitatur, et simultanee cum eo effectum ita producit, ut hic et Deo et voluntati simul sit adscribendus. De quo munere gratiæ legimus, (I Cor. XV, 10): *Abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* — Et in Tridentino, *Sess. VI, cap. 16*, dicitur: « Quæ virtus (scilicet gratia) bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur. »

Vocatur SUBSEQUENS, quia excitantem supponit eamque sequitur, ut homo illud, ad quod est excitatus, reapse velle et agere possit. « Nolentem prævenit (Deus), ut velit, *ait S. August.*, volentem sub- » sequitur ne frustra velit. » *(Enchirid., c. 32. M., 40, c. 248).*

Et *S. Fulgentius:* « Tunc salubriter discimus, quid facere debea- » mus, *inquit*, quando nos misericordia præveniens illuminat, et sana- » mur, ut quod illa præveniente discimus, eadem subsequente facia- » mus... Prævenit misericordia liberum hominis arbitrium, dum in » nondum bene volente sola operatur exordium bonæ voluntatis; sub- » sequitur, dum bene volenti subministrat auxilium, ut bene operando » perveniat ad bonæ voluntatis effectum. Misericordia igitur præve- » niens cooperaturam sibi hominis voluntatem sola præparat; subse- » quens autem cooperantem sibi voluntatem juvat. » *(De Verit. prædest., L. 2. c. 13. M., 65, c. 638).*

69. — **NB.** Gratia subsequens, quatenus hominem ad opus ponendum juvat, identificatur cum adjuvante. Ast aliâ etiam ratione gratia vocatur subsequens, quatenus scilicet liberum nostrum consensum subsequitur, et causat perseverantiam in bono usque ad adeptionem gloriæ. Hoc sensu sumpta, gratia subsequens distinguitur ab adjuvante proprie dictâ, et relate ad opera sequentia sub se tam excitantem quam adjuvantem comprehendit. De quâ subsequente gratiâ intelligitur quod dicitur (Ps. 22, 6): *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.*

« Prævenit ut sanemur, *ait S. August.*, quia et subsequetur ut » etiam sanati vegetemur; prævenit ut vocemur, subsequetur ut glo- » rificemur; prævenit ut pie vivamus, subsequetur ut cum illo semper » vivamus: quia sine illo nihil possumus facere. » *(De Nat. et grat., c. 31. M., 44, c. 264).*

Et *S. Fulgentius:* « Sicut bonæ voluntatis initium nemo potest ha- » bere, nisi fuerit misericordiâ Dei præveniente illuminatus,... ita » eamdem voluntatem bonam nemo usque in finem poterit obtinere, » nisi fuerit jugiter eadem misericordiâ subsequente servatus... Mise-

»ricordia igitur, quæ gratis malum hominem prævenit, ut mutetur in »melius, et ipsa quem bonum facit subsequendo regit, ne mutetur in »pejus. Omne igitur bonum voluntatis et operis tunc inesse potest »homini, si prævenientis gratiæ largitate detur, ejusdemque gratiæ »subsequentis opitulatione servetur.» *(De Verit. prædest., L. 1. c. 16. M., 65, c. 620).*

§ 3. *Gratiæ adjuvantis natura.*

70. — Adjuvantis, non secus ac excitantis gratiæ natura, inter arcana divinæ sapientiæ computatur: proinde quæ de ejus naturâ proferuntur sententiæ, opiniones sunt theologorum, et ad scientiæ gradum pertingere nequeunt. Plura igitur et diversa hac de re opinantur auctores.

I. Thomistæ, et illi omnes qui præmotionem physicam admittunt, docent: gratiam adjuvantem esse novam quamdam entitatem creatam, per modum qualitatis aut motionis virtuosæ a Deo animæ transeunter communicatam, quæ voluntatem physice præmovendo ad opus applicat, ad quod fuit per gratiam prævenientem excitata. Quodlibet principium agens creatum, inquiunt, in ordine tam naturali quam supernaturali, debet prius constitui potens in actu primo ad agendum; attamen, licet jam potens in actu primo ad agendum, propter omnimodam creaturæ dependentiam a Creatore, non potest ad actum secundum transire, nisi a Deo prævià motione physicâ ad agendum determinetur et applicetur. Jamvero, gratiâ excitante voluntas constituitur physice potens in actu primo ad operandum supernaturaliter; ast in actum secundum transire nequit, nisi nova a Deo superveniat motio, quæ, voluntatem physice præmovendo, eam ab actu primo in actum secundum reducat et ad operandum applicet. Novam hanc motionem prævíam in voluntatem gratiam adjuvantem dicunt, quæ, eorum sensu, est ipsa gratia efficax stricte sumpta, ut infra fusius dicetur.

Juxta hujus sententiæ patronos, uti manifestum est, gratia adjuvans ab excitante differt, non solum quoad effectus diversos, sed quoad ipsam entitatem: est quippe non unice auxilium concomitans et cooperans, sed etiam nova motio prævéniens voluntatem, et quidem motio distincta a motione gratiæ excitantis; est motio aut qualitas adeò necessaria, ut absque eâ homo, licet gratiâ excitante prævéntus, nullum opus deliberatum, ne minimum quidem, ponere possit; est auxilium a liberâ hominis cooperatione nullatenus dependens, sicut nec ipsa

gratia excitans prima, quandoquidem ad quamlibet liberam hominis cooperationem jam præexigitur.

71. — II. *Secunda sententia*, communis inter Patres S. J.[1], cui plures etiam adhærent extranei, docet: Gratiam adjuvantem quoad effectus distingui quidem ab excitante, non autem quoad entitatem, sed esse entitative ipsammet excitantem, quatenus cum voluntate consentiente novo influxu cooperetur ad effectum. « Ex dictis, *inquit Molina*, intel-» ligitur facile unam et eamdem numero gratiam, quatenus excitat, » allicit et invitat arbitrium nostrum ad actus credendi, sperandi, dili-» gendi aut pœnitendi, appellari prævenientem ac excitantem gratiam, » eâque consideratione prævenire arbitrium nostrum ad ejusmodi actus: » quatenus verò consentiente jam nostro arbitrio, et cooperante actus » ad quos illa invitat et allicit, ipsa quoque novo influxu et actione » cooperatur eosdem actus, appellari adjuvantem et cooperantem gra-» tiam. » *(Concordia, q. 14, a. 13, disp. 40; p. 227).*

« Observandum est, *inquit etiam Vasquez*, eamdem vocationem et » cogitationem sanctam, et primum motum voluntatis subitum dici gra-» tiam operantem et prævenientem, et cooperantem et concomitantem, » eamdem, inquam, diverso modo consideratam: nam quatenus con-» sensum nostrum antecedit, est operans et præveniens; quatenus verò » permanens in nobis efficit nobiscum consensum, est cooperans et con-» comitans ». *(In 1-2, disp. 185, c. 9; p. 405).*

72. — III. *Tertia sententia* inter Doctores Sorbonicos communis, cui etiam plures alii adhærent [2], realem admittit distinctionem gratiam excitantem inter et adjuvantem. Secundum eos, licet excitans gratia suo modo ad consensum et opus unà cum voluntate concurrat, requiritur tamen aliquid aliud ab eâ distinctum, concursus scilicet Dei simultaneus supernaturalis, quo Deus cum voluntate physice in effectum influat. Docent proinde, gratiam adjuvantem consistere in concursu divino ordinis supernaturalis. Hæc sententia, ait *Montanius*, « in scholis plurimum pervulgata, nobis videtur præ cæteris ample-» ctenda, utpote S. Augustini et S. Thomæ doctrinæ conformior. » *(Comp. Tourn., Disp. præv., a. 3, div. 7).*

« Doctrina, *ait etiam Is. Habert*, in Ecclesiæ scholis hodiernis rece-» ptissima est, gratiam cooperantem reapse ab operante distingui, quod

[1] Cf. *Mazzella*, De Grat., disp. 1, art. 6. — [2] Cf. *Ysambert.*, In q. 111, disp. 2, a. 9; p. 397. - *Duval*, q. 4, a. 2; p. 398. - *Grandin*, De Grat., q. 3, a. 2; p. 121. - *Tourn.*, De Grat., q. 6, a. 2; p. 471. - *Frassen.*, De Grat., disp. 2, a. 3, sect. 3; p. 227. - *Pettschacher*, De Grat., q. 1, a. 1, § 3; p. 360. - *Montesinus*, In q. 111, a. 3, § 2; p. 807. - *Curiel*, In q. 111, dub. 3, § 4; p. 910.

» etsi, ob doctorum aliam quorumdam opinionem, pro fidei articulo » non proponamus, ut Sorbonicam tamen assertionem merito propo- » nimus, cum Scholæ illius celeberrimæ professores, hanc unanimi » consensu sententiam amplexi sunt: ereptos vivis maximos illos viros » advoco, Gamachæum, Duvallium, Ysambertum, quibus et qui suc- » centuriati sunt, libentissime subscribunt... Hanc igitur sententiam » ut probatissimam in medium adducimus ac tuemur, addimusque, » ex Sorbonæ doctrinâ, gratiam cooperantem esse concursum illum » supernaturalem quem Deus voluntati præbet ad eliciendum con- » sensum gratiæ operanti, vocanti, excitanti, seu prævenienti. » *(Theol. Patr. Græc., L. 2, c. 3, § 1; p. 172).*

73. — *Tertiæ huic sententiæ tanquam probabiliori subscribimus.* Gratiam igitur adjuvantem dicimus non novam motionem prævíam voluntatis ad actum, quandoquidem præmotionem physicam in sensu recentiorum thomistarum rejicimus; nec tantum excitantem gratiam quatenus novo influxu concurrit cum voluntate ad consensum et actum; sed novum quoddam auxilium concomitans et cooperans, concursum scilicet supernaturalem, quo Deus voluntati consentienti gratiæ excitanti physice cooperatur tum ad consensum præstandum, tum ad opus exsequendum. Gratia cooperans seu adjuvans, *inquit Duvallius*, « nihil » aliud est, quam concursus, quo Deus specialiter nobiscum concurrit, » ad eliciendum actum supernaturalem ad quem per gratiam operan- » tem et excitantem commoti et excitati fuimus: quod primum ex ipso » nomine patet: cooperans enim aperte significat Deum nobiscum agere » per suum concursum, et nos unà cum illo, per assensum liberi ar- » bitrii. » *(De Grat., Q. 4, a. 1; p. 393).*

Concilium Tridentinum adjuvantem ab excitante gratiâ diversam esse etiam videtur innuere, dum ait, *Sess. VI, can. 3:* « Si quis dixerit, » sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjuto- » rio, etc. » — Arausicanum II verò et SS. Patres, ut ex textibus supra allatis *(n. 66)* patet, ita de gratiâ adjuvante loquuntur, ut eam in concursu divino simultaneo non obscure reponant. Aiunt enim gratiâ adjuvante *Deum agere nobiscum, operari nobiscum, nobis cooperari, nos cooperari Deo*, etc., quæ omnia concursum Dei simultaneum exhibent.

Idem ratione suadetur. Enimverò, de divino interventu quoad supernaturales hominis actiones philosophandum est, proportione servatâ, sicut de ejus interventu quoad actiones naturales. Jamverò, in ordine naturali, præter collationem virtutis activæ et ejus applicationem ad opus per motionem quamdam præviam, necessarius est

concursus Dei simultaneus a præcedentibus influxibus reapse distinctus, quo Deus physice creaturæ cooperetur, et in effectum unà cum eâ influat. Ergo a pari, præter collationem virtutis activæ ad opus supernaturale et excitationem ad operandum salutariter, quod præstatur per gratiam excitantem, alius etiam requiritur divinus influxus seu concursus, quo Deus cum voluntate in effectum influat: quem concursum cum scholâ sorbonicâ gratiam adjuvantem dicimus.

73. — **Scholium.** — Quidquid sit de istis opinionibus, ab omnibus conceditur gratiam adjuvantem quoad effectus differre ab excitante [1]: *a*) Gratia excitans voluntatem prævenit, et absque liberâ hominis cooperatione semper conceditur; adjuvans verò voluntatem non prævenit, sed cum liberâ hominis cooperatione et dependenter ab eâ conceditur. — *b*) Gratia excitans effectum ob quem datur, non semper sortitur, quippe cui voluntas resistere possit et de facto sæpe resistat; adjuvans autem semper est efficax, non quidem quia ipsa voluntatem necessariò ad consensum inclinat, sed quia non datur nisi voluntati libere consentienti, et quodammodo dependenter a libero ejus consensu.

CAPUT II.

DE GRATIA COMMUNI ET SPECIALI [2].

74. — Secunda gratiæ divisio est in *auxilium commune* et *auxilium speciale.*

Auxilium *commune* seu *generale* dicitur gratia illa supernaturalis quam Deus, vi generalis providentiæ, ordini supernaturali adnexuit: eò ipsò enim quod omnes homines salvos fieri velit, omnibus etiam supernaturalia auxilia elargiri tenetur, quibuscum omnes salvi fieri possint, si velint, et sine quibus salus foret omninò impossibilis. Hæc gratia omnibus hominibus, mensurâ licet diversâ, communiter confertur, cum omnes ad salutem vocentur; exinde *communis* seu *generalis* nuncupatur.

Auxilium *speciale* vocatur gratia illa supernaturalis, quacum homo non solum bonum salutare operari, et salvus fieri potest, sed quacum reapse bonum operatur et salutem consequitur. Vocatur *specialis gratia*, tum quia non omnibus indifferenter confertur, sed quibusdam

[1] Cf. *Noel,* Comp. Suaresii, VII, cap. 16; T. 1, col. 847. — [2] Cf. *Conr. Koellin,* In 1. 2, q. 109, a. 1 et 2. - *Ysamb.,* q. 109, disp. 8, a. 1; p. 353.

tantum, iis scilicet qui speciali modo sunt a Deo dilecti, aut qui oratione eam sibi comparant, sicut infra, ubi de systemate S. Alphonsi sermo erit, fusius dicetur: tum quia præ communi gratiâ selectiora et specialiora continet divinæ largitatis beneficia.

« Advertendum est, *ait Curiel*, sicut in ordine naturæ ad operationem formarum naturalium est necessarius concursus generalis Dei » proportionatus eisdem formis et eis debitus lege Dei ordinariâ; ita » etiam in ordine supernaturali ad operationem formarum supernaturalium, scilicet gratiæ et virtutum infusarum, necessarium esse » concursum actualem Dei proportionatum eisdem formis, ut sint principia operandi, et eis debitum ex lege ordinariâ gratiæ; et quamvis » hic concursus possit appellari auxilium *speciale*, factâ comparatione » ad hominem secundum suam naturam, quia non est ei debitus; » tamen aliâ ratione potest appellari auxilium *generale*, et concursus » generalis, scilicet intra ordinem gratiæ; quia factâ comparatione ad » hominem, ut habet gratiam, est debitus ex connaturalitate ad ipsam » gratiam; sed in ordine gratiæ præter hoc auxilium datur aliud specialius, quod sicut S. Thomas docet in fine corporis *(q. 109, a. 9)*, » et in solutione secundi, consistit in tribus: *Primum* est directio extrinseca, quâ Deus rationem vivendi alicujus dirigit et ordinat per media » quibus adjuvatur ad observandum præcepta, et vitandum peccata » mortalia. *Secundum* est protectio etiam extrinseca, quâ Deus removet » impedimenta sive moventia ad peccandum, sive retardantia a prosecutione boni. *Tertium* est copia internarum illustrationum et inspirationum valde efficacium: et hoc auxilium appellatur simpliciter » speciale, quia non solum non est debitum homini secundum suam » naturam, sed neque ut habet gratiam, imò datur ei ex novâ misericordiâ. » *(In 1. 2, q. 109, a. 9, § 4; p. 831).*

Quæ distinctio in gratiam communem et specialem ad SS. Patrum et antiquiorum theologorum intelligentiam plurimum confert. Hi siquidem gratiam ratione statûs supernaturalis omnibus debitam, quæ nunc *gratia sufficiens* a theologis nuncupatur, non gratiam simpliciter, sed *gratiam communem*, aut *auxilium* vel *adjutorium commune* appellare consueverunt: reservato nomine *gratiæ* speciali auxilio, quod omnibus indistincte non conceditur, et specialiorem Dei benevolentiam involvit, et quod nunc nomine *gratiæ efficacis* vocatur [1].

75. — **NB.** Gratia aliâ etiam ratione quandoque in communem et specialem dividitur, ita ut *communis* dicatur, quæ communicatur ad

[1] Cf. *S. Prosper.*, De Vocat. Gent., L. 2, c. 25, 29, 31; M., 65, c. 711 et 715.

operandum secundum consuetum modum agendi ordinis supernaturalis; *specialis* verò dicatur, quæ confertur ad operandum *præter* vel *supra* prædictum modum. Quâ ratione, v. gr., gratiæ collatæ ad vincendas communes tentationes etiam graves, ad conversionem peccatoris modo consueto operandum, ad cogitandum de Deo ipsumque amandum actibus interruptis, etc., dicuntur auxilia generalia, quia sunt secundum communem modum ordinis supernaturalis; gratiæ vero collatæ ad tentationem omninò extraordinariam superandam, ad miraculosam peccatoris conversionem peragendam, qualis fuit conversio B. Pauli, ad inhærendum Deo cogitatione ipsumque amandum absque ullâ interruptione, sicut in B. Virgine Mariâ contigit, dicuntur auxilia specialia, quia non servant communem modum ordinis gratiæ, nec hominibus communiter conferuntur [1].

CAPUT III.

DE GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI.

76. — Celebrior gratiæ actualis divisio, cujus occasione a temporibus Molinæ et Bannesii acerrimæ in scholis ferbuerunt et adhuc fervent controversiæ, ea est, quâ gratia excitans in *sufficientem* et *efficacem* distinguitur.

Hujus divisionis antiquiores theologi non meminerunt. Primus, in cujus scriptis hæc distinctio explicite invenitur, est *Henricus a Gorichem*, qui floruit medio sæculo XV; ast, ut ipse testatur, suo jam tempore in scholis invaluit: « Reminisci oportet, *inquit*, quod doctrina » scholæ theologicæ distinguere consuevit duplicem gratuitam motio- » nem divinam, quarum unam vocat motionem efficacem, aliam verò » sufficientem. » *(De prædest. div., prop. 15. Edit. Coloniæ, 1503, fol. 24).*

Gratia sufficiens generice sumpta, sicut ipsum nomen indicat, ea dicitur, *quæ voluntati vires ad salutariter operandum necessarias præbet.* Eo sensu quælibet vera Christi gratia, quæ homini ad operandum conceditur, etiam ipsa gratia efficax, dicenda est sufficiens, quandoquidem quælibet in se sufficientem continet virtutem, quacum homo opus, ad quod datur, ponere potest; si enim insufficientem tantum

[1] Cf. *Salmant.*, Disp. 5, dub. 7, § 5; T. 9, p. 721.

homini præberet agendi virtutem, homo gratiâ etiam munitus, operari prorsus nequiret, et consequenter culpæ reus esse non posset.

Gratia efficax in genere ea dicitur, *quæ conjungitur cum effectu, ad quem datur.*

77. — In hac generali gratiæ sufficientis et efficacis notione omnes concordant theologi. Si verò pressius inquiratur, quid sit proprie gratia sufficiens, et quid efficax, et quid discriminis inter utramque intercedat, pro diversitate systematum de modo efficaciæ gratiæ in diversas abeunt sententias, et diversas de utraque gratiâ tradunt notiones et definitiones.

Ne autem e nimiâ notionum opinionumque varietate confusio oriatur, et mens caligine obruatur, eas tantum gratiæ sufficientis et efficacis notiones in præsenti referemus, quas veriores æstimamus, et quibus solis proinde in hujus tractatûs decursu utemur, quæque in systemate S. Alphonsi et Scholæ Sorbonicæ statuuntur. Quæ verò in aliis scholis traduntur notiones, in sectione quarta exponentur, ubi de modo, quo gratia operatur, sermo occurret. Igitur in ART. I. dicemus de gratiâ sufficiente; in ART. II., de gratiâ efficaci; et in ART. III. quidam refutabuntur errores.

ARTICULUS I.

DE GRATIA SUFFICIENTE.

78. — Gratiam sufficientem, quatenus a gratiâ stricte efficaci contradistinguitur, cum S. Alphonso et Scholâ sorbonicâ eam vocamus, quæ in actu primo, in se scilicet, omnia continet necessaria ad opus, ad quod datur, reapse ponendum; quæ scilicet homini veram et expeditam confert agendi potentiam, eumque simul ad operandum movet, quin tamen cum effectu vel actu secundo infallibilem habeat connexionem. Est nimirum auxilium quoddam excitans, quod se solo, absque alio auxilio prævio complente potentiam in ratione principii aut eam ad actum applicante, voluntati hic et nunc sufficientes subministrat vires ad operandum, eamque simul ad operandum sufficienter movet et excitat, ita tamen ut non ex solâ virtute suâ intrinsecâ cum effectu connectatur, sed dependenter a consensu voluntatis.

Potest igitur gratia sufficiens recte definiri: *Auxilium divinum, præter quod ex parte Dei non alio prævio opus est homini, ut id actu operetur, ad quod confertur.*

Hanc esse genuinam gratiæ sufficientis notionem, ex ipsa vocis significatione evidenter manifestatur. Communi enim sensu illud solum dicitur auxilium sufficiens, quod cujuscumque alterius necessitatem excludit; illud verò quod alterius adjutorium sibi expostulat, omnes vocant insufficiens. Sic, v. gr., homo ad onus tollendum dicitur habere vires sufficientes, quando per se solum ad illud tollendum par est; si autem ad id præstandum alterius indiget auxilio, vires insufficientes per se habere dicitur.

79. — Gratia sufficiens in se considerata, quatenus scilicet in actu primo satis virium ad actum hic et nunc ponendum possidet, vocatur *præcisive sufficiens*, quia præscindit ab actuali ipsius operis positione; cum inspectâ solius gratiæ naturâ, opus reapse poni vel non poni possit pro libero hominis consensu. — Quo in sensu gratiam sufficientem intelligimus, quando in Sectione secundâ et tertiâ de eâ sermo occurret.

Hocce munitus auxilio, homo absque alio uberiori auxilio prævio, opus ad quod datur, reapse ponere aut non ponere potest, pro propriæ voluntatis determinatione. Si auxilianti gratiæ consensum præbet et bonum exsequitur, gratia cum effectu suo seu cum actu secundo conjungitur ob voluntatis consensum, et vocatur *efficiens, efficax ab eventu, efficax a consensu, efficax late, efficax ab extrinsecò*. Quo in casu voluntas agit quidem virtute gratiæ, quæ facultatem in ratione principii complet vires ministrando et ad agendum sollicitando; sed voluntatis consensus in causâ est cur gratia cum effectu reapse conjungatur, cum gratiæ sufficientis proprium sit voluntatis consensum infallibiliter non operari, sed ejus liberum consensum exspectare.

Si verò gratiæ vocanti homo consensum denegat, gratia remanet *pure* vel *mere sufficiens*, quia sistit intra limites sufficientiæ, et ad efficaciam in actu secundo, quam habere potuisset, ob voluntatis dissensum non transit. Talia, v. gr., sunt multa auxilia peccatoribus obduratis concessa, qui Spiritui Sancto semper resistunt, et vocem Domini ad pœnitentiam invitantis audire et sequi recusant.

Gratia igitur sufficiens suum effectum quandoque obtinet, et quandoque non obtinet, prout homo ei consentit vel non; quocircà ipsa dicitur producere effectum suum *contingenter*, et habere cum effectu connexionem causalitatis *contingentem, fallibilem*, non autem infallibilem.

80. — Gratia sufficiens est vel *proxime* et *immediate*, vel *remote* et *mediate* sufficiens.

Proxime sufficiens est auxilium, quo homo opus, ad quod confertur, immediate ponere potest; v. gr., si, urgente præcepto, conceditur sta-

tim auxilium gravitati præcepti proportionatum, homo dicitur accepisse gratiam immediate et proxime sufficientem.

Remote sufficiens est auxilium, quod non dat vires sufficientes ad opus immediate ponendum, sed quocum homo immediate ponere potest aliquod opus minus arduum, (v. gr., actum orationis), quo mediante majus auxilium, quo ad opus præscriptum implendum indiget, a Deo obtinere potest. V..gr., irruente aliquâ gravi tentatione, Deus gratiam orationis elargitur; cui si homo assensum præbet et orat, majorem gratiam, quæ ad vincendam tentationem necessaria est, obtinebit. Quo in casu gratia est immediate et proxime sufficiens ad orandum de facto; sed relate ad opus completum, id est, ad victoriam tentationis, est tantum mediate et remote sufficiens.

ARTICULUS II.

DE GRATIA EFFICACI.

81. — Gratiam *stricte efficacem*, quatenus a sufficiente aut a late efficaci contradistinguitur, cum S. Alphonso et Scholâ Sorbonicâ illud vocamus auxilium divinum, quod, propter virtutem sibi intrinsecam, voluntatis consensum infallibiliter semper operatur, et cum actu secundo infallibilem semper habet connexionem, infallibilitate non solum prævisionis, sed causalitatis, ita ut effectu, propter quem datur, nunquam frustretur. Est nimirum auxilium quod potentiam in ratione principii complet, illamque ob innatam et intrinsecam suam energiam ita ad opus applicat, ut infallibiliter semper et indeclinabiliter voluntatis consensum operetur, et cum effectu infallibiliter semper conjungatur; quâ de causâ dicitur efficax *ab intrinsecò*, efficax suapte naturâ, et non ob consensum voluntatis.

Apte igitur definiri potest cum Ysamberto: *Supernaturalis quædam motio intellectûs et voluntatis, habens vim quamdam peculiarem et singularem efficaciam ad infallibiliter inducendum creatam voluntatem ad indeclinabiliter consentiendum Deo vocanti.* (In Q. 111, disp. 5, a. 2; p. 412).

A sufficiente igitur in eo distinguitur gratia efficax, quod sufficiens dat plerumque vires remote tantum sufficientes pro opere completo, et voluntatem ita movet, ut ejus consensum non operetur infallibiliter, sed consensum, ad quem excitavit, potius exspectet; efficax verò dat vires operi etiam difficillimo proxime et immediate proportionatas, et movendo voluntatem, ejus liberum consensum non exspectat, sed illum

semper infallibiliter exprimit et operatur. Quâ de causâ, dum sufficiens est efficax *contingenter* et *fallibiliter*, stricte efficax est semper *infallibiliter* et *indeclinabiliter* efficax.

82. — **Quæritur:** *Utrum gratia stricte efficax differat a sufficiente quoad entitatem?*

Resp. Juxta *Thomistas*, hæ duæ gratiæ entitative sunt semper ab invicem diversæ; cum enim, eorum sententiâ gratia efficax sit eadem ac adjuvans, hæcque ab excitante differat quoad entitatem, ut supra dictum est, *(n. 72 et 73)*, sequitur efficacem a sufficiente semper entitative distingui.

Juxta *Molinistas*, efficax est ipsamet sufficiens, quæ ex determinatione voluntatis facta est efficiens seu efficax.

Ex *Augustinianis* et *Sorbonicis* aliqui docent efficacem entitative differre semper a sufficiente; alii verò, quorum opinio videtur probabilior, docent, gratiam efficacem non differre a sufficiente ratione entitatis, sed solum ratione doni et beneficii, quia efficax semper a Deo conceditur ex intentione operis absolute ponendi, semperque specialem arguit Dei benevolentiam. « Verior et probabilior sententia est, » *ait Duvallius*, has duas gratiæ species distingui tantum ratione doni » et beneficii supernaturalis, quod videlicet gratia efficax, etiamsi sit » eadem entitas cum sufficiente, est tamen beneficium majus et alterius » generis, quam sit gratia sufficiens, cum semper et ubique effectum » conversionis attingat, quam tamen non semper attingit sufficiens. » *(De Grat., Q. 7, a. 2; p. 428)* [1]. *Cf. n. 570.*

ARTICULUS III.

ERRORES CIRCA GRATIAM SUFFICIENTEM ET EFFICACEM.

83. — *Protestantes* pro statu naturæ lapsæ gratiam sufficientem omninò rejiciunt, solamque efficacem agnoscunt, eamque talem, quæ suum *necessariò* producat effectum. *(Cf. n. 27).*

Jansenistæ præter gratiam efficacem, quæ non solum infallibiliter sed etiam *necessariò* hominis consensum operatur, gratiam quamdam sufficientem admittunt, sed talem quæ, consideratâ oppositâ concupiscentiâ majori, nullum possit effectum producere. In gratiâ enim sufficiente

[1] Cf. *Is. Habert.*, Theol. Patr. Græc., L. 2, c. 15, § 2; p. 289. - *Grandin*, De Grat., q. 3, sect. 3; T. 2, p. 242.

duplicem distinguunt potentiam ad bonum, unam absolutam, relativam alteram. *Absolutam* seu *physicam* eam vocant, quam gratia habet secundum se spectata, abstractione factâ a circumstantiis in quibus conceditur. *Relativam* seu *moralem* eam nominant, quam gratia habet relative ad vires oppositæ concupiscentiæ.

Jansenistarum proinde sententiâ, homo in tentatione constitutus et gratiæ sufficientis auxilio munitus, posset, absolute loquendo et inspectâ physicâ virtute gratiæ, tentationem vincere et bonum exsequi; unde et gratiam sufficientem habere dicendus est. Sed idem homo, inspectâ relativâ virtute gratiæ, propter instantem malam concupiscentiam majorem, non potest hic et nunc præceptum implere et tantationem vincere, nisi validiorem accipiat gratiam, quæ gradibus sit superior oppositâ concupiscentiâ voluntatemque ad bonum necessariò inflectat. Negant proinde Jansenistæ gratiam vere et relative, licet tantum mere sufficientem.

Contra quos igitur probandum est, in præsenti statu naturæ dari gratiam vere et relative licet mere sufficientem; atque libertatem humanam per gratiam efficacem non tolli.

Propositio I.

Admittenda est in præsenti statu naturæ lapsæ gratia vere et relative, sed mere sufficiens [1].

84. — Prop. est *de fide,* ex condemnatione primæ et secundæ propositionum Jansenii, quæ tanquam *hæreticæ* proscriptæ sunt. Affirmat propositio secunda quod *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur;* ex cujus condemnatione evidenter constat, dari in statu naturæ lapsæ veram interiorem gratiam, quacum homo bonum exsequi posset, cui tamen quandoque resistit.

NB. — Dicitur in prop.: *gratia vere et relative sufficiens,* quæ scilicet homini, urgente præcepto, veram et expeditam agendi potentiam confert, eumque sufficienter allicit et movet, ita ut ex parte principii nihil ei desit ad operandum, et ad vincendas difficultates in quibus hic et nunc versatur. Potest autem hæc potentia esse vel proxima et immediata, vel remota et mediata tantum.

85. — Prob. **I. Ex S. Scriptura.** Legimus, (Is. V, 3, 4): *Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod*

[1] Cf. *Tourn.* (*Montan.*), De Grat., P. 2, q. 4, a. 4. - *Is. Habert.,* Theol. Patr. Græc., L. 2, c. 6 et ss.; p. 194 et ss. - *Dechamps,* De hær. Jans., L. 2, disp. 8; p. 308.

exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas? Agitur his in verbis de auxiliis gratiæ populo judaico, et sub illius figurâ animæ humanæ a Deo concessis, sicuti docent *S. Basilius* [1], *S. Joan. Chrysostomus* [2], *S. Hieronymus* [3], *S. Ambrosius* [4], *S. Bernardus* [5], aliique ex Patribus.

Jamverò, ex allato testimonio constat: 1° Deum Judæis gratias adeò sufficientes dedisse, ut uvas, id est, opera salutaria vere et realiter facere potuissent. — 2° Judæos auxilia illa repulisse, et labruscas, id est, opera mortifera fecisse. Habuerunt igitur Judæi gratias vere et relative sufficientes, quæ tamen mere sufficientes remanserunt. Ergo in præsenti statu naturæ lapsæ datur gratia vere et relative, sed mere sufficiens.

(Act. VII, 51): *Durâ cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut patres vestri, ita et vos.* Hisce verbis B. Stephanus Judæos increpat eò quod Spiritui Sancto semper resistant. Porro, resistere Spiritui Sancto nihil aliud est ac interiori gratiæ seu vocationi resistere. Potuerunt ergo Judæi Spiritui Sancto obtemperare, nec tamen obtemperavere. Habuerunt igitur interiorem gratiam vere sufficientem, quæ tamen mere sufficiens remansit.

(Rom. II, 4, 5): *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Manifestatur his verbis Deum peccatorem exspectare ad pœnitentiam, et consequenter illi auxilium sufficiens internum tribuere, cum fide certum sit pœnitentiam salutarem absque interioris gratiæ auxilio esse prorsus impossibilem. Multi tamen sunt quorum cor remanet impœnitens, et qui sibi thesaurizant iram in diem iræ. Habuerunt igitur hi veram interiorem gratiam sufficientem ad pœnitendum, cui tamen restiterunt.

(Apoc. III, 20): *Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* In quæ verba scribit *Bellarminus:* « Vel igitur ii, ad quorum cor Dominus pulsat, »habent sufficiens auxilium aperiendi, vel non habent; si habent, est »quod volumus; si non habent, cur, obsecro, Dominus pulsat? an »ignorat eos aperire non posse? an stultus non esset, qui ostium vi»cini pulsaret, si certò sciret, neminem intus esse, qui aperire posset?» *(De Grat. et lib. arb., L. 1, c. 11).*

[1] In cap. 5 Isaiæ. — [2] In cap. 5 Isaiæ. - [3] In Is., L. 2. — [4] In Ps. 36. — [5] Serm. 59 in Cantic.

86. — Prob. II. **Ex Conciliis.** Legimus in *Arausicano II, can. 25:* «Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante, quæ »ad salutem animæ pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare »voluerint, adimplere.» — Omnibus igitur baptizatis adest sufficiens gratiæ auxilium, quo possint, si velint, ea adimplere quæ ad salutem pertinent. Multi tamen ex eis ea non implent, nec salutem consequuntur. Habuerunt igitur isti gratiam vere et relative sufficientem, quæ tamen mere sufficiens remansit.

In *Tridentino* gratia sufficiens pluries commendatur, sicuti infra patebit *(n. 621).* Unum hic adferre sufficiat testimonium. Legimus, *(Sess. VI, cap. 11):* «Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet »et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.» Clare docemur his verbis, homini, urgente præcepto, auxilium saltem remote sufficiens ad illud implendum semper concedi; multi tamen sunt qui illud non implent.

87. — Prob. III. **Ex Traditione.** Ait *S. Ambrosius:* «Numquid »si quis ostia domûs suæ claudit, solis est culpa, quod non illuminet »domum ejus? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam »mentem propriam judicaverit, et Verbi a se splendorem stultus »avertat, ac sibi inferat insipientiæ cæcitatem: causari poterit, quod »sol justitiæ noluerit intrare, aut infirmitatem luminis cœlestis arguere?» *(Serm. 19 in Ps. 118, n. 40. M., 15, c. 1481).* — Porro, si nullus eorum, qui in peccatis remanent, luminis cœlestis seu gratiæ infirmitatem arguere potest, confitendum est in gratiâ satis esse virium ad concupiscentiam vincendam et legem servandam.

S. Augustinus: «Ex eò quod non accepit, *inquit*, nullus reus est; »ex eò verò, quod non facit, quod debet, juste reus est. Debet autem, »si accepit et voluntatem liberam, et sufficientissimam facultatem.» *(De lib. arb., L. 3, cap. 16. M. 32, c. 1293).* — Ergo, urgente præcepto, homo accipit sufficientissimam facultatem, alioquin non foret culpandus si legem non observat. Multi tamen legem non servant. Habuerunt igitur gratiam vere et relative sufficientem, quæ tamen mere sufficiens remansit.

88. — Prob. IV. **Ex Ratione.** — 1° *Ex possibilitate mandatorum Dei.* Deus, teste Tridentino, Sess. VI, cap. 11, impossibilia non jubet: ad impossibile enim nemo tenetur. Ergo, urgente præcepto, Deus homini semper concedit vel gratiam proxime et immediate sufficientem ad legem servandam, vel saltem gratiam remote et mediate sufficientem, quâ uberius auxilium implorare possit. Multi tamen sunt qui

mandata non servant. Habuerunt igitur istiusmodi homines gratiam vere et relative sufficientem, quæ tamen suo effectu caruit.

2° *Ex imputabilitate peccati.* Nemo peccat in eo quod vitare non potest. Cum igitur nulla gravis tentatio absque interiori Spiritûs Sancti gratiâ vinci possit ab homine, dicendum est: vel homini legem non observanti illam transgressionem non imputari posse ad peccatum, quod divinis eloquiis manifeste contradicit; vel ei, urgente præcepto, semper adesse gratiam vere et relative sufficientem, quâ, si velit, concupiscentiam oppositam vincere et legem servare possit.

3° *Ex seriâ Dei voluntate salvandi omnes homines* [1]. Deus voluntate verâ et sincerâ sed antecedente vult omnium hominum salutem, secundum illud, (I Tim. II, 4): *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Cum autem absque interiori Spiritûs Sancti gratiâ salus sit omninò impossibilis, sequitur, Deum omnibus hominibus etiam elargiri gratias ita sufficientes, ut omnes, si velint, reapse possint salvari; et qui salutem non consequuntur, suam damnationem sibi, non autem infirmitati gratiæ, adscribere debeant. Multi tamen sunt qui salutem non consequuntur. Gratia igitur istis data, fuit vere et relative sed mere sufficiens. — Simile argumentum deduci potest ex morte Christi pro salute omnium [2].

89. — Objicitur. Gratia, quæ nullum obtinet effectum, est inutilis, imò et noxia, cum homini majorem inferat damnationem. Ipsa ergo penitus est rejicienda.

Resp. Gratia sufficiens, quæ nullum obtinet effectum, est inutilis et rejicienda, *dist.*: si nullum obtinet effectum propter intrinsecam suam infirmitatem, et propter carentiam virtutis ex parte sui, sicut accidit in gratiâ illâ sufficiente, quam statuunt Jansenistæ, *concedo;* si non obtinet effectum unice propter pravam hominis voluntatem, quæ gratiæ renuit consentire, *nego.* — Porro, gratia sufficiens quam catholici admittunt Doctores, ejus est naturæ ut det homini veram et expeditam agendi potentiam; et si effectum non consequitur, hoc provenit non ex infirmitate gratiæ, sed unice ex iniquâ hominis voluntate. Jure ergo ab Alexandro VIII proscripta est sequens propositio: «Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, »sic, ut proinde merito possimus petere: A gratiâ sufficiente libera »nos Domine.» *(Denzing., n. 1163).*

[1] Cf. *Is. Habert.,* Theol. Patr. Græc., L. 2, c. 8. — [2] Cf. *Is. Habert.,* loc. cit., cap. 9.

Propositio II.

Gratia efficax ita hominem ad bonum adducit, ut ejus libertatem non tollat[1].

90. — Prop. est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, can. 4:* « Si quis » dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil » cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam » justificationis gratiam se disponat atque præparet; neque posse dis- » sentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, » mereque passive se habere. A. S. » — *Cf. etiam caput 5^m ejusdem Sessionis.*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Voluntatem sub motione gratiæ efficacis remanere liberam, ipsamque non solum agi velut quoddam inanime, sed etiam agere, cooperando libere Deo vocanti, pluribus stabilitur S. Scripturæ testimoniis, nimirum:

1° Ex omnibus iis textibus, quibus homini imperantur tum opera pia, tum ipsa conversio ad Deum. Etenim, ut ait *S. Augustinus:* « Quæ » (mandata) ut fierent, nec juberetur, si nihil ibi nostra voluntas age- » ret. » *(De perf. justit., c. 10. M., 44, c. 295).* — Jamverò, legimus, (Joel, II, 12, 13): *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum.* — (Matth. XIX, 17): *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Cum autem absque gratiâ homo neque ad Deum sese convertere neque mandata servare queat, eò ipsò quod hæc ei jubentur, ipsum sub gratiæ influxu liberum remanere manifeste declaratur.

2° Ex omnibus iis testimoniis, quibus declaratur Deum adjuvare hominem, vel agere cum eo; quia, ut ait *S. Augustinus:* « nec adju- » vari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur. » *(De peccat. merit., L. 2, c. 5. M., 44, c. 154).* Atqui, legimus (Rom. VIII, 26): *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quod oremus, sicut oportet, nescimus.* — Et Apostolus declarat, (I Cor. XV, 10): *Gratiâ Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

3° Ex testimoniis, quibus explicite pronuntiatur, hominem posse gratiæ resistere atque ei deesse. (Eccli. XXXI, 8-11): *Beatus dives qui inventus est sine maculâ,... qui potuit transgredi, et non est trans-*

[1] Cf. *Dechamps,* De hær. Jansen., L. 2, disp. 3; p. 199.

gressus; facere mala et non fecit. Ideò stabilita sunt bona illius in Domino. — Et Apostolus Hebræos monet (Hebr. XII, 14, 15): *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Deum, contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.*

91. — Prob. II. **Ex Concilio Senonensi,** an. 1528 celebrato, quod *(Pars I, in decretis fidei, cap. 15)* sic loquitur: « Neque liberum arbi» trium asserentes, divinam excludimus propterea gratiam, quod illi » (Lutherani) falsò toties imponere non verentur... Sed juxta S. Scri» pturam eò extendimus, ut voluntas humana misericordiæ prævenientis » auxilio suffulta, et interiori quodam et occulto secretioris inspira» tionis afflatu contacta, sese convertat in Deum... Neque tamen tanta » gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in » promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad » ostium et pulset,... neque denique tale sit hujusmodi trahentis Dei » auxilium, cui resisti non possit... Frustra Paulus Thessalonicenses » admoneret, Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus ho» mines inevitabiliter raperentur. » *(Labbe, Tom. 14, p. 458).*

92. — Prob. III. **Ex Traditione.** SS. Patres, et imprimis S. Augustinus, quem Protestantes et Jansenistæ tanquam auctorem hæreticæ suæ opinionis de gratiâ necessitante prædicant, liberum voluntatis arbitrium sub motione gratiæ constanter asserunt, imò libertatem per gratiam perfici semper docent.

Ait *S. Augustinus:* « Neque liberum arbitrium ideò tollitur, quia » juvatur; sed ideò juvatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit: » *Adjutor meus esto* (Ps. 26, 9), confitetur se velle implere quod jussit, » sed ab eo qui jussit, adjutorium poscere ut possit. » *(Epist. 157, ad » Hil., n. 10. M., 33, c. 677).*

Idem: « Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus, » sive extrinsecus per evangelicas exhortationes,... sive intrinsecus, » ubi nemo habet in potestate quod ei veniat in mentem; sed con» sentire vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis quando » Deus agit cum animâ rationali, ut ei credat; neque enim credere » potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui » credat,... consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissentire, propriæ » voluntatis est. » *(De Spir. et litt., c. 34. M., 44, c. 240).*

Et: « Arbitrium voluntatis nequaquam destruimus, quando Dei gra» tiam quâ ipsum adjuvatur arbitrium, non superbiâ negamus ingratâ. » sed gratâ potius pietate prædicamus. Nostrum enim est velle; sed » voluntas ipsa et adjuvatur ut surgat, et sanatur ut valeat... Nam

»si nos non vellemus, nec nos utique acciperemus ea quæ dantur, »nec nos haberemus.» *(De bono viduitatis, c. 17. M., 40, c. 443).*

S. Prosper: «Non dubitamus ab ipsius gratiâ omnia hominis me»rita præveniri, per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus et »facere. Quo utique auxilio et munere Dei non aufertur liberum arbi»trium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de »languido sanum, de imprudente sit providum.» *(Lib. de Auct. Episc., cap. 9. M., 51, c. 210).*

S. Fulgentius: «Quâ gratiâ humanum non aufertur, sed sanatur; »non adimitur, sed corrigitur; non removetur, sed illuminatur; non »evacuatur, sed adjuvatur atque servatur arbitrium: ut in quo infir»mitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem; quo errabat, »eodem in viam redeat, etc.» *(Epist. 17, n. 41. M., 65, c. 477).*

93. — Prob. IV. **Ex Ratione.** — 1° *Ex ratione meriti.* Dogma fidei est opera salutaria esse vitæ æternæ meritoria; dogma fidei est, nullum opus salutare poni posse absque interiori Spiritûs Sancti gratiâ; dogma demum fidei est, ad merendum requiri in homine libertatem non solum a coactione, sed etiam a necessitate, sicuti constat ex tertiâ propositione Jansenii damnatâ ut hæretica. Ex quibus rigorose sequitur voluntatem, motam a gratiâ ad salutariter operandum, remanere plane liberam non solum a coactione, sed etiam a quacumque necessitate.

2° Si sub motione gratiæ efficacis humana libertas non remaneret intacta, inde sequeretur: *a*) Vanas esse exhortationes, quibus in Scripturis Deus homines ad bonum excitat, quandoquidem, præsente gratiâ, homo ad bonum exsequendum necessariò traheretur, nec ab eo posset abstinere. Sed, ad quid suasio aut exhortatio, ubi nulla est eligendi facultas? — *b*) Vanas esse minas, quibus Deus homines a malo deterret, quandoquidem, absente gratiâ necessitante, homo ab oppositâ concupiscentiâ pravâ necessariò raperetur. Sed ad quid minæ, ubi non est abstinendi possibilitas? — *c*) Nec laudem deberi virtuti, nec vitio vituperationem, cum neque virtus non exerceri, neque vitium ullo pacto vitari posset, nullusque sit laudandus aut vituperandus de eo, a quo abstinere absolute non potuit?

SECTIO SECUNDA.

DE NECESSITATE GRATIÆ.

94. — Circa gratiæ necessitatem in præsenti statu naturæ lapsæ duo præcipui prodierunt errores. *Pelagiani*, nativas hominis lapsi vires nimis extollentes, gratiæ necessitatem plus æquò minuerunt. *Protestantes* contrà et *Jansenistæ*, easdem vires nimis deprimentes, falsam prorsus et hæreticam causam necessitatis gratiæ attulerunt, atque gratiæ naturam destruxerunt.

Contra quos examinandum est, quid possit homo absque gratiâ, et ad quid gratiâ, tum in ordine ad verum, tum in ordine ad bonum indigeat. Cum verò inter maxima hominis bona computentur tam abstinentia a peccatis, quam præsertim finalis perseverantia, de his etiam specialis discussio instituetur.

In hac igitur Secunda Sectione quatuor sunt enucleanda, videlicet:

I. Necessitas gratiæ ad verum cognoscendum.
II. Necessitas gratiæ ad bonum faciendum.
III. Necessitas gratiæ ad non peccandum.
IV. Necessitas gratiæ ad perseverandum.

CAPUT I.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD VERUM COGNOSCENDUM.

Duplex distinguitur veritas, *naturalis* scilicet et *supernaturalis*. De quâlibet seorsim est indagandum. Duplex igitur erit articulus.

In ART. I, agetur de necessitate gratiæ ad verum naturale cognoscendum;

In ART. II, de ejusdem necessitate ad verum supernaturale.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD VERUM NATURALE COGNOSCENDUM [1].

95. — **Prænotanda.** — Cum pro præsenti statu vitæ nostræ, in quo anima corpus informat, objectum proportionatum intellectûs nostri sit

[1] Cf. *Ysamb.*, In q. 109, disp. 3; p. 307. - *Gibbon*, Tr. 4, disp. 30; T. 3, p. 347. - *Gonet*, Clyp., De Grat., disp. 1, a. 1; p. 607. - *Gotti*, De Grat., q. 1, dub. 3; p. 11. - *Gabriel a S. Vinc.*, De Grat., disp. 2, q. 3; p. 36.

quidditas rerum sensibilium, verum naturale vocatur illud, in cujus cognitionem intellectus noster ex perceptione rerum sensibilium pervenire potest. Ejusmodi sunt tum prima principia naturalia per se nota, ut: Totum est majus suâ parte; tum conclusiones medio discursu ex illis deductæ, ut sunt, v. gr., theoremata geometriæ.

2.° Ex veritatibus naturalibus aliæ sunt *speculativæ*, quæ in solâ objecti contemplatione sistunt, quales sunt quæ in geometriâ aut in psychologiâ comparantur; aliæ sunt *practicæ*, quæ objectum considerant in ordine ad operationem, vel brevius, quæ spectant praxim.

Veritates practicæ spectant sive ad artes liberales et mechanicas, modumque tradunt artefacta recte conficiendi; sive ad vitam recte instituendam, normamque tradunt actiones humanas juxta dictamen rectæ rationis componendi, qualia sunt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; — bonum est faciendum, malum vitandum.* Hæ vocantur veritates practicæ *morales*, de quibus solis agitur in tractatu de Gratiâ; de veritatibus enim ad artes spectantibus philosophandum est sicut de veritatibus speculativis.

3.° Veritas naturalis potest esse naturalis vel ex *parte objecti*, vel ex *parte medii*. Dicitur naturalis ex *parte objecti*, si objectum est ordinis naturalis; naturalis verò ex *parte medii* seu *luminis*, si naturali intellectûs lumine cognosci potest. Multa enim dantur objecta ordinis naturalis, ad quæ cognoscenda nativæ intellectûs vires pertingere nequeunt, eò quod nullum medium ea attingendi naturaliter suppeditat. Sic, v. gr., quot sint stellæ in firmamento, quot jaceant arenæ in littore maris, aut pisces in fluminibus, res sunt ordinis naturalis, a nullo tamen intellectu creato possunt naturaliter cognosci. In dicendis igitur de veritatibus utroque modo naturalibus unice agitur.

4.° Veritates tam speculativæ quam practicæ considerari possunt *divisive* vel *collective*. Divisive considerantur, cum una vel aliquæ seorsim ab aliis inspiciuntur; *collective*, cum totus earum complexus simul consideratur.

5.° Potentia facultatis potest esse vel *physica* vel *moralis*. Potentia *physica* est sufficiens virtus activa in principio cognoscitivo ad objectum attingendum. Hæc dicit nudam proportionem inter facultatem et objectum, atque ab impedimentis, quæ supervenire possunt, abstrahit. — Potentia *moralis* non solum dicit sufficientiam virtutis activæ, sed etiam carentiam omnium impedimentorum quæ obstare possunt, quominus facultas objectum attingat, vel saltem prompte ac expedite operetur. Sic, v. gr., homo sanus, qui compedibus detinetur, potentiam physicam, non autem moralem, ad ambulandum habet.

Propositio I.

Homo in statu naturæ lapsæ, cum solo concursu Dei generali absque ullo auxilio gratuito, potest aliquas veritates speculativas ordinis naturalis certò cognoscere.

96. — Prop. est *de fide*, ex Vaticano, Constit. *Dei Filius*, cap. 2, can. 2: « Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Domi» num nostrum, per ea, quæ facta sunt, naturali rationis humanæ » lumine certò cognosci non posse, A. S. » — Quâ definitione constat posse hominem, absque auxilio gratuito, in Dei cognitionem certam pervenire.

NB. — Dicitur in propositione: *cum solo concursu Dei generali:* ad omnem enim actionem creaturæ necessarius est divinus quidam concursus tum prævius tum simultaneus; qui si deesset, nulla creatura in actum posset prodire; — *absque ullo auxilio gratuito*, scilicet absque ullâ gratiâ supernaturali, et absque ullo adjutorio statui nostro indebito, ut foret novarum specierum infusio, aut specialis externa protectio; — *aliquas veritates speculativas*, pertinentes sive ad scientias mere humanas, ut est physica, geometria; sive præsertim ad religionem naturalem, ut est cognitio Dei existentiæ atque divinorum attributorum, animæ immortalitas, etc.

97. — Prob. **I. Ex S. Scriptura.** Legimus, (Sap. XIII, 1, 5): *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei; et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes cognoverunt quis esset artifex... A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* — (Rom. I, 19, 21): *Quod notum est Dei manifestum est in illis... Invisibilia enim ipsius, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas; ita ut sint inexcusabiles. Quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Quibus verbis aperte constat hominem Dei existentiam ope solius rationis certò cognoscere posse.

98. — Prob. **II. Ex Ratione.** — 1.° *Ex naturâ ipsius intellectûs.* Cum potentia sit propter actum, quælibet potentia naturalem habere debet virtutem, quâ cum solo generali Dei concursu, et absque ullo auxilio gratuito, objectum sibi proportionatum attingere valeat. Ita omnes philosophi, et speciatim S. Thomas, qui ait: « Unaquæque forma » indita rebus creatis a Deo habet efficaciam respectu alicujus actûs » determinati, in quem potest secundum suam proprietatem; ultra

» autem non potest nisi per aliquam formam superadditam; sicut aqua » non potest calefacere nisi calefacta ab igne. » *(1. 2, q. 109, a. 1).* Atqui intellectus est potentia, cujus objectum proportionatum sunt veritates speculativæ naturales. Potest igitur intellectus humanus solis suis viribus, absque ullo auxilio gratuito, aliquas saltem veritates naturales certò cognoscere.

2° *Ex analogia.* Sensus externi non solum hominis sed etiam brutorum, naturalem habent respectum ad objectum sibi proportionatum, illudque cum solo concursu generali attingere valent; nemo enim unquam ausus est dicere oculum, v. gr., gratuito indigere auxilio ut objectum visibile possit percipere. Sed intellectus est facultas non secus ac sensus externi, et quidem multò nobilior. Nisi ergo dicere velimus facultatem præstantissimam deterioris esse conditionis quam facultates sensitivas, concedendum est intellectum aliquos actus absque gratuito auxilio elicere posse.

99. — Objicitur. Opponunt adversarii, intellectum inter atque sensus magnum intercedere discrimen. Enimvero: *a*) sensus peccato originali non fuerunt læsi, intellectus verò fuit obtenebratus; proinde ratione vulneris requiritur auxilium gratuitum, ut intellectus verum quoddam naturale assequi valeat. — *b*) Præterea, ut ait *Vasquez, (De Grat., disp. 188, cap. 2 et 3)*, intellectus de se est indifferens tum ad verum tum ad falsum, tum ad unum verum præ alio. Ut igitur tollatur illa indifferentia, et ut intellectus inclinetur ad verum potius quam ad falsum, aut ad unum verum determinatum præ alio, præter concursum generalem requiritur superadditum quoddam auxilium gratuitum.

Resp. ad 1ᵐ: *a*) Plurimi theologi negant intellectum peccato originali obtenebratum fuisse relate ad veritates naturales, sed per peccatum in eo statu fuisse constitutum, in quo fuisset si homo in ordinem supernaturalem non fuisset elevatus; porro, in statu naturæ puræ homo aliquas saltem veritates naturales cognoscere potuisset. — *b*) Dato etiam intellectum peccato originali ita fuisse vulneratum in naturalibus, ut non possit amplius quæ potuisset in statu naturæ puræ, fatendum tamen est, ipsum non fuisse totaliter exstinctum; ac proinde licet non possit nunc ea omnia quæ potuisset in statu naturæ puræ, potest tamen aliquas saltem veritates naturales propriis viribus attingere; non secus ac homo ægrotus, licet non possit quæ potuit sanus, potest tamen aliqua opera elicere; aut lumen attenuatum, etsi non possit perfecte lucere, aliquos tamen radios adhuc potest emittere.

Resp. ad 2m: Intellectus est quidem indifferens ad verum et ad falsum, ita tamen ut ex naturâ suâ habeat inclinationem ad verum, falsitas verò sit contra naturalem hanc ejus inclinationem. Jamverò, cuique enti juxta suavem divinam providentiam debetur sufficiens concursus, ut in id, ad quod naturaliter propendit, pervenire possit. Cum igitur intellectus naturaliter propendat in verum, debetur ipsi sufficiens concursus divinus ut verum attingere valeat; qui concursus, utpote debitus, rationem doni gratuiti proprie dicti non habet. — Ad tollendam verò intellectûs indifferentiam relate ad unum verum præ alio, sufficit objecti propositio, quæ fit ope sensuum et phantasmatum, ex quibus intellectus agens species abstrahit, quibus intellectus possibilis actuetur, et ad unum præ alio trahatur.

Propositio II.

Homo in statu naturæ lapsæ, cum solo concursu Dei generali, absque ullo auxilio gratuito, potest aliquas veritates practicas seu morales ordinis naturalis certo cognoscere [1].

100. — Prop. est sententia *communis*.

NB. — Dicitur in propositione: *aliquas veritates practicas seu morales*, id est, non solum veritates quæ normam vivendi modo generali exhibent, ut, v. gr., bonum est faciendum, malum vitandum; sed etiam veritates practicas quæ hic et nunc, in casu quodam particulari, ordinantur ad movendam et dirigendam voluntatem in opere particulari; quod fit per judicium practicum electionem voluntatis determinans, ut, v. gr., hic actus non est ponendus utpote tali lege prohibitus; ille verò ponendus, utpote lege præscriptus.

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus (Ps. IV, 6, 7): *Multi dicunt: quis ostendit nobis bona?* id est, quæ facienda sunt. *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* In his Propheta docet, non posse propter ignorantiam excusari homines, si non servant præcepta moralia, cum ab ipsâ naturâ lumen in corde impressum habeant, ut S. Cyrillus exponit. *(In Joan. L. 1, c. 9).*

(Rom. I, 21): *Cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.* In hoc capite I ostendit Apostolus gentiles ex creaturis in Dei cognitionem devenisse; obligationemque eum colendi cognovisse, ipsum tamen non coluisse, sed evanuisse in cogitationibus suis atque idola

[1] Cf. *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 2, q. 5; p. 46. - *Valentia*, De Grat., q. 1, punct. 2; p. 906. - *Bellarm.*, De Grat., et lib. arb., L. 5, c. 2.

adorasse; et hanc ob causam esse inexcusabiles. Cognoverunt igitur naturaliter legem quâ ad Deum colendum obstricti erant.

(Rom. II, 14): *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum.* Quibus iterum docet Apostolus gentiles, qui legem scriptam non habuerunt, naturaliter aliqua, quæ legis sunt, fecisse; ac proinde eadem naturaliter etiam cognovisse, cum legis cognitio ejus impletionem necessariò præcedere debeat.

101. — Prob. II. **Ex Traditione.** Scribit *S. Augustinus:* « Omnibus » tanquam in concione generis humani veritas clamat: *Si vere utique » justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* Cum enim iniquo » non facile est loqui justitiam? aut quis de justitiâ interrogatus, quando » non habet causam, non facile respondeat quid sit justum? Quando- » quidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scri- » psit: *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri.* Hoc et antequam lex » daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur et » quibus lex non esset data. » *(In Ps. 57, n. 1. M., 36, c. 673).*

S. Prosper, agens de verbis Apostoli ad Rom. II, 14, ait: « Sin » autem de illis ista dicuntur qui, alieni a gratiâ christianâ, quædam » ad similitudinem legalium mandatorum proprio judicio sanciebant, » intelligentes mores civitatum concordiamque populorum non posse » aliter contineri, nisi et recte factis præmia, et peccatis pœnæ decer- » nerentur... Ergo quis ambigat, hanc sapientiam humano generi ad » temporalis vitæ utilitatem, ex naturæ a Deo conditæ superesse reli- » quiis? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vige- » ret ingenium, non vitiata esset, sed exstincta natura. » *(Contr. Collat., c. 10, n. 3. M., 51, c. 241).*

Jamverò, ex his S. Augustini atque S. Prosperi, necnon et aliorum Patrum testimoniis clare constat, posse quemlibet hominem propriis naturæ viribus aliqua saltem legis naturalis præcepta certò cognoscere.

102. — Prob. III. **Ex Ratione.** — 1° Veritates naturales practicæ, quæ mores juxta dictamen rectæ rationis naturalis dirigunt, sunt humano intellectui proportionatæ, uti per se patet. Peccato autem originali intellectus, etsi sit obtenebratus, non est tamen exstinctus. Potest igitur saltem aliquas ex veritatibus practicis cognoscere, secus enim exstinctus foret dicendus.

2° Plures veritates practicæ, saltem generaliora agendorum principia, per se deducuntur ex veritatibus speculativis. Sic, v. gr., ex hoc

quod homo cognoscit Deum esse omnium creatorem, gubernatorem et Dominum, sponte sequitur cultum esse Deo exhibendum; et ex hoc quod cognoscit parentes esse sui auctores, sponte sequitur honorem esse ipsis tribuendum. Potest igitur homo propriis suis viribus quasdam, saltem generaliores, veritates practicas certò cognoscere.

Cognitis autem veritatibus generalioribus, potest etiam homo ex eis aliquas veritates practicas particulares propriis viribus agnoscere. Quando enim intellectus aliquam propositionem generalem cognoscit, potest ope discursûs cognoscere particulares quasdam propositiones sub generali certò contineri. Sic, v. gr., quia cognoscit in genere Deum esse colendum, potest cognoscere talem actum in specie, ut blasphemiam, non esse ponendum utpote cultui Deo debito contrarium. Et sic multas veritates particulares de agendis absque gratuito Dei auxilio certò cognoscere potest. *(Cf. S. August., in Ps. 57, n. 1, per totum).*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

103. — Objicitur I. Legitur, (Eccli. I, 1): *Omnis sapientia a Domino Deo est.* — (II Cor., III, 5): *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Jamverò his constat nos nullam a nobis habere veritatis cognitionem, nisi Deus adjuverit. Ergo homo per se, absque speciali divino auxilio, nullius veritatis speculativæ aut practicæ cognitionem accipere potest.

Resp. 1° Omnis sapientia a Domino Deo est, *distinguo:* est a Deo tanquam infundente naturale intellectûs lumen, et auxiliante concursu generali, *concedo;* est a Deo tanquam auxiliante auxilio gratuito naturæ indebito, *nego* si agitur de veritatibus mere naturalibus; *concedo* si agitur de veritatibus supernaturalibus, aut de naturalibus tanquam conducentibus ad vitam æternam. *(Cf. S. Th. 1. 2, q. 109, a. 1, ad. 1).*

2° Ad verba Apostoli quod attinet, dicendum ea intelligenda esse de cogitationibus ad salutem conducentibus, sicuti explicat S. Augustinus *(De prædest. Sanct., c. 2. M., 44, c. 962).* De fide autem est, neminem absque supernaturalis gratiæ auxilio salutarem cogitationem concipere posse.

Si quis verò verba Apostoli de actibus mere naturalibus etiam intelligenda esse velit, dicendum est cum Angelico *(loc. cit. ad 3)*, nos ex nobis esse insufficientes, quia «semper indigemus divino au-

»xilio ad cogitandum quodcumque, in quantum ipsum movet intel»lectum ad agendum.» Illud autem auxilium est concursus generalis, non autem donum gratuitum.

104. — Objicitur II. Definivit Concil. Milevitanum, *can. 4:* «Do»num Dei esse et scire quid facere debeamus, et diligere ut facia»mus.» — Et Arausicanum, *can. 9, ait:* «Divini est muneris cum recte »cogitamus.» — Ergo, seclusâ Dei speciali assistentiâ, scire nequimus quid sit agendum.

Resp. Prædicta Concilia contra Pelagianos egerunt, qui ad opera supernaturalia peragenda nullam requirebant interiorem Spiritûs Sancti gratiam, sed naturæ vires sufficere dictitabant. Illud igitur ex allatis definitionibus unice colligi potest, scilicet: Neminem posse salutarem cogitationem concipere aut eam in praxim deducere, nisi interiori adjuvetur gratiâ supernaturali. Quare signanter declarat Arausic., *can. 7:* «Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad sa»lutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut ...evangelicæ »prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et in»spiratione Spiritûs Sancti, ...hæretico fallitur spiritu.»

105. — Objicitur III. Cum prudentiæ sit bene consiliari et de agendis recte judicare, sequitur sine prudentiâ non dari perfectam cognitionem practicam etiam divisive sumptam. Sed et ipsa prudentia absque omnium aliarum virtutum comitatu nequit haberi: virtutes enim ita sunt cum prudentiâ connexæ, ut si una desit, ipsa etiam deficiat. Porro, nisi natura auxilio gratiæ adjuvetur, impossibile est ipsam omnes virtutes etiam naturales acquirere. Ergo, nec prudentia, nec proinde cognitio practica haberi potest sine gratuito auxilio naturæ superaddito.

Resp. Duplex datur prudentia, perfecta et imperfecta. *Perfecta*, quæ constanter et in omni occasione bene consiliatur et de agendis recte judicat, cum aliis virtutibus necessariam utique habet connexionem, ac proinde ad eam habendam speciale requiritur gratiæ auxilium; sed hæc non est necessaria ad quamcumque cognitionem de agendis.

Imperfecta verò prudentia absque aliis virtutibus, ac proinde absque gratuito auxilio haberi potest; et hæc omninò sufficit ut homo in aliquibus circumstantiis de agendis recte judicet, ac proinde ut sibi de agendis sufficientem comparet cognitionem. Sic, v. gr., quantumcumque aliquis supponatur luxuriæ deditus, ipsius tamen prudentia, licet valde

imperfecta, ei consiliari et præcipere potest, ut argentum, quod ab altero mutuatus est, reddat.

106. — **Objicitur IV.** Sancti Deum orant ut de agendis illuminentur. Ait Regius Psaltes, (Ps. 118, 73): *Da mihi intellectum, et discam mandata tua.* — Et Ecclesia orat: «Largire, quæsumus Do»mine, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt.» Atqui, ut ait S. Augustinus cum Episcopis Africæ: *Oratio clarissima est gratiæ testificatio. (In Epist. ad Innoc. I. M., 56, c. 474).* Ergo de agendis nullus aliquid scire potest, nisi adsit gratia.

Resp. Sancti Deum orant ut de agendis illuminentur, ita ut hæc eorum cognitio ipsis ad salutem proficiat, quæ cognitio salutaris absque gratiâ certò nequit haberi. — Præterea, licet plura agenda solius naturæ viribus cognoscere possimus, omnia tamen semper cognoscere non possumus; alia non nisi cum magnâ difficultate investigare datur; insuper, ob innatam intellectûs imbecillitatem periculo errandi semper committimur, quia, ut ait Sapiens, (IX, 14, 15): *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ, corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Proinde a Patre luminum petere possumus et debemus, ut etiam in iis inquirendis, ad quæ natura aliquo modo pervenire potest, superno adjuvemur gratiæ auxilio.

Propositio III.

Homo in statu naturæ lapsæ non potest sine speciali auxilio gratiæ omnes veritates tam speculativas quam practicas ordinis naturalis COLLECTIVE *certò cognoscere* [1].

107. — Prop. est *certa* et *communis.*

NB. — Non agitur in propositione de impotentiâ physicâ, quasi intellectus in se non habeat sufficientem virtutem ad illas veritates collective attingendas; sed de impotentiâ morali ortâ ex externis impedimentis quæ obstant quominus intellectus totum suum objectum proportionatum assequatur.

PROB. Qui versatur in morali impotentiâ ad omnes veritates naturales collective sumptas attingendas, speciali indiget auxilio ut eas certò cognoscere valeat. Atqui talis est conditio hominis lapsi. Ergo — Enimverò:

[1] Cf. *Gonet,* Clyp., De Grat., disp. 1, a. 1, n. 42; T. 4, p. 614.

1° Innumeræ sunt veritates ordinis naturalis, et quædam ex eis sunt inventu difficillimæ, ita ut magnum temporis spatium ad sui inventionem expostulent. Vita verò humana est brevissima, ac proinde ad tantum laborem nullatenus sufficiens.

2° In præsenti vitâ, cum ad operationem intellectûs requiratur concursus sensuum, intellectualis operatio a sensibus, a quibus dependet, retardatur: sensus enim exercitio fatigantur, et animam deprimunt, secundum illud (Sap. IX, 15): *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

3° Sollicitudo temporalium, quæ ad vitam sunt necessaria, hominem a scientiæ inquisitione retrahit.

4° Rebellio passionum spiritum sæpe obnubilat, et a scientiæ inquisitione retrahit, imò et ad falsa proferenda judicia inclinat.

5° His alia fere innumera accedunt impedimenta, quæ humanam fragilitatem undique circumvallant. Inde illud Hippocratis effatum: « Ars longa, vita brevis, occasio præceps, experimentum periculosum, judicium difficile. » *(Aphor. 2).*

6° Demum, dicta confirmantur experientiâ. Peritissimi et perspicacissimi inter philosophos, qui revelatione caruerunt, in multis turpiter erraverunt, sicut ex eorumdem scriptis constat. Exinde necessitas revelationis ut veritates, quæ ratio naturalis de Deo investigare potest, firmâ certitudine, et absque admixtione erroris attingantur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

108. — Objicitur I. Quælibet facultas potest cum solo generali concursu objectum suum proportionatum attingere. Atqui collectio omnium veritatum naturalium est objectum intellectui proportionatum. Ergo potest intellectus absque auxilio gratiæ omnes veritates etiam collective sumptas cognoscere.

Resp. Quælibet facultas potest cum solo concursu generali objectum suum attingere, *dist.:* si objectum est facultati proportionatum tum quoad ejus potentiam physicam, tum quoad ejus potentiam moralem, *conc.;* si est proportionatum quoad ejus potentiam physicam non autem quoad moralem, *nego.* Jamverò, licet tota collectio veritatum naturalium proportionata sit viribus physicis intellectûs, non est tamen proportionata intellectui quoad potentiam moralem; propter externa enim impedimenta impeditur intellectus quominus ea possit, quæ posset si sola ejus virtus in se consideratur.

109. — Objicitur II. Qui potest omnia divisive, potest omnia collective, cum collectio non sit nisi summa singularium. Atqui intellectus absque speciali adjutorio potest omnes veritates divisive cognoscere. Ergo et collective.

Resp. *Nego consequentiam.* Modus enim argumentandi per inductionem optimus est, si consequens eodem sensu sumitur ac antecedens; si alio autem sumitur sensu, est fallacia, ut ipsamet experientiâ constat. Ex eo enim, v. gr., quod homo ex acervo mille lapidum quemlibet lapidem seorsim sumptum portare potest, deducere non licet, ipsum omnes mille lapides collective sumptos simul posse portare; sed unice, nullum in acervo esse lapidem quem portare non possit. Et sic est in proposito. Ex hoc igitur quod intellectus quamlibet veritatem naturalem absque speciali auxilio intelligere possit, colligere licet nullam esse veritatem quæ non possit ab intellectu cognosci; non autem, intellectum omnes veritates collective sumptas cognoscere posse, quia sic fieret transitus a diviso ad collectivum, ac proinde consequens alio sensu ac antecedens sumeretur [1].

QUÆSITA.

110. — Quæritur I. *Utrum in statu naturæ lapsæ homo possit, absque speciali gratiæ auxilio, divisive omnes veritates naturales cognoscere.*

Resp. Plures hac de re adsunt sententiæ.

Prima docet, intellectum, utpote vulneratum atque obtenebratum per peccatum originale, non posse in præsenti statu omnes veritates naturales sive speculativas sive practicas, etiam divisive sumptas, cognoscere. Plures enim ex his veritatibus adeò sunt abstrusæ et inventu difficiles, ut intellectus vulneratus eis investigandis omninò impar sit, nisi superno adjuvetur auxilio [2].

Secunda docet, hominem posse cum solo concursu generali omnes veritates naturales speculativas divisive cognoscere, non autem omnes morales [3]. Ratio est, quia ut ait *S. Thomas, (1. 2, q. 85, a. 3):* « Per

[1] Cf. *Gonet,* Clyp., disp. 1, a. 1, n. 64 et ss.; p. 618. — [2] Ita *Panger,* Theol. schol., De Grat., disp. 2, q. 1, ass. 3; p. 501. - *De Rhodes,* De Grat., q. 1, sect. 1, § 1; p. 464. - *Petrocorenses,* Theol. spec., L. 6, c. 2, q. 2; p. 378. - *Maderni,* De Grat., q. 2, a. 1; p. 359. - *Arriaga,* De Grat., disp. 37, sect. 4; p. 467. - *Frassen,* Tr. 3, disp. 1, a. 1, q. 1; p. 51. — [3] Ita *Gibbon,* Tr. 4, disp. 30, dub. 2; p. 355. - *Mezger,* Theol. schol., Tr. 9, disp. 1, a. 1, § 3. T. 3; p. 11. - *Gamachæus,* In q. 109, cap. 3; p. 339.

peccatum ratio hebetatur præsertim in agendis»; et, *(q. 109, a. 2, ad 3):* «magis est natura humana corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri.» Cum igitur intellectus in quibusdam speculativis cognoscendis tantâ laboret difficultate, ut ea sine speciali auxilio vix possit assequi, a fortiori non potest omnes veritates practicas, eas præsertim, quæ a primis principiis maxime distant, absque speciali auxilio cognoscere.

Tertia demum et ea quidem *communior* sententia docet, posse hominem divisive quamlibet veritatem tam speculativam quam practicam absque speciali gratiæ auxilio cognoscere, ita ut nulla sit veritas naturalis, quæ nequeat ab uno alterove intellectu humano propriis viribus attingi [1]. Attamen ad veritates practicas quod attinet, restringenda est sententia ad speculativam agendorum cognitionem, et non extendenda ad efficacem, quæ efficax imperium de re agenda includit, et cum opere connectitur. Sic, v. gr., fur optime noscit non esse furandum, quæ tamen speculativa cognitio eum a furto non retrahit. Si agitur de cognitione illâ efficaci cum opere conjuncto, de eâ philosophandum est sicut de impletione operis naturaliter honesti, de quâ infra dicetur.

Ratio hujus sententiæ est, quia quælibet veritas naturalis seorsim sumpta, est intellectui tam physice quam moraliter proportionata. Impedimenta enim quæ obstant quominus intellectus veritates assequatur, valent pro tota collectione, non autem pro qualibet veritate divisive. — Item, obtenebratio intellectûs a peccato orta, valet tum præsertim pro veritatibus supernaturalibus, tum pro totâ collectione naturalium, tum etiam ad reddendam difficiliorem, non autem impossibilem, cujuslibet veritatis divisive sumptæ cognitionem.

111. — Quæritur II. *Quodnam requiratur gratiæ auxilium ut homo lapsus omnes veritates naturales collective cognoscere valeat?* [2].

Resp. 1° Certum est non requiri gratiam sanctificantem. Etsi, cæteris paribus, homo justus sit aptior ad veritatis contemplationem,

[1] Ita *Gonet*, Clyp., De Grat., disp. 1, a. 1, § 4; p. 613. - *Joan. a S. Th.*, De Grat., a. 2, n. 23 et 40; p. 730 et 734. - *Gotti*, Q. 1, dub. 3, § 3; p. 17. - *Grandi*, In q. 109, a. 1; p. 352. - *Grandin*, Q. 1, a. 1, concl. 2 et 3; p. 40. - *Tanner*, Q. 3, dub. 1; col. 1183. - *Did. Gonzalez*, Theol. scot., In L. 2. Sent., Tr. 2, disp. 4, q. 1; T. 3, p. 409. - *Oviedo*, Tr. VII, Contr. 2, punct. 1; p. 633. - *Sylvius*, In q. 109, a. 1. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 2, q. 5; p. 46. - *Schmier*, Theol. schol., Tr. 9, disp. 1, q. 1; p. 4. - *Petrus a S. Joseph*, De Grat., disp. 1. - *Bolivar*, Lecturæ Salm., De Grat., dub. 5 et 6; p. 122 et 134. — [2] Cf. *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 2, n. 39; p. 44. - *Gotti*, Q. 1, n. 37; p. 20. - *Bolivar*, Lect. Salm., De Grat., dub. 5, § ult.; p. 132.

quam homo peccator atque deditus vitiis, quia peccatum mentem hebetat, dicendum tamen est, gratiam sanctificantem nec sufficere, nec esse necessariam [1]. *Non sufficit:* Gratia sanctificans hominem Deo quidem reconciliat, externa tamen impedimenta et impotentiam ex eis provenientem non tollit. — *Nec est necessaria:* Deus enim homini etiam peccatori scientiam infundere potest; quia hæc infusio est gratia gratis data, quæ etiam peccatori conferri potest.

2° Certum est nec requiri gratiam actualem entitative supernaturalem; hæc ad sola opera supernaturalia est necessaria; collectio autem omnium veritatum naturalium lineam entis naturalis non supergreditur.

3° Sed requiritur et sufficit gratia supernaturalis *quoad modum,* adjutorium scilicet entitative naturale, sed homini indebitum, atqui ei citra omne jus gratiose a Deo exhibitum, qualia sunt: infusio specierum naturalium, sicuti Adamo et Salomoni infusæ sunt scientiæ etiam naturales; confortatio virium intellectûs, externa Dei protectio supradicta impedimenta removens, specialis Dei directio ne intellectus in veritatis inquisitione errore decipiatur, et alia id genus.

112. — Quæritur III. *Utrum prædicta gratia sit gratia Redemptoris, an Conditoris* [2].

Resp. Docent nonnulli, gratiam quæ in statu naturæ lapsæ homini concedatur ad veritates naturales cognoscendas, non esse gratiam Salvatoris, seu non dari ex meritis Christi; sed esse gratiam Creatoris, absque intuitu meritorum Christi concessam. Ratio est, quia cum Christus mortuus sit propter nostram salutem, ea tantum beneficia nobis promeruit, quæ ad salutem conducunt; hujusmodi autem non sunt scientiæ naturales nude in se spectatæ.

Communis tamen et tenenda sententia docet, omnia beneficia gratuita, quæ sive in ordine supernaturali sive in ordine naturali homini lapso conceduntur, a Deo conferri intuitu meritorum Christi, ac proinde gratiam homini lapso concessam ad cognitionem veritatum naturalium esse gratiam Salvatoris. Licet enim Christus mortuus sit propter nostram salutem, plura tamen meruit propter quæ mortuus non est. Sic, v. gr., sibi meruit nominis exaltationem, et glorificatio-

[1] Cf. *Gonet,* Clyp., disp. 1, n. 69; p. 619. — [2] Cf. *Suarez,* De Auxil., L. 1, c. 1, n. 15; p. 361. - *Montesinus,* In q. 109, a. 1, q. 1, n. 12; p. 660. - *Muniessa,* De Grat., disp. 7, sect. 1, n. 25; p. 150. - *Gabr. a S. Vinc.,* Disp. 2, n. 44; p. 45.

nem corporis, atque Angelis illuminationes et gaudia accidentalia, propter quæ tamen non est mortuus. Similiter quamvis non sit mortuus ut simus philosophi, hoc non impedit quin et donum scientiæ naturalis nobis promereri potuerit, eo magis quod, quando Deus has scientias infundit, eas sive ad Ecclesiæ utilitatem, sive ad spiritualem ipsius recipientis profectum ordinat. Sic etiam bona temporalia a Deo per merita Christi exposcimus, quamvis Christus propter hæc non sit mortuus. — Hæc demum sententia Christi excellentiam magis extollit, cum ipsius meritis dona omnia, quæ nobis conceduntur, adscribat.

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD VERUM SUPERNATURALE COGNOSCENDUM [1].

113. — Prænotanda. — Verum supernaturale illud dicitur, quod naturæ ordinem supergreditur, et propriis intellectûs viribus attingi nequit.

Veritas tripliciter potest dici supernaturalis: *a*) Vel *ratione objecti tantum;* est veritas cujus existentia naturaliter nequit cognosci, sed cui, factâ ejus revelatione, aliquis ex motivo mere humano assensum præbet; ejusmodi, v. gr., est mysterium SS. Trinitatis relate ad hæreticum, qui illud admittit unice quia judicat esse admittendum. — *b*) Vel *ratione motivi tantum;* est veritas naturaliter cognoscibilis, a Deo tamen revelata, cui aliquis assentitur ex motivo supernaturali, scilicet propter Dei revelantis veracitatem; talis, v. gr., est hæc propositio: *Abraham duos filios habuit;* quæ veritas est naturalis, quam tamen credimus quia Deus revelavit. — *c*) Vel *ratione tam objecti quam motivi;* est veritas non cognoscibilis naturaliter, quam ex motivo supernaturali credimus; v. gr., mysterium SS. Trinitatis, quod credimus unice ob Dei revelantis veracitatem.

114. — Verum supernaturale quoad objectum non posse absque revelatione cognosci, per se manifestum est; nec ipse Pelagius ejusdem revelationis necessitatem negavit; imò, saltem in secundo statu suæ hæreseos, eam dixit unicam gratiam necessariam ad salutarem actum fidei.

[1] Cf. *S. August.*, De Prædest. Sanct.; M, 44, c. 959. - *S. Prosper.*, Cont. Collat.; M., 51, c. 206. - *Gonet,* Clyp., disp. 1, a. 2; p. 622. - *Gibbon,* Tr. IV, disp. 30, dub. 3; p. 357. - *Gotti,* Q. 1, dub. 2; p. 4. - *Billuart,* Diss. 3, a. 2, § 2; p. 77.

Verum supernaturale *quoad objectum tantum* cognosci posse et a multis reapse cognosci absque interiori Spiritûs Sancti gratiâ, est etiam indubium. Enimverò, datâ mysterii revelatione, intellectus terminorum notitiam naturaliter acquirere potest, atque ex motivo prorsus humano assensum præbere; ejusmodi est assensus quo hæretici aliqua fidei mysteria admittunt, aliis rejectis. Qui assensus nec est assensus fidei, nec ad salutem utilis; de quo assensu in præsenti nullatenus agitur [1].

Sed quæritur, utrum, factâ semel revelatione, possit intellectus ex motivo supernaturali veritatibus revelatis absque internâ Spiritûs Sancti gratiâ salutarem præbere assensum; aliis verbis, an possit absque gratiâ actum salutarem fidei elicere.

In actu fidei, objectum materiale quod creditur, est veritas a Deo revelata et nobis proposita; objectum formale, seu ratio ob quam, vel motivum propter quod intellectus assensum præbet, est veracitas Dei revelantis. Cum autem objectum materiale fidei sit intellectui inevidens, et eâ de causâ eum ad assentiendum cogere nequeat, necesse est ut intellectus a voluntate ad assensum inclinetur et applicetur. Unde actus fidei definitur: *Assensus intellectûs imperatus a voluntate propter auctoritatem Dei revelantis.* Ad actum igitur fidei tria concurrunt, scilicet: Objecti propositio, quæ fit per revelationem et evangelicam prædicationem; imperium voluntatis, quæ intellectum ad præstandum assensum inclinat; et actus intellectûs, qui assensum elicit.

115. — Errores. — Factâ objecti revelati propositione, tria in fide considerari possunt, videlicet: *a*) prima cogitatio de mysteriis, non cogitatio illa quæ de illis naturaliter haberi potest, sicut contingit in hæreticis; sed cogitatio de mysteriis ut credendis propter Dei veracitatem; — *b*) imperfectum desiderium credendi, et pius credulitatis affectus, seu velleitas quædam credendi; — *c*) ipse actus fidei imperatus a voluntate et elicitus ab intellectu.

Pelagius, quando dogmatizare cœpit, nullam gratiam dixit esse necessariam ad primam de credendo cogitationem, nec ad pium credulitatis affectum, nec ad ipsum salutarem actum fidei. Posteà verò, ad actum fidei gratiam admisit ex parte intellectûs, non autem ex parte voluntatis.

Semipelagiani ad ipsum actum fidei necessariam dixerunt interiorem Spiritûs Sancti gratiam tam illuminationis quam inspirationis;

[1] Cf. *Sylvius,* In q. 109, a. 1, concl. 8. - *Gonet,* Disp. 1, n. 78; p. 622. - *Gotti,* Q. 1, dub. 2, § 2; p. 5. - *Billuart,* Diss. 3, a. 2, § 2; p. 77.

sed ad salutare initium fidei, id est, ad primam de credendo cogitationem et pium credulitatis affectum, seu desiderium credendi, nullam gratiam necessariam esse dixerunt; sed quemlibet posse a semetipso illud fidei initium habere, Deumque, ne esset personarum acceptor, iis gratiam fidei, aut fidei augmentum concedere, qui fidem in se a semetipsis inchoaverint.

Propositio I.

Ad salutarem actum fidei requiritur interior Spiritûs Sancti gratia tam illustrationis quam inspirationis.

116. — Prop. est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, can. 3:* « Si quis » dixerit, sine prævenientе Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut » oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, A. S. » — Et in Arausicano II, *can. 7:* « Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod » ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, » sive salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritûs Sancti, qui dat » omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, hæretico » fallitur spiritu. » *(Labbe, T. 4, c. 1668). Cf. etiam Vaticanum, Constit.* Dei Filius, *cap. 3.*

Prob. I. **Ex S. Scriptura et Traditione.** Legimus, (Joan. VI, 44, 45, 66): *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum... Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me... Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Sed, ut ait *S. Augustinus:* « Quid est, *ad me veniet*, nisi credet in me? Sed ut » fiat, Pater dat. » *(De Prædest. Sanct., c. 8, n. 13. M., 44, c. 970).* — Et: « Trahi a Patre ad Christum, et audire ac discere a Patre ut veniat » ad Christum, nihil aliud est, quam donum accipere a Patre, quo » credat in Christum. » *(Loc. cit., n. 15; col. 972).* Fides ergo est donum Dei et gratia gratuita, non autem opus a solâ naturâ productum.

(Eph. II, 8, 9): *Gratiâ enim estis salvati per fidem; et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* « Id » est, *ait S. August.*, et quod dixi *per fidem*, non ex vobis, sed Dei » donum est etiam fides. » *(Loc. cit., n. 12, col. 969).*

(I Cor. IV, 7): *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* « Quo » præcipue testimonio, *ait S. August.*, etiam ipse convictus sum, cum » similiter errarem, putans fidem quâ in Deum credimus, non esse

» donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrari » Dei dona quibus temperanter et juste et pie vivamus in hoc sæculo. » Neque enim fidem putabam Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis » daretur, quod posceremus utiliter, nisi quia credere non possemus, » si non præcederet præconium veritatis: ut autem prædicato nobis » Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, et nobis ex nobis » esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis » indicant, ante episcopatum meum scripta. » *(De Prædest. Sanct., n. 7. M., 44, c. 964).*

117. — Prob. II. **Ex Ratione.** — 1° *Pro gratiâ ex parte intellectûs.* Assensus fidei cum circa veritatem supernaturalem versetur, illamque sub motivo etiam supernaturali divinæ revelationis attingat, est actus entitative supernaturalis, sicut communiter docent doctores. Atqui naturales vires intellectûs per se solas sunt absolute impares actui entitative supernaturali ponendo. Ut igitur actum fidei elicere valeat, intellectus per gratiam elevari et confortari necessario debet.

2° *Pro gratiâ ex parte voluntatis.* Cum veritates supernaturales nobis non sint evidentes, ac proinde nequeant intellectum cogere ad assensum, necesse est ut voluntas intellectum ad veritati consentiendum inclinet, eique imperet ut assentiatur. « Credere aut non credere, » *ait S. Ambrosius*, voluntatis est; neque enim quis cogi potest ad » id, quod manifestum non est, sed invitatur; quia non extorquetur, » sed suadetur. » *(In Epist. ad Rom., C. 4. M., 17, c. 82).* Atqui voluntas propriis viribus intellectum ad actum supernaturalem movere nequit. Ut igitur voluntas actum fidei possit imperare, necesse est ut ipsa per gratiam elevetur et confortetur. Ad quam gratiam designandam, Dominus in SS. Scripturis signanter dicitur aperire cor ad credendum; (Act. XVI, 14): *Cujus* (Lydiæ) *Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo.* — (Baruch, II, 31): *Dabo eis cor et intelligent, aures et audient; et laudabunt me in terra captivitatis suæ.*

Propositio II.

Ad salutare initium fidei necessaria est interior Spiritûs Sancti gratia.

118. — Prop. est *de fide*, ex Arausicano II, *can. 5:* « Si quis sicut » augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, » quo in eum credimus qui justificat impium, et ad generationem sacri » baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est per inspira- » tionem Spiritûs Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infideli-

» tate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse » dicit, apostolicis dogmatibus adversarius comprobatur. » *(Labbe, T. 4, c. 1667).*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus, (II Cor. III, 5): *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* In quæ verba scribit *S. Alphonsus:* « Itaque fidei » principium, id est, non illud quod proprium est intellectûs, qui sponte » suâ fidei nostræ veritatem perspicit, sed pia illa credendi voluntas, » quæ nondum est formata fides, sed ipsam fidem præcedit (ut ait S. Au- » gustinus), quum nihil sit aliud nisi cogitatio quædam, quâ credere » volumus; ejusmodi cogitatio, inquam, secundum Apostolum, ex solo » Deo habetur. » *(Hist. hær., P. 2; Confut. 6, n. 2. T. 2, p. 361).*

(I Cor. IV, 7): *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* « Si ex nobis esset bonæ voluntatis initium, *ait S. Alphonsus*, » quo animus ad fidem vel aliud quoddam gratiæ donum a Deo reci- » piendum disponitur, illud ipsum profecto nos discerneret ab altero, » qui bonæ illius in ordine ad vitam æternam voluntatis initium non » haberet. At vero S. Paulus declarat, nos, quidquid habemus (quod » complectitur omne primum fidei vel salutis desiderium) a Deo reci- » pere: *quid autem habes, quod non accepisti?* » *(Hist. hær., P. 2, Conf. 6, n. 3; T. 2, p. 361).*

(Rom, XI, 35): *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei.* Si verò, sicut contendunt Semipelagiani, initium fidei, seu pius credulitatus affectus, non a Deo sed a nobis est, et Deus propter istam piam voluntatem infundit fidem, homo prius Deo dat aliquid ut retribuatur sibi; et sic gratia jam non est gratia. « Si nostrum est velle credere, *ait S. Ful-* » *gentius*, priusquam nos Dei gratia incipiat adjuvare, injuste gratia » dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur volun- » tati. Hanc enim (sicut illi volunt) gratia in nobis invenit quam ipsa » non dedit; imò si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque » ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei retribuentis » accipimus. Verumtamen, *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Nemo » utique, quia *Non potest homo accipere quidquam nisi ei datum fuerit* » *de cœlo*, (Joan. III, 27). Quid enim habet quod non accepit? etc. » *(Epist. 17, c. 18. M., 65, c. 473. — Cf. S. August., De Prædest. Sanct., n. 4. M., 44, c. 962).*

119. — Prob. II. **Ex traditione.** — *S. August.*, in verba Apostoli, (II Cor. III, 5), *Non quod idonei sumus*, etc., scribit: « Attendant hic, » et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, et » ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse

» cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius co-» gitaverit esse credendum... Quod ergo pertinet ad religionem et » pietatem, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismet-» ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profecto non sumus idonei » credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non » possumus, sed sufficientia nostra qua credere incipiamus, ex Deo est. » Quocirca, sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum » quodcumque opus bonum,... ita nemo sibi sufficit vel ad incipien-» dam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est. » *(De prædest. Sanct., cap. 2, n. 5; M. 44, c. 962).*

120. — Prob. III. **Ex Ratione.** 1° Cum media fini debeant correspondere, pia affectio voluntatis, in quâ fidei initium consistit, cum sit ordinata ad rem entitative supernaturalem, ad fidem scilicet salutarem, entitative debet esse supernaturalis. Sed voluntas propriis suis viribus nullum actum supernaturalem elicere valet. Ergo ut in voluntate produci possit pia credendi affectio, prorsus necesse est ut ipsa a gratiâ roboretur.

2° Fides, ut ait Tridentinum, *Sess. VI, cap. 8*, est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix totius justificationis. Atqui impossibile est salutis et justificationis initium esse a nobis sine gratiâ; sed tantum ex meritis Christi et liberâ Dei voluntate habetur. Ergo nec ipsum salutare fidei initium a nobis esse potest.

Eò magis urget hæc ratio, quod si homo potens est ut a semetipso habeat fidei initium, nihil obstat quin a semetipso habeat etiam fidei consummationem, et ita ipse sit suæ fidei et salutis auctor et consummator. « Auctor est fidei nostræ consummatorque Jesus, *ait S. Ful-» gentius*, quia ipse operatur in nobis et velle et perficere pro bona » voluntate. Quod si in eo tantum est auctor fidei nostræ, quia no-» stram voluntatem exspectat, ut ex nobis esse fides incipiat, conse-» quens est, ut etiam consummator fidei nostræ ideo dicatur, quia » exspectat ut nostro tantum conatu ad consummationem fides, quæ » a nobis exorta est, perveniat; ac sic totum Deo adimitur, si et ini-» tium et consummatio fidei nostræ humani arbitrii viribus applice-» tur. » *(Epist. 17, n. 41. M., 65, c. 477).*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

121. — **Objicitur I.** Legimus, (I Reg. VII, 3): *Præparate corda vestra Domino.* — (Zach. I, 3): *Convertimini ad me... et convertar ad vos.* — (Rom. VII, 18): *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio.* Jubemur ergo ut corda præparemus Domino, ut ad Do-

minum convertamur. Sed, aiunt Semipelagiani, quod jubemur, facere possumus. Ergo possumus nos ad Dominum convertere, ut ipse se convertat ad nos; possumus corda præparare; possumus velle fidem habere, ut Deus volentibus fidem conferat.

Resp. Quod jubemur, facere possumus, *dist.:* semper a nobismet-ipsis, propriisque nostris viribus, *nego;* prævenientis et adjuvantis gratiæ adjutorio, *concedo.* Porro, jubendo Dominus semper concedit gratiam, ut quæ jubemur, implere valeamus: Deus enim impossibilia non jubet.

Jubemur ergo ut corda præparemus Domino: sed ipse gratiâ suâ voluntatem prævenit et præparat: jubemur ut convertamur ad Dominum, sed ipse docet nos orare: *Converte nos ad te, et convertemur;* (Thren. V, 21); jubemur ut credamus, sed nemo potest credere nisi ei datum fuerit a Patre cœlesti, *(Joan, VI, 66);* nostrum est velle, sed Deus est qui operatur in nobis velle et perficere, *(Phil. II, 13).*

Cum ergo jubemur ut faciamus, liberum nostrum commendatur arbitrium, cujus est gratiæ consentire aut dissentire; cum verò oramus ut facere valeamus, Dei commendatur gratia. « Cum dicitur, *inquit Tridentinum: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos,* libertatis » nostræ admonemur; cum respondemus: *Converte nos, Domine, ad te* » *et convertemur,* Dei nos gratiâ præveniri confitemur. » *(Sess. VI, cap. 5).* — Et *S. Augustinus:* Credere et bonum facere « utrumque » nostrum est, *ait,* propter arbitrium voluntatis, et utrumque tamen » datum est per Spiritum fidei et caritatis... Utrumque ipsius (Dei) » est, quia ipse præparat voluntatem, et utrumque nostrum, quia non » fit nisi volentibus nobis. » *(De Prædest. Sanct., c. 3, n. 7. M. 44, c. 965).*

122. — Objicitur II. Intellectus, sicut quælibet facultas, quidquid ad objectum suum specificativum pertinet, propriis viribus attingere potest. Atqui objectum specificativum intellectûs est omne verum. Verum igitur supernaturale in objecto specificativo intellectûs includitur, secus enim ne ope quidem gratiæ illi posset assentiri, cum nulla facultas elevari possit ad objectum quod est extra limites objecti specificativi, sicut, v. gr., nec oculus ad sonos, aut auris ad colores percipiendos elevari potest. Potest igitur intellectus verum supernaturale propriis suis viribus attingere.

Resp. Quælibet facultas objectum suum specificativum propriis viribus attingere potest, *dist.:* si objectum illud est facultati proportionatum, *concedo;* si est improportionatum, et facultatem excedens,

nego. Sic, v. gr., licet sol, utpote lucidus et coloratus, sit intra latitudinem objecti specificativi visûs, propter excessum tamen luminis, non potest illum oculus humanus directe intueri, nisi aliunde adjuvetur. — *Quoad min.:* Atqui verum supernaturale est intra latitudinem objecti specificativi intellectûs, *dist.:* ita ut constituat objectum intellectui naturaliter proportionatum, *nego;* ita ut sit objectum improportionatum et vires intellectûs excedens, *concedo.* Etsi ergo intellectus elevari potest ut assensu salutari veritates supernaturales attingat, non potest tamen propriis viribus salutarem assensum eisdem præbere, sed ad hoc gratiæ adjutorio indiget.

123. — **Quæritur:** *An, propositis motivis credibilitatis, quibus probatur fidem esse amplectendam, possit homo eisdem absque interiori gratiâ consentire.*

Resp. Motivis credibilitatis competenter propositis, potest homo absque gratiâ eorumdem vim probativam percipere, non secus ac propositis fidei veritatibus, potest assensu infructuoso eisdem naturaliter assentiri. Hæc autem naturalis cognitio ad fidem conducere nequit. Ut verò aliquis judicet, propositas veritates esse propter illa motiva credendas, necesse est ut adjuvetur gratiâ. Cum enim illud judicium ordinetur ad actus entitative supernaturales, videlicet, ad cogitationem credendi et pium credulitatis affectum, illud etiam supernaturale sit oportet, ac proinde sub motione gratiæ elicitum. Præterea, illud judicium jam quoddam constituit fidei initium; porro, fidei initium a naturâ nequit haberi.

Quâ de causâ, Ecclesia non solum infidelibus Evangelium prædicat, atque credibilitatis motiva proponit, sed etiam et præsertim pro eis Dominum rogat, ut audientibus sensum aperire, et nondum credentium corda ad credendum inclinare dignetur.

CAPUT II.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD BONUM FACIENDUM.

124. — **Prænotanda.** — 1° Sicut intellectûs objectum est verum, ita voluntatis objectum est bonum, non quodcumque, sed bonum morale; et sicut intellectui per peccatum inustum est vulnus ignorantiæ, ita voluntati illatum est vulnus malitiæ; quo fit ut voluntas ad verum

bonum magnam difficultatem, ad illicitum autem magnam sentiat proclivitatem.

2° Per opus morale intelligitur actus humanus cum plenâ advertentia positus. Cujus actûs bonitas ex duobus desumitur: ex objecto scilicet, et ex circumstantiis, præsertim verò ex fine operantis.

3° Bonum morale potest esse vel *naturale* vel *supernaturale*. Est *naturale*, cum dictamini rectæ rationis conforme est, quin tamen in Deum ut auctorem gratiæ et gloriæ referatur; v. gr., datio eleemosynæ eo fine, ut quis miseriam proximi sublevet. — Est *supernaturale*, cum actio, honesta ex parte objecti et circumstantiarum, ab operante ultimatim ad Deum, ut auctorem gratiæ et gloriæ, refertur; ut, v. gr., datio eleemosynæ ob amorem Christi.

4° In ordine ad bonum, sicut in ordine ad verum, distinguenda est in homine lapso potentia physica et potentia moralis.

125. — Divisio Capitis. — Tria in præsenti capite sunt investiganda, juxta triplicem errorem, qui circa bonum morale in statu naturæ lapsæ ortus est.

Lutherus ipsam operis moraliter boni existentiam negat. Docet, liberum arbitrium per Adami prævaricationem fuisse penitus exstinctum; hominem etiam justificatum ad omne opus bonum, etiam ordinis naturalis, esse prorsus incapacem, imò ipsum in omni opere suo semper peccare, etsi justificatis ea peccata propter merita Christi non imputentur.

Alii, licet liberum arbitrium exstinctum non prædicent, ad plura tamen quam par est, gratiam necessariam dicunt; alii demum naturæ nimis, gratiæ verò non satis tribuunt.

Igitur: In ART. I probandum est contra Lutherum non omnia hominis lapsi opera esse peccata, ac proinde opera bona existere posse. In ART. II videndum est quid boni possit homo absque gratiâ; et in ART. III ad quid boni gratia sit necessaria.

ARTICULUS I.

DE BONORUM OPERUM EXISTENTIA.

126. — Non agimus in hoc articulo de operibus bonis quà vitæ æternæ meritoriis; de merito infra quæstio erit; sed cum præsens disputatio contra Lutherum stabiliatur, qui omnia hominis lapsi opera totidem dixit esse peccata, hoc unice inquiritur, scilicet: an dentur

in præsenti statu naturæ lapsæ quædam opera moraliter honesta, quæ utpote conformia sive præcepto legis scriptæ, sive dictamini rectæ rationis, homini non sint in peccatum imputabilia, nec proinde in se peccaminosa.

Etsi ab hac quæstione seorsim tractanda abstinere potuissemus, utpote quæ ex articulis sequentibus et ex dicendis de merito satis jam sit manifestanda, attamen cum ipsa sit dicendorum quasi fundamentum et basis, quippe quum, si nulla exstarent opera bona, inutiliter quæreretur quænam gratia ad ea requiratur, aut quænam ex eis sint vitæ æternæ meritoria, idcirco controversiam de necessitate gratiæ ad bonum faciendum ab illâ quæstione incipiendam esse duximus. Sit igitur contra Lutherum sequens propositio.

Propositio.

Dantur in præsenti statu naturæ lapsæ opera quædam bona, quæ proinde non sunt peccata [1].

127. — NB. Agitur in propositione de operibus bonis unice quà honestis, sive sint bona bonitate supernaturali adveniente eis ex gratiâ, sive sint tantum bona bonitate pure naturali adveniente eis ex conformitate cum rectâ ratione.

Prop. est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, can. 7:* « Si quis dixerit, » opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta » sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehemen- » tius quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum gravius pec- » care, A. S. » — Et *can. 25:* « Si quis in quolibet bono opere justum » saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mor- » taliter, atque ideò pœnas æternas mereri; tantumque ob id non » damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, A. S. »

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus, (Matth. V, 16): *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* — (Matth. XIX, 17): *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* — (Jac. II, 14): *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* — (Matth. XXV, 34 et ss.): *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc.... Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, etc. In his aliisque innumeris S. Scripturæ

[1] Cf. *Gotti*, De Grat., q. 1, dub. 4, § 3; p. 25. - *S. Alph.*, Confut. 11, art. 3.

testimoniis bona opera laudantur, commendantur, ad vitam æternam necessaria prædicantur, et cœleste regnum eis repromittitur. Atqui si quodlibet opus ab homine positum foret peccatum, Spiritus Sanctus opera nec laudare aut commendare, nec ea ad vitam æternam necessaria dicere, nec eis cœleste regnum repromittere potuisset. Omnia ergo opera non sunt peccata, sed quædam ex eis vere sunt bona atque honesta.

(II Corinth. V, 10): *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Atverò, si omnia nostra opera sunt mala, nulla verò bona, quomodo possumus ante tribunal Christi referre quæ gessimus, sive bona, sive mala?

128. — Prob. II. **Ex condemnatione** propositionum Lutheri a Leone X., in Bullâ *Exsurge Domine*, scilicet: *prop. 31:* « In omni opere bono justus peccat »; — *prop. 32:* « Opus bonum optime factum est veniale peccatum »; — *prop. 35:* « Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitium »; — *prop. 36:* « Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo; et dum facit quod in se est, peccat mortaliter. » (*Denzing., n. 655 et ss.*).

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

129. — Objicitur I. Legimus (Is. LXIV, 6): *Et facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Si autem, inquiunt protestantes, omnes sumus immundi, et si justitiæ nostræ sunt sicut pannus menstruatæ, ergo nullum in nobis potest inveniri opus, quod non sit vitio maculatum et proinde peccaminosum.

Resp. Hæc Isaiæ verba solemnia sunt in ore protestantium; nihil tamen probant, cum conclusio latior sit præmissis; proinde negatur consequentia. Propheta enim loquitur in personâ populi judaici, cujus tunc temporis major pars a Domino recesserat; et ideò recte dicere potuit: *omnes nos facti sumus immundi.* Cum verò populus ille opera quædam sectaretur, quæ ut justitias reputabat, v. gr., oblationes, sabbati et festorum observantiam, etc., ea tamen ad Dei honorem non referebat, sed ex pravâ intentione et continuo affectu ad crimina vitiabat, ideò recte addere potuit propheta: *et quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ.* Sed ex facto illo particulari inferre nequaquam licet conclusionem universalem, scilicet: omnia prorsus opera, quæ ponantur ab homine, esse peccata.

130. — **Objicitur II.** Legimus, (Eccli. VII, 21): *Non est homo justus in terra qui faciat bonum et non peccet.* Sed his constat nullum, nequidem justum, esse in terrâ cujus opera sint bona.

Resp. *Dist. antecedens:* Non est homo justus qui faciat bonum et non peccet, id est, in quo nullum unquam inveniatur opus quod non sit peccatum, *nego;* non est justus, cujus opera ita sint constanter bona, ut nunquam contingat ipsum in aliquo peccare, saltem venialiter, *concedo;* et hunc esse genuinum sensum illorum verborum abunde constat ex aliis Scripturæ testimoniis et constanti Patrum traditione.

ARTICULUS II.

DE HIS QUÆ POTEST HOMO SINE GRATIA.

131. — 1° *Baius* gratiam sanctificantem et caritatem ad quodcumque bonum homini lapso adeò dicit necessarias, ut, eis deficientibus, homo nullum bonum, ne ordinis quidem mere naturalis, ponere possit, sed in omni opere suo necessariò peccet; exinde ejus effatum: *Omne quod agit peccator aut servus peccati, peccatum est.* Cum enim, ex unâ parte, in homine lapso nullum amorem præter caritatem et vitiosam cupiditatem agnoscat, ex alterâ verò doceat hominem ex solo amore prædominante ad agendum moveri posse, sponte sequitur eum, qui gratiâ sanctificante et caritate destituitur, a pravâ cupiditate semper impelli, ac proinde in omni opere suo semper peccare.

Contra Baium igitur probandum est, hominem absque gratiâ sanctificante et caritate opera quædam moraliter bona efficere posse, nec proinde omnia peccatoris opera esse peccata.

132. — *Jansenius* nec gratiam sanctificantem nec caritatem, sed fidem ad omne opus bonum adeò necessariam esse dicit, ut qui fidem non habent, in omni opere suo necessariò semper peccent. « Indubi» tatum existimamus, *inquit*, esse illam sententiam S. Augustini atque » discipulorum ejus, nullum videlicet opus bonum, ne quidem mora» liter, ab humano arbitrio posse fieri nisi per gratiam, non quam» libet, sed fidei liberetur: ut proinde ante fidem non sit ei liberum » a peccato, dum hìc et nunc agere meditatur, abstinere, sed quo» cumque sese verterit, quadam humanis viribus insolubile peccandi » necessitate teneatur. » *(De Statu naturæ lapsæ, L. 3, c. 14; p. 202).*

In eâ doctrinâ asserendâ, Jansenio viam straverat *Gregorius Ariminensis,* qui asserit: « quod nullus actus hominum simpliciter infi» delium est moraliter bonus. Dico autem simpliciter infidelium, ad

» excludendum schismaticos, hæreticos catholicos, et reliquos qui » aliquo modo credunt, et aliquali fide cognoscunt Deum. Probatur, » quia nullus fit ex dilectione Dei aut propter Deum ultimate... Igitur » nullus fit intentione rectâ, ac per hoc nec virtuose vel bene mora- » liter. » *(In 2 Sent., D. 41, 3^m corol.).*

Contra quos probandum est, ad quodlibet bonum morale gratiam fidei non esse necessariam, nec proinde omnia infidelium opera esse peccata.

133. — Contra Baium atque Jansenium docent omnes doctores catholici, gratiam sanctificantem aut fidem non esse necessariam ad omne et quodlibet opus moraliter bonum ponendum. Si verò ulterius quæratur, utrum præter concursum generalem ratione creationis omnibus debitum, requiratur aliud auxilium speciale non debitum, sed gratuitò concessum, ut homo lapsus in statu præsentis providentiæ aliquod bonum morale naturale efficere possit, dissentiunt auctores.

Gregorius Ariminensis [1], *Vasquez* [2], *Lud. Turrianus* [3], *Mœratius* [4], *Didacus Gonzalez* [5], *Duhamel* [6], cum aliis paucis docent, hominem cum solo concursu generali nullum, ne levissimum quidem opus moraliter bonum efficere posse; sed ad quodcumque opus indigere non solum gratiâ externæ protectionis, sed etiam gratiâ internâ, entitative quidem naturali, sed tamen ex meritis Christi concessâ.

In hac tamen suâ adstruenda sententiâ non omnes eodem ducuntur motivo. *Gregorius Arim.* enim necessitatem alicujus gratuiti auxilii probat ex defectu virium ex parte potentiæ, ac proinde illud exigit ut potentia accipiat *posse expeditum.* — *Vasquez* contrà ex solâ ratione indifferentiæ liberi arbitrii ad bonum vel malum illius auxilii necessitatem probat; ac proinde illud exigit non ut potentia accipiat posse expeditum, sed solum ut ad actum possit transire. Quod adjutorium Vasquez consistere dicit in cogitatione quadam congruâ a Deo in iis circumstantiis immissâ, in quibus ope scientiæ mediæ prævidit liberum arbitrium eidem esse consensurum.

134. — Communis tamen et unanimis (si paucos supra citatos excipias) Doctorum sententia tenet, posse hominem in statu naturæ lapsæ, cum solo concursu generali, absque ullo auxilio gratuito, opera quædam leviora naturaliter bona atque honesta elicere, quæ tamen

[1] In 2 Sent., D. 26, concl. 1; fol. P 2, verso. — [2] In 1. 2, disp. 189 et 190; tom. 4, p. 426 et ss. — [3] De Grat., opusc. 2, disp. 4; p. 25. — [4] De Grat., disp. 1, sect. 8 et ss.; p. 17. — [5] Theol. scotica, In 2 Sent., Tr. 2, disp. 4, q, 4; p. 427. — [6] Theol. specul., De Grat., L. 4, cap. 2; tom. 3, p. 650.

ad salutem sunt omninò infructuosa, neque ullo modo ad justificationem dispositiva. Cui sententiæ hodie omninò standum est, cum opposita videatur profligata in condemnatis Baii ac Quesnelli propositionibus, adeo ut Tanner dicere potuerit: « Nescio quâ ratione tutò » ac sine periculo ea doctrina hodie defendi possit. » (*Theol. schol., Tom. 2; De Grat., disp. 6, q. 3, dub. 3, n. 73; col. 1204).*

Tribus igitur assertionibus doctrinam tenendam stabiliemus.

§ 1. *Assertio contra Baium.*

Propositio.

Ad opus moraliter bonum non requiritur gratia sanctificans, nec imperium caritatis, ac proinde omnia peccatoris opera non sunt peccata.

135. — Prop. est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, can. 7:* « Si » quis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacumque » ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, A. S. » — Et, *can. 8*, definitur metum gehennæ in peccatoribus non esse peccatum. « Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam » Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, » peccatum esse, aut peccatores pejores facere, A. S. »

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus, (Luc. XI, 41): *Verumtamen quod superest, date eleemosynas.* His verbis Christus Dominus pharisæos ad eleemosynas erogandas adhortatur; pharisæos autem illos in statu peccati exstitisse, ex Domini verbis immediate præcedentibus atque sequentibus manifeste constat. Porro, si peccatorum opera forent peccata, Christus eos ad dandas eleemosynas hortari non potuisset.

(Daniel, IV, 24): *Quam ob rem, rex, consilium meum placeat tibi; et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Jamverò, Nabuchodonosor in peccatis fuisse ex toto citato capite manifestum est. Si ergo ejus opera peccata fuissent, Daniel eum ad eleemosynas spargendas movere nullatenus potuisset ad peccata redimenda, cum peccata peccatis nullâ valeant ratione redimi.

136. — Prob. II. **Ex condemnatione** propositionum Baii a Pio V, scilicet, *prop. 35:* « Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. » — *Prop. 38:* « Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas... aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur. » — *Prop. 40:* « In omnibus

suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.» *(Denz., n. 915 et ss.)* — Et ex *prop. 38* Quesnelli: «Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratiâ Liberatoris.» *(Denz., n. 1253)* [1].

137. — Prob. III. **Ex Traditione.** Scribit *S. Hieronymus:* «Inter » ipsos quoque ethnicos est diversitas infinita; cum sciamus alios esse » proclives ad vitia et ruentes ad mala; alios ob honestatem morum » virtutibus deditos.» *(In cap. 22 Matth. M., 26, c. 160).* Si autem inter ethnicos, qui caritatem non habent, quidam inveniuntur qui virtutibus sunt dediti, horum profectò opera non sunt peccata.

S. Augustinus: « Si quis, *inquit,* non habens caritatem... in aliquo » schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angu- » stias, famem, nuditatem,... vel ipsam crucem timore gehennarum » et ignis æterni, nullo modo ista culpanda sunt, imò verò et hæc » laudanda patientia est.» *(De Patientia, c. 26. M., 40, c. 623).*

Et: « Sicut non impediunt a vitâ æternâ justum quædam peccata » venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam » nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita » cujusque pessimi hominis invenitur.» *(De Spir. et litt., c. 28. M., 44, c. 230).* Ex his aliisque pene innumeris S. Augustini testimoniis constat, pessimum quemque peccatorem aliqua opera moraliter bona, ad salutem tamen infructuosa, efficere posse; ac proinde gratiam sanctificantem et caritatem ad quodlibet opus moraliter bonum non requiri.

138. — Prob. IV. **Ex S. Thomâ.** « Hoc est simpliciter falsum, » *inquit Angelicus,* quod omnis actus qui non est a voluntate infor- » matâ caritate sit demeritorius: alioquin illi qui sunt in peccato mor- » tali, in quolibet suo actu peccarent, nec eis esset consulendum quod » interim quidquid boni possent, facerent, nec opera ab eis facta quæ » sunt de genere bonorum, disponerent eos ad gratiam: quæ omnia » sunt falsa.» *(De Malo, q. 2, a. 5, ad 7).*

139. — Prob. V. **Ex Ratione.** — 1° Ut opus sit moraliter honestum et bonum, sufficit ut sit juxta dictamen rectæ rationis; id est, ut actus, bonus ex parte objecti, nullâ vitietur malâ circumstantiâ ex parte agentis. Atqui contingere potest, cum natura humana non sit penitus peccato vitiata, etiam peccatores hujusmodi actus ponere, sicut, v. gr. quando honorant parentes ex motivo pietatis, vel proximo reddunt ex motivo justitiæ quidquid ei debetur, vel ex motivo misericordiæ subveniunt egeno, et alia id genus. Omnia ergo peccatoris opera non sunt necessariò peccata.

[1] Cf. *Fontana,* In Constit. *Unigenitus,* prop. 38. Tom. 2, p. 1.

2° Impiis, non secus ac justis, lege tam naturæ quam gratiæ quædam præcipiuntur opera virtutum, puta religionis, pietatis, justitiæ, misericordiæ, temperantiæ, etc. Porro, si omnia peccatoris opera forent peccata, virtutum opera eis non possent præcipi, cum nulla lex justa valeat peccatum imponere. Ergo.

3° Secundum Baium, ideò peccator in omni opere suo peccat, quia quoties agit, toties ex malâ agit cupiditate, ac proinde peccaminosè. Sed illud Baii assertum falsum est omninò, et a Pio V. condemnatum, *(prop. 40ª Denz., n. 920)* [1]. Enimverò, licet peccator sit habitualiter aversus a Deo et conversus ad creaturam, non tamen necesse est ut semper ex affectu illo pravo operetur, sed potest ex alio motivo honesto aliquid boni facere; ac proinde licet in se habeat pravam cupiditatem, potest tamen operari quin hæc cupiditas influat in opus illudque vitiet. Simile quid in homine justo apparet. Licet justus sit habitualiter conversus ad Deum, potest tamen aliquoties ex alio motivo ac ex caritate illa supernaturali operari, sicut contingit cum in aliquod peccatum veniale prolabitur.

140. — Prob. IV. **Ex absurdis.** — 1° Si ad quodcumque opus bonum caritas prærequireretur, peccatoribus præcluderetur omnis via ad justificationem. Etenim, sicut explicat Tridentinum, *Sess. IV, cap. 6*, peccator sub influxu gratiæ actualis sese ad justificationem præparare tenetur, eliciendo actus fidei, spei, timoris, etc. Cum autem, juxta Baii sententiam, omnis actus peccatoris sit peccatum, sequitur, hominem caritate destitutum, quò ardentius ad justificationem se præparet, eò vehementius peccare; et cum peccatum nequeat esse dispositio ad justificationem, hinc sponte fluit, peccatoribus nullum amplius suppetere medium, quo ad Deum redeant [2].

2° Si quilibet peccatoris actus esset peccatum, dicendum foret ipsam peccatoris orationem, quâ Dei misericordiam implorat, fore peccatum: siquidem peccatoris oratio est actus, et quidem actus non procedens ab imperio caritatis. Sed quid absurdius quam sustinere, orationem, quâ Dei iram flectere conemur, et ejus indulgentiam deprecemur, esse actum peccaminosum; imò hominem eò fortius peccare quò ardentius oret?

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

141. — **Objicitur I.** Homo tenetur omnia sua opera in Deum referre, secundum illud Apostoli, (I Cor. X, 31): *Sive ergo manducatis,*

[1] Cf. *Fontana*, In Constit. *Unigenitus*, prop. 44 et 45, Tom. 2, p. 265 et 361.
[2] Cf. *Fontana*, In Constit. *Unigenitus*, prop. 44, c. 10. T. 2, p. 303.

sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quidquid ergo ad Deum non refertur, malum est. Sed peccatores, utpote a Deo aversi, nequeunt sua opera in Deum referre. Ergo omnia eorum opera sunt mala.

Resp. Homo tenetur omnia sua opera in Deum referre, *dist.:* relatione negativâ, ita scilicet ut nunquam quidquam faciat quod gloriæ Dei contrarietur, *conc.;* ita ut quidquid faciat, relatione positivâ in Deum semper referat, *subdistinguo:* actu explicito, *nego;* actu implicito, seu in actu exercito, *concedo.* Sed hæc implicita relatio adest eò ipsò quod actus moraliter honestus ponatur; quilibet enim actus honestus ex naturâ suâ ordinatur in Deum, auctorem totius ordinis moralis; quæ relatio sufficit ut actus sit bonus. « Suggero remedium, » *inquit S. Augustinus,* unde totâ die laudes Deum, si vis. Quidquid » egeris, bene age, et laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas » Deum... Cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris? Noli » inebriari, et laudasti Deum. Discedis ut dormias? Noli surgere ad » malefaciendum, et laudasti Deum. Negotium agis? Noli fraudem » facere et laudasti Deum. Agrum colis? Noli litem movere, et laudasti Deum. » *(In Ps. 34, conc. 2, n. 16. M., 36, c. 341).*

Ad concl. maj.: Quidquid ergo ad Deum non refertur, nec explicite nec implicite, malum est, *conc.;* sed tale quid est solum peccatum, quod ex naturâ suâ ad Dei gloriam non est referibile.

Ad minorem quod attinet: Atqui peccator nequit opus suum in Deum referre, *dist.:* ita ut opus suum fiat meritorium vitæ æternæ, *conc.;* radix enim illius meriti est sola caritas; — ita ut opus non sit bonum moraliter, *nego.* « Modus (agere ex caritate) sub necessi- » tate præcepti includitur, *ait S. Thomas,* secundum quod præceptum » ordinatur ad consecutionem beatitudinis, non autem secundum quod » ordinatur ad vitandum reatum pœnæ: unde qui honorat parentes » non habens caritatem, non meretur vitam æternam, sed tamen neque » demeretur. Ex quo patet quod non omnis humanus actus, etiam in » singulari consideratus, est meritorius vel demeritorius, licet omnis » sit bonus vel malus. Et hoc dico propter eos qui caritatem non » habent, qui mereri non possunt. » *(De Malo, q. 2, a. 5, ad 7).*

142. — Objicitur II. Agens cum malâ dispositione, quidquid agit, male agit. Sed peccator, cum sit a Deo habitualiter aversus, et conversus ad creaturam tamquam ad finem, semper agit cum pravâ dispositione. Quidquid igitur agit, peccaminose agit, referens illud non ad Deum, sed ad semetipsum ut ad finem.

Resp. *Dist. maj.:* Agens cum pravâ dispositione, simul et *ex* pravâ dispositione, perverse agit, *conc.;* agens cum pravâ dispositione, non verò ex pravâ dispositione, sed ex alio motivo honesto, perverse agit, *nego.* Contingere enim potest, ob innatam hominis libertatem, ut habens habitualiter malam dispositionem hic et nunc agat ex alio motivo, quin mala dispositio in actum influat; sicut, v. gr., qui est luxuriæ deditus, ex naturali compassione vel ex influxu gratiæ actualis moveri potest ad eleemosynam erogandam; quo in casu elargitio eleemosynæ, etsi fructu careat pro vitâ æternâ, est tamen actio bona; secus autem foret, si ex motivo luxuriæ eleemosynam daret.

Quoad min.: Sed peccator agit semper cum malâ dispositione, *conc.;* agit semper *cum* et *ex* malâ dispositione, *nego;* optime enim contingere potest ut, licet aversus a Deo et conversus ad creaturam, non agat tamen in ordine ad creaturam ut ad finem; sicut, v. gr., quando motus gratiâ actuali aut naturali compassione pauperi impartitur eleemosynam. Quo in casu, ipsius actio non est quidem meritoria, nec tamen mala; imo si fit ex motione gratiæ actualis, potest esse meritoria de congruo.

§ 2. *Assertio contra Jansenium.*

Propositio.

Ad omne opus moraliter bonum non requiritur gratia fidei, ac proinde omnia infidelium opera non sunt peccata.

143. — Prop. est *de fide,* ex Tridentino, *Sess. VI, can. 7,* in superiori propositione citato. Cum enim in citato canone dicatur: *quacumque ratione facta sint opera ante justificationem,* infidelium opera etiam in eo includuntur.

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** — Ait Daniel ad Nabuchodonosor, (Dan. IV, 24): *Peccata tua eleemosynis redime.* Nabuchodonosor infidelem fuisse ultrò concedit ipse Jansenius; cum igitur peccata peccatis non redimantur, fateatur Jansenius ipsius opera non fuisse peccata.

De eodem Nabuchodonosor legimus, (Ezech. XXIX, 20): *Dedi ei terram Ægypti pro eo quod laboraverit mihi, 'ait Dominus Deus.* Deus autem peccata nequit bonis remunerare. « Ex eo quod Nabu» chodonosor mercedem accepit boni operis, *ait S. Hieronymus,* in» telligimus etiam ethnicos, si quid operis boni fecerint, non absque » mercede, Dei judicio præteriri. » (*In Ezech., c. 29, M. 25, c. 286*).

(Exod. I, 20, 21): *Bene ergo fecit Deus obstetricibus,... et quia timuerunt Deum, ædificavit eis domos.* — Et S. Augustinus, De Civ. Dei, L. 5, c. 4, refert Deum Romanis amplum concessisse imperium in mercedem eorum virtutum ac bonorum operum.

PROB. II. **Ex condemnatione** propositionis 25ª Baii: « Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia. » *(Denz., n. 905).*

144. — PROB. III. **Ex Traditione.** « Multi absque fide et Evangelio » Christi, *ait S. Hieronymus,* vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, » ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non oppri- » mant vicinos, nec aliena diripiant. » *(In cap. I Epist. ad Galatas. M. 26, c. 326).*

S. Fulgentius: « Quibus (infidelibus) aliqua quidem bona, quæ ad » societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt; sed quia » non fide et caritate Dei fiunt, prodesse non possunt. » *(Epist. 17, n. 51, M. 65, c. 483).*

S. Augustinus, loquens de infidelibus, ait: « Quædam tamen facta » vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ re- » gulam non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò » recteque laudamus. » *(De Spir. et Litt., c. 27. M, 44., c. 229).* — Et *in Epist. ad Evodium, n. 4,* de iisdem agens, ait, « Didicimus secun- » dum quemdam modum laudabiles vitas, ut excepto Dei cultu, in » quo erraverunt colentes vana quæ publice colenda fuerant instituta, » et creaturæ potius quam Creatori servientes, in cæteris moribus » parcimoniæ, continentiæ, castitatis, sobrietatis, mortis pro patriæ sa- » lute contemptûs, servatæque fidei non solum civibus, verum et » hostibus, imitandi merito proponantur. » *(M., 33, c. 710).*

SS. Patres igitur in infidelibus actiones bonas atque laudabiles agnoscunt; nec omnia proinde infidelium opera peccata sunt.

145. — PROB. IV. **Ex Ratione.** — 1° Ut actus humanus sit moraliter bonus, sat est ut juxta dictamen recte rationis ponatur. Atqui infi- delitas non impedit quominus aliqui actus fiant juxta dictamen rectæ rationis. « Cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, *ait* » *S. Thomas,* infideles quidem gratiâ carent; remanet tamen in eis » aliquod bonum naturæ. Unde manifestum est quod infideles non » possunt operari bona opera quæ sunt ex gratiâ, scilicet opera me- » ritoria; tamen bona opera ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqua- » liter operari possunt. Unde non oportet quod in omni suo opere » peccent; sed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, » tunc peccant. » *(2. 2, q. 10, a. 4).*

2° Ratio, ob quam Jansenius omnia infidelium opera dixit esse peccata, ea est, scilicet, quia infidelis omnia opera sua refert ad finem infidelitatis. Hæc autem ratio nulla est, quia infidelis ex alio motivo ac ex affectu ad idola aliquos actus ponere potest. « Sicut » enim habens fidem, *inquit S. Thomas*, potest aliquod peccatum » committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, » vel etiam mortaliter peccando; ita etiam infidelis potest aliquem » actum bonum facere in eo quod non refert ad finem infidelitatis. » *(2. 2, q. 10, a. 5).*

146. — Prob. V. **Ex absurdis.** — 1° Si omnia infidelium opera forent peccata, omnis ad conversionem et justificationem eis præcluderetur via, sicut in superiori propositione de peccatoribus jam notatum est.

2° Infidelibus non secus ac fidelibus præcepta legis naturæ sunt servanda. Porro, urgente lege, si eorum opera sunt peccata, sive legem observant, sive non observant, necessariò peccant; et sic infideles in ineluctabili necessitate peccandi ponerentur: hoc autem et rectæ rationi, et divinæ misericordiæ atque justitiæ repugnat.

§ 3. *Assertio contra Gregorium Arim. et Vasquez.*

Propositio.

Potest homo lapsus, absque ullâ gratiâ, sed cum solo concursu Dei generali, opera quædam moraliter bona ordinis naturalis facere [1].

147. — Prop. est *communis*, imò et *certa* ex condemnatione propositionum Baii et Quesnelli.

NB. Sermo est de operibus naturaliter honestis, infructuosis tamen in ordine ad vitam æternam; et non quidem de omnibus operibus naturaliter honestis, sed de quibusdam facilioribus, et quando nulla gravis urget tentatio. Si enim sermo esset de totâ lege naturali implendâ, vel de victoriâ gravis tentationis, aliter esset philosophandum, ut infra dicetur. Valent igitur dicta de aliquibus operibus, numero paucioribus, neque arduis, sed facilioribus.

[1] Cf. *S. Bonavent.*, 2 S., D. 28, a. 2, q. 3; p. 688. - *Salmant.*, De Grat., disp. 2, dub. 2; p. 152. - *Montesinus*, In q. 109, a. 2, q. 4; p. 668. - *Curiel*, In q. 109, a. 2, p. 754. - *Aguirre*, Theol. S. Anselmi, disp. 118; tom. 3, p. 318. - *Suarez*, De Auxil., L. 1, c. 8 et ss.; p. 402.

PROB. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus, (Rom. II, 14) : *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt* [1]. Verba *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, idem sonant ac *viribus naturæ*, seu *ductu naturæ*, faciunt aliqua quæ de lege sunt [2].

Scio equidem S. Augustinum, *De Spir. et litt., c. 26; M., 44, c. 226; Cont. Julian., L. 4, c. 3; M., 44, c. 750;* S. Prosperum, *Contr. Collat., c. 10; M., 51, c. 240;* S. Fulgentium, *Epist. 17, De Incarnat. et grat., c. 25; M., 65, c. 481*, citatum S. Pauli textum de gentibus ad fidem conversis interpretari; attamen et ipse S. Augustinus, *De Spir. et litt., c. 27 et 28; M., 44, c. 229*, et plures alii Patres, ut Tertullianus, *De coronâ, cap. 6; M., 2, c. 83;* S. Hieronymus, *In Ezech., c. 29; M., 25, c. 286; et Epist. ad Algas., c. 3; M., 22, c. 1025;* S. Joan. Chrysostomus, *Hom. 5 in Epist. ad Rom.; M., 60, c. 429;* Primasius, *In Epist. ad Rom.; M., 68, c. 423*, citata S. Pauli verba de ethnicis intelligunt, quos aliqua legis præcepta viribus solius naturæ facere docent. Quam interpretationem corroborat Pius V., damnando prop. 22^m^ Baii : « Cum Pelagio » sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos II : *Gentes quæ legem non* » *habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus » fidei gratiam non habentibus. » *(Denz., n. 902).*

148. — PROB. II. **Ex condemnatione** prop. Baii, videlicet : *Prop. 27 :* « Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet. » *(Denz., n. 907).* — *Prop. 28 :* « Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. » — *Prop. 37 :* « Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. » — *Prop. 65 :* « Nonnisi pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus : et gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit et docet. » *Cf. ejusdem prop. 30, 35, 38; et Quesnelli prop. 39^m^. (Denz., n. 1254), prop. 40 et 41^m^.*

« Cum igitur in his damnatis propositionibus, *ait Tanner*, ea ipsa » doctrina contineatur, quam oppositæ sententiæ auctores hodie defen- » dunt, nimirum liberum arbitrium, sine gratiâ et Dei adjutorio, ad » nullum opus bonum morale, sed, quod necessariò consequens est, » non nisi ad peccandum valere ;... nescio quâ ratione tutò ac sine » periculo ea doctrina hodie defendi possit. » *(De Grat., q. 3, dub. 3, n. 73. Tom. 2, col. 1204)* [3].

[1] Cf. *Corn. a Lapide,* In hunc locum. — [2] Cf. *Suarez,* loc. cit., cap. 8, n. 42; p. 417. — [3] Cf. *Aguirre,* Disp. 118, sect. 3; p. 325.

Hujus doctrinæ affinitatem cum propriâ suâ doctrinâ perspexit atque laudavit Lutherus. « Certum est, *inquit*, modernos cum Scotistis » et Thomistis in hac re, id est, libero arbitrio et gratiâ consentire, » excepto uno Gregorio Ariminensi, quem omnes damnant: qui et ipse » eos Pelagianis deteriores esse, et recte et efficaciter convincit. Is enim » solus inter Scholasticos contra omnes Scholasticos recentiores, cum » Augustino et Apostolo consentit. Nam Pelagiani, etsi sine gratiâ » opus bonum fieri posse asseruerint, non tamen sine gratiâ cœlum » obtineri posse dixerunt. Idem certe dicunt Scholastici, dum sine » gratiâ opus bonum, sed non meritorium, fieri posse docent. » *(Epist. ad Georgium Spalde, disputatione Lypsica. Apud Aguirre, T. 2, p. 305).*

149. — Prob. III. **Ex Traditione.** Scribit *Tertullianus:* « Quæris » igitur Dei legem? Habes communem istam in publico mundi, in » naturalibus tabulis, ad quas et Apostolus solet provocare, ut cum » ad Romanos, (II, 14), naturâ facere dicens nationes ea quæ legis » sunt, et legem naturalem suggerit, et naturam legalem. » *(De Coronâ, c. 6. M., 2, c. 83).* Si autem faciunt naturâ, ergo non ex gratiâ.

Origenes: « Gentilis si ratione naturali motus, sicut videmus non- » nullos in gentibus, vel justitiam teneat, vel castitatem servet, vel » temperantiam... custodiat, iste licet alienus a vitâ videatur æternâ, » quia non credit Christo,... videtur tamen quod per hæc, quæ di- » cuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam et honorem et pacem » perdere penitus non possit. » *(Epist. ad Rom., L. 2, n. 7. M., 14, c. 888).*

S. Basilius: « Insident autem et nobis virtutes secundum naturam » cum quibus inest animæ affinitas quædam non ex doctrinâ homi- » num, sed ex ipsâ naturâ. Quemadmodum enim nulla disciplina nos » edocet morbum odisse, sed ex nobismetipsis ea quæ molestiam creant, » aversamur: ita et anima a malo declinat citra doctrinam. » *(Hom. 9 in Hexam., n. 4. M., 29, c. 195).*

S. Augustinus, agens de infidelibus ait: « Verumtamen quia non » usque adeo in animâ humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe » detrita est, ut nulla in eâ velut lineamenta extrema remanserint, » unde meritò dici possit etiam in ipsâ impietate vitæ suæ facere » aliqua legis vel sapere; si hoc est quod dictum est, *quia gentes quæ » legem non habent....* Non omni modo deletum est, quod ibi per ima- » ginem Dei cum crearentur impressum est.... Nam et ipsi homines » erant, et vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid anima » rationalis et sentit et facit. » *(De Spir. et litt., c. 28. M., 44, c. 230).*

Jamverò, his testimoniis patet, SS. Patres in homine etiam lapso naturalem agnovisse facultatem aliquid boni faciendi ; ac proinde, etiam citra ullum gratuitum auxilium hominem aliquid boni moralis efficere posse.

150. — Prob. IV. **Ex Ratione.** Ad divinæ providentiæ ordinem spectat, ut quodlibet ens viribus propriis aliquam operationem naturæ suæ consentaneam elicere possit. Proprium autem entis rationalis est ut libere agat juxta dictamen rectæ rationis, quod idem est ac agere bonum morale. Proprium igitur hominis est, ut viribus suis bonum morale naturæ suæ conforme operari valeat. Liberum hominis arbitrium est quidem per Adami prævaricationem vulneratum atque attenuatum, non tamen omninò exstinctum, ut de fide declaravit Tridentinum, *Sess. VI, can. 5.* Licet igitur homo lapsus non possit solius naturæ viribus totum id quod potuisset in naturâ integrâ, aut etiam in statu naturæ puræ, aliqua tamen faciliora adhuc operari potest, secus liberum ejus arbitrium omninò exstinctum dici deberet.

Apposite *S. Thomas:* « In statu naturæ corruptæ, *inquit,* etiam » deficit homo ab hoc quod secundum suam naturam potest, ut non » possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia. Quia tamen » natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet » toto bono naturæ privetur; potest quidem etiam in statu naturæ » corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare » agere. » *(1. 2, q. 109, a. 2).*

ARTICULUS III.

DE BONIS QUÆ NON POTEST HOMO ABSQUE GRATUITO DEI ADJUTORIO.

151. — Pelagius, qui parvulos in præsenti statu cum iisdem viribus nasci perhibuit, quas habuit Adam innocens, docuit hominem naturali pollere virtute non solum ad totam legem naturalem implendam, sed etiam ad operandum, absque interiori Spiritûs Sancti gratiâ, opera quæcumque ad vitam æternam conducentia.

Semipelagiani nulla opera salutaria absque interiori gratiâ fieri posse concesserunt; docuerunt tamen hominem propriis naturæ viribus implorare posse divinam benignitatem, ut sibi fidem augeat, cujus initium viribus etiam propriis sibi comparaverit.

Contra quos probandum est, hominem solius naturæ viribus neque totam legem naturalem implere, neque ullum opus salutare ponere, neque salutariter orare posse.

§ 1. *De impletione Legis naturalis.*

152. — Hominem unum aliudve præceptum naturale propriis naturæ viribus, absque ullo gratuito Dei adjutorio, implere posse, supra demonstratum est. Quærendum igitur superest, an possit totam legem implere absque gratiâ.

Legis naturalis impletio potest considerari *divisive* vel *collective*, prout unaquæque lex separatim ab aliis, vel omnes simul conjunctim considerantur. — Præterea, lex naturalis dupliciter potest impleri, *quoad substantiam* scilicet, et *quoad modum*, prout explicat *Angelicus*, q. 109, a. 4. Impletur *quoad substantiam*, quando opus præscriptum ponitur, præscindendo a motivo ob quod ponitur; v. gr., si quis ab ebrietate abstinet ex avaritiâ, legem sobrietatis quoad substantiam implet. Impletur lex *quoad modum*, quando fit ex caritate, ita ut opus proficiat ad salutem.

Duplicem hanc præcepti impletionem esse admittendam, constat ex condemnatione propositionis 61ª Baii: « Illa doctorum distinctio, » divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo, quantum ad » præceptorum operum substantiam tantum, altero modo ad certum » quemdam modum, videlicet, secundum quem valeant operantem per- » ducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorium), commen- » titia est et explodenda. » *(Denz., n. 941).*

Gratiam supernaturalem ad impletionem legis *quoad modum* requiri, *de fide* est contra Pelagianos, ut ex sequenti paragrapho constabit. In hac igitur nostrâ disputatione de solâ legis impletione quoad substantiam agitur.

Propositio.

Homo lapsus non potest absque speciali gratiæ auxilio totam legem naturalem collective sumptam servare [1].

153. — Propositio est *certa.*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus, (Rom. VII, 22): *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* His in verbis loquitur Apostolus de stimulo carnis qui eum co-

[1] Cf. *Aguirre*, Disp. 123; p. 454. - *Salmant.*, Disp. 2, dub. 5; p. 223. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 3, q. 9; p. 113. - *Tanner*, Q. 3, dub. 5; col. 1220.

laphizabat, (II Cor. XII, 7), sicut explicant S. Augustinus, *De Continentia, c. 3; M., 40, c. 353*, et S. Joan. Chrysostomus, *Hom. 13 in Epist. ad Rom. M., 60, c. 511.* Et confitetur Apostolus, se non viribus arbitrii, sed solâ Christi gratiâ ab eâ tentatione liberari posse. Non potest igitur præceptum continentiæ servari absque speciali gratiæ auxilio.

(Sap. VIII, 21): *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det... adii Dominum et deprecatus sum illum.* Sermo est in his verbis de præcepto legis naturalis, de præcepto scilicet illicitam carnis concupiscentiam refrænandi, sicuti constat ex S. Augustino, *Epist. 117, n. 9; M. 33. c. 677; — De bono viduit., c. 17; M., 40, c. 444;* ex S. Fulgentio, *De Verit. prædest., c. 17; M., 65, c. 625.* Fatetur tamen sapiens se huic observando præcepto per se esse imparem. Nequit igitur homo solius naturæ viribus, absque speciali gratiæ auxilio, totam legem naturalem servare.

154. — Prob. II. **Ex declaratione Conciliorum.** Legimus in Tridentino, *Sess. VI, cap. 13:* Justi « formidare debent... de pugnâ quæ » superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in quâ victores esse » non possunt, nisi cum Dei gratiâ Apostolo obtemperent dicenti: *De- » bitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus,* etc. » Si autem etiam justi in pugnâ victores esse non possunt, ita ut e justitiâ non excidant, nisi juventur gratiâ, ergo nec præcepta naturalia, contra quæ frequentius exsurgunt tentationes, citra gratiam observari possunt quoad substantiam. Si enim quoad substantiam observari possent absque gratiâ, licet istis actibus justi mereri non possent, nec tamen demererentur, cum illa impletio sit rationi conformis ac proinde laudabilis. Et sic absque gratiâ victores esse possent in pugnâ, ita saltem ut justitiam non amittant.

Concilio Tridentino præiverat Milevitanum II, an. 416, quod tribus præsertim canonibus necessitatem gratiæ quoad legis impletionem contra Pelagianos stabilivit. *(Cf. Labbe, Tom. II, col. 1538).* In *can. 3* legimus: « Quicumque dixerit gratiam Dei, in quâ justificamur per » Jesum Christum D. N., ad solam remissionem peccatorum valere, » quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, A. S. » Si autem gratia est necessaria ut peccata non committantur, ergo est etiam necessaria ut mandata serventur, etiam quoad substantiam.

Cum verò Pelagiani docerent, gratiam esse necessariam ut sciamus, non autem ut vires acquiramus ad faciendum, canonem 4^m^ edidit idem Concilium: « Quisquis dixerit eamdem gratiam Dei propter hoc

» nos tantum adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis re-
» velatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid ap-
» petere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari,
» ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque va-
» leamus, A. S. »

Cum autem Pelagiani iterum docerent gratiam dari non ut simpliciter facere valeamus, sed ut *facilius* possimus, quod absque gratiâ ægre tantum et difficile facimus, canonem 5^m^ addidit Concilium: « Qui-
» cumque dixerit ideò nobis gratiam justificationis dari, ut quod fa-
» cere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per
» gratiam, tanquam, etiamsi gratia non daretur, non quidem facile,
» sed tamen possimus etiam sine illâ implere divina mandata, A. S. »

Jamverò, cum canones isti loquantur de impletione omnium mandatorum, in quibus tam supernaturalia quam naturalia continentur; insuper cum Patres Conc. Carthaginiensis, in quo iidem canones traditi sunt, in suâ Epistolâ ad S. Pontificem Innocentium explicite loquantur tam *de lege naturaliter in corde conscripta quam de lege scriptis data*, cumque, ut gratiæ necessitatem stabiliant, provocent non ad supernaturalitatem operum, sed ad infirmitatem naturæ, idcircò hi canones intelligendi sunt de cujusvis legis impletione; et omnes Scholastici, paucissimis exceptis, ex eis deducunt impossibilitatem servandi omnia præcepta naturalia collective ope solius naturæ virium. Accedit etiam S. Augustini testimonium, qui Concilio Milevitano II aderat, et qui Pelagio crimini vertit quod contenderit posse hominem absque gratiâ legem de non concupiscendo servare. *(Epist. ad Hilar., n. 9. M., 33, c. 677).*

Attamen, quia res non est adeò manifesta, ut nullum possit suboriri dubium, ideò opposita sententia, quam tenent etiam *Durandus* [1] et *Gabriel Biel* [2], vi horum canonum dici nequit hæretica; dici tamen debet temeraria et omnino improbabilis [3].

155. — Prob. III. **Ex Traditione.** Scribit *S. Augustinus:* « Illud
» verò quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad dominica
» præcepta implenda, etiamsi Dei gratiâ et Spiritûs Sancti dono ad
» opera bona non adjuvetur, omninò anathematizandum est, et om-
» nibus exsecrationibus detestandum... Nam ut interim omittamus
» legis multa præcepta, et hoc inde commemoremus quod ad comme-

[1] In 2 S., D. 28, q. 3 et 4; p. 136. — [2] In 2 S., D. 28, concl. 2 et 3; p. 146. — [3] Cf. *Curiel,* In q. 109, a. 4, dub. 2; p. 792. - *Salmant.,* Disp. 2, dub. 5, n. 164; p. 227. - *Aguirre,* Disp. 123, sect. 3; p. 461.

» morandum elegit Apostolus; cum dicit lex, *Non concupisces*, quid » videtur aliud imperare, nisi ab illicitis cupiditatibus continentiam?... » Et tamen de continentiâ vide quid scriptum sit: *Et cum scirem quod » nemo potest esse continens, nisi Deus det, etc.* Numquid dixit: Et » cum scirem quia nemo potest esse continens, nisi per proprium libe- » rum arbitrium, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire a meipso esse hoc » donum? Non plane hoc dixit, quod quidam in suâ vanitate dicunt; » sed quod fuit in Sanctæ Scripturæ veritate dicendum: *Cum scirem,* » inquit, *quia nemo potest esse continens, nisi Deus det.* Jubet ergo » Deus continentiam, et dat continentiam; jubet per legem, dat per » gratiam. » *(Epist. ad Hilar., n. 4 et 9. M., 33, c. 675).* His verò verbis manifeste docet S. Doctor, liberum arbitrium, nisi gratiâ præveniatur, non posse illicitis concupiscentiis resistere, nec proinde legem continentiæ quoad substantiam servare.

156. — Prob. IV. **Ex Ratione.** — 1° Totius legis impletio, sicuti contra Pelagium docent Concilia et Patres, opus est perfectissimum naturæ integræ et sanæ. Sed natura, quæ per peccatum infirmata est atque vulnerata, nequit amplius præstare quod potuit sana; sicut, v. gr., homo infirmus non potest facere quod potest sanus et robustus. Ergo homo lapsus non potest absque gratiâ totam legem ne quoad substantiam quidem implere. *(Cf. S. Th., 1. 2, q. 109, a. 4).*

2° Homo lapsus, sicut infra dicetur *(n. 214)*, propriis suis viribus relictus, non potest diu remanere quin in aliquod novum peccatum mortale, etiam contra legem naturalem, prolabatur. Porro, « cum nihil aliud sit peccare quam transgredi divina mandata, » *(S. Th., q. 109, a. 4)*, consequens est hominem sibi relictum, omnia divina mandata quoad substantiam diu servare non posse.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

157. — **Objicitur I.** Legimus, (Deuter. XXX, 11): *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te.* Sed in illo mandato, de quo locutus est Moyses, continentur decem præcepta Decalogi. Habet igitur homo vires ea mandata servandi, si vult, ut dicitur, (Eccli. XV, 16): Si volueris mandata servare, conservabunt te.

Confirmatur hæc ratio, quia Deus, sicut aiunt Concilia et Patres, impossibilia non jubet. Cum ergo homini etiam lapso jubeat Deus ut totam legem servet, potest utique homo suis viribus totam legem collective sumptam servare.

Resp. *Quoad 1.m* Mandatum hoc non est supra te, *dist.:* non est supra te, inspectis viribus solius tuæ naturæ, *nego;* inspectis viribus a gratiâ collatis, *concedo.* — Habet igitur homo vires ea servandi, *dist.:* a semetipso eas vires habet, *nego;* per auxilium gratiæ, *concedo.* Porro, cum urgente præcepto gratia necessaria nunquam deficiat, in hominis arbitrio semper positum est legem servare, si velit: quia gratiæ consentire vel dissentire in hominis voluntate positum est.

Quoad instantiam: Deus impossibilia non jubet, *concedo.* Ergo potest homo totam legem servare, *dist.:* viribus suis propriis, *nego;* viribus a Deo per gratiam concessis, *concedo.* Jamverò, ut ait *S. Thomas:* « Quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omninò » impossibile, secundum illud Philosophi, (Ethic. L. 3, c. 3): *Quæ per » amicos possumus, aliqualiter per nos possumus.* » *(Q. 109, a. 4, ad 2).* — Et *S. Augustinus:* « Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, » quando dicunt: *Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine » fieri.* Quis hoc nesciat? Sed ideò jubet aliqua quæ non possumus, » ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa enim est fides, » quæ orando impetrat, quod lex imperat... Certum est nos mandata » servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas a Domino, ab » illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo » faciamus. » *(De Grat. et lib. arb., c. 16. M., 44, c. 900).*

158. — Objicitur II. Quod vires naturales non excedit, illud homo viribus suis præstare potest. Sed leges naturales etiam collective innatas hominis vires non excedunt. Ergo potest homo absque gratiâ omnes leges naturales etiam collective servare.

Resp. Quod vires naturales, tam physice quam moraliter consideratas, non excedit, illud homo viribus suis præstare potest. Sed leges naturales etiam collective, vires hominis non excedunt, *dist.:* non excedunt vires physice consideratas, *transeat;* moraliter consideratas, *nego.* Hominis enim liberum arbitrium peccato læsum et infirmatum, tot vallatur difficultatibus, tantis allicitur pravis cupiditatibus, tantis undique objicitur tentationibus a diabolo, carne et mundo suscitatis, ut licet physice forsan posset totam legem implere, impossibile tamen sit ut, visis circumstantiis, nunquam peccet nec legem aliquam transgrediatur, nisi propria infirmitas gratuito roboretur adjutorio.

QUÆSITA.

159. — Quæritur I. *Utrum homo possit absque gratiâ servare omnia præcepta divisivè?*

Resp. Non concordant auctores; alii affirmant, negant alii [1]. Attamen, si dicta patronorum utriusque sententiæ attente ponderantur, differentia videtur esse non tam in rei veritate quam in modo loquendi. Qui enim affirmant omnia præcepta posse divisive adimpleri absque auxilio gratiæ, non intendunt loqui de præcepto diligendi Deum super omnia ut auctorem naturæ, nec de præceptis quando gravis urget tentatio. « In hac conclusione, *inquiunt Salmanticenses*, » non comprehendimus præceptum diligendi Deum super omnia, aut » si quod aliud hujusmodi dilectionem includit. Neque comprehendi- » mus casum gravis tentationis. » *(Disp. 2, dub. 5, n. 172; p. 233).*

Qui verò negant, de omnibus legis præceptis loquuntur, et prout ordinarie homini observanda occurrunt. « Homo lapsus, *inquit Gibbon*, » non potest sine gratiâ adimplere primum et maximum mandatum » legis naturæ, nempe præceptum dilectionis Dei, Auctoris naturæ. » Item valde probabile est, idem esse dicendum de præcepto dilectionis » proximi, præsertim inimicorum,... de præcepto etiam continentiæ ab » illicitis venereis voluptatibus,... de præcepto subeundi mortem ex » motivo fugiendi aliquod peccatum contra legem naturalem;... quæ » propter suam intrinsecam difficultatem et arduitatem, videntur » semper sibi annexam habere tentationem gravem, quæ in illâ dif- » ficultate consistit, adeoque non posse sine gratiâ adimpleri. » *(Disp. 32, dub. 3, n. 17; p. 398).*

Cum igitur multa præcepta sint ex naturâ suâ valde ardua et difficilia, et propter hoc gravem adjunctam habeant tentationem, idcircò simpliciter affirmandum esse videtur, non posse hominem omnia præcepta naturalia, etiam distributive sumpta, adimplere, nisi liberum ejus arbitrium adjutorio gratiæ roboretur.

[1] *Pro sent. affirm.*, cf. *Salmant.*, Disp. 2, dub. 5, § 4; p. 233. - *Aguirre*, disp. 122, sect. 3 et ss.; p. 447. - *Grandin*, In q. 109, a. 4, sect. 1; p. 72. - *Paul a Concept.*, Disp. 1, dub. 4, § 2; p. 120. - *Bonæspei*, Disp. 4, dub. 5; p. 91.

Pro sent. negat., cf. *Serra*, In q. 109, a. 4; p. 270. - *Tanner*, Q. 3, dub. 5, n. 134; col. 1224. - *Muniessa*, Disp. 7, sect. 5; p. 158. - *Gibbon*, Disp. 32, dub. 3, n. 17; p. 398. - *Philipp. a SS. Trin.*, Disp. 1, dub. 7; p. 445.

160. — Quæritur II. *Utrum hominis lapsi impotentia ad totam legem naturalem servandam physica sit, an tantum moralis?*

Resp. *Controvertitur.* Qui liberi arbitrii vires per peccatum originale ita læsas et infirmatas dicunt, ut homo lapsus sit in pejori statu quam fuisset in statu naturæ puræ, docent hominis impotentiam ad totam legem servandam, esse non solum moralem, sed etiam physicam; ac proinde liberum arbitrium, absolute et nude in se spectatum, non habere physice satis virium ad totam legem servandam.

Qui verò in homine lapso easdem vires agnoscunt ac si in statu naturæ puræ fuisset creatus, docent impotentiam esse tantum moralem, sed summam, exsurgentem ex innumeris impedimentis, præsertim ex concupiscentiâ carnis, quæ obstant ne homo, licet physice vires legi proportionatas habeat, totam legem de facto implere valeat, nisi gratiâ adjuvetur [1].

161. — Quæritur III. *Utrum homo in statu naturæ puræ potuisset propriis viribus totam legem naturalem servare* [2].

Resp. Homo, si in statu naturæ puræ fuisset creatus, vires physicas ad integram legem servandam habuisset. Cum enim lex naturalis sequatur hominis naturam, ejus observatio nullatenus fuisset supra vires naturales in se spectatas.

Cum tamen in eo statu caro concupivisset adversus spiritum, adfuissentque in homine omnes motus earum passionem quæ sunt in homine lapso, quippe quæ ex ipsâ hominis naturâ fluant, cum insuper adfuisset etiam probabiliter impugnatio dæmonum, homo purus etiam versatus fuisset in morali impotentiâ totam legem diu implendi et sese a culpâ lethali diu servandi immunem. Quâ de causâ gratuito etiam indiguisset auxilio; quod auxilium fuisset naturale quoad substantiam, modo tamen supernaturali concessum. « Verisimiliter censeo, » *ait Suarez*, pertinuisse ad indigentiam illius statûs, si Deus in illo » hominem constitueret, ut suâ liberali providentiâ illi conferret aliqua » auxilia in substantiâ quidem naturalia, in modo autem ultra com-

[1] *Pro impotentiâ physicâ,* cf. *Salmant.,* Disp. 2, dub. 2, n. 181; p. 239. - *Montanius,* De Grat., P. 2, q. 3, § 5; p. 544. - *Aguirre,* Disp. 123, sect. 6, n. 46 et 47; p. 469.

Pro impotentiâ morali, cf. *Wirceburgenses,* De Grat., c. 2, a. 5; p. 310. - *Valentia,* Q. 1, punct. 5, § 2; col. 924. - *Grandin,* In q. 109, a. 4; p. 70. - *Tanner,* Q. 3, dub. 5, n. 129; col. 1223.

[2] Cf. *Suarez,* De Auxil., L. 1, c. 28; p. 521. - *Oviedo,* Contr. 4, punct. 5; p. 690. - *Gonet,* Clyp., disp. 1, a. 5, § 6; p. 666.

» munem causarum naturalium cursum collata, quibus posset homo, » si vellet, totam legem naturalem diu servare, omniaque peccata illi » contraria vitare. Quod quidem non esset auxilium gratiæ, prout » nunc datur, idest, nec in substantiâ, nec ex parte finis, quia non » transcenderet finem et honesta motiva naturalia, esset tamen spe- » ciale beneficium in ordine providentiæ naturalis. » (*L. 1, c. 28, n. 9*).

162. — Quæritur IV. *Utrum homo in statu naturæ integræ potuisset absque auxilio gratiæ totam legem naturalem quoad substantiam servare?*

Resp. Docent nonnulli theologi, ut *Capreolus* [1], *Gregorius Arim.* [2], *Vasquez* [3], *Turrianus* [4], hominem in statu naturæ integræ non potuisse totam legem naturalem quoad substantiam longo tempore servare, sed indiguisse speciali gratiæ auxilio naturæ superaddito.

Oviedo [5] docet, potuisse quidem hominem in eo statu absque ullo gratiæ auxilio, sed solius naturæ viribus cum concursu Dei generali, totam legem naturalem longissimo etiam tempore servare; attamen ad perseverandum usque ad finem vitæ indiguisse speciali gratiæ auxilio.

Communis verò theologorum sententia docet cum *S. Thoma* [6], hominem in statu naturæ integræ potuisse usque ad finem vitæ totam legem naturalem quoad substantiam adimplere, et abstinere ab omni peccato contra præcepta naturalia. « Nam homo in tali statu, *ait Me-* » *dina*, habet perfectam et integram naturam, neque habet pugnam » quâ caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem; » neque depravationem voluntatis, nec corporis corruptionem; et ex » aliâ parte præcepta legis naturæ sunt nobis proportionata. Poterat » igitur homo universa legis naturalis mandata observare, et id qui- » dem per liberi arbitrii vires. » *(In 1. 2, q. 109, a. 4; p. 585).*

Quæ sententia ex Conciliorum definitionibus et Patrum auctoritate manifeste colligitur. Concilia enim et Patres gratiæ necessitatem ex duplici fonte deducunt: ex supernaturalitate scilicet operum, et ex liberi arbitrii infirmitate per peccatum contractâ. Cum igitur ex unâ parte in statu naturæ integræ liberum arbitrium nullatenus læsum

[1] In 2 S., D. 29, q. 1, a. 1, concl. 4; et a. 3, ad 2; p. 260. — [2] In 2 S., D. 29, q. 1, a. 1; fol. R. — [3] Disp. 193, c. 3; p. 535. — [4] De Grat., Opusc. 2, disp. 4, dub. 16; p. 49. — [5] Contr. 4, punct. 6; p. 692. — [6] 1. 2, q. 109, a. 4. - Cf. *Suarez*, L. 1, cap. 25; p. 503. - *Curiel*, In q. 109, a. 4, dub. 1; p. 785. - *Montesinus*, In q. 109, a. 4, q. 8; p. 728. - *Tanner*, Disp. 6, q. 3, dub. 5, n. 128; col. 1222. - *Puteanus*, In q. 109, a. 4, dub. 2; p. 502.

et infirmatum, e contra sanum fuisset atque robustum, cum ex alterâ parte de solis præceptis naturalibus quoad substantiam adimplendis agatur, ex Conciliorum Patrumque dictis colligere licet futurum fuisse ut homo in eo statu absque ullâ speciali gratiâ omnia mandata servare posset.

163. — **Quæritur V.** *Utrum homo lapsus possit amore naturali diligere Deum super omnia ex solis naturalibus absque gratiâ.*

Prænotanda. Duplex datur Dei amor: *supernaturalis*, quo Deum diligimus ut auctorem et finem ordinis gratiæ; et *naturalis*, quo ipsum diligimus ut auctorem et finem ordinis naturalis. Duplicem hunc amorem verò existere, unanimiter docent theologi, quorum doctrina confirmatur auctoritate Pii V. damnantis Baii propositionem 34^m^: « Dis» tinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus amatur ut » auctor naturæ, et gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est » et commentitia et ad illudendum sacris Litteris et plurimis veterum » testimoniis excogitata. » *(Denz., n. 914).*

Amorem supernaturalem absque supernaturali gratiâ haberi non posse, fide certum est; quare, in præsenti de solo amore naturali et infructuoso ad salutem quæstio esse potest.

164. — *Amor naturalis multipliciter distinguitur.*

1° Datur amor *concupiscentiæ* et amor *benevolentiæ*. Amor *concupiscentiæ* est, quo Deum amamus ut præcise nobis bonum, scilicet ut finem nostrum ultimum et nostrum summum bonum. — Amor *benevolentiæ* ille est, quo Deus in se et propter se amatur, sistendo in Dei bonitate tanquam ipsi bonâ.

Hanc distinctionem amoris naturalis in amorem concupiscentiæ et amorem amicitiæ respuit *Vasquez*[1], existimans omnem amorem amicitiæ seu benevolentiæ esse caritatem supernaturalem; sed communi Doctorum sententiæ contradicit[2].

2° Amor benevolentiæ duplex distinguitur: unus *imperfectus* et *inefficax;* est quædam simplex complacentia de Dei bonitate, non inferens media ad ipsi placendum, neque removens impedimenta peccati. Est potius quædam amandi velleitas quam verus amor; vi istius actûs Deus non super omnia amatur, ac proinde potest iste amor etiam in peccatore adesse. — Alter *perfectus* et *efficax*, quo Deus appretiative super omnia creata diligitur; hic vi suâ infert media ad

[1] In 1. 2, q. 195, cap. 3; p. 557. — [2] Cf. *Gibbon*, Disp. 32, dub. 1, n. 3; p. 386.

placendum Deo super omnia, ita ut homo paratus sit omnia creata, imò et vitam amittere, potius quam Deum offendere.

3° Amor benevolentiæ efficax subdivititur in *efficacem affectivum* (sive quoad affectum), et *efficacem effective* (sive quoad effectum). *Efficax affective tantum* est simplex actus voluntatis, quo homo se et omnia creata refert in Deum ut ultimum finem naturalem, cum proposito ipsi placendi in omnibus, et repudiandi omnia quæ ei displicent; quod est Deum super omnia appretiative amare. Propter volubilitatem tamen humanæ voluntatis hic amor parum durat, et oblatâ occasione, deficit, gravioribus cedendo tentationibus. — *Amor efficax effective* non est simplex actus voluntatis, sed est ipsa exsecutio prædicti propositi Deo placendi in omnibus, inferens pro longo tempore impletionem omnium mandatorum sub gravi obligantium.

Hominem lapsum posse absque gratiâ diligere Deum *amore benevolentiæ imperfecto*, concedunt communiter doctores [1]; hic enim actus, cum non inferat propositum servandi legem neque removendi peccata, inter res faciliores computatur, quas homo solius naturæ viribus præstare potest.

Hominem lapsum non posse *amore efficaci effective* ex viribus solius naturæ Deum ut auctorem naturæ amare super omnia, est etiam communis doctorum sententia. Hic enim amor infert perfectam atque diuturnam totius legis naturalis observantiam; hæc autem, ut diximus *n. 153*, absque speciali Dei adjutorio nequit haberi in naturâ lapsâ [2].

165. — **Status quæstionis:** « Finaliter itaque, *ut ait Billuart*, » quæstio nunc est de amore Dei ut auctoris naturæ *efficaci affective*, » hoc est, de illo simplici actu voluntatis quo (homo) Deum distincte » cognitum amat appretiative super omnia, se et cætera ad eum ut ulti- » mum finem referens, et proponens absolute illi per omnia placere et » fugere omnia quæ illi displicent. » *(Diss. 3, a. 4; p. 88).*

Resolutio quæstionis. In hac solvenda quæstione, duplex adest auctorum sententia.

[1] Contradicit *Vasquez*, Disp. 194, n. 34 et ss.; p. 551; et *Turrianus*, De Grat., opusc. 2, disp. 5, dub. 3; p. 92. — [2] Quod dicitur de homine lapso, affirmandum etiam est de homine in statu naturæ puræ. Unum vidi *Bonæspei* qui contrarium doceat. Affirmat *Bonæspei:* « Homo in naturâ purâ, moraliter potuisset » longo tempore, quoad affectum et effectum, Deum super omnia amore natu- » rali diligere, absque gratiâ actuali internâ, supposito quod dæmon eum gra- » viter non tentasset. » Sed ipse statim addit: « Hæc resolutio mihi valde pro- » babilis est, licet nullius Scholasticorum, quem sciam. » *(De Grat., disp. 4, dub. 4, resol. 4; p. 89).*

166. — Prima sententia, quam plures antiquiores tenuerunt cum *Scoto* [1], *Gabriele* [2], docet: Hominem lapsum posse ad parvum tempus absque gratiâ, sed vi solius naturæ, amare Deum super omnia amore efficaci affectivo.

Ratio est, quia: « Ut Deus sine gratiâ possit affective amari super » omnia, satis est, ut tanquam proprium objectum proponi possit volun- » tati in ratione infiniti boni et cæteris præferendi, nec sint aliunde » impedimenta, quominus voluntas suum actum circa Deum ita pro- » positum eliciat: sed hoc fieri potest; nam 1° inter Deum ita rebus » cæteris præferendum, et voluntatem, est proportio objecti et potentiæ. » 2° Possent nullæ occurrere tentationes, nulla alia objecta, quæ volun- » tatem ultrò ad Deum anhelantem retardent. » *(Grandin, In q. 109, a. 4, sect. 2, concl. 2; p. 67)* [3].

167. — *Secunda*, communior et probabilior sententia docet cum S. Thoma *(q. 109, a. 3)*, hominem lapsum non posse absque speciali gratiæ auxilio Deum amare super omnia amore efficaci affectivo, nequidem ad breve tempus [4].

[1] In 3 S., D. 27, q. unica, a. 3; p. 104. Nonnulli tamen Scotistæ contendunt, Scotum hanc sententiam non docuisse; ad talem enim amorem requirit ipse auxilium generale. Sed per *auxilium generale* Scotum intellexisse gratiam præ- venientem volunt isti auctores. Ita *Did. Gonzalez*, In 2 S., Tr. 2, disp. 4, q. 5, p. 436; et *Faber Faventinus* citatus a Gaudentio Bontemps, *Palladium*, De Grat., q. 11; T. 4, p. 128. — [2] In 3 S., D. 27, a. 3, dub. 2; p. 279.

[3] Hanc sententiam sequuntur Scotistæ communiter; plures ex Soc. Jesu, sicut et plures alii. Ita: *Frassen*, Disp. 1, a. 2, q. 4, concl. 2; p. 117. *Panger*, Disp. 2, q. 4; p. 508. *Caspensis*, Disp. 1, sect. 5; p. 496. *De Montefortino*, Summa, In 1. 2, q. 109, a. 3; T. 3; p. 387. *Did. Gonzalez*, Disp. 4, q. 3, concl. 1; p. 423. *Dupasquier*, Disp. 3, q. 4; p. 98. *Barth. Durandus*, Q. 4; p. 169. *Molina*, Conc., q. 14, a. 13, disp. 14, membr. 3; p. 66. *Arriaga*, Disp. 39, sect. 5; p. 487. *Wirceburgenses*, Cap. 2, a. 4, quær. 1; p. 317. *Mazzella*, Disp. 2, a. 7, n. 418; p. 281. *Grandin*, In q. 109, a. 3, sect. 2; p. 66, *Gamachæus*, In q. 109, cap. 5, concl. 2; p. 351. *Bonæspei*, Disp. 4, dub. 2; p. 88. *Aguirre*, Disp. 120, sect. 3; p. 411. *Schmier*, Tr. 9, q. 5 et 6, p. 17. *Jungman*, De Grat., c. 1, a. 8, n. 146.

[4] Hanc S. Thomæ sententiam sequuntur omnes theologi Ord. Præd., si unum alterumve excipias. — Ex extraneis, eamdem sequuntur *Suarez*, L. 1, c. 29 et ss.; p. 526. *De Rhodes*, Q. 1, sect. 3; p. 471. *Bellarminus*, De Gr. et lib. arb., L. 6, c. 7; p. 692. *Tanner*, Q. 3, dub. 4, n. 109; col. 1216. *Valentia*, Disp. 8, q. 1, punct. 4; col. 915. *Oviedo*, Contr. 3, punct. 2; p. 669. *Gaudentius Bontemps*, Pall., De Grat., q. 11; T. 4, p. 130. *Salmant.*, Disp. 2, dub. 4, § 2; p. 210. *Philipp. a SS. Trin.*, Disp. 1, dub. 6; p. 443. *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 3, q. 7; p. 101. *Herinxs*, De Grat, disp. 2, q. 4, concl. 4; p. 393. *Scholliner*, Cap. 3, § 2, resol. 3; p. 129. *Petrus a S. Jos.*, Disp. 3, sect. 4; p. 126. *Puteobonelli*, Q. 1, a. 3, § 3; p. 348. *Maderni*, q. 2, a. 3; p. 368. *Tournely*, Q. 4, a. 3; p. 417,

Ratio est, quia ille amor, quo nos et omnia creata ad Deum referimus, ita ut omnibus spoliari malimus quam Deum offendere, est actus perfectissimus hominis sani et integri; unde non potest haberi vi solius naturæ ab homine læso et infirmo, qui « propter corruptionem » naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei », ut ait S. Thomas, *(q. 109, a. 3)*.

168. — NB. Si quæratur quodnam gratiæ auxilium sit necessarium ut homo Deum amore naturali super omnia possit diligere, respondetur: per se et ex naturâ rei sufficere auxilium gratuitum ordinis naturalis, quippe quod solum in statu naturæ puræ adfuisset, et tunc omninò sufficiens fuisset. Verùm, in statu naturæ lapsæ, propter elevationem scilicet hominis ad statum supernaturalem, requiritur tum gratia sanctificans, saltem collata in eodem instanti in quo elicitur actus istius amoris, tum gratia actualis entitative supernaturalis [1].

Cum enim homo lapsus supponatur esse in statu peccati mortalis, saltem originalis, ac proinde aversus a Deo ut fine tam naturali quam supernaturali, nequit se ad Deum perfecte convertere ut ad finem naturalem, et ab eo remanere aversus ut fine supernaturali. Quare, ut homo ad Deum se convertere possit ut finem naturalem, debet se etiam ad Deum ut finem supernaturalem per actum caritatis perfectæ convertere; sed cum actu perfectæ caritatis connexa semper est gratiæ sanctificantis infusio. Ut autem homo in mortali existens actum caritatis elicere valeat, necessariò prærequiritur in eo interior Spiritûs Sancti gratia illuminationis et inspirationis, quæ hominis facultates elevet, corroboret, atque ad talem actum producendum moveat.

169. — Quæritur VI. *Quodnam requiratur gratiæ auxilium ad totam legem naturalem servandam quoad substantiam?* [2]

Resp. Per se, et attentâ solâ ratione objecti, sufficit adjutorium gratuitum ordinis naturalis. Cum enim impletio totius legis ex motivo naturaliter honesto sit quid naturale, auxilium entitative naturale sufficeret; et si homo in statu naturæ puræ creatus fuisset, non alia ad legem servandam accepisset adjutoria.

Montanius, Q. 3, a. 2, § 5; p. 547. *Puteanus,* In q. 109, a. 3, dub. 2; p. 500. *Gibbon,* Disp. 32, dub. 2; p. 389. *Curiel,* In q. 109, a. 3, dub. ult.; p. 778. *Montesinus,* Disp. 27, q. 4, § 3; p. 711. *Petrocorenses,* L. 6, q. 5; p. 416. *Wenzl,* Contr. 1, q. 5; p. 35. *Pesantius,* In q. 109, a. 3, disp. 1; p. 427. *Sylvius,* In q. 109, a. 3, concl. 6; p. 641. *Satolli,* Q. 1, a. 3, concl. 2; p. 26. *Etc.*

[1] Cf. *Salmant.,* Disp. 2, dub. 2, n. 145; p. 216. - *Gibbon,* Disp. 32, dub. 2, n. 13; p. 391 — [2] Cf. *Gotti,* Q. 1, dub. 7, § 3; p. 60. - *Ysambert,* In q. 109, disp. 7, a. 7 ad 9. - *Curiel,* In q. 109, a. 4, dub. 2; p. 795.

Per accidens tamen, ratione scilicet elevationis in statum supernaturalem, in homine lapso requiritur gratia entitative supernaturalis, sicuti contra Pelagium ex Conciliorum et Patrum auctoritate constat.

In præsenti enim providentiâ ordo naturalis ad supernaturalem est ordinatus, et homo, utpote ad finem supernaturalem elevatus, illum finem per omnium mandatorum, etiam naturalium, observationem consequi debet. Quando igitur Deus homini auxiliatur ad mandata etiam naturalia servanda, ei auxiliatur juxta præsentem providentiam, in ordine scilicet ad finem supernaturalem. Cum autem media debeant fini proportionari, gratiæ auxiliantes in ordine ad finem supernaturalem necessariò entitative supernaturales esse debent.

Quæ auxilia supernaturalia sunt tum gratia sanctificans, tum gratiæ actuales. — Requiritur gratia sanctificans, non quidem ad quodlibet mandatum separatim consideratum, nec ad totam collectionem pro brevi tempore: ad hoc enim sufficit gratia actualis; sed ad totius legis impletionem pro tempore notabili. Ratio est, quia, ut infra dicetur *(n. 214)*, homo gratiâ habituali destitutus non potest diu manere quin in novum incidat peccatum, ac proinde quin aliquam legem transgrediatur.

Præter gratiam sanctificantem requiritur etiam gratia actualis; impotentia enim quæ viget in homine ad legem servandam, non solum procedit ex aversione mentis a Deo, sed etiam ex rebellione partis inferioris contra superiorem. Gratia sanctificans mentem Deo reconciliat; fomitem tamen peccati non exstinguit, nec impedit quominus passiones contra rationem rebellent. Quâ de causâ specialis etiam gratia actualis necessaria est, quâ voluntas roborata passionibus fortiter resistat, et legi indeclinabili fortitudine adhæreat.

§ 2. *De operibus salutaribus.*

170. — Opere salutari, ut nomen indicat, intelligitur opus quod in æternam hominis salutem, quæ in clarâ Dei visione consistit, quocumque modo ordinatur, sive ordinetur immediate et proxime, ut sunt opera de condigno vitæ æternæ meritoria; sive remote tantum, ut est præparatio etiam remota ad fidem et justificationem.

Dogma fidei est, contra Pelagianos, et Socinianos qui hac in re Pelagianorum errores renovarunt, nullum opus quod hominem ad salutem æternam quocumque modo conducat, solius naturæ viribus poni posse, sed absolute necessariam esse interiorem Spiritûs Sancti gratiam.

Propositio.

Ad omnes et singulos actus salutares homini necessaria est interior Spiritûs Sancti gratia [1].

171. — Prop. est *de fide*, ex Conciliorum definitionibus infra citandis.

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Multa ex S. Scripturis proferuntur testimonia, quibus omnimoda gratiæ necessitas ad salutariter operandum commendatur. Pauca seligimus.

Dixit Christus Dominus, (Joan. VI, 44): *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* « Ex quibus solis verbis pla» num fit, *ait S. Alphonsus*, neminem posse sine gratiâ internâ ullum » actum bonum in ordine ad vitam æternam perficere. » *(Hist. hær., P. 2, Conf. 5, n. 2; T. 2, p. 355).* Enimverò, operari in ordine ad vitam æternam, est venire ad Christum: si igitur nemo, nisi tractus fuerit a Patre, ad Christum potest venire, nemo etiam, nisi tractus a Patre per gratiam, opus aliquod salutare ponere potest.

(Joan. XV, 5): *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere.* In quæ verba scribit *S. Augustinus:* « Ne quisquam putaret » saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, » cum dixisset, *hic fert fructum multum*, non ait, quia sine me parum » potestis facere; sed *nihil potestis facere.* Sive ergo parum, sive mul» tum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. » *(Tract. 81 in Joan., n. 3. M., 35, c. 1841).*

(I Cor. XII, 3): *Nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Porrò, quid facilius quam dicere: *Dominus Jesus!* Et tamen testatur Apostolus, neminem, nisi motus fuerit a Spiritu Sancto, illud dicere posse modo ad salutem conferente. Ne levissimum igitur opus salutare quisquam absque interiori gratiâ efficere potest.

(II Cor. III, 5): *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Sed minus est cogitare quam facere; præterea, prius est cogitare quam facere, cum nullus quidquam libere faciat nisi prius faciendum cogitaverit. Si igitur ex nobis non sufficientes sumus cogitare aliquid salutare, ergo a fortiori a nobis non sufficientes sumus ad faciendum. Omnis igitur

[1] Cf. *S. Alph.*, Hist. hær., P. 2, Confut. 5, § 1; T. 2, p. 355. - *Mazzella*, Disp. 2, a. 1; p. 165.

nostra sufficientia ad quodcumque opus salutare ex Deo est per donum gratiæ.

(I Cor. IV, 7): *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Si verò homo propriis viribus opera salutaria efficere et salutem consequi posset, ipse se ab aliis discerneret; ipse a se et non ex Dei dono bonum maximum haberet; ipse recte in se et de se gloriari posset. Et tamen dicit Apostolus, (Eph. II, 8, 9): *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

172. — Prob. II. **Ex Ecclesiæ definitionibus.** Legimus in Tridentino, *Sess. VI, can. 2:* « Si quis dixerit, ad hoc solum divinam » gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac » vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine » gratiâ utrumque, sed ægre tamen et difficulter possit, A. S. » — Et *can. 3:* « Si quis dixerit, sine prævenientе Spiritus Sancti inspiratione, » atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœni- » tere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, A. S. »

In Conc. Milevitano II, *can. 5*, et in Africano, *can. 8°*, definitur: « Placuit, ut quicumque dixerit, ideò nobis gratiam justificationis » dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius pos- » simus implere per gratiam, tanquam etiamsi gratia non daretur, » non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illâ implere divina » mandata, A. S. » *(Labbe, T. 2, col. 1529 et 1664).*

In Conc. Arausicano II, *can. 7:* « Si quis per naturæ vigorem bo- » num aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut » expedit, aut eligere, sive salutari, id est evangelicæ prædicationi » consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spi- » ritus Sancti... hæretico fallitur spiritu. » *(Cf. etiam can. 8, 9, 14, 16. Labbe, T. 4, col. 1668).*

173. — Prob. III. **Ex Traditione.** Quanto conamine S. Augustinus, S. Prosper, atque S. Fulgentius contra Pelagianos et Semipelagianos gratiæ necessitatem ad quævis opera salutaria defenderint, neminem latet. Cum verò non pauci ex Socinianis et rationalistis S. Augustinum tanquam hujus doctrinæ auctorem effutiant, eorum tantum Patrum, qui ante S. Augustini tempora scripserunt, testimonia afferemus [1].

Scribit *S. Justinus:* « Christo non philosophi solum et litterati ho- » mines credidere, sed operarii etiam et omninò imperiti, qui et glo-

[1] Cf. *Maffei,* Historia de divinâ gratiâ, L. 4, 5, 6 et 8; p. 49 et ss.

» riam et metum et mortem contempserunt; quandoquidem hæc virtus » inenarrabilis Patris efficit, non humanæ rationis instrumenta. » *(Apol. 2, n. 10. M. 6, c. 462).*

S. Irenæus: « Dominus pollicitus est mittere se Paracletum, qui nos » aptaret Deo. Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest » sine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in » Christo Jesu poteramus sine aquâ, quæ de cœlo est. Et sicut arida » terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic et nos, lignum » aridum existentes primum, nunquam fructificaremus vitam sine su- » pernâ voluntariâ pluviâ. » *(Adv. hær., L. 3, c. 17, n. 2. M., 7, c. 930).*

Clemens Alex.: « Oportet mentem habere sanam, et quæ nullâ re- » tardetur pœnitentiâ a pulchri venatione, ad quod quidem maxime » divinâ opus habemus gratiâ, rectâque doctrinâ, castâque et mundâ » animi affectione, et Patris ad ipsum attractione. » *(Strom., L. 5, c. 1. M., 9, c. 18).*

S. Cyprianus: « Dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in* » *terrâ*, non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus » quod Deus vult... Oramus et petimus ut fiat in nobis voluntas Dei; » quæ ut fiat, in nobis opus est Dei voluntate, id est, ope ejus et » protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentiâ » et misericordiâ tutus est. » *(De Orat. Dominica, n. 14. M., 4, c. 528).*

S. Hilarius: « Ad quorum (mandatorum) custodiam nisi a Deo » dirigamur, infirmi per naturam nostram erimus. Adjuvandi igitur » per gratiam ejus dirigendique sumus... Tamen est semper orandum, » ut in his quæ in custodiendis justificationibus suis custodire volu- » mus, faveat. » *(In Ps. 118, Litt. 1, n. 12 et 15. M., 9, c. 509).*

S. Basilius in Ps. 33, docet quod « non in potentiâ hominis neque » in sapientiâ, sed in Dei gratiâ salus est. » *(M. 29, c. 354).*

S. Gregorius Nyss.: « Non aliter pravam corruptionis potestatem » exuere atque effugere possumus, nisi vivifica virtus invicem in nobis » imperium susceperit... Ut quis peccatum invalescens effugiat, Deum » in auxilium vocet. » *(De Orat. Dom., Or. 3. M., 44, c. 1155).*

Similia docent S. Gregorius Naz., S. Ephrem, S. Joan. Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, et magis adhuc explicite alii Patres, qui post exortam Pelagii hæresim scripserunt.

174. — Prob. IV. **Ex precibus liturgicis.** Cum legem credendi statuat lex orandi, propositio nostra ex precibus Ecclesiæ apprime corroboratur. Orat Ecclesia: « Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, etc. » *(Domin. 3ª post Pentec.)* — « Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi a

fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur, etc. » (*Domin. 12ª post Pentec.*) — « Dirigat corda nostra, quæsumus, Domine, tuæ miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus. » *(Domin. 18ª post Pentec.).*

175. — Prob. V. **Ex Ratione.** — 1° *Ex ratione finis:* « Media, *inquit* » *S. Alphonsus,* fini consentanea esse oportet. Hæc autem nostra est » æterna salus, ut Deo facie ad faciem fruamur, qui finis profecto super- » naturalis est ordinis. Quapropter media quoque, quibus ad eum finem » ducimur, supernaturalis ordinis esse debent. Quidquid verò ad sa- » lutem nos conducit, illius salutis est medium: quo fit, ut solius na- » turæ vires, nisi gratiâ elevatæ, satis valere nequeant ad ullum » actum in ordine ad salutem æternam perficiendum: quandoquidem » natura illud, quod supra naturam est, (cujusmodi est actus super- » naturalis ordinis) ex se ipsâ perficere non potest. » *(Hist. hær., P. 2, Conf. 5, n. 4; T. 2, p. 356).*

2° *Ratione causæ primæ.* Deus est causa prima omnium, et auctor totius boni quod est in homine, ita ut quidquid sit in homine, sive in ordine naturæ, sive in ordine gratiæ, procedat a Deo et in ipsum referatur, teste Apostolo (Rom. II, 36): *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula.*

Sed in ordine naturali, Deus est omnium nostrarum actionum causa prima, quia naturalem virtutem agendi elargitur, conservat, et ad actum movet. Ergo ut sit causa prima nostrarum actionum supernaturalium, debet etiam virtutem supernaturaliter agendi influere, voluntatemque ad operandum movere: quod fit per gratiam.

Apposite *S. Augustinus:* « Fecisti ut essem, *inquit,* et non tu fecisti » ut bonus essem? Dedisti mihi ut sim, et potuit mihi alius dare ut » bonus sim? Si tu mihi dedisti ut sim, et alius mihi dedit ut bonus » sim: melior est ille qui mihi dedit ut bonus sim, quam ille qui » dedit mihi ut sim. Porro, quia te nemo melior, nemo te potentior, » nemo te in misericordiâ largior; a quo accepi ut essem, ab illo » accepi ut bonus essem. » *(In Ps. 58, Serm. 2, n. 11. M., 36, c. 713).*

QUÆSITA.

176. — Quæritur I. *Quænam est hominis impotentia ad opera salutaria.*

Resp. Hominis impotentia ad actus salutares est impotentia *physica,* et non tantum moralis; consistit enim in improportione virium naturalium ad actus entitative supernaturales, quales sunt actus salu-

tares; proinde, voluntas per se est physice impotens in ratione principii relate ad hujusmodi actus; non secus, v. gr., ac oculus corporeus est physice impotens ad videndum spiritum. Quâ de causâ necessarium est ut gratia facultates hominis elevet, eis vires addat, easque perficiat, ut physice potentes reddantur in ordine ad actum salutarem ponendum. *(Cf. n. 51 et ss.).* — Eamdem ob rationem etiam necessarium est gratiam, ad actus salutares requisitam, esse entitative supernaturalem, et non sufficere auxilium supernaturale tantum quoad modum. Auxilium enim supernaturale quoad modum tantum, cum sit aliquid entitative naturale, neque voluntati potest vires supernaturales tribuere, neque eam in ratione principii in ordine ad actus supernaturales perficere.

177. — Quæritur II. *An in homine justo, præter gratiam habitualem, requiratur etiam gratia actualis ad omnes et singulos actus salutares* [1].

Resp. Ratio dubitandi est, quia in homine justo facultates per habitus infusos sunt jam elevatæ et roboratæ, et physice potentes ad actus supernaturales eliciendos; proinde videtur posse hominem justum eos habitus absque alio prævio gratiæ auxilio in actum reducere. Hâc ratione moti docuerunt quidam theologi, ut videre est apud Ripalda *(loc. cit., n. 15)*, et apud Montoya *(loc. cit., sect. 10; p. 462)*, in justis gratiam excitantem ad quoslibet actus salutares non esse necessariam.

Communissima tamen theologorum sententia docet cum S. Thoma *(q. 109, a. 2 et 9)*, etiam justos ad omnes et singulos actus salutares indigere gratiâ actuali tum excitante tum adjuvante.

Quæ sententia SS. Scripturis, Conciliorum dictis, et Patrum testimoniis ita est conformis, ut nullus absque temeritatis notâ ab eâ recedere posse videatur.

Probatur igitur hæc sententia:

178. — I. Ex S. Scriptura. Legimus (Phil. II, 13): *Deus est qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate.* Hæc verba hominibus jam justificatis dicta sunt, ut constat ex verbis immediate præcedentibus *(vers. 12)*; et tamen fatetur Apostolus Deum in ipsis operari velle et perficere, utique per suam gratiam. Non habuerunt igitur a se ut absque gratiâ bonum aut velle aut perficere possent.

[1] Cf. *Ruiz de Montoya*, De Provid., disp. 41, sect. 6 et ss.; p. 455. - *Ripalda*, De ente supernat., disp. 106, sect. 3; p. 444. - *Gotti*, Q. 1, dub. 12; p. 95. - *Muniessa*, Disp. 6, sect. 4 et 5; p. 128. - *Mazzella*, Disp. 2, a. 2, n. 256.

(Hebr. XIII, 20): *Deus autem pacis... aptet vos in omni bono ut faciatis ejus voluntatem; faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum.* His verbis Apostolus adprecatur justis divinum auxilium, quo, quod placitum est coram Deo, perficere valeant.

(I Petr. V, 10): *Deus autem omnis gratiæ... modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Si autem Deus eos justos perficere, confirmare, atque solidare debet, ergo ipsi non habent a se, absque actualis gratiæ auxilio, ut opera bona perficere aut in eis perdurare possint.

(Joan. XV, 4 et ss.): *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Sicut autem palmitibus non sufficit ut viti uniantur, sed indigent continuo influxu vitis ut fructum ferre possint, ita et justis non sufficit ut Christo per gratiam habitualem uniantur, sed insuper requiritur ut jugi influxu ad fructificandum moveantur.

179. — Prob. II. **Ex Ecclesiæ definitionibus.** Legimus in Tridentino, *Sess. VI, cap. 16:* « Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam » caput in membra, et tanquam vitis in palmites, *in ipsos justificatos* » jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper ante- » cedit, et comitatur, et subsequitur, et sine quâ nullo pacto Deo grata » et meritoria esse possent. » Hæc autem virtus, quam Christus influit in ipsos justificatos, est gratia actualis; quæ gratia eorum opera antecedit: ergo est *excitans;* ea comitatur: ergo est *adjuvans;* et sine eâ justorum opera nequeunt esse Deo grata et meritoria; ergo est omninò necessaria.

In Arausicano II, *can. 9:* « Divini est muneris, cum et recte cogi- » tamus, et pedes nostros a falsitate et injustitiâ continemus. Quoties » enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur ope- » ratur. » — Et *can. 25:* « Hoc salubriter profitemur et credimus, quod » in omni opere bono non nos incipimus, et postea per Dei miseri- » cordiam adjuvamur; sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis me- » ritis, et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacra- » mentum fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adju- » torio ea quæ sibi sunt placita implere possimus. » *(Labbe, T. 4, col. 1669).*

In Concilio Diospolitano definitur: « Gratiam Dei et adjutorium » etiam ad singulos actus dari. » *(Labbe, T. 4, col. 1530).*

180. — Prob. III. **Ex Traditione.** *Zozimus*, Rom. Pontifex, pelagianam hæresim condemnans, ait: « Quod tempus intervenit, quo ejus » non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitatio- » nibus, motibus, adjutor et protector orandus est. » *(In Epist. ad totius orbis Episc. M., 20, c. 693).*

S. Augustinus: « Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, » nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic et homo etiam » perfectissime justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitus adju- » vetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus non solum quod » peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus. » *(De Nat. et grat., c. 26. M., 44, c. 261).*

S. Cyrillus Alex.: « Neque ut a nequitiâ proficiscatur, neque verò » ut ad meliora perveniat, et quodammodo divertat, consequi poterit » quisquam. nisi Christo comite et duce. Itaque sanctis illis discipulis » dicebat: *Sine me nihil potestis facere.* » *(De Ador. in spir. et verit., L. 5, n. 165. M., 68, c. 395).*

S. Prosper: « Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus (Concilii » Africani), quorum constitutionem contra inimicos gratiæ totus mun- » dus amplexus est, veraci sermone dicamus, gratia Dei per Jesum » Christum Dominum, non solum ad cognoscendam verùm etiam ad » faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari: ita ut sine illâ » nihil veræ sanctæque pietatis cogitare, dicere, agere valeamus. » *(Resp. ad capit. Gallorum, cap. 8. M., 51, c. 164).*

Jamverò, ex allatis testimoniis constat, Concilia et Patres ad omnes et singulos actus salutares, nullo discrimine inducto inter homines justos et injustos, requirere gratiam actualem.

181. — Prob. IV. **Ex Ratione.** Gratia actualis est vel adjuvans vel excitans. Utramque autem in homine etiam justificato requiri, ratione manifeste constat.

1° *Quoad gratiam adjuvantem.* Nulla creatura, quantumvis perfecta, quidquam operari, potest nisi Deus cum eâ agente concurrat, atque unà cum eâ in effectum influat. Concursus autem divinus in ordine supernaturali est gratia adjuvans. Ergo in homine etiam justo requiritur gratia adjuvans, ut opus quoddam salutare efficere valeat.

2° *Quoad gratiam excitantem.* Homo, ut aliquid boni faciat, de bono faciendo prius cogitare debet. Jamverò, cogitatio salutaris nequit venire nec a rebus naturalibus: ordinatur enim ad actum entitative supernaturalem, ac proinde ipsa entitative supernaturalis esse debet; nec a gratiâ sanctificante aut ab habitibus infusis: hi enim ex sese non habent ut sint principia quæ sponte actus producant, sed

ipsi debent ab alio ad actum applicari. Nec ipse homo habet in suâ potestate, ut prima cogitatio salutaris sibi occurrat. Hanc ob causam necesse est intellectum gratiâ illustrationis prævenîri ut bonum cognoscat.

Præterea, ipsa voluntas, ut bonum salutare cognitum amplectatur, gratiâ inspirationis inclinari et moveri debet; quia « quantumcumque » natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest » in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo. » *(S. Th., q. 109, a. 1).*

Dicta confirmantur auctoritate S. Thomæ, qui, ad quæstionem: *Utrum ille qui jam consecutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum absque auxilio gratiæ*, respondet: « Homo ad recte viven- » dum dupliciter auxilio Dei indiget: uno quidem modo quantum ad » aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta sanc- » tur;... alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut a Deo movea- » tur ad agendum. Quantum igitur ad primum auxilii modum, homo » in gratiâ existens non indiget alio auxilio gratiæ, quasi aliquo ha- » bitu alio infuso. Indiget tamen auxilio gratiæ secundum alium mo- » dum, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum, et hoc propter » duo: primò quidem ratione generali, propter hoc quod nulla res » creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis » divinæ, etc. » *(Q. 109, a. 9).*

182. — Corollarium I [1]. Ex dictis intelligere licet quomodo opus salutare et meritorium sit simul totum nostrum et totum Dei; et ita totum nostrum, ut Deus tamen in omni opere bono primatum teneat.

Est totum Dei: quia sine Deo per gratiam voluntatem excitante, et excitatam adjuvante, in omnimodâ impossibilitate sumus ad aliquid faciendum: *sine me nihil potestis facere.* Quâ de causâ, quidquid habemus, hoc totum est Deo tribuendum, secundum illud, (Jac. I, 17): *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* « Restat, *ait S. Augustinus*, ut pro- » pterea recte dictum intelligatur, *Non volentis, neque currentis, sed* » *miserentis est Dei*, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bo- » nam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam. » *(Enchirid., c. 32. M., 40, c. 248).* Et *S. Prosper:* « Non est devotionis dedisse » prope totum (Deo), sed fraudis retinuisse vel minimum. » *(Contr. Collat., c. 21, n. 4. M., 51, c. 273).*

[1] Cf. *S. Bernard.*, De Grat. et lib. arb., cap. 14. M., 182, c. 1026. - *Gotti*, Q. 1, dub. 12, § 2, n. 10; p. 98. - *Mascarenhas*, De Auxil., Disp. 1, pars 3, n. 7; p. 43.

Est totum a nobis: quia nostrum est gratiæ vocanti libere consentire, et opus salutare ponere. *Abundantius illis omnibus laboravi,* ait Apostolus, *non ego autem, sed gratia Dei mecum.* (I Cor. XV, 10). Et ideò summâ cum fiduciâ dicit: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* — « Utrumque » (credere et facere), *ait S. August.,* nostrum est propter arbitrium » voluntatis, et utrumque tamen datum est per Spiritum fidei et cari- » tatis... Nostrum est enim credere et velle; illius autem, dare cre- » dentibus et volentibus facultatem bene operandi per Spiritum San- » ctum... Utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; et » utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. » *(De Prædest. Sanct., c. 3. M., 44, c. 965).*

« Bonum quod agimus, *ait etiam S. Gregorius M.,* et Dei est, et » nostrum: Dei per prævenientem gratiam, nostrum per obsequentem » liberam voluntatem. Si enim Dei non est, unde ei gratias in æter- » num agimus? Rursum, si nostrum non est, unde nobis retribui præmia » speramus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, scimus quod ejus » munere prævenimur; et rursum, quia non immeritò retributionem » quærimus, scimus quod obsequente libero arbitrio bona elegimus » quæ ageremus. » *(Moral., L. 33, c. 21, n. 40. M., 76, c. 699).*

Opus igitur salutare et totum Deo, et totum homini est tribuendum, non ex parte uni, et ex parte alteri. « Cavendum est, *ait S. Ber-* » *nardus,* ne cum hæc invisibiliter intra nos ac nobiscum actitari sen- » timus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est; aut Dei » necessitati, quæ nulla est; sed soli gratiæ, qua plenus est. Ipsa li- » berum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum im- » mutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat » defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum » illud in primo præveniat, in cæteris comitetur; ad hoc utique præ- » veniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod a solâ » gratiâ cœptum est, pariter ab utroque perficitur: ut mistim, non » singillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. » Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula » opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, et totum illa; sed ut » totum in illo, sic totum ex illâ. » *(De grat. et lib. arb., c. 14, n. 47. M., 182, c. 1026).*

Deo tamen in omni opere primatus est tribuendus, quia nisi Deus gratiâ suâ nos prævenisset, de bono exsequendo ne cogitassemus quidem. « Nobis Deo adjuvante sit studium, *ait S. Prosper,...* semper a » Deo petere ut in omnibus cogitationibus, in omnibus voluntatibus,

» in omnibus sermonibus atque actionibus nostris, ipse teneat prima-» tum, qui dixit se esse principium. » *(Contr. Collat., c. 22. M., 51, c. 274).*

183. — **Corollarium II** [1]. Ex dictis etiam colligere licet quomodo merita nostra sint dona Dei, juxta illud S. Augustini: « Ea quæ di-» cuntur merita nostra, dona sunt ejus. » *(De Trinit., L. 13, c. 10. M., 42, c. 1024);* et: « Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat » quam munera sua. » *(Epist. 194, n. 19. M., 33, c. 880).* — Et *S. Prosper:* « Tanta enim, *inquit*, est erga omnes homines bonitas Dei, ut » nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, et pro his quæ lar-» gitus est, æterna præmia sit donaturus. » *(Lib. de auctor. Episc., c. 9. M., 51, c. 210).*

Ratio est, quia præventrix gratia, quæ est radix omnis meriti, est gratuitum Dei donum, quod mereri non possumus; proinde, quidquid meremur, illud ex Dei dono habemus, quapropter « redditur quidem » meritis tuis corona sua, *ait S. August.*, sed Dei dona sunt merita » tua. » *(De Gestis Pelag., n. 55. M., 44, c. 341).* — Et *S. Bernardus:* « Deus, *inquit*, dona sua quæ dedit hominibus, in merita divisit et » præmia: ut et præsentia per liberam possessionem nostra interim » fierent merita, et futura per gratuitam sponsionem exspectaremus, imo » expeteremus ut debita. » *(De Grat. et lib. arb., c. 13. M., 182, c. 1024).*

Hanc propter rationem ipsa etiam vita æterna, licet sit *corona justitiæ, quam reddet justus judex*, vocatur etiam *gratia*, et donum Dei. « Sic in fine, *ait S. August.*, quo erit vita æterna, coronabit nos, » sicut scriptum est, *in miseratione et misericordia*, (Ps. 102, 4)..... » Unde et ipsa vita æterna, quæ utique in fine sine fine habebitur, » et ideò meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita » quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, » sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non » ob aliud quia gratis datur; nec ideò quia non meritis datur, sed » quia data sunt et ipsa merita quibus datur. » *(Epist. 194, n. 19. M., 33, c. 880).*

§ 3. *De Oratione.*

184. — Oratio est: *Desiderii coram Deo explicatio, ad aliquid impetrandum ab eo.* (Polm.).

Oratio considerari potest vel quatenus est opus bonum, ac proinde meritorium; vel quatenus est simplex petitio, innitens misericordiâ

[1] Cf. *S. Bernard.*, De Grat. et lib. arb., c. 13. M., 182, c. 1024.

ejus, a quo aliquid imploratur. In præsenti paragrapho de oratione, quatenus est petitio, unice agitur.

Oratio, si procedit ex motivo mere naturali, ut petantur a Deo bona mere naturalia, aut auxilia ad exsequendum bonum morale quatenus est rectæ rationi conforme, est oratio naturalis, ad salutem nihil conferens: de quâ oratione non curant Concilia et Patres, qui contra Semipelagianos scripserunt.

Orationem istam naturalem esse in hominis potestate absque ullo gratiæ auxilio, omnes confitentur: potest enim homo suam insufficientiam ad faciendum bonum, quod præscribit recta ratio naturalis, naturaliter cognoscere, et a Deo vires ad illud exsequendum efflagitare [1].

Verùm, ut oratio sit salutaris, id est, ut valeat ad petendum a Deo aliquod bonum quod ad salutem ordinetur, sicuti est, v. gr., fides supernaturalis, aut justificatio, absolute necessarium est ipsam ex auxilio gratiæ procedere; ita ut homo, gratiâ supernaturali non præventus, sit in absolutâ impossibilitate petendi a Deo donum quoddam salutare. Et in hoc præcise erraverunt Semipelagiani autumantes, hominem posse a semetipso desiderium fidei et salutis habere, et propter hoc desiderium posse etiam ex viribus propriis absque gratiâ a Deo fidem et alia dona ad salutem conferentia efflagitare.

Propositio.

Oratio, ut vim habeat impetrandi auxilia ad salutem conferentia, debet a supernaturalis gratiæ auxilio procedere [2].

185. — Prop. est *de fide*, ex Arausicano II, *can. 3:* « Si quis ad » invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem » ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ pro» phetæ vel Apostolo idem dicenti: *Inventus sum a non quærentibus* » *me: palam apparui his, qui me non interrogabant.* » — Et *can. 6:* « Si quis sine gratiâ Dei credentibus, volentibus,... petentibus, quæ» rentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus; » non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere » valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis » fieri confitetur,... resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non* » *accepisti.* » *(Labbe, T. 4, col. 1667).*

[1] Cf. *Montoya,* De Provid., Disp. 23, sect. 6, n. 14; p. 291. — [2] Cf. *S. Alph.* Confut. 6, § 2, n. 8. T. 2, p. 363. - *Montoya,* Disp. 24, sect. 1; p. 292.

PROB. I. **Ex S. Scriptura et Traditione.** — 1° Legimus, (Rom. VIII, 26): *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* In quæ verba scribit *S. Augustinus:* « Quid est autem, *inter-*» *pellat*, nisi, interpellare nos facit?... Ita dictum est, *interpellat*, quia » interpellare nos facit, nobisque interpellandi et gemendi inspirat » affectum. » *(Epist. 194, n. 16. M., 33, c. 880).*

2° (Gal. IV, 6): *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* « Id est, *ait S. August.*, » nos clamare facientem. De ipso quippe Spiritu, alio loco dicit: *Acce-*» *pimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* » (Rom. VIII, 15). Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, qui » efficit ut clamemus. Si ergo clamantem Spiritum recte dixit Scriptura, » a quo efficitur ut clamemus; recte etiam volentem Deum a quo effi-» citur ut velimus. » *(De corrept. et grat., c. 15. M., 44, c. 945).*

3° (I Cor. XII, 3): *Nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* « Attendant ergo, *inquit S. August.*, quomodo falluntur, » qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pul-» semus,... nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut » oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus. Accepimus » enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. » Quod vidit et beatus Ambrosius. Ait enim: Et orare Deum gratiæ » spiritualis est, sicut scriptum est: *Nemo dicit, Dominus Jesus, nisi* » *in Spiritu Sancto.* » *(De dono persev., c. 23, n. 64. M., 45, c. 1032).*

4° Scribit *S. Fulgentius:* « Ex totâ voluntate petat, ut accipiat; » quærat, ut inveniat; pulset, ut aperietur ei: quod nullatenus faciet, » si voluntatem accipiendi, et inveniendi, et intrandi non habet. Nec » tamen in eo quod petens accipit, quærens invenit, pulsans ingre-» ditur, suis viribus assignet petendi, quærendi et pulsandi officium: » quia licet homo voluntarie petat, pulset et quærat, nunquam petens » accipere, quærens invenire, pulsans intrare poterit, nisi sanctam » prius voluntatem acceperit... Ut autem bonum illud summum atque » incommutabile homo petat, et quærat, præparatur a Domino voluntas » ac datur: quâ donatâ, initium petendi, quærendi, pulsandi, hoc ipsum » ex corde hominis Deo operante consurgit. » *(De verit. prædest., c. 16. M., 65, c. 641).*

S. Leo M.: « Non erit vacua confitentis oratio, quoniam misericors » Deus voluntatem timentium se faciet, et dabit quod petitur, qui » dedit, unde peteretur. » *(Serm. 6 de Epiphan., c. 4, M., 54, c. 256).*

Ipsa Ecclesia orat: « Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando » præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra *oratio* et ope- » ratio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. »

186. — Prob. II. **Ex Ratione.** — 1° Oratio salutaris ordinatur ad effectum entitative supernaturalem. Ergo et ipsa supernaturalis esse debet; ac proinde nequit absque gratiâ haberi.

2° Orationem præcedere debet et cogitatio de bono salutari, et ejus desiderium: nullus enim petit quod ignorat, aut quod non desiderat. Sed tum salutaris cogitatio, tum pium voluntatis desiderium non naturæ sed gratiæ sunt effectus.

3° Si oratio gratiam præcederet, et gratia hominibus propter orationem ex propriis viribus factam concederetur, gratia jam non foret gratia, quia non esset gratis data, sed merito orationis retributa. Et sic homo, qui gratiam accipit, se ab aliis qui non recipiunt, discerneret, quod est contra illud Apostoli: *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* (I Cor., IV, 7).

187. — **Corollarium.** Ex dictis iterum et manifeste quidem apparet, quomodo in negotio nostræ salutis, etsi nos debeamus salutem operari, et satagere ut per bona opera certam nostram vocationem faciamus, totum sit tamen Deo tribuendum, ut qui gloriam habet, non in se sed in Domino glorietur, a quo accepit et ipsa bona opera, et ipsam orationem, quâ Dei auxilium et protectionem efflagitet.

CAPUT III.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD RESISTENDUM TENTATIONIBUS ET AD NON PECCANDUM.

188. — In his quæ præcesserunt, vidimus quid boni ex propriis viribus homo possit aut non possit facere, et quænam sint opera, ad quæ requiritur gratiæ adjutorium. Opera autem consideravimus secundum eorum naturam atque intrinsecam difficultatem, quam ex se et ex naturâ suâ adjunctam habent.

At plerumque accidit ut, præter innatam difficultatem et arduitatem, opera moralia adjunctam etiam habeant difficultatem ab extrinseco advenientem, ob tentationes scilicet quæ, quando bonum est faciendum, persæpe occurrunt, et hominem a bono avertunt, et alliciunt ad peccatum; imò sæpe sæpius, quando nulla lex urget de bono

faciendo, tentationibus lacessitur homo, quibus ad malum perpetrandum impellitur.

Proinde, quo perfectius tum liberi arbitrii vires, tum gratiæ necessitas innotescant, investigandum etiam est quid contra tentationes et peccata possit homo propriis viribus, et ad quid Salvatoris gratiâ indigeat.

Agemus igitur in ART. I, de victoriâ tentationum; et in ART. II, de fugâ peccatorum.

ARTICULUS I.

DE VICTORIA TENTATIONUM.

189. — Tentare, generice sumptum, nihil est aliud quam experimentum sumere de aliquo, ut notat S. Thomas, *P. 1, q. 114, a. 2.* Quo sensu etiam Deus homines tentare dicitur, ut scilicet vel eorum virtus aliis manifestetur, vel ut ipsi in bono promoveantur. Sic legitur, (Deut. XIII, 3): *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non.* Et, (Gen. XXII, 1): *Tentavit Deus Abraham.* « Non » ad hoc Deus tentavit Abraham, *ait S. Th.*, ut fidei ejus cognitionem » acciperet, quam prius sciebat; sed ut aliis manifesta esset in exem»plum. » *(2 Sent., D. 21, q. 1, a. 1).*

Si eo fine aliquis de alio experimentum sumit, ut eum ad malum inducat, est tentatio proprie et rigorose dicta, quâ tentatione Deus neminem unquam tentat, secundum illud, (Jac. I, 13): *Nemo, quum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* — « Diabolus autem semper tentat ut » noceat in peccatum præcipitando, et secundum hoc dicitur proprium » officium ejus tentare. » *(S. Th., P. 1, q. 114, a. 2).* De hac tentatione unice agitur in præsenti articulo.

190. — Tentatio igitur absolute et stricte sumpta, prout ordinarie intelligitur, est *Sollicitatio ad malum*, sive ad malum omissionis, sive ad malum commissionis, prout hominem vel a bono præscripto retrahit, vel ad actum prohibitum impellit.

Tentatio ex triplici fonte originem trahere potest. Potest enim homo ad malum sollicitari, vel propriâ suâ concupiscentiâ, secundum illud, (Jac. I, 14). *Unusquisque tentatur a concupiscentiâ suâ abstractus et illectus;* vel a diabolo, qui antonomastice vocatur tentator: *Accedens tentator*, (Matth. IV, 3); vel a mundo, a pravis scilicet hominibus, qui alios verbo et exemplo ad illicita trahunt.

191. — Tentationes suos gradus habent: aliæ sunt leves, graves aliæ. Quæ differentia non sumitur ex parte objecti, quia scilicet una ad peccatum grave, alia verò ad leve impellit; sæpius enim contingit aliquem graviter tentari circa rem sub levi vetitam, aut leviter circa rem graviter peccaminosam; sic, v. gr., aliquis graviter tentari potest ad furandum objectum exigui pretii, aut leviter ad occidendum inimicum.

Desumitur verò differentia ex modo, quo ad malum sollicitant. *Leves* censentur tentationes, quæ nec vehementer pungunt, nec diu durant; *graves* censentur quæ, etsi leviter pungunt, diu tamen durant; aut quæ, etsi ad punctum tantum temporis durant, vehementer tamen ad illicita impellunt. Attamen, nulla statui potest regula absoluta ad dijudicandum a priori quæ levis sit, quæve gravis tentatio: gradus enim tentationis ab hominis indole, conditionibus, etc., permultum dependet; et quæ gravis est uni, alteri potest esse levis.

192. — Ex triplici motivo tentatio aliqua vinci potest, scilicet: *ex motivo supernaturali*, puta ex caritate: quæ victoria est vera et perfecta victoria, cum proficiat ad salutem; *ex motivo malo*, ut si quis tentationem gulæ vincat ex avaritia: quæ victoria nequit proprie dici victoria, cum homo unam tentationem sic superet, ut alteri fortiori consentiat; *ex motivo naturaliter honesto*, ut si quis tentationem iræ superet propter fœditatem iræ, aut propter pulchritudinem virtutis oppositæ: quæ victoria, etsi sit vera, non est tamen perfecta victoria, cum ad salutem sit infructuosa.

Demum, tentatio potest esse tam contra præcepta supernaturalia, puta contra fidem, spem, caritatem, etc., quam contra præcepta naturalia, qualia sunt decem decalogi præcepta.

193. — Nullam requiri gratiam ad vincendam tentationem ex motivo pravo, per se manifestum est: gratia enim ad malum finem nec requiritur, nec concurrere potest. — Gratiam requiri ad vincendam tentationem contra præcepta supernaturalia aut contra præcepta naturalia ex motivo supernaturali, per se etiam conspicuum est: hujusmodi enim victoria, cum sit actus salutaris, absque auxiliante gratiâ reportari nequit, sicut ex supradictis patet.

In præsenti igitur disputatione quæstio unice movetur de victoriâ tentationum contra præcepta naturalia ex motivo mere naturali, ac proinde ad salutem infructuosâ; et inquiritur utrum homo lapsus possit ex propriis suæ naturæ viribus absque auxilio gratiæ hujuscemodi tentationes vincere.

194. — Pelagiani, sicuti homini naturalem tribuerunt facultatem servandi absque gratiâ omnia præcepta modo ad salutem conferente, ita eidem potestatem naturalem tribuerunt superandi absque gratiæ auxilio omnes et singulas tentationes etiam collective sumptas, et quidem victoriâ perfectâ ad salutem proficuâ. Cum autem horum asserta ex dictis in superiori capite jam refutata maneant, de eis non amplius est curandum.

195. — Ad doctores catholicos quod attinet, plures adsunt inter eos sententiæ.

Prima docet hominem ex solius naturæ viribus, absque interioris gratiæ auxilio, nullam tentationem quantumvis levem, vincere posse. Hanc tenent quotquot docent hominem absque gratiâ nullum actum moraliter bonum elicere posse; *(cf. n. 133)*. Pro quâ sententiâ citatur in primis *Vasquez* [1] cum *Muniessa* [2].

Secunda docet, ad vincendam levem quamdam tentationem non requiri quidem interioris gratiæ auxilium, necessariam tamen esse gratiam externæ Dei protectionis, quâ impeditur ne levis tentatio transeat in gravem vel acquirendo majorem intensionem, vel diutius durando quam humana sustinere possit fragilitas. Hanc tenent *Gibbon* [3], *Bellarminus* [4], *Montesinus* [5], *Philippus a SS. Trinitate* [6], etc.

Tertia docet hominem posse ex solius naturæ viribus quamlibet gravem tentationem divisive sumptam vincere, non tamen omnes collective. Hanc tenet *Ruardus* [7] cum *Grandi* [8]. Pro quâ sententiâ etiam citari solent [9] *Conradus* [10], *Scotus* [11], *Durandus* [12], *Molina* [13]; an autem isti auctores prædictæ sententiæ vere subscribant, dubium est [14].

Proxime ad hanc sententiam accedit *Did. Gonzalez*. Docet: « Ho» minem lapsum cum solâ gratiâ protectionis externæ posse viribus » naturæ potentiâ efficaci seu reducendâ ad actum, implere totam » legem naturalem, et omnes tentationes contra ipsam vincere [15] ».

Quarta demum, communior et tenenda sententia docet, hominem lapsum absque ullo auxilio sive internæ gratiæ, sive externæ protectionis, sed ex solius naturæ viribus cum solo concursu Dei generali,

[1] Disp. 189, præsertim c. 16 et 17; p. 457. — [2] Disp. 9, sect. 2, n. 20; p. 181. — [3] Disp. 31, dub. 3, n. 9; p. 377. — [4] De Grat. et lib. arb., L. 5, c. 7; p. 600. — [5] Disp. 27, q. 5, § 2, concl. 3; p. 698. — [6] Disp. 1, dub. 5; p. 441. — [7] In art. 7, cont. Lutherum. — [8] In q. 109, a. 8, dub. 2; p. 380. — [9] Cf. *Gibbon*, Disp. 31, dub. 4; p. 381. - *Maderni*, Q. 4, a. 5; p. 374. — [10] In q. 109, a. 4; p. 906. — [11] In 2 Sent., D. 28, q. 1; p. 86. — [12] In 2 Sent., D. 28, q. 3; p. 136. — [13] Concord., q. 14, a. 13, disp. 19, membr. 6; p. 109. — [14] Cf. *Oviedo*, Contr. 4, punct. 2; p. 680. — [15] Theol. scot., 2 Sent., Tr. 2, disp. 4, q. 2, concl. 3; p. 418.

vincere posse leviores quasdam tentationes; ad victoriam tamen cujuslibet gravis tentationis requiri internum gratiæ auxilium [1]. Sint igitur sequentes propositiones.

Propositio I.

Potest homo lapsus absque gratiæ auxilio, ex solius naturæ viribus aliquas leviores tentationes vincere.

196. — Sententia *communis* et *certa*, ex condemnatione baianæ prop. 30ª.

Prob. I. **Ex auctoritate Pii V**, qui proscripsit propositionem 30ª Baii, scilicet: « Omnes sunt fures et latrones qui dicunt tentationi ulli, » sine gratiæ Christi adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam » non inducatur, aut ab eâ non superetur. » *(Denz., n. 910).*

197. — Prob. II. **Ex Traditione.** Scribit *S. Augustinus:* « Unde fit » ut homo ab ineunte pueritiâ modestior, ingeniosior, temperantior, » ex magnâ parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam » detestetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque consurgat, » et tamen eo loco sit, ubi ei prædicari gratia christiana non possit?... » Ille utique melius ante hoc mortale corpus vixisse credendus est, » qui eo non multum meruit prægravari, ut et bonum haberet inge- » nium, et concupiscentiis ejus mitioribus urgeretur, quas posset facile » superare: et tamen eam gratiam sibi prædicari non meruit, quâ » solâ posset a secundæ mortis pernicie liberari. » *(De peccat. merit., c. 22. M., 44, c. 126).* His autem verbis indicat S. Doctor, aliquos ex naturali indole et perfectione naturæ esse modestos, temperatos, libidinum victores, qui possunt mitiores quasdam concupiscentias facile reprimere. — Et *(L. 1, ad Simplic., q. 2; M. 36, c. 127)*, docet: Ante electionem ad gratiam salutarem nihil in nobis præcedere nisi majus ingenium, vel minora peccata, vel honestas disciplinas, propter hæc

[1] Cf. *S. Bonaventura*, In 2 Sent., D. 28, a. 2, q. 2; p. 684. - *Suarez*, De Aux., L. 1, c. 23 et 24. - *Ysambertus*, In q. 109, disp. 5; p. 319. - *Salmant.*, Disp. 2, dub. 8; p. 283. - *Gotti*, Q. 1, dub. 8; p. 68. - *Arriaga*, Disp. 40; p. 489. - *Tournely*, P. 2, art. 4, concl. 3; p. 429. - *Bolivar*, Dub. 9 et 10; p. 210. - *Panger*, Disp. 2, q. 6; p. 515. - *Paulus a Concept.*, Disp. 1, dub. 6; p. 127. - *Bonæspei*, Disp. 4, dub. 6; p. 92. - *Alvarez*, De Auxil., Disp. 54, n. 14 et ss.; p. 383. - *Maderni*, Q. 2, a. 4 et 5; p. 371. - *Serra*, In q. 109, a. 8, dub. 1; p. 291. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 3, q. 4 et 5; p. 79. - *Frassen*, Disp. 1, a. 3, q. 1; p. 129. - *Joan. a S. Th.*, Disp. 19, a. 3; p. 737. - *Oviedo*, Contr. 4, punct. 1 et 2; p. 674. - *Grandin*, In q. 109, a. 4, sect. 2; p. 75.

tamen neminem eligi. Ergo supponit S. Doctor, nos ante gratiam, per solas vires naturales, minora peccata habere posse, et consequenter etiam aliquibus tentationibus saltem levioribus absque gratiâ resistere posse.

S. Hieronymus, agens contra Pelagianos qui contendebant hominem lapsum posse a semetipso bonum exsequi et malum vitare, ait: « Hoc et nos dicimus, posse hominem non peccare, si velit, pro tem» pore, pro loco, pro imbecillitate corporeâ, quamdiu intentus est ani» mus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara. Quod si pau» lulum se remiserit humana conditio, discit fragilitatem suam, et » multa se non posse cognoscit. » *(Adv. Pelag., L. 3, n. 4. M., 23, c. 573).* His autem verbis agnoscit S. Doctor hominem, dum in tentationibus versatur, posse saltem aliquas leviores vitare.

198. — Prob. III. **Ex Ratione.** 1° Tantæ erant in statu naturæ integræ vires liberi arbitrii, ut omnem tentationem contra legem naturalem ex nativis naturæ viribus superare potuisset: « Secundum » statum naturæ integræ etiam sine gratiâ habituali, *ait S. Thomas*, » poterat homo non peccare nec mortaliter nec venialiter; quia pec» care nihil est aliud quam recedere ab eo quod est secundum natu» ram: quod vitare homo poterat in statu naturæ integræ. » *(Q. 109, a. 8).* Si autem poterat non peccare, ergo poterat omnes tentationes superare. Atqui primi hominis prævaricatione liberum arbitrium est quidem attenuatum et infirmatum, non autem amissum et exstinctum, prout definivit Tridentinum, *Sess. VI, can. 5.* Concedendum igitur est idem arbitrium in statu naturæ lapsæ viribus suis aliquas tentationes, non quidem vehementiores, sed leviores superare posse; alioquin non solum attenuatum, sed penitus exstinctum dici deberet.

2° Homo lapsus, ut supra vidimus *(n. 147)*, absque gratiâ potest opera quædam leviora moraliter bona ponere. Ergo potest etiam absque gratiâ leviores quasdam tentationes vincere.

Prob. conseq.: a) Victoria levioris tentationis computatur inter res faciles, præsertim quando nefarium aliquid, quod abhorret ipsa natura, suggerit, ut est, v. gr., levis tentatio suicidii in homine naturaliter forti, aut furti in homine naturaliter probo. Quo in casu homo, utpote liber, potest imperio voluntatis vel intellectum ab objecti vetiti consideratione avertere et ad alia divertere, ita ut tentatio non amplius urgeat; vel tentationi positive resistere ex motivo virtutis oppositæ, aut alicujus alius finis honesti.

b) Præterea, rarò aut fere nunquam occurrit bonum quoddam faciendum, quin etiam ex opposito occurrat levis quædam tentatio ab

eo avertens; quin scilicet occurrat cogitatio deprehendens in illo bono aliquam rationem mali, aut incommodi, aut difficultatis. Si igitur natura lapsa ne levem quidem superare posset tentationem, bonum ullum fere nunquam posset exsequi.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

199. — Objicitur I. Speciali Dei protectioni tribuendum est, quod leves tentationes non fiant graves; nisi enim Deus dæmonis potentiam cohiberet, diabolus nos instantius tentaret, quam de facto tentat. Ergo ad victoriam levis tentationis adesse debet saltem gratia externæ Dei protectionis.

Resp. Speciali utique Dei protectioni adscribendum est quod multæ tentationes leves non transeant in graves, et quod diabolus nos non vehementius tentet, quam de facto tentat. Quâ de causâ semper orandus est Deus, ut nos ubique protegat, et nos a dæmonis impugnationibus præservet.

Negamus tamen specialem Dei protectionem semper requiri, ne levis tentatio transeat in gravem. Etenim, ipse diabolus quosdam quandoque ex industriâ levius tentat, quo facilius postea rediens incautos evertat, sicut animadvertit S. Gregorius, *(Mor., L. 3, c. 16)*.

Præterea, non omnis tentatio suscitatur directe a diabolo; sed quilibet et a mundo et a propriâ concupiscentiâ ad malum sollicitari potest; quæ tentationes ita possunt quandoque esse leves, ut nullum adsit periculum ne fiant graves, etiam absente speciali Dei protectione.

200. — Objicitur II. Christus Dominus Apostolos alloquens, dixit, (Matth. XXVI, 41): *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.* Et in oratione dominicâ docuit nos orare: *Et ne nos inducas in tentationem.* In his autem Dominus loquitur generatim de omni tentatione. Cum igitur oratio sit clarissima gratiæ testificatio, ut ait S. Augustinus, edocemur his verbis gratiam ad cujuslibet tentationis victoriam requiri.

Resp. 1° Christus, admonens Apostolos ut vigilarent et orarent, ne intrarent in tentationem, (Matth. XXVI, 41), locutus est eis de tentatione, cui nocte passionis suæ obnoxii erant; de quâ ipsos antea jam monuerat, (Matth. XXVI, 31): *Omnes vos scandalum patiemini in me, in istâ nocte.* Quæ tentatio pro Apostolis non levis, sed gravissima fuit.

2° Ad orationem dominicam quod attinet, duplex de eâ petitione: *Et ne nos inducas in tentationem*, datur explicatio. *a)* Petimus ne in-

ducamur in tentationes graves, quibus succumberemus; vel si Deus graves permiserit tentationes, auxilium quo eas valeamus superare, efflagitamus. « In quâ sententiâ, *ait S. Augustinus*, satis ostendit non » id nobis orandum esse ut non tentemur, sed ne in tentationem indu- » camur. Inducimur enim, si tales acciderent, quales ferre non possu- » mus. » *(De serm. Domini in monte, n. 34. M., 34, c. 1284).* — Et: « Ut » autem non ei (concupiscentiæ) consentiamus, deprecamur adjutorium » dicentes: *Et ne nos inducas in tentationem.* Non quod ipse Deus tali » tentatione aliquem tentet,... sed ut si forte tentari cœperimus a con- » cupiscentiâ nostrâ, adjutorio ejus non deseramur, ut in eo possimus » vincere, ne abstrahamur illecti. » *(De peccat. mer., L. 2, c. 4. M., 44, c. 153).*

b) Petimus ut omnes tentationes tam graves quam leves vincere possimus victoriâ perfectâ ad salutem conferente, quæ victoria absque supernaturali gratiâ certe nequit obtineri. Male enim oraret ne induceretur in tentationem, qui illam victoriam ad proventum spiritualem non ordinaret.

201. — **NB.** Multa ab adversariis nostræ propositioni opponuntur testimonia ex Scripturis, Conciliis atque Patribus desumpta, quibus etiam nos probamus necessitatem gratiæ ad gravem tentationem superandam. His autem testimoniis cujuslibet tentationis victoria soli Deo adscribitur.

His verò sapienter respondet *Frassen* cum aliis nostræ sententiæ patronis:

« Respondeo primò, *inquit*, omnibus istis testimoniis ideo tenta- » tionum victoriam Deo adscribi, non quod levissima aliqua tentatio » viribus naturæ superari nequeat; sed quia universum tentationum » agmen sine speciali Dei illustratione et subsidio non possit superari.

» Respondeo secundò, Concilium et SS. Patres loqui de resistentiâ, » quæ fiat per victoriam provenientem ex affectu divini amoris, et » conducentem ad gloriam æternam assequendam: non verò de resi- » stentiâ morali, et naturali ad solam honestatem conducente.

» Respondeo tertiò, eos omnes textus intelligendos esse maxime de » tentationibus gravibus, ad quas vincendas et eliminandas necessariò » desiderari divinum auxilium ultrò fatemur. Vel si de levibus ten- » tationibus in eis sit sermo, patet equidem solis naturæ viribus re- » sisti non posse omnibus catervatim et collective sumptis, imò neque » alicui divisim ac particulatim jugiter resisti posse absque levi sal- » tem peccato, nisi divinum adsit auxilium. » *(Disp. 1, art. 3, q. 1; p. 136).*

Propositio II.

Non potest homo lapsus per solas vires naturales, absque auxilio gratiæ, ullam tentationem gravem, etiam divisive sumptam, vincere.

202. — Sententia *communis.*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus (Sap. VIII, 21): *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*, etc. His in verbis, ut supra jam innuimus *(n. 153)*, agitur de virtute continentiæ. Cum igitur fateatur Sapiens se ex solo Dei dono habere posse continentiam, manifeste declarat gravem tentationem contra castitatem sine Dei gratiâ non posse superari.

(I Corinth. X, 13): *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* — (II Corinth. I, 8): *Supra modum gravati sumus supra virtutem.* Quæ verba concilians *S. Thomas* in expositione ultimi, *lect. 3*, ait: « Respondeo dicendum, quod pati supra vir- » tutem potest intelligi dupliciter: vel supra virtutem naturalem, et » de hoc loquitur hìc, supra quam Deus aliquando permittit Sanctos » tentari; vel supra virtutem gratiæ, et de hac intelligitur illud, I ad » Cor. X: *Fidelis Deus*, etc. »

« Sine gratiâ quis umquam, *ait S. Alphonsus*, tentationes, graves » saltem, superare possit? Quid David dixerit, audiamus: *Impulsus » eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.* (Ps. CXVII, 13). » Salomon autem: *Et ut scivi*, inquit, *quoniam aliter non possem esse » continens* (id est, incontinentiæ motus domare), *nisi Deus det.* (Sap. » VIII, 21). Quocirca Apostolus, de tentationibus quibus lacessimur, » mentione habitâ: *Sed*, inquit, *in his omnibus superamus propter » Eum.* (Rom. VIII, 37). Et alio loco: *Deo autem gratias, qui semper » triumphat nos in Christo Jesu.* (II Cor. II, 14). S. Paulus ergo pro » tentationum victoriâ ideo grates Deo agebat, quod eas gratiæ vir- » tute superatas agnosceret: *Irrisoria est etiam illa actio gratiarum*, » inquit S. Augustinus (De don. pers., cap. 2, n. 3), *si ex hoc gratiæ » aguntur Deo, quod non donavit Ipse nec fecit;* id est, si Dei donum » non fuisset ejusmodi victoria. » *(Hist. hær., P. 2, Conf. 5, n. 3; T. 2, p. 356).*

203. — Prob. II. **Ex Conciliorum et SS. Pontificum decretis.** In Concilio *Diospolitano*, an. 415, legimus: « Fateatur (Pelagius), quando » contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, non ex

» propriâ voluntate, sed ex adjutorio Dei provenire victoriam. » *(Labbe, Tom. 2, col. 1530).*

Arausicanum II, can. 9, definivit: « Divini est muneris, cum et recte » cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitiâ continemus. » Et *can. 14:* « Nullus miser de quacumque miseriâ liberatur, nisi qui Dei » misericordiâ prævenitur. » *(Labbe, T. 4, col. 1669).*

Patres Concilii Milevitani II, in suâ Epistolâ ad Innocentium I. aiunt: « Illud quod sequitur: *Ne nos inferas in tentationem,* (dicunt » pelagiani), non ita intelligendum, tanquam divinum adjutorium po- » scere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus; sed hoc in no- » strâ positum esse potestate, et ad hoc implendum solam sufficere ho- » minis voluntatem. » *(Labbe, T. 2, col. 1545).*

Innocentius Papa I, *in suâ responsione ad Patres Concilii Carthag., cap. 3,* ait: « Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, » nequaquam terrenæ labis et mundani corporis vincere errores co- » nemur, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei » solum facere possit auxilium. » *(Migne, 56, col. 461).*

Cœlestinus I.: « Neminem etiam baptismatis gratiâ renovatum, » idoneum esse ad superandas diaboli insidias, et ad vincendas carnis » concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseveran- » tiam bonæ conversationis acceperit. » *(Epist. ad Episc. Galliæ, cap. 6. M., 50, c. 532).*

204. — Prob. III. **Ex Traditione.** *S. Cyprianus:* « Quando rogamus, » *inquit,* ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis et imbe- » cillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne » quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat. » *(De Orat. Domin., n. 26. M., 4, c. 537).*

S. Basilius: « Quis hominum adversus diabolum bellum gerere » possit, nisi ad præsidium potentiæ imperatoris confugientes, illinc » per fidem quæ in ipso est, inimicum nostrum feriamus ac sagittis » impetamus? » *(Hom. in Ps. 32, n. 3. M., 29, c. 327).* — Et: « Si per- » mittatur quispiam incidere in tentationem, exitum ut sustinere possit, » utque Dei voluntas fiat, precibus exposcendum est. » *(Moralia, Reg. 62, cap. 2. M., 31, c. 799).*

S. Augustinus: « Sine Dei adjutorio, per arbitrium voluntatis ten- » tationes hujus vitæ superare non possumus. » *(In Ps. 89, n. 4. M., 37, c. 1142).* — « Cohibere a crimine voluntatem, hoc ipsum est, nec » aliud quidquam, non intrare in tentationem. Sed si hoc haberemus » in potestate propriæ voluntatis, non moneremur ut id orando a Do- » mino posceremus. » *(Op. imperf. contr. Julian., L. 3, n. 109. M., 45,*

c. 1293. — Cf. etiam De Grat. et lib. arb., c. 4, n. 8 et 9. M., 44, c. 887).

S. Prosper: « Quisquis in tribulationibus non deficit, ab illo se » non dubitet adjuvari ad quem quotidie corda universorum fidelium » clamant: Ne nos inferas in tentationem. » *(Cont. Collat., c. 15, n. 3. M., 51, c. 258).*

S. Fulgentius: « Non est aliquod hujus vitæ tempus in quo non » hominibus muscipulam tendat inimicus; cujus laqueos nemo potest » propriis viribus evadere, nisi quem Deus gratiâ suâ per Jesum Chri- » stum dignatus fuerit liberare. » *(Epist. 4, c. 4. M., 65, c. 341).*

204.bis — Prob. IV. **Ex Ratione.** SS. Patres et Concilia rationem nostræ impotentiæ ad graves tentationes superandas ex vulnere et infirmitate nostræ naturæ desumunt. Exardescente enim fortiter concupiscentiâ, intellectus passione obnubilatur, et a rectâ consideratione boni retardatur vel impeditur; voluntas ipsa bono sensibili magis quam spirituali tangitur; et cum voluntas illud, quod magis delectat, naturaliter amplectatur, inde provenit ut homo in gravi tentatione positus, impotens sit ad resistendum, nisi Dei adjuvetur gratiâ.

Innatæ infirmitati humanæ superadditur continua dæmonis instigatio ad malum, cujus insidias absque auxilio gratiæ superare etiam non possumus. Quocirca nos monet Apostolus, (Eph. VI, 11), dicens: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.*

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

205. — Objicitur I. Nullus peccat in eo quod vitare non potest. Igitur, si homo gravi pulsus tentatione contra legem naturalem, eam propriis viribus repellere non posset, non peccaret consentiendo. Peccat autem si consentit; ergo eam vincere potest.

Resp. Nullus peccat in eo quod vitare non potest, nec propriis suis viribus, nec viribus aliunde acceptis, *conc.;* quod non potest vitare viribus tantum suis propriis, *nego.* Porro, urgente tentatione, Deus auxilium necessarium, saltem remote sufficiens, nemini denegat, ut quod homo non possit viribus propriis, divino possit cum adjutorio. Qui igitur tentationi cedit, licet per se solum resistere non valeat, de suo lapsu culpandus est.

206. — Objicitur II. Homines ex motivo naturali et sensibili tolerant propriis viribus gravissima quæque incommoda, et tentationes etiam graves superant; sic, v. gr., ex amore famæ et gloriæ multi

tentationes furti superant. Ergo a pari potest homo ex motivo naturaliter honesto propriis viribus graves tentationes contra legem naturalem vincere, cum ei non difficilius sit ex motivo honesto, quam ex motivo humano et sensibili agere.

Resp. Concesso antecedente, negatur consequentia. Ratio discriminis est, quia motiva humana et sensibilia, cum sensibus placeant, hominis intellectum et voluntatem fortius allicere possunt, quam concupiscentia opposita; ac proinde sufficere possunt ut homo oppositam delectationem vincat. V. gr., qui graviter tentatur de furto, licet initio bono alieno fortius alliciatur quam famâ aut gloriâ, quia tamen fama et gloria sunt sensibus naturaliter jucundæ, potest homo ex consideratione et desiderio famæ et gloriæ eo devenire, ut famâ potentius quam bono alieno alliciatur; et sic potest ex motivo famæ aut gloriæ propriis viribus tentationem vincere. Hæc tamen victoria non est vera victoria, cum unam tentationem ita vincat ut in alteram incidat.

Bonum verò rationis, cum sit quid spirituale, nec sensibus jucundum, imò eis sæpe contrarium, non adeò efficaciter sicut contraria cupiditas voluntatem movere potest; ac proinde, nisi superveniat gratiæ auxilium, quo intellectus circa bonum honestum illuminetur, et voluntas ad illud inclinetur, homo non potest ad efficaciter resistendum moveri.

207. — **Quæritur:** *Quænam est hominis impotentia ad graves tentationes contra legem naturalem vincendas?*

Resp. Alii dicunt esse physicam, sitam in defectu virium ex parte principii seu voluntatis, ita ut hæc in actum secundum prorumpere nequeat. — Alii verò dicunt esse tantum moralem, consistentem in ingenti difficultate impediente ne facultas, licet physice potens, prorumpat in actum, nisi majori corroboretur virtute. *(Cf. dicta de legis naturalis impletione, n. 160).*

Secundum probabiliorem sententiam, cui adhæremus, hæc hominis impotentia est tantum moralis, sed antecedens, et summa.

a) Est tantum moralis, quia secundum probabiliorem sententiam, per peccatum originale vires physicæ voluntatis non fuerunt diminutæ, ac proinde homo lapsus easdem vires habet quas in statu naturæ puræ habuisset. Homo autem in statu naturæ puræ habuisset potentiam physicam ad totam legem servandam, et ad omnes tentationes ei contrarias superandas. Ergo etiam in homine lapso admittenda est potentia physica; et proinde impotentia ad resistendum est tantum moralis.

b) *Est antecedens*, quæ scilicet se tenet ex parte ipsius voluntatis, quia propter impedimenta eidem advenientia, in actum secundum prorumpere nequit.

c) *Est summa*. Duplex distinguitur impotentia moralis; aliquando enim actus dicitur moraliter impossibilis, quia rarissime contingit, contingit tamen aliquoties; aliquandò verò dicitur moraliter impossibilis, quia licet voluntas actum physice posset ponere, illum tamen ob ingentem difficultatem nunquam ponet. Hæc impotentia est summa, et physicæ quodammodo æquivalet. Quo sensu dicitur, (Luc. XVII, 1): *Impossibile est ut non veniant scandala*. Physice quidem omninò possibile est nulla venire scandala; perspectâ tamen humanâ naturâ, moraliter fieri nequit ut nunquam eveniant scandala.

NB. — Quod ad gratiam spectat, quæ ad gravem tentationem superandam necessaria est, idem est dicendum ac de gratiâ ad totius legis naturalis impletionem requisitâ. *(Cf. n. 153 et ss.)*.

Scholium.

De Conciliatione libertatis humanæ cum infallibili consensu in gravem tentationem, si deest gratia.

208. — Homo gravi tentatione pulsus, nec gratiâ adjutus, infallibiliter simul et libere ei consentit. *Infallibiliter*, quia, sicut ex dictis patet, homo nisi juvetur gratiâ, in summâ impotentiâ morali antecedente versatur ad resistendum, quò fit ut tentatio infallibilem habeat connexionem causalitatis cum consensu, ita ut, etsi homo sit physice potens ad resistendum, nunquam tamen de facto resistat, sed infallibiliter semper consentiat. *Libere* tamen consentit, quia si voluntas non libere, sed coacte in tentationem consentiret, tolleretur ratio peccati, cum nullum sit peccatum nisi voluntarium.

Stat igitur in homine, quando graviter tentatus propriis sit relictus viribus, perfecta libertas cum omnimoda infallibilitate consensûs. Quomodo autem stare possit perfecta libertas cum infallibilitate consensûs, ex ipsâ naturâ tentationis, et ex modo quo operatur in hominem, palam fit.

209. — Tentatio, sive oriatur a concupiscentiâ, sive a diabolo aut mundo, non aliam motionem in voluntatem habet quam moralem, se tenentem scilicet ex parte objecti propositi. Enimverò, ut ait *S. Thomas, (1. 2, q. 10, a. 3)*: « Passio appetitûs sensitivi movet voluntatem ex eâ » parte quâ voluntas movetur ab objecto, inquantum scilicet homo ali» qualiter dispositus per passionem judicat aliquid esse convenieus

» et bonum, quod extra passionem existens, non judicaret. » — « Dia-» bolus verò, (et idem dic de mundo), qui « non cogendi potentiam » habet, sed persuadendi versutiam », ut ait S. Augustinus, *(Tr. 12 in » Joan., n. 10. M., 35, c. 1489)*, nullatenus potest voluntatem ab intrin-» seco movere aut invitam ad actum cogere; sed potest eam unice » movere per modum proponentis objectum et suadentis. » *(Cf. S. Th., P. 1, q. 106, a. 2; et q. 111, a. 2).*

Tota igitur vis tentationis consistit in actione, quam objectum illicitum exercet in voluntatem, ut eam trahat. Porro, in tentatione, quantacumque sit energia illius actionis in voluntatem, ipsius tamen libertati non officit; et voluntas, si consentit, libere semper consentit. Quod sic apparet:

Voluntas, utpote facultas cæca, ductum sequitur intellectûs, et ad nihil sese determinat nisi sub practico rationis judicio. Quâ de causâ, etsi voluntas sit proximum libertatis subjectum, radix tamen libertatis dicitur esse ratio. Præterea, voluntatis objectum est bonum, et ipsa nihil nisi sub ratione boni velle potest.

210. — Quando igitur bonum aliquod ab intellectu apprehenditur ut undequaque bonum, in quo nullus potest cerni defectus, intellectus indifferentiam judicii non habet, sed necessariò judicare debet illud bonum esse conveniens et amplectendum, et illud ut tale voluntati necessariò proponit. Quo in casu voluntas necessariò trahitur ab objecto. « Si proponatur aliquod objectum voluntati, *inquit S. Thomas*, quod » sit universaliter bonum et secundum omnem considerationem, ex » necessitate voluntas in illud tendit. » *(1. 2, q. 10, a. 2)*. Hoc modo sola beatitudo hominem trahere potest.

Quando autem aliquod bonum proponitur, quod non undequaque est bonum, sed defectum habet adjunctum, intellectus in suâ potestate habet ut illud consideret non solum sub eâ ratione, quâ bonum est, sed etiam sub eâ ratione, quâ deficit a bono, atque illud voluntati proponere sive quà bonum, sive quà malum et disconveniens; quo in casu penes voluntatem est ut illud repudiet. Et ejusmodi sunt omnia creata. « Si autem, *ait S. Thomas*, proponatur ei aliquod objectum quod » non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex neces-» sitate voluntas fertur in illud. Et quia defectus cujuscumque boni » habet rationem non boni, ideo illud solum bonum quod est per-» fectum, et cui nihil deficit, est tale bonum quod voluntas non potest » non velle, quod est beatitudo. Alia autem quælibet particularia bona, » in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona,

» et secundum hanc considerationem possunt repudiari vel approbari » a voluntate. » *(Loc. cit.)*.

211. — Quando igitur in tentatione proponitur homini objectum illicitum, cum sit necessariò bonum quoddam particulare, ac proinde defectum sibi habens conjunctum, intellectus, nisi totaliter sit ligatus ut in furiosis, quantumvis fortiter percellatur illius objecti bonitate et convenientiâ, potestatem tamen habet considerandi illud sub eâ ratione quâ deficit a bono, atque judicandi illud non esse conveniens. — Hùc accedit quod voluntas, tanquam regina intellectûs sicut et aliarum facultatum, ei imperare potest ut objectum propositum consideret vel sub ratione boni et convenientis, vel sub ratione deficientis a bono et disconvenientis. Proinde si intellectus practice judicat objectum esse eligendum tanquam hìc et nunc conveniens, libere judicat, cum potuisset contrarium judicare; et voluntas eligens objectum, libere eligit, cum potuisset illud respuere. Et sic patet quomodo homo tentationi libere semper consentiat.

Ex alterâ autem parte, cum in homine lapso intellectus tentatione plus minusve obnubiletur, et bono delectabili, quod in objecto proposito relucet, vehementer, ratione autem mali quod in eo apparet, debiliter tantum percellatur, intellectus licet sit physice potens ad judicandum objectum esse respuendum ut malum, versatur tamen in morali impotentiâ tale judicium efficaciter proferendi, nisi per gratiam circa objecti malitiam illuminetur.

Et voluntas ipsa, cum bono delectabili alliciatur vehementer, ratione verò mali quod in objecto invenitur, debiliter tantum moveatur, etsi habeat potentiam physicam imperandi intellectui ut in objecto rationem mali consideret, non potest tamen de facto, nisi juvetur gratiâ inspirationis, illud imperium in intellectum efficaciter exercere, nec bonum delectabile efficaciter respuere. Et sic homo, licet absolute loquendo tentationi resistere possit, infallibiliter tamen ei semper consentit, nisi adjutorio gratiæ confortetur [1].

ARTICULUS II.

DE FUGA PECCATORUM.

212. — Ex dictis *n. 152 et ss.*, ubi de hominis impotentiâ ad legem naturalem servandam aut ad tentationes superandas egimus, perspectum jam habemus non posse hominem legem diu servare, aut

[1] Cf. *Gabriel a S. Vinc.*, Disp. 3, q. 5, n. 78; p. 91.

gravem tentationem superare ex solius naturæ viribus, ac proinde non posse absque gratiâ a peccato diu abstinere, cum peccatum nihil aliud sit ac legis transgressio. Sed ulterius adhuc inquirendum restat, utrum homo gratiâ adjutus possit omnia vitare peccata, ita ut nunquam, nec graviter nec leviter, sive contra legem naturalem sive contra supernaturalem delinquat.

Homo cum gratiæ adjutorio duplici in conditione potest considerari: vel prout caret gratiâ sanctificante, habens tamen gratiæ actualis auxilia; vel prout possidens gratiam sanctificantem et caritatem. Agemus proinde in § 1° de peccatore, et in § 2° de justo.

§ 1. *An peccator possit nova vitare peccata* [1].

213. — Gratiam actualem illuminationis et inspirationis, cum hominis facultates elevet, roboret et ad bonum inclinet, sufficientem esse ex rei naturâ ad legem perfecte servandam et ad nova vitanda peccata, omnes unanimiter concedunt. Quia igitur, sicut infra probabitur, *n. 312*, urgente præcepto, Deus nemini, ne peccatori quidem, necessarium denegat gratiæ auxilium, sequitur quemlibet peccatorem potentiam habere legem servandi et abstinendi a peccato; quare, si labitur, hoc ipsi soli culpæ est vertendum. Attamen, licet homo in mortali existens legem possit servare, fieri tamen nequit, ut hanc potentiam constanter ad actum reducat, et diu a novo abstineat peccato. Proinde, ut homo a novis committendis peccatis diu valeat abstinere, necesse est ejus animam per gratiam sanctificantem sanari et Deo reconciliari.

Gratiam sanctificantem non esse in præsenti providentiâ ad totius legis impletionem et ad perfectam peccati mortalis fugam necessariam, docuerunt antiquiores quidam theologi, ut *Marsilius* [2], *Durandus* [3], *Gabriel Biel* [4], etc. Communis tamen et tenenda Doctorum sententia docet, hominem in peccato existentem, licet auxilio gratiæ actualis quodlibet mortale divisive, imò et omnia collective ad breve tempus, vitare possit, non posse tamen diu remanere, quin in novum peccatum mortale prolabatur.

[1] Cf. *S. Th.*, 1. 2, q. 109, a. 8; Contr. Gent., L. 3, c. 160. - *S. Alph.*, Magn. prec. adj., P. 2, c. 2, § 2. - *Gotti*, Q. 1, dub. 9; p. 74. - *Tanner*, Q. 3, dub. 5, n. 139; p. 1226. — *Wenzl*, Q. 6; p. 44. - *Gibbon*, Disp. 32, dub. 4, n. 9; p. 401. - *Arriaga*, Disp. 41, sect. 5; p. 512. - *Rich. a Mediavilla*, 2 Sent., D. 28, a. 2, q. 2; p. 359. — [2] In 2 Sent., q. 18, a. 2; fol. 297. — [3] In 2 Sent., D. 28, q. 3 et 4; fol. 136. — [4] In 2 Sent., D. 28, q. 1, a. 2 et 3; p. 146.

Propositio.

In statu naturæ lapsæ, homo existens in peccato mortali non potest diu manere quin in novum peccatum mortale prolabatur.

214. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus, (Thren. I, 8): *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* Id est, propter commissum peccatum et gratiam amissam, anima, quæ significatur per Jerusalem, facta est inconstans in bono, et ad malum proclivis.

215. — Prob. II. **Ex Traditione.** « Peccatum, *ait S. Gregorius M.*, » quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere ad aliud trahit.... Ex » illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens du- » citur ut pejus ex alio ligetur,... quia justo judicio omnipotens Deus » cor peccatoris obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis » cadat,... ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in aliis etiam » nolens cadat. » *(Moral., L. 24, c. 9. M., 76, c. 334. — Cf. etiam in Ezech., L. 1, hom. 9, n. 24. M., 76, c. 915).*

S. Augustinus, agens de Lege, ait: « Quam non implet nisi qui » donum acceperit Spiritum Sanctum, Patri et Filio utique æqualem. » *(De catechiz. rudibus, n. 55. M., 40, c. 348).* Sed Spiritus Sanctus non accipitur nisi per donum gratiæ sanctificantis. — Et, *(De Spir. et litt., c. 26, n. 45; M., 44, c. 228)*, ait: « Sic intelligendum est: *factores legis* » *justificabuntur*, ut sciamus eos aliter non esse factores legis, nisi » justificentur: ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores » justificatio præcedat... ut sic intelligerent etiam Judæi legis audi- » tores, indigere se gratiâ justificatoris, ut possint esse factores. » Si autem justificatio est necessaria ut lex valeat impleri, ergo etiam ut possit peccatum præcaveri, cum legis transgressio peccatum constituat.

216. — Prob. III. **Ex Ratione.** Existens in mortali habet mentem a Deo aversam, et conversam ad creaturam tanquam ad finem: peccatum enim mortale est *aversio a Deo et conversio ad creaturam.* Quamvis autem homo per rationis deliberationem possit contra naturalem mentis inclinationem operari, impossibile tamen est, propter passiones irruentes, aut diaboli insidias aliave innumera impedimenta, eum in omnibus, præsertim in repentinis, sufficientem deliberationem semper adhibere, ita ut in nulla re mentis inclinationem ad creata, spreto Deo, sequatur, nec contra divinam legem agat. Impossibile est igitur peccatorem absque novo peccato diu permanere [1].

[1] Cf. *S. Th.*, Q. 109, a. 8. De Verit., q. 24, a. 12. - *Cajetan.*, In q. 109, a. 8.

217. — **Objicitur**: Ope solius gratiæ actualis, quæ nemini denegatur, peccator potest tum legem servare, tum tentationem vincere, ac proinde peccatum vitare; si enim hoc non posset, peccatum imputari nequiret. Si autem quodlibet peccatum potest vitare, potest etiam absque gratiâ sanctificante diu stare, quin novum peccatum committat.

Resp. Ope solius gratiæ actualis, quæ urgente præcepto nemini denegatur, potest peccator potentiâ physicâ simul et morali quodlibet peccatum mortale divisive, imò et omnia collective ad breve tempus vitare; quare si peccat, peccatum ei imputatur. Potest etiam potentiâ physicâ omnia mortalia collective ad longum tempus vitare, non autem potentiâ morali, ob rationes supra indicatas; ac proinde nequit diu stare quin in novum incidat peccatum.

Nec dici potest peccatorem ob illam impotentiam excusari a peccato, quandoquidem illa ipsa impotentia est voluntaria. Posset enim peccator, acquirendo gratiam sanctificantem ope gratiæ conversionis, quæ illi pro tempore et loco confertur, prædictam impotentiam tollere: unde si in eâ remanet, ex ipsius culpa est.

Hæc verò gratiæ sanctificantis necessitas ad peccata mortalia diu vitanda, non exsurgit ex ipsâ rei naturâ; sufficere enim posset uberior gratia actualis interior, juncta cum gratiâ externæ protectionis, quam Deus independenter a gratiâ habituali conferre posset; ast provenit ex libero Dei proposito, quod nobis ex Scripturâ et traditione innotescit, et quo Deus statuit selectiores has gratias amicis suis tantum conferre, secundum illud (Eccli. XXXIV, 19): *Oculi Domini super timentes eum;* peccatoribus verò denegare, juxta illud, (Joan. XV, 6): *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet.*

Suffragatur ratio convenientiæ: Peccator, utpote cujus ratio est a Deo aversa, majori indiget gratiæ auxilio quam justus, ut legem implere aut tentationes constanter superare valeat. Æquum autem non videtur Deum suis inimicis ordinarie selectiora dona quam amicis suis conferre [1].

Apposite *Tanner:* « Ut (homo) efficaciter vitet omne peccatum mor» tale, *inquit*, necessarium est ipsi auxilium gratiæ congruæ sæpius » et constanter iteratum, per singularem Dei providentiam ac bene» volentiam. Jamverò homini extra gratiam et in peccato mortali exi» stenti, tanquam prorsus indigno tali benevolentiâ, merito, idque

[1] Cf. *Grandin,* In q. 109, a. 4, sect. 3; p. 83. - *Ysamb.,* In q. 109, disp. 7, a. 8 et 9.

» communi lege divinâ, quæ ex Scripturis et SS. Patribus innotescit, » a Deo denegantur talia auxilia, ita ut quamvis nihilominus homo » habeat sufficientem gratiam, quâ peccata vitare possit, infallibiliter » tamen futurum sit, ut peccata omnia mortalia diu non vitet. Quamvis » enim Deus absolute per auxilia actualia, eademque congrua gratiæ, » etiam quovis longo tempore hominem peccatorem a novo peccato » mortali præservare posset; quia tamen hæc Dei protectio et custodia » est propria filiorum et amicorum Dei, idcirco ex lege Dei ordinariâ » semper supponit gratiam sanctificantem. » *(Q. 3, dub. 5, n. 143; col. 1227).*

218. — **Quæritur**: *Utrum ad diu vitanda omnia mortalia, gratia sanctificans requiratur ex parte principii?*

Resp. *Vasquez*[1], qui pro suâ opinione citat Scotum et Henricum, docet gratiam sanctificantem non requiri ex parte principii, sed solum ex parte termini, seu consequenter; quia, ut ait, si quis ex auxilio gratiæ actualis totam legem servat, hoc ipso fiet ut spiritum pœnitentiæ et compunctionis a Deo consequatur, et justificetur.

Communis tamen et probabilior sententia docet cum S. Thoma, *(q. 109, a. 8)*, gratiam sanctificantem requiri ex parte principii, ita ut qui eam non possidet, sit moraliter incapax diu a peccato abstinendi. Licet autem requiratur ex parte principii, ipsa tamen gratia sanctificans non est principium physicum bonæ operationis, quia operatio physice non procedit a gratiâ sanctificante, sed a voluntate et habitibus infusis sub influxu gratiæ habitualis. Sed gratia sanctificans requiritur tum tanquam removens prohibens, id est, tanquam removens mentis aversionem a Deo et ejus conversionem ad creaturam, tum tanquam reddens subjectum dignum et idoneum, cui ea selectiora gratiæ auxilia, quæ Deus solis amicis concedere decrevit, conferantur.

§ 2. *An homo justus possit ab omni peccato abstinere.*

219. — Hominem etiam justificatum non posse a peccatis mortalibus immunem præservari, nisi gratiæ actualis fulciatur auxilio, ex iis sequitur quæ supra, *(n. 177 et ss.)*, dicta sunt, dum egimus de gratiæ necessitate in homine justo ad bonum peragendum. Quamdiu enim peregrinamur a Domino in hoc mortali corpore, obnoxii sumus

[1] Disp. 196, c. 3; p. 565.

concupiscentiæ carnis, dæmonis atque mundi insidiis; in quo certamine victores esse non possumus, nisi Deus adjutor nobis assistat, teste Davide, (Ps. 126, 1): *Nisi Dominus custodierit civitatem*, id est, animam justam, sicuti explicant SS. Patres, *frustra vigilat qui custodit eam*. Et Tridentinum, *Sess. VI, cap. 13*, ait: « Justos debere » formidare de pugnâ, quæ superest cum carne, cum mundo, cum » diabolo, in quâ victores esse non possunt, nisi cum Dei gratiâ. » In his autem verbis agitur de gratiâ distinctâ a gratiâ sanctificante.

Examinandum est igitur, an saltem cum gratiæ actualis auxilio, quod justis omnibus communiter conceditur, homo justificatus omnia possit vitare peccata.

Peccatum est vel mortale vel veniale. *Mortale* consistit in aversione a Deo, fine ultimo, et in conversione ad creaturam ut ad finem. *Veniale* non ponit deordinationem circa ipsum finem, sed circa media ad finem; nec hominem privat Dei amicitiâ, sed eum in suâ tendentiâ ad Deum retardat. De utroque quæritur, an possit ab homine justo perfecte vitari.

Propositio I.

In statu naturæ lapsæ, homo justus vi auxiliorum gratiæ, quæ a Deo omnibus justis communiter conferuntur, potest omnia et singula peccata mortalia vitare.

220. — Prop. *ad fidem pertinet.*

Prob. I. **Ex condemnatâ prop. 1ª Jansenii:** « Aliqua Dei præ» cepta hominibus justis, volentibus et conantibus, secundum præsentes » quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia quâ » possibilia fiant. » Cum autem peccatum mortale sit legis transgressio, et justi vires habeant ad quodlibet mandatum servandum, sequitur eos omne mortale vitare posse.

221. — Prob. II. **Ex Conciliorum declaratione.** Legimus in *Arausicano II, can. 25:* « Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod » acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati, Christo auxiliante » et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint et debeant, » si fideliter laborare voluerint, adimplere. » *(Labbe, Tom. 4, c. 1672).* Et in *Tridentino, Sess. VI, cap. 11:* « Qui sunt filii Dei, Christum » diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant ser» mones ejus: quod utique cum divino auxilio præstare possunt. »

In quæ testimonia iste discursus efformari potest: Ille potentiâ physicâ simul et morali omne peccatum mortale vitare potest, qui

potest et debet, Christo auxiliante, adimplere omnia quæ ad salutem animæ pertinent; et qui potest de facto omnes Christi sermones servare. Atqui talis est quilibet justus. Ergo quilibet justus, cum auxiliis communiter concessis, quodlibet mortale, tam divisive quam collective, vitare potest.

222. — PROB. III. **Ex Ratione.** Ratio ob quam peccator versatur in morali impotentiâ ad non peccandum graviter, est ejus aversio a Deo ut a fine. Jamverò, justus per sanctificantem gratiam habet mentem sanatam atque ad Deum conversam. Proinde, accedente gratiâ actuali, habet sufficientem potentiam, tum physicam tum moralem, ad semper operandum in ordine ad Deum ut ad finem ultimum, et consequenter ad vitanda omnia mortalia, et ad ambulandum usque in finem in novitate vitæ et secundum Spiritum, ut ait Apostolus *(Rom. VI)*.

223. — **Objicitur.** Si cum communibus gratiæ auxiliis quilibet justus potest per totam vitam omnia vitare mortalia, potest cum eisdem in acceptâ justitiâ perseverare; ac proinde perseverantia nequit amplius vocari *magnum donum;* quod est contra Tridentinum. Ergo nequit justus cum communibus auxiliis absque peccato permanere, sed requiritur præterea aliud specialius Dei donum.

Resp. Aliud est *posse perseverare*, et aliud *perseverare de facto.* Quilibet justus habet sufficientem gratiam, quâ possit perseverare, vitando peccata, adimplendo legem; proinde qui non perseverat, culpâ suâ cœlestem coronam amittit: *Perditio tua, Israel.* Ut autem justus illud *posse* reducat ad actum, seu ut de facto perseveret, illud est speciale Dei donum. Homo, quamdiu vivit, ex unâ parte pugnare debet tum contra pravos concupiscentiæ motus, tum contra continuas diaboli insidias; *militia* enim *est vita hominis super terram*, (Job. VII, 1); ex alterâ verò parte, cum innatam habeat naturæ fragilitatem, et sit vertibilis in malum, et hoc ei non auferatur per gratiam sanctificantem; cum insuper non habeat in se ut possit immobiliter in bono radicari, evenit ut, licet possit perseverare cum communibus gratiæ auxiliis, de facto tamen non perseveret, nisi ex speciali Dei dono perseverantiam acceperit. Sed de his fusius infra, in capite sequenti.

Propositio II.

In statu naturæ lapsæ, nemo, sine speciali Dei privilegio, potest omnia peccata venialia vitare [1].

224. — Prop. est *de fide*, si agitur de fugâ peccati venialis per totam vitam, ex Tridentino, *Sess. VI, can. 23:* « Si quis hominem semel » justificatum dixerit posse in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia, » vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine » tenet Ecclesia; A. S. » — Si verò agitur de tempore longo, propositio est *certa* et *communis*.

NB. Dicitur in propositione, *sine speciali Dei privilegio*, id est, cum solis gratiis actualibus gratiæ sanctificanti communiter annexis, imò etiam cum gratiis specialissimis, quæ hominibus ad difficiliora legis præcepta conceduntur. *Nemo*, quantumvis justus et sanctus, *potest vitare omnia venialia*, id est, collective sumpta, et per longum tempus. Concorditer enim omnes docent, posse quemlibet justum per totum vitæ spatium singula venialia vitare; imò et omnia collective sumpta in tempus brevissimum.

Propositio statuitur contra Pelagium, qui docuit hominem posse, non solum cum communi gratiæ auxilio, sed etiam absque ullâ gratiâ, per solius naturæ vires omnia venialia per totum vitæ cursum vitare. — Statuitur etiam contra Vega [2], qui docuit hominem justum posse cum auxiliis ordinariis vitare per totam vitam omnia et singula venialia.

225. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Permulta tam in Veteri quam in Novo Testamento reperiuntur testimonia in nostræ thesis confirmationem. Quædam indicasse sufficiat. Legimus, (III Reg. VIII, 46): *Non est homo qui non peccet.* — (Prov. XX, 9): *Quis potest dicere: mundum est cor meum; purus sum a peccato?* — (Jac. III, 2): *In multis enim offendimus omnes.* — (I Joan. I, 8): *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Cum autem multi, justi scilicet, sint a peccatis lethalibus immunes, intelligenda sunt prædicta testimonia de venialibus; ac proinde etiam sanctissimi et justissimi orare debent: *Dimitte nobis debita nostra.*

[1] Cf. *Curiel*, In q. 109, a. 8, dub. 2; p. 806. - *Ysamb.*, In q. 109, disp. 8, a. 4 et ss.; p. 356. - *Grandi*, In q. 109, a. 8, dub. 4; p. 382. - *Serra*, In q. 109, a. 8, dub. 3; p. 304. - *Gamachæus*, In q. 109, cap. 7; p. 356. - *Valentia*, In q. 109, disp. 8, punct. 5, § 4; p. 933. - *Gotti*, Q. 1, dub. 10; p. 80. — [2] De Justif., L. 14, c. 21; p. 652.

226. — Prob. II. **Ex auctoritate Conciliorum.** Concilium Milevitanum contra Pelagianos tres canones statuit, qui thesim confirmant. Legimus, *can. 6:* « Placuit, quod ait Joannes Apostolus: *Si dixerimus » quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in » nobis non est:* quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter » humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita » est, A. S. » — Et *can. 8:* « Placuit, ut quicumque verba ipsa domi- » nicæ orationis, ubi dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*, ita volunt » a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter, hoc dicatur, A. S. » *(Labbe, Tom. 2, c. 539. Cf. etiam can. 7; et Trident., Sess. VI, cap. 11).*

227. — Prob. III. **Ex Traditione.** Ait *S. Gregorius Naz.:* « Eum » vitæ statum qui omni prorsus peccato vacet, Deus supra humanæ » naturæ modum constituit. » *(Orat. 2, in Julianum, n. 33. M., 35, c. 707).*

S. Joan. Chrysostomus: « Licet justus sit quis, licet millies sit » justus, et ad culmen ipsum ascenderit, ita ut expers sit peccati, » non potest esse mundus a sorde: licet millies justus sit, est tamen » homo... Quis ergo gloriabitur castum se habere cor; aut quis con- » fidet mundum se esse a peccato? Impossibile est igitur, ut ullus » homo sit a peccato immunis... Fieri ergo non potest, ut homo sit » ita penitus justus, ut a peccato sit mundus. » *(De Lazaro, concio 6, n. 9. M., 48, c. 1041).*

S. Cyprianus: « Si autem nemo esse sine peccato potest, et quis- » quis inculpatum se esse dixerit, aut superbus aut stultus est; quam » necessaria, quam benigna est divina clementia, quæ, cum sciat non » deesse sanitatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis denuo » sanandisque vulneribus remedia salutaria. » *(De Eleemosyna, n. 3. M., 4, c. 604. Cf. S. August., Cont. Julian., L. 2, c. 8, n. 25. M., 44, c. 691).*

S. Hieronymus: « Justos esse concedo, sine omni autem peccato » omninò non assentior... Hominem sine peccato esse, nego, id enim » soli Deo competit, omnisque creatura peccato subjacet, et indiget » misericordiâ Dei. » *(Adv. Pelag., L. 2, n. 4. M., 23, c. 537).*

S. Fulgentius: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, etiam » justos atque sanctos homines, exceptis iis qui baptizati parvuli sunt, » sine peccato hìc neminem vivere posse. » *(De fide, c. 41. M., 65, c. 704).*

S. Augustinus, neminem his in terris, B. V. Mariâ exceptâ, absque peccato vixisse aut vivere posse, contra Pelagianos enixe probat. Cf. *De perfectione justitiæ*, per totum librum; *De peccat. meritis*, L. 2,

per totum. *De Nat. et Grat.*, c. 38 et 39; M., 44, c. 269. *Cont. duas Epist. Pelag.*, L. 1, c. 14. M., 44, c. 563. — « Si ergo quæris, *inquit*, » utrum in hac vitâ quisquam ita justitiæ perfectione proficiat, ut hic » sine ullo vivat omninò peccato, attende quid dixerit Joannes Apo- » stolus: *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus, nos ipsos* » *decipimus, et veritas in nobis non est.* Si ergo illi (Pelagiani) de » quibus mihi scripsisti, se dicunt esse sine peccato, vides quia se » ipsos decipiunt, et veritas in eis non est, etc. » *(Epist. 157, n. 1. M., 33, c. 674).*

228. — Prob. IV. **Ex Ratione.** Quamvis gratia sanctificans hominem sanet quantum ad mentem, remanet tamen in eo corruptio appetitûs sensitivi, ex quo frequentissime inordinati motus contra rationem exsurgunt. Atqui ratio, etsi cum communibus gratiæ auxiliis motus singulos inferioris appetitûs reprimere valeat, (ex quo habent rationem voluntarii et peccati), non potest tamen omnes reprimere; quia dum uni resistere nititur, alius sæpissime insurgit; neque ratio potest esse semper pervigil ad hujusmodi motus vitandos et coercendos.

Apposite *S. Thomas:* « In statu naturæ corruptæ, *inquit*, indiget » homo gratiâ habituali sanante naturam ad hoc quod omninò a pec- » cato abstineat. Quæ quidem sanatio primò fit in præsenti vitâ se- » cundum mentem, appetitu carnali nondum totaliter reparato... In » quo quidem statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali » quod in ratione consistit; non autem potest homo abstinere ab omni » peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitûs sensuali- » tatis; cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc » habent rationem peccati et voluntarii; non autem omnes, quia dum » uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; et etiam quia ratio non » semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos. » *(Q. 109, a. 8. Cf. 1. 2, q. 74, a. 3, ad 2).*

229. — Ad eamdem hanc rationem, sicuti etiam ad voluntatis mutabilitatem, provocabant SS. Patres.

Ait *S. Cyprianus:* « Cum avaritiâ nobis, cum impudicitiâ, cum irâ, » cum ambitione congressio est; cum carnalibus vitiis, cum illecebris » sæcularibus ardua et molestia luctatio est. Obsessa mens hominis, » et undique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix » resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido; si libido compressa » est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat » superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam » zelus abscindit. » *(Epist. de mortalitate; apud S. August., Cont. Ju-*

lian., L. 2, n. 25. M., 44, c. 690). Ex quibus deducit S. Augustinus neminem absque peccato inveniri posse.

S. Hieronymus: « Quamdiu ergo ille finis adveniat, et corruptivum » hoc atque mortale incorruptione et immortalitate mutetur, necesse » est nos subjacere peccato, non naturæ et conditionis vitio, sed fra- » gilitate et commutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta va- » riatur: quia Deus solus est immutabilis. » *(Adv. Pelag., L. 2, n. 30. M., 23, c. 568).*

S. Fulgentius: « Recordamur nosmetipsos, etsi non opere, saltem » in cogitatione frequenter delinquere. Quia *terrena inhabitatio sensum* » *multa cogitantem opprimit,* (Sap. IX, 15); et terra nostra germinare » spinas nobis et tribulos non quiescit, (Genes. III, 17); nec possumus » pervenire ad esum panis nostri, nisi fuerimus sudore vultûs et fa- » tigatione confecti. Fatigamur enim sudoribus, dum propriis cupidi- » tatibus repugnamus; in quibus vincendis idcirco major est certaminis » difficultas, quia non extrinsecus ex altero, sed intrinsecus ex seipso » certanti homini concupiscentiæ carnalis generatur adversitas, quæ » fatigationem ingerit humanæ imbecillitati... Hinc est quod nondum » Deo sumus omninò subjecti, quia ex nobis nascitur, quod divinæ » resistitur jussioni. Nam licet ex gratiâ Dei sit voluntas in nobis bona » quæ nos Deo reddat humiles, non nobis tamen deest pravæ cupi- » ditatis exortus, qui nos faciat contumaces. » *(Epist. 4, n. 9 et 10. M., 65, c. 342).*

QUÆSITA.

230. — Quæritur I. *Utrum statuta thesis intelligenda sit tantum de venialibus ex subreptione et ex imperfectione actûs, an etiam de venialibus ex genere suo, et cum plenâ advertentiâ positis?*

Resp. *Controvertitur.* Omnes concedunt quidem, multò facilius vitari posse venialia plene deliberata quam subreptitia, quæ non cum plenâ advertentiâ committuntur. Quo concesso, plures asserunt neminem posse absque speciali privilegio ne omnia quidem venialia plene deliberata per longum tempus aut per totam vitam vitare. Ratio est, quia Scriptura, Concilia et Patres de venialibus loquuntur absolute, nullâ adjectâ distinctione inter subreptitia et plene deliberata; præterea, venialia ex genere suo dicuntur esse quotidiana, et passim occurrunt etiam justis, de quibus in veritate orare debent: *dimitte nobis debita nostra;* tum demum, quia deordinatio virium inferiorum

est tanta, ut etiam justos inducat ad plene consentiendum in aliqua leviora peccata. Ita *Gonet* [1], *Serra* [2], *Montesinus* [3], *Gotti* [4], etc.

Alii verò, quorum sententia probabilior videtur, docent, justum quemlibet, saltem quando est in sanctitate jam provectus, posse cum ordinariis gratiæ auxiliis vitare ad longum tempus omnia venialia plene deliberata, non autem omnia subreptitia. Ratio est, quia ad venialia ex genere suo requiritur tum plena advertentia, tum consensus plenus et liberrimus. Porro, qui Deum diligunt, possunt vi gratiarum quæ ipsis conceduntur, a tali consensu in offensam Dei abstinere. « Animæ quæ Deum timent, *ait S. Alphonsus*, propositum habent » fugiendi omnia venialia deliberata; et quod venialia indeliberata, » scilicet sine plenâ voluntate commissa, attinet, proponunt pauciora » quam possint committere: omnia enim venialia indeliberata vitare » præ naturali nostra debilitate est impossibile. » *(Instit. catech., P. 2, c. 5, n. 29. Edit. Marietti, T. 7, p. 876).*

Hanc sententiam tenent *Ysambertus* [5], *Conradus Koellin* [6], *Curiel* [7], *Gabriel a S. Vinc.* [8], *Becanus* [9], *Salmanticenses* [10], *Paulus a Concept.* [11], etc. Eam Soto [12] probabilem vocat, etsi primæ adhæreat. Ipsi favet S. Thomas, q. 109, a. 8 et 9, ubi impossibilitatem vitandi omnia venialia desumit tum ex defectu attentionis et vigilantiæ, tum ex defectu sufficientis cognitionis; sed peccatum ortum ex defectu attentionis, aut vigilantiæ, aut cognitionis, non potest esse nisi subreptitium. Eamdem sententiam amplectitur S. Alphonsus, *loco supra citato*, et præsertim in opere: *Vera Sponsa, c. 5, n. 3;* et in suâ *Theologiâ morali, L. 3, n. 203*, ubi, agens de voto vitandi venialia, ait: « Bene valere votum de vitandis venialibus deliberatis, cum hoc re- » vera non sit impossibile, et personæ perfectionis amantes illa satis » evitant. »

231. — Quæritur II. *Quanto tempore possunt justi esse sine novo peccato veniali.*

Resp. Hominem aliquod temporis spatium transigere posse quin peccet, communiter docent theologi. S. Thomas, exponens verba Joannis: *Si dixerimus quia peccatum non habemus*, etc., ait: « Hoc non est in-

[1] Disp. 1, a. 7, n. 323; [p. 676. — [2] In q. 109, a. 8, dub. 3; p. 309. — [3] Disp. 29, q. 1, n. 7; p. 753. - [4] Q. 1, dub. 10, § 2, n. 12; p. 83. — [5] In q. 109, disp. 8, a. 7; p. 358. — [6] In q. 109, a. 8; p. 915. — [7] In q. 109, a. 8, dub. 2, § 3; p. 808. — [8] Disp. 5, q. 3; p. 185. — [9] Summa theol., Tr. 4, disp. 4, q. 7, a. 2; p. 359. — [10] Disp. 2, dub. 7, n. 237; p. 273. — [11] Disp. 1, dub. 5, § 2, n. 97; p. 126. — [12] De Nat. et grat., L. 3, cap. 4, concl. 3; p. 218.

» telligendum, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu » peccati venialis, sed quia vitam istam sancti non ducunt sine pec- » catis venialibus. » *(P. 3, q. 79, a. 4, ad 2).*

Tempus autem assignare, per quod justi a veniali perdurare possunt immunes, perdifficile est: hoc enim multum dependet ex cujusque complexione, dispositione, consuetudine, vitæ statu, et similibus. *Vega* et *Soto* spatium unius diei assignant; *Curiel* [1] verò illud tempus nimis protractum æstimat, et putat sanctos et justos ad summum per tres aut quatuor horas absque novo veniali perseverare posse; ratio est, quia Concilia et Patres venialia vocant *quotidiana*, unde supponunt ea pluries in die committi. *Suarez* [2] autem, et quidem rectius, docet hoc tempus a nobis prædefiniri non posse.

232. — **Quæritur III.** *In quo consistat privilegium vitandi collective omnia venialia?* [3]

Resp. Privilegium vitandi collective omnia venialia consistit partim in intrinsecâ perfectione gratiæ sanctificantis et virtutum eam concomitantium, partim in specialissimâ Dei protectione et gubernatione.

Cum gratiis ordinarie concessis justi omnia venialia vitare nequeunt, tum propter fomitem peccati, ratione cujus in parte inferiori frequentissimi exsurgunt motus contra rationem, ad quos omnes reprimendos homo est impotens; tum propter extrinseca impedimenta et peccandi occasiones, præsertim ob dæmonis suggestiones. Evenire enim potest ut aliquis, licet ab intrinsecò non tentetur, ad peccandum tamen alliciatur a diabolo, sicuti Adamo innocenti accidit, qui motum concupiscentiæ habere non potuit, a diabolo tamen fuit ad peccandum pertractus.

Ne quis igitur in appetitu sensitivo oriatur motus inordinatus, requiritur ut fomes exstinguatur aut saltem ligetur; quæ fomitis exstinctio aut ligatio obtinetur per intrinsecam gratiæ sanctificantis perfectionem. Est autem illa intrinseca perfectio modus quidam specialis a Deo gratiæ superadditus, similis modo gratiæ consummatæ

[1] In q. 109, a. 8, dub. 2; p. 815. — [2] De Auxil., L. 9, c. 8, n. 29. T. 9; p. 522 — [3] Cf. *Salmant.*, Disp. 2, dub. 7, n. 234; p. 272. - *Curiel*, In q. 109, a. 8, dub. 2; p. 813. - *Ysamb.*, In q. 109, disp. 8, a. 9. - *Grandi*, In q. 109, a. 8, dub. 6; p. 388. - *Paul. a Concept.*, Disp. 1, dub. 5, § 2; p. 126. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 5, q. 4, n. 41; p. 190.

Beatorum, aut modo gratiæ in statu justitiæ originalis, ex quo speciales quædam a communibus virtutibus distinctæ emanant perfectiones, quæ appetitum sensitivum cohibent, ne in actus inordinatos prorumpere possit.

Externa autem impedimenta, peccandi occasiones, et suggestiones diabolicæ per specialem Dei externam protectionem et providentiam avertuntur, ne homo in ea incurrat.

233. — **Quæritur IV.** *Utrum privilegium vitandi venialia sit idem ac confirmatio in gratia?* [1]

Resp. *Negative.* Donum confirmationis in gratiâ est: *Auxilium divinum, reddens justum in gratiâ stabilem, et absolute aut secundum quid impeccabilem. (Polm.)* — Donum istud dat homini *non posse* peccare mortaliter aut venialiter, juxta modum quo datur, et consistit in quadam gratiæ sanctificantis abundantiâ et perfectione « quæ ita » potentiam liberi arbitrii implet, ut in contrarium flecti non possit, » non quidem tollendo naturam libero arbitrio, sed defectum. » *(S. Th., 3 Sent., D. 3, a. 2, q. 1, sol. 3).*

Donum igitur confirmationis infert impotentiam consequentem ad peccandum, redditque hominem impeccabilem sive absolute, sive secundum quid, juxta modum quo datur.

Privilegium verò vitandi venialia confert quidem homini potentiam antecedentem ad non peccandum venialiter, non infert autem impotentiam consequentem ad peccandum, ac proinde nec reddit hominem impeccabilem. Qui igitur accepit privilegium ad non peccandum, potest per totam vitam vere et realiter vitare omnia et singula venialia, ita ut in nullum unquam incidat; sed potest gratiis concessis non uti, et in peccatum consentire. Cujus manifestum habemus exemplum in Adamo innocenti, qui habuit privilegium vitandi omnia mortalia et venialia, et tamen in peccatum incidit.

Privilegium proinde est distinctum a dono confirmationis, imò et separabile ab eo. In Adamo innocenti adfuit privilegium, defuit autem donum confirmationis; in Apostolis post diem Pentecostes adfuit donum confirmationis quoad mortalia, defuit verò privilegium vitandi venialia; in B. V. Mariâ adfuit simul privilegium et donum confirmationis, quo evenit, ut ipsa nunquam peccarit, nec peccare potuerit.

[1] Cf. *Salmant.*, Disp. 2, dub. 7, § 4, n. 230; p. 270. - *Paul. a Concept.*, Disp. 1, dub. 5, § 2, n. 97; p. 126.

234. — **Quæritur V.** *Quibus collatum fuerit privilegium vitandi omnia venialia?* [1].

Resp. 1° *De fide* est, ex Tridentino, *Sess. VI, can. 23*, privilegium vitandi omnia venialia per totam vitam concessum fuisse B. V. Mariæ: illud in Mariâ exigebat dignitas Deiparæ. « Illos, quos Deus ad ali- » quid eligit, *ait S. Thomas*, ita præparat et disponit, ut ad id ad » quod eliguntur, inveniantur idonei... Beata autem Virgo fuit electa » divinitus ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitandum quin Deus » per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddiderit... Non autem » fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando... Et ideo simpli- » citer fatendum est quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, » nec mortale nec veniale; ut sic in ea impleatur quod dicitur (Cant. » IV, 7): *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* » *(P. 3, q. 27, a. 4).*

2° Certum est etiam, Deum idem aliis sanctis conferre potuisse privilegium: non enim est abbreviata manus Domini ut quos vellet, ab omni labe præservare posset, infundendo tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum voluntas amplius in malum ferri non posset, sicuti in B. V. Mariâ contigit.

Imò non desunt qui doceant aliquos justos eximiæ sanctitatis, ut Jeremiam, Joannem Baptistam, Josephum, etc., illud privilegium etiam accepisse, et nunquam ne venialiter quidem in toto vitæ cursu peccasse [2].

3° Communis tamen Doctorum sententia, quam Salmanticenses [3] censent esse de fide, docet privilegium vitandi omnia venialia nulli homini, solâ Virgine Deiparâ exceptâ, fuisse concessum; omnes verò, etiam sanctissimos, in aliquibus venialiter deliquisse.

Ratio est, quia S. Scripturæ testimonia, quibus docemur neminem esse absque peccato, regulam statuunt generalem pro omnibus hominibus. Porrò, a regula generali nemo debet eximi, nisi adsit sufficiens exemptionis fundamentum. Atverò, nullum nec ex Scripturâ, nec ex Traditione suppetit fundamentum ad aliquos ab illa generali regulâ eximendos, solam si excipias B. V. Mariam. Imò, traditio confirmat nullum unquam hominem, Virgine Deiparâ exceptâ, ab omni prorsus peccato fuisse immunem.

[1] Cf. *Salmant.*, Disp. 2, dub. 7, n. 227; p. 266. - *Curiel*, In q. 109, a. 8, dub. 2; p. 813. - *Gabriel a S. Vinc.*, Disp. 5, q. 4; p. 189. — [2] Ita *Catharinus*, De prædest. Christi, L. 2; *Lorinus* et *Abulensis*, In Ps. 45, vers. 6. — [3] Disp. 2, dub. 7, n. 227; p. 268.

Agens contra Pelagium, qui plures sanctos, ut Abel, Enoch, Melchisedech, Joseph, Annam, Joannem, Elisabeth, etc., absque omni peccato vixisse dixerat, scribit *S. Augustinus:* « Exceptâ S. Virgine Ma» riâ... si omnes illos sanctos et sanctas, cum hìc viverent, congre» gare possemus et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse » responsuros putamus? utrum hoc quod iste (Pelagius) dicit, an quod » Joannes Apostolus? Rogo vos, quantâlibet fuerint in hoc corpore » excellentiâ sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne unâ » voce clamassent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos » ipsos decipimus, et veritas in nobis non est. » *(De nat. et grat., c. 26. M. 44, c. 267).*

Et *S. Hieronymus*, contra eosdem Pelagianos scribens, ait: « Hoc » quod asseris, posse hominem sine peccato esse si velit, monstra » factum esse de præterito, aut certe nunc fieri: de futuro postea vi» debimus. Quod si nullum potes ostendere, qui sine omni omninò » peccato aut sit, aut fuerit, restat, ut de futuro tantum disputatio » sit. Interim in duobus temporibus, præterito atque præsenti victus » teneris. Si aliquis fuerit postea major Patriarchis, Prophetis, Apo» stolis, qui peccato careat, tunc futuris de futuro, si potueris, per» suadeto. » *(Adv. Pelag., L. 3, n. 3. M., 23, c. 572).*

4° Probabile nihilominus videtur, aliquibus sanctis eximiæ perfectionis concessum fuisse privilegium vitandi omnia venialia in materiâ quadam speciali et determinatâ. Sic, v. gr., plures existimant, et quidem meritò, S. Joannem Baptistam sermone nunquam peccasse; quod inferri posse putant ex ipsius hymno: *Antra deserti teneris sub annis, — Civium turmas fugiens petisti, — Ne levi posses maculare vitam — Crimine linguæ.* — Iidem affirmant S. Josephum, saltem post suam cum B. V. Mariâ desponsationem, omni inordinato libidinis motu caruisse; et S. Benedictum, S. Thomam, et S. Franciscum Ass., ob eximiam victoriam contra stimulos carnis, iisdem stimulis postea omninò caruisse, et sub hoc respectu ab omni veniali fuisse immunes [1].

[1] Cf. *Grandi,* In q. 109, a. 8, dub. 4, concl. 6; p. 384. - *Gonet,* Disp. 1, a. 7, n. 342; p. 679.

CAPUT IV.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD PERSEVERANDUM [1].

235. — « Virtus boni operis, *inquit S. Bernardus*, perseverantia » est; huic soli redditur corona justitiæ. Quid enim prodest esse bo- » num, esse sapientem, esse potentem, si non perseveraveris usque in » finem?... *Qui perseveraverit usque in finem*, Dominus inquit, *hic* » *salvus erit.* (Matth. X, 22). Finis, non pugna coronat. Lauda navi- » gantis felicitatem, sed cum venerit ad portum. » (*Vitis myst., c. 14. M., 184, col. 664).*

Omnes quidem ad portum æternæ felicitatis sunt vocati, sed pauci applicant. « Incipere multorum est, perseverare paucorum », *ait S. Bernardus, (Serm. 51, n. 10. M., 183, c. 658).* Permulti enim, postquam manum ad aratrum miserunt, retrò respiciunt, et ideò regno Dei apti non sunt. *(Luc. IX, 62).*

Cum igitur non sufficiat manum ad aratrum misisse, id est, vitam justam incœpisse, sed illis solis concedatur corona vitæ, qui ad mortem usque fideles inventi fuerint, idcirco post considerationem de necessitate gratiæ ad bonum faciendum et ad non peccandum, apte quæritur tum de ejusdem necessitate ad fideliter perstandum in acceptâ justitiâ, tum de mediis, quibus tantum bonum nobis procurare valeamus.

236. — **Notio perseverantiæ.** — Teste S. Thomâ: « perseverantia » dupliciter dicitur. Quandoque enim est specialis virtus; et sic est » quidam habitus, cujus actus est habere propositum firmiter ope- » randi: et sic perseverantiam habet omnis habens gratiam, quamvis » non sit usque in finem perseveraturus. Alio modo accipitur perse- » verantia prout est circumstantia quædam virtutis designans perma- » nentiam virtutis usque in finem vitæ. » *(De Verit., q. 24, a. 13, ad 3).*

De solâ perseverantiâ secundo sensu acceptâ instituitur hæc nostra disputatio.

Sic intellecta, perseverantia in genere definitur: *Actualis continuatio in statu gratiæ sanctificantis.*

[1] Cf. *S. Th.*, q. 109, a. 10; Cont. Gent., L, 3, c. 155. - *S. Alph.*, Magn. orat. med., c. 3, § 4. - *Ysamb.*, In q. 109, disp. ult. - *Grandin*, In q. 109, a. 10. - *Gibbon*, Disp. 32, dub. ult.; T. 3, p. 409. - *Gonet*, Clyp., Disp. 1, a. 8; p. 680. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 6; p. 194.

A perseverantiâ actuali distingui debet *potestas perseverandi*. *Potestas perseverandi* est facultas quam homo habet ex gratiâ, ut possit in acceptâ justitiâ ad finem usque vitæ permanere, ita ut si excidat e gratiâ et coronam vitæ non adipiscatur, hoc ipsius culpæ solum est adscribendum. *Actualis perseverantia*, ut nomen indicat, est actualis permanentia in acceptâ justitiâ.

Perseverantia actualis est vel perfecta, vel imperfecta. *Perfecta* est continuatio in statu gratiæ usque ad finem vitæ inclusive, seu, ut ait S. Augustinus, est in acceptâ justitiâ « stabilis et perpetua permansio. » *(De divers. quæst., q. 21. M., 40, c. 21)*. Vocatur perseverantia *finalis*, quæ a S. Augustino et a Concilio Tridentino vocatur *magnum Dei donum*. De hâc intelliguntur verba Domini, (Matth. X, 22): *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* « Asserimus ergo, » *ait S. Augustinus*, donum Dei esse perseverantiam quâ usque in » finem perseveratur in Christo. Finem autem dico, quo vita ista fini- » tur, in quâ tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque utrum » quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum » est. Si enim priusquam moriatur cadat, non perseverasse utique » dicitur, et verissime dicitur. » *(De dono persev., c. 1. M., 45, c. 993)*.

Imperfecta est continuatio in statu gratiæ per tempus majus vel minus notabile, quæ tamen usque ad finem vitæ inclusive non perdurat. Vocatur perseverantia *imperfecta* vel *secundum quid*, quia non perducit ad salutem. De eâ intelliguntur verba Domini, (Luc. IX, 62): *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* De hâc agens S. Augustinus, scribit: « Sed ne quisquam » reluctetur et dicat: Si ex quo fidelis quisque factus est, vixit, verbi » gratia, decem annos, et eorum medio tempore a fide lapsus est, » nonne quinque annos perseveravit? Non contendo de verbis, si et » illa perseverantia putatur esse dicenda, tanquam temporis sui: hanc » certe de quâ nunc agimus perseverantiam, quâ in Christo perseve- » ratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non » perseveraverit usque in finem. » *(De dono persev., c. 1. M., 45, c. 995)*.

237. — Perseverantia finalis spectari potest vel in suâ parte formali, vel in suâ parte materiali.

Considerata *formaliter*, perseverantia finalis est *conjunctio gratiæ cum morte*, seu το terminare vitam in statu gratiæ: in eo enim situm est donum perseverantiæ, quo perseverantes a non perseverantibus distinguuntur. Atqui perseverantes a non perseverantibus per hoc distinguuntur, quod videlicet in gratiâ moriantur, alii verò non, licet hi aliquando plus gratiæ et virtutis habuerint. — Hæc est ejusdem

rationis in omnibus, quippe quæ pro omnibus in conjunctione gratiæ cum morte consistat. Sive enim homo statim post acceptam justitiam moriatur antequam peccare potuerit, sive per multos annos in statu justitiæ fideliter vixerit, dummodo moriatur Christo per gratiam insertus, in Christo perseverasse dicendus est, et coronam vitæ accipiet. « Perseverantiam, quâ in Christo perseveratur usque in finem, *inquit* » *S. August.*, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem; potiusque hanc habuit unius anni fidelis, et » quantum infra cogitari potest, si donec moreretur fideliter vixit, » quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem a fidei » stabilitate defecit. » *(De dono persev., c. 1. M., 45, c. 995).*

Considerata *materialiter*, perseverantia finalis est: *actualis continuatio in justitiâ absque interruptione usque in finem vitæ. (Polm.).* Complectitur totum illud temporis spatium, quod ab ultimâ hominis justificatione usque ad ejus mortem decurrit. — Hæc in diversis diversa est. Alii enim moriuntur statim ac gratiam acceperunt, vel paulò post, ut v. gr., bonus latro in cruce; vel antequam peccato gratiam amittere potuerint, sicut pueri qui post baptismum ante usum rationis decedunt: horum perseverantia vocatur *passiva*, quia justificatione semel acceptâ, Deo militare non indiguerunt, sed gloriam illicò absque ullo vel fere ullo proprio labore adepti sunt. Alii verò semel justificati supremum diem nonnisi post longam vitam obeunt: horum perseverantia nuncupatur *activa* vel *operativa*, quia per tempus magis vel minus notabile satagere debent, ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faciant, *(II Petr. I, 10);* et tanquam boni milites Christi laborare et Deo militare debent in agone, nec coronantur nisi postquam diu legitime certaverint, *(II Tim. II, 3-5).*

Inquirendum est igitur utrum speciale requiratur Dei donum, ut homo in gratiâ perseveret, atque in statu gratiæ moriatur.

238. — Pelagiani, quemadmodum hominem propriis viribus absque gratiæ actualis auxilio bonum salutare efficere posse contenderunt, ita etiam docuerunt quemlibet ex propriis viribus, non autem ex dono Dei habere, ut ad mortem usque in justitiâ perseveret.

Jansenistæ contrà, præsertim Arnaldus, *(in suâ dissertatione de gratiâ efficaci)*, docent omnes illos justos, qui gratiam amittunt et in peccato moriuntur, in suâ potestate non habere ut perseverare possint. Contendunt enim auxilium speciale necessarium ad perseverandum, esse ipsissimam delectationem relative victricem, quæ virtute suâ intrinsecâ et ineluctabili voluntatem ad bonum exsequendum et ad perseverandum necessariò applicet. Quæ gratia si adsit, homo ne-

cessitatur ad perseverandum; si verò desit, homo in omnimodâ impossibilitate versatur ad perseverandum, cum ei desit simul tum gratia illa relative victrix, tum medium eam obtinendi.

Ad doctrinam igitur catholicam stabiliendam, sint sequentes propositiones.

Propositio I.

Perseverantia parvulorum qui ante usum rationis, et adultorum qui statim post acceptam justitiam in gratiâ decedunt, est speciale Dei donum.

239. — Propositio est *communis.*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus, (Sap. IV, 11-14): *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius... Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Quæ verba SS. Patres, ut *S. Hieronymus* [1], *S. Cyprianus* [2], *S. Gregorius Nyss.* [3], *S. Augustinus* [4], de parvulis aut de adultis præmaturâ morte sublatis explicant.

S. Gregorius Nyss., ad prædicta verba alludens, Deum sapienti pædagogo comparat: sicut is puerum ex amore a longiori convivio abducit ne nimiâ epulorum sumptione sibi nocumentum inferat, ita Deus speciali ex amore quosdam a mundi convivio citius aufert, ne vitiis inquinentur et pereant. *(Loc. cit., col. 183).* Et *S. Augustinus* in illâ præmaturâ morte *magnum Dei beneficium* agnoscit, singulareque divinæ dilectionis argumentum.

240. — Prob. II. **Ex Traditione.** Scribit *S. Augustinus:* « Videte » a veritate quam sit alienum, negare Dei donum esse perseverantiam » usque in finem hujus vitæ: cum vitæ huic, quando voluerit, ipse » det finem; quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem » perseverare usque in finem. Sed mirabilior et fidelibus evidentior » largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis, quibus obedientia » non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia. » *(De dono persev., c. 17. M., 45, c. 1018).*

241. — Prob. III. **Ex Ratione.** Adultum post acceptam justitiam e vivis statim decedere, vel parvulum baptizatum ante usum rationis mori, effectus est specialis providentiæ Dei prædestinantis, qui horum

[1] Epist. 39, ad Paulam, n. 3. M., 22, c. 468. — [2] De Mortal., n. 23. M., 4, c. 598. — [3] De infantibus qui præmature abripiuntur. M., 46, c. 178 et seq. — [4] De prædest. Sanct., c. 14; et De corrept. et gr., c. 8.

mortem pro tempore, quo sunt in gratiâ, disponit, nec eos diutius vivere sinit, ne gravibus expositi tentationibus, et subditi vertibilitati arbitrii, gratiam amittant antequam moriantur, juxta illud: *Raptus est*, etc. Hæc autem specialis divinæ providentiæ dispositio, cum habeat cum hominis salute infallibilem connexionem, est speciale Dei donum et beneficium, saltem externum, quo evenit ut pro hujusmodi hominibus gratia cum morte conjungatur. « Donum Dei esse, *ait S. Augu-* » *stinus*, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in » malum. » *(De corrept. et gr., c. 8. M., 44, c. 927).* Et, *(loc. cit., cap. 7, col. 924)*, divinæ gratiæ largitati attribuit quod « nonnulli, acceptâ » gratiâ, in qualibet ætate periculis hujus vitæ mortis celeritate sub- » trahuntur. »

242. — **Objicitur.** Infusio gratiæ sanctificantis est beneficium commune ordinis supernaturalis. Similiter mors præmatura est quid naturale, cum ex causis naturalibus et plerumque mere casualibus proveniat. Cum igitur impossibile sit parvulos gratiam peccato amittere, adultis verò statim post acceptam justitiam morientibus sæpe nullum occurrat præceptum implendum aut tentatio vincenda, ad eorum perseverantiam non requiritur speciale Dei beneficium. Horum igitur perseverantia dici nequit speciale Dei donum.

Resp. Prædictâ ratione ducti, nonnulli docuerunt horum perseverantiam nequaquam ex speciali Dei dono procedere; Patrumque testimonia, qui perseverantiam speciale Dei donum dicunt, de solâ perseverantiâ activâ, quæ diuturno tempore durat, intelligenda esse autumarunt [1]. *Communis* tamen et *certa* theologorum sententia docet, perseverantiam parvulorum esse speciale Dei donum. Unde, ad objectionem respondetur:

1° Infusio gratiæ habitualis est beneficium generale et commune ordinis supernaturalis, *dist.:* si nude, secundum se spectatur, *conc.;* si spectatur prout concessa a Deo ex intentione ut conjungatur cum morte, habeatque cum eâ infallibilem connexionem, *nego.* Cum enim procedat ex efficaci intentione Dei prædestinantis, major est in ratione beneficii infusio gratiæ cum morte conjungendæ, quam gratiæ postea per peccatum amittendæ.

2° Mors est naturalis, nec Dei donum dicenda, *dist.:* mors nude in se spectata, quatenus finem imponit vitæ, *conc.;* sic enim conside-

[1] Cf. *Salmant.*, Disp. 3, n. 238; T. 9, p. 498. - *Oviedo*, Contr. 4, punct. 4, n. 73; p. 690. - *Gonet*, Clyp., Disp. 1, a. 8, n. 349; p. 681.

rata est pœna peccati, non autem donum Dei; — quatenus est instrumentum a Deo dispositum, per quod transitur ad gloriam, et quo Deus utitur ad hominem immobiliter stabiliendum in gratiâ consummatâ, *nego*. Licet enim causæ mortem inferentes sint naturales aut mere casuales, Deo tamen, supremo omnium Ordinatori, sunt subditæ; quare, quum Deus eisdem utitur ad finem imponendum vitæ quando anima est in gratiâ, hoc ex speciali Dei benevolentiâ procedit. Et sic ex speciali beneficio « tantam Deus fidei præstitit gratiam, ut mors, » quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret per quod » transiretur ad vitam. » *(S. August., De Civit. Dei, L. 13, c. 4. M., 41, c. 380).*

Propositio II.

Justis omnibus datur gratia vere sufficiens cum quâ, saltem mediate, per orationem uberius impetrando auxilium, possunt perseverare usque ad mortem [1].

243. — Propositio est *de fide*, contra Jansenistas.

NB. Hæc propositio est correlativa cum illis, quibus supra probatum est, hominem justum, adjuvante gratiâ, omnes tentationes vincere et legem adimplere posse: siquidem *posse perseverare* idem est ac posse peccatum mortale usque in finem vitare. Ut enim sapienter monet S. Augustinus: « Neque enim quisquam in proposito christiano » perseverare desistit, nisi in tentationem primitus inferatur. » Unde, « qui non infertur in tentationem non discedit a Deo. » *(De dono persev., c. 5 et 7. M., 45, c. 999 et 1001).* Cum igitur justus ex gratiâ habeat ut possit in tentationem non inferri, id est, ei non succumbere, habet etiam ut possit a Deo non discedere, et in acceptâ justitia perseverare.

Præterea, discipulis suis dixit Christus Dominus, (Joan. XV, 10): *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ.* Cum igitur omnes justi possint ex gratiâ sibi concessâ omnia præcepta servare, possunt etiam in dilectione Christi remanere, quod idem est ac in acceptâ justitiâ perseverare.

244. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus, (Joan. XV, 4, 9): *Manete in me, et ego in vobis.... Manete in dilectione meâ.* — (Apoc. II, 10): *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* — (Apoc. III,

[1] Cf. *Ysamb.*, In q. 109, disp. ult., a. 5. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 6, q. 4 et 5. - *Tournely (Montan).*, P. 2, q. 3, a. 3, concl. 1.

11): *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* — (II Petr. I, 10): *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Hisce verbis jubentur fideles ut Christo inserti maneant, ut in dilectione perstent, ut coronam teneant quam suis meritis acquisierant, ut ad mortem usque fideles permaneant, ut suis operibus suam vocationem et electionem faciant certam: quæ omnia cum finali perseverantiâ arcte connectuntur, seu potius ipsammet constituunt perseverantiam. Sed Deus impossibilia non jubet. Ergo præcipiendo ut omnes justi in justitiâ stabiles permaneant, omnibus dat simul gratiam saltem remote sufficientem quâcum, si velint, in dilectione manere et finaliter perseverare valeant.

245. — Prob. II. **Ex Traditione.** Definivit Arausicanum II, *can. 25:* « Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod acceptâ per baptis» mum gratiâ omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ » ad salutem animæ pertinent, possint et debeant, si fideliter labo» rare voluerint, adimplere. » *(Labbe, IV, col. 1672).* Atverò, perseverantia imprimis est ad animæ salutem necessaria. Ergo omnes justi eam, cooperante Christo, habere possunt, si velint.

Legimus in Tridentino, *Sess. VI, cap. 11:* « Deus suâ gratiâ semel » justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur. » Jamverò, cum absque divino auxilio justus in acceptâ justitiâ perseverare absolute nequeat, si Deus alicui gratiam saltem remote sufficientem, quâ possit perseverare, denegaret, Deus semel justificatum desereret priusquam ab eo deseratur. Quilibet ergo justus sufficientem habet gratiam ad perseverandum.

Pluries affirmat S. Augustinus hominem in acceptâ justitiâ perseverare posse, si velit. Celebre est istud ipsius testimonium: « In eo » quod audieras et tenueras, in eo perseverares si velles. » *(De corrept. et grat., c, 7. M., 44, c. 923).* Quibus S. Doctor diserte affirmat, etiam justo non perseveranti concessam fuisse gratiam, quâ perseverare potuisset.

246. — Prob. III. **Ex Ratione.** 1° Deus voluntate verâ, seriâ, sed antecedente, vult omnes salvos fieri. Ergo omnibus etiam elargitur media, saltem remote sufficientia, quæ ad salutem sunt necessaria. Atqui, medium ad salutem prorsus necessarium est finalis perseverantia. Ergo, etsi omnibus justis non det actualem perseverantiam, omnibus tamen dat auxilium sufficiens ad eam obtinendam.

2° Quilibet homo salutem sperare tenetur. Cum autem nemo ad impossibile teneatur, sitque salus absque finali perseverantiâ omninò

impossibilis, sequitur quemlibet habere in suâ potestate, utique vi adjuvantis gratiæ, ut possit perseverantiam adipisci. Quilibet ergo justus habet sufficiens auxilium ad perseverandum.

3° Illud in nostrâ dicimur habere potestate, quod nobis procurare possumus. Porro, licet nemo possit perseverantiam de condigno mereri, potest tamen quilibet, sicuti infra dicetur *n. 1058, 4°* viâ impetrationis eam sibi, et quidem infallibiliter emereri. Quilibet ergo in suâ potestate habet ut possit perseverare.

4° Ex solâ hominis culpâ et vitio est, quod gratiâ ad recte agendum et perseverandum necessariâ privetur, secundum illud (Os. XIII, 9): *Perditio tua, Israel.* Atqui nulla omninò ex parte hominis justi culpa aut causa fingi potest, cur ipsi Deus gratiam saltem remote sufficientem deneget, sine quâ nec præcepta implere, nec perseverare potest. Ergo.

Prob. minor. Illa causa foret vel peccatum originale, vel concupiscentia, vel peccatum actuale. Atqui nullum horum dici potest. *a) Non peccatum originale,* quippe quod in justis non adsit, secundum illud Tridentini, *Sess. VI, cap. 5:* « In renatis nihil odit Deus. » — *b) Non concupiscentia,* quæ in renatis non est peccatum. — *c) Non peccatum actuale præcedens:* agitur enim de primâ gratiâ, quæ justo denegaretur; ac proinde, si in aliquod peccatum lapsus supponatur, de hoc ipso quæri debet, cur gratiâ ad illud vitandum necessariâ privatus fuerit.

247. — Objicitur. Prædestinatio non est in hominis potestate; nec Deus omnes justos prædestinavit, sed eos tantum, quos elegit ante mundi constitutionem. Atqui perseverantia arcte connectitur cum prædestinatione, cum omnes perseverantes sint prædestinati, soliique prædestinati actu perseverent. Ergo nec perseverantia potest esse in hominis potestate.

Resp. Prædestinatio non est in hominis potestate, *dist.:* prædestinatio *adæquate sumpta,* prout scilicet includit tam præparationem gratiæ, quam electionem ad gloriam, *conc.;* de fide enim est contra Pelagianos, neminem primam gratiam neque de condigno neque de congruo mereri posse; proinde electio ad primam gratiam nullâ ratione potest esse in hominis potestate; sed cui gratia conceditur, gratis conceditur. — Prædestinatio *inadæquate sumpta,* prout scilicet connotat solam electionem efficacem ad gloriam, non est in hominis potestate, *subdist.:* juxtà eorum systema, qui admittunt eam electio-

nem factam esse ante prævisa merita, *transeat*[1]; juxta eorum systema, qui admittunt prædestinationem formalem ad gloriam post prævisa merita, *nego*. Sicut enim docuimus in tractatu *De Deo (Institutiones, n. 529 et ss.)*, Deus qui seriò vult omnes salvos fieri, neminem ante prævisa demerita a gloriâ excludit, sed omnibus dat gratias ad salutem vere sufficientes, præsertim gratiam orationis, quâ mediante quilibet, uberiores gratias efflagitando, salutem potest consequi. Quos Deus gratiis bene usuros, præsertim quos precaturos sicuti et quantum debent, prævidet, eos eligit ad gloriam. Proinde, sicut ipsam electionem efficacem ad gloriam diximus esse in potestate hominis, ita etiam quilibet in suâ potestate habet, ut donum perseverantiæ sibi comparare valeat.

Propositio III.

Ut justus de facto ad mortem usque in Dei amicitiâ perseveret, præter gratiam sanctificantem et gratias actuales illi communiter annexas, requiritur speciale Dei auxilium, quod Concilium Tridentinum (can. 16) *vocat magnum perseverantiæ donum.*

248. — Propositio est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, can. 22:* « Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in acceptâ » justitiâ perseverare posse, vel cum eo non posse, A. S. »

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** In SS. Scripturis justorum perseverantia constanter exhibetur tanquam singularis effectus divinæ custodiæ specialis atque protectionis. Cum autem omnes justi gratiâ sanctificante ornentur, habeantque ex communi supernaturali providentiâ gratias actuales gratiæ sanctificanti communiter annexas, manifestum est eos, licet possint perseverare cum gratiis illis ordinariis, indigere tamen, ut de facto perseverent, specialiori divini adjutorii auxilio.

Legimus, (Joan. XVII, 11 et ss.): *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi... Quum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo... Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* Quibus verbis intelligimus Apostolorum conservationem in bono fuisse specialis divinæ custodiæ effectum.

(I Petr. V, 10): *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, con-*

[1] Quomodo propositæ difficultati satisfaciant patroni prædestinationis ante prævisa merita, vide apud *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 6, a. 5, n. 55; p. 217.

firmabit, solidabitque. — (Philipp. I, 6): *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* His constat solius Dei esse in nobis usque in finem perficere, quod cœpit in nobis; ipsius solius esse nos in vocatione ad gloriam ita perficere, et confirmare, atque solidare, ut nunquam excidamus.

(Jerem. XXXII, 40): *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.* In quæ verba scribit S. Augustinus: « Quod quid aliud » est, quam talis et tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, » ut mihi perseveranter adhæreant. » *(De dono persev., c. 2. M., 45, c. 996). — Pro uberioribus textibus, cf.* Cercia, De Grat., *vol. 2, sect. 2, lect. 8; p. 170; et* S. Augustinum, *De corrept. et grat., c. 6. M., 44, c. 921; et* S. Prosperum, *De Vocat. gent., c. 24. M., 51, c. 683.*

249. — Prob. II. **Ex Traditione.** — 1° *Ex Conciliis.* Legimus in Conc. *Arausicano II*, can. 10: « Adjutorium Dei etiam renatis ac » sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel » in bono possint opere perdurare. » *(Labbe, T. IV, c. 1669).* Ergo præter gratiam sanctificantem et auxilia ei annexa, ad perseverandum novum aliquod auxilium necessarium est, quod etiam a sanctis semper est implorandum.

In Conc. *Tridentino, Sess. VI, cap. 13*, legimus: « Similiter de per- » severantiæ munere, de quo scriptum est: *Qui perseveraverit usque in* » *finem, hic salvus erit:* quod quidem aliunde haberi non potest, nisi » ab eo qui potens est eum qui stat statuere, ut perseveranter stet, et » eum qui cadit restituere. »

2° *Ex Patribus.* S. Augustinus totus in eo est, ut contra Pelagianos probet perseverantiam usque in finem esse magnum Dei donum. *Cf. De Corrept. et grat., c. 6. M., 44, c. 921; De dono persev., M., 45, c. 993 et ss.*

« Nos, *inquit*, negare non possumus, etiam perseverantiam in » bono proficientem usque in finem, magnum Dei munus esse; nec » esse nisi ab illo de quo scriptum est: Omne datum optimum, et omne » donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. » *(De corrept. et gr., c. 6. M., 44, c. 921).*

S. Prosper: « Cum autem dubium non sit donum Dei esse perse- » verantiam in bono usque ad finem, quam istos, ex eo ipso quod non » perseveraverunt, non habuisse manifestum est, non est calumnian- » dum Deo, quare istis non dederit quod aliis dedit. » *(Resp. 7 ad cap. Gallor. M., 51, c. 162).*

S. Hieronymus: « Agamus semper gratias largitori; sciamusque nos » nihil esse, nisi quod donavit, in nobis ipse servaverit, dicente Apo-

» stolo: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei* (Rom. IX, 16). » Velle et currere meum est; sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio » non erit meum... Semper largitor, semperque donator est. Non mihi » sufficit, quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto ut acci- » piam; et cum accepero, rursus peto. » *(Ep. ad Ctesiphontem, n. 6, M., 22, c. 1154).*

S. Cyprianus, in sua expositione *de Oratione dominicâ*, perseverantiam Dei donum esse commendat. *Cf. S. Augustinum*, De Dono persev., n. 4 et ss. M., 45, c. 996, ubi S. Cypriani verba refert et commentariis illustrat.

250. — Prob. III. **Ex Ratione.** — 1° *Ex oratione.* Omnes Sancti a Deo perseverantiam petunt. « An ab illo (Deo), *inquit S. August.*, per- » severantia ista forte non poscitur? Jam hoc qui dicit, non meis dis- » putationibus refellendus, sed sanctorum orationibus onerandus est. » An vero quisquam eorum est, qui non sibi poscat a Deo ut perse- » veret in eo? » *(De dono persev., c. 2. M., 45, c. 996).* Atqui, teste S. Augustino, *(loc. cit.):* « Ista irrisoria petitio est, cum id ab eo » petitur quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in ho- » minis potestate. » Ergo Sancti ex gratiâ habituali et auxiliis ei communiter annexis in suâ potestate non habent, ut actualiter ad finem usque perseverent; sed eorum finalis perseverantia est « magnum » Dei donum, quo cætera dona ejus conservantur » ut ait S. Augustinus, *(loc. cit.).*

Prob. major. Ecclesia in publicis suis orationibus perseverantiam a Deo perpetim efflagitat. Orat: ut det fidelibus *perseverantem in suâ voluntate famulatum;* ut Ecclesiam faciat *in sui nominis confessione perseverare;* ut det cunctis *qui christianâ professione censentur, ea respuere quæ huic inimica sunt nomini; ut nominis sui timorem pariter et amorem faciat nos habere perpetuum; ut sua circa nos propitiatus dona custodiat; ut præstet ne ad ullum declinemus peccatum, sed semper ad ejus justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera;* etc.

Fideles omnes in *Oratione dominicâ* perseverantiam sibi expostulant. In verba *Sanctificetur nomen tuum,* ait *S. Cyprianus:* « Id pe- » timus et rogamus, ut qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo quod » esse cœpimus perseveremus... Hæc sanctificatio ut in nobis perma- » neat oramus;... hanc continuis orationibus precem facimus, hoc die- » bus et noctibus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio quæ de Dei » gratiâ sumitur, ipsius protectione servetur. » *(De Orat. domin., n. 12, M., 4, c. 527. — Cf.* S. August., *De dono persev., c. 2. M., 45, c. 996).*

Orat *S. Hilarius:* « Conserva, oro, hanc fidei meæ incontaminatam » religionem, et usque ad excessum spiritus mei dona mihi hanc con- » scientiæ meæ vocem, ut quod in regenerationis meæ symbolo, bapti- » zatus in Patre, Filio et Spiritu Sancto professus sum, semper obti- » neam. » *(De Trinit., L. 12, n. 57. M., 10, c. 471).*

Jam in antiquo fœdere regius Psaltes perseverantiam a Deo continuò efflagitavit, præsertim in Ps. 118°, in quo orat: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque. Ne repellas me a mandatis tuis. Confirma me in verbis tuis. Viam iniquitatis amove a me,* etc. — Et (Ps. LXVII, 29): *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.*

251. — 2° *Ex conditione naturæ humanæ.* Illud habet rationem doni specialis, quod hominis etiam justi et gratiis actualibus muniti conditionem, exigentiam et meritum supergreditur. Atqui ejusmodi est finalis perseverantia. Ergo perseverantia finalis est speciale Dei donum.

Major patet. — Prob. min. a) Perseverantia est supra hominis etiam justi conditionem et exigentiam. Homo in statu viæ est ex naturâ suâ vertibilis de bono in malum; quæ vertibilitas non aufertur in hac vitâ per gratiam habitualem et gratias actuales ei communiter annexas: gratia enim habitualis infunditur amissibiliter, et quolibet peccato mortali reapse amittitur; gratiæ verò actuales libero committuntur arbitrio, quod eis semper resistere potest. Quod autem ex naturâ suâ est vertibile de bono in malum, illud se in bono ita immutabiliter statuere non potest, ut in eo indeclinabiliter perseveret, nec habet exigentiam ut ab alio sic stabiliatur in bono, alioquin cessaret esse vertibile et mutabile. — *b) Est supra meritum;* quia nemo sibi perseverantiam de condigno vel de congruo infallibili mereri potest. — Igitur cum finalis perseverantia hominem immobiliter statuat in bono, hocque debeatur nec ejus conditioni, nec naturali ejus exigentiæ, nec ulli merito, sequitur perseverantiam esse speciale Dei donum.

Apposite *S. Thomas:* Perseverantia, *inquit,* « alio modo potest accipi » pro actu perseverantiæ durante usque ad mortem; et secundum hoc, » indiget non solum gratiâ habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio, » conservantis hominem in bono usque ad finem vitæ... Quia cum libe- » rum arbitrium de se sit vertibile, et hoc ei non tollatur per habitualem » gratiam præsentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrii, etiam re- » parati, ut se immobiliter in bono statuat, licet sit in potestate ejus » quod hoc eligat: plerumque enim cadit in nostrâ potestate electio, sed » non exsecutio. » *(2. 2, q. 137, a. 4. Cf. Cont. Gent., L. 3, cap. 155).*

252. — Specialis divini hujus auxilii necessitas ad actu perseverandum ex eo adhuc ostenditur evidentior, quod in præsenti vitâ voluntas innumeris objicitur impedimentis a carne, a dæmone, et a mundo provenientibus, quibus ob innatam suam mutabilitatem et infirmitatem moraliter impossibile est, ut aliquando non consentiat, nisi divinitus adjuvetur... « Et ideo, *ait S. Thomas*, postquam aliquis est justificatus » per gratiam, necesse habet a Deo petere prædictum perseverantiæ » donum, ut scilicet custodiatur a malo usque ad finem vitæ. » *(Q. 109, a. 10).*

Prædictam hominis infirmitatem, atque ex eâ fluentem doni specialis necessitatem ad perseverandum, perbelle describit *S. Augustinus:* « Tantum Spiritu Sancto, *inquit*, accenditur voluntas eorum (sancto- » rum), ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus ope- » ratur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, ipsis relinque- » retur voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non » possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; » inter tot et tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succum- » beret, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate non » vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possint. Subven- » tum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ inde- » clinabiliter et insuperabiliter ageretur; et ideo, quamvis infirma, non » tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur. Ita factum ut » voluntas hominis invalida et imbecilla in bono adhuc perseveraret » per virtutem Dei: cum voluntas primi hominis fortis et sana in bono » ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii; quamvis » non defuturo adjutorio Dei sine quo non posset perseverare si vellet, » non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortissimo quippe » dimisit atque permisit facere quod vellet: infirmis servavit, ut ipso » donante invictissime quod bonum est vellent, et hoc deserere » invictissime nollent. » *(De corrept. et grat., c. 12, n. 38. M., 44, c. 939).*

253. -- **Corollarium.** Ex dictis colligere licet cur a S. Augustino et a Tridentino perseverantia vocetur *magnum Dei donum.*

Vocatur *donum*, quia est supra conditionem et exigentiam hominis etiam justificati. Homo enim, etiam justificatus et in sanctitate provectus, neque habet in se ut seipsum possit in bono immobiliter statuere; neque ullum jus habet ut illud donum sibi a Deo conferatur, neque illud proprie mereri potest. Quibus ergo datur perseverantia, gratis datur.

Vocatur *magnum*, ratione scilicet singularis Dei benevolentiæ erga illos, quibus illud elargitur. Est enim perseverantia effectus specialis providentiæ Dei prædestinantis, imo et cum prædestinatione quodammodo convertibilis; quare, sicut docet S. Augustinus, datur omnibus prædestinatis, et solis prædestinatis [1]. — Vocatur etiam *magnum* ratione effectûs, quia scilicet perseverantia est infallibiliter connexa cum gloria: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (Matth. XXIV, 13). Idcircò, concesso dono perseverantiæ, non potest amplius amitti gloria, et omnia cætera Dei dona confirmantur; illo verò dono negato, ad salutem nequaquam inserviunt cætera Dei dona.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

254. — Objicitur I. Qui habet jus ad finem, habet jus ad media. Atqui quilibet justus habet jus ad gloriam; perseverantia autem finalis est medium necessarium ad gloriam. — Præterea, jura amicitiæ expostulant ut amicus amicum a lapsu præservet; justus autem est Dei amicus. Ergo quilibet justus, tam ratione juris ad gloriam, quam ratione amicitiæ, habet jus ad perseverantiam. Perseverantia proinde nequit esse donum speciale.

Resp. 1° Qui habet jus ad finem, habet jus ad media, *dist.:* habet jus ad media sufficientia, quibus si velit, possit finem consequi, *conc.;* habet jus ad media quibus infallibiliter et indeclinabiliter finem obtineat, *nego.* — *Quoad min.:* Atqui justus habet jus ad gloriam, *dist.:* Quamdiu Dei gratiam conservat, *conc.;* si eam amittit, *nego.* — Porro, cum gratia habitualis concedatur amissibiliter, homoque, quamdiu vivit, remaneat liber et mutabilis de bono in malum, illud jus ad gloriam in justo secum non trahit, ut hic supra conditionem tum propriæ naturæ tum ipsius gratiæ ita stabiliatur in bono, ut ab eo non amplius excidat.

2° Jura amicitiæ expostulant ut amicus amicum a lapsu præservet, *dist.:* expostulant ut amicus amico pro ejus conditione sufficientia conferat beneficia, quibus, si velit, possit in amicitia perstare, *conc.;* expostulant ut amicus amico ea omnia conferat beneficia, quæ sunt in suâ potestate, ut amicus in amicitiâ indeclinabiliter firmetur, atque ab ea nunquam recedat, *nego.*

Quoad concl.: Ergo quilibet justus habet jus ad perseverantiam, *dist.:* habet jus ad recipienda auxilia sufficientia, quibus, si velit,

[1] Cf. *Alvarez*, De Auxil., disp. 107; p. 693. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 6, q. 3; p. 204.

possit usque ad mortem Dei gratiam conservare, atque in ejus amicitiâ perstare, *conc.;* habet jus ad ea specialiora auxilia, quibus in Dei gratiâ et amicitiâ adeò immobiliter firmetur, ut ab eis nunquam excidat, *nego.* Proinde, si Deus justo auxilium concedit, quo ita firmatur in bono, ut indeclinabiliter in eo ad mortem usque perseveret, illud est tum supra conditionem et exigentiam hominis viatoris, et gratiæ sanctificantis, tum supra jura amicitiæ, et rationem habet doni specialis.

255. — **Objicitur II.** Cuilibet habitui operativo debetur concursus divinus proportionatus ad suum actum ponendum. Atqui, in quolibet justo adest habitus operativus perseverantiæ, cujus actus est perseverare. Ergo cuilibet justo debetur concursus divinus ad perseverandum. Et sic perseverantia nequit esse donum speciale.

Resp. *Conc. maj.* — *Quoad min.:* Actus habitûs perseverantiæ est perseverare, *dist.;* est perseverare actu usque in finem vitæ, *nego;* est efformare propositum firmiter perseverandi usque in finem, *conc.* Proprius enim actus perseverantiæ, quatenus est habitus infusus, ut docet S. Thomas, *(1. 2, q. 109, a. 10; et de Verit., q. 24, a. 13, ad 3),* non est actualis permanentia in bono usque in finem, sed unice propositum firmum perseverandi. Cum enim habitus ille fluat ex gratiâ, in eo nequit esse vis major quam in ipsâ gratiâ. Sed in homine viatore gratia sanctificans virtutem non habet voluntatem in bono ita firmandi, ut infallibiliter ab eo non amplius deflectat; proinde nec habitus vim habere potest voluntatem ita in bono immutabiliter stabiliendi, ut in eo ad mortem usque infallibiliter perseveret.

Concursus igitur habitui perseverantiæ debitus, est concursus ad propositum perseverandi eliciendum, non autem ad actualiter perseverandum. Sed aliud est actu perseverare, et aliud habere propositum perseverandi; quia, *ut ait S. Th.*, « plerumque cadit in nostram po» testatem electio, sed non executio. » (*2. 2, q. 137, a. 4*). Proinde, cui datur auxilium quo actu perseveret, gratis omnino conceditur, et rationem habet doni specialis.

256. — **Objicitur III.** Perseverantia solo peccato amittitur. Sed justus quilibet, cum auxiliis gratiæ habituali communiter annexis, potest omnia et singula peccata mortalia usque ad mortem vitare. Ergo cum eisdem auxiliis potest perseverare, neque specialiori indiget auxilio.

Resp. Justus quilibet potest utique, cum gratiis actualibus sibi communiter concessis, omnia et singula mortalia vitare, et quidem usque ad finem vitæ. Sed aliud est posse vitare, et aliud reapse vitare: multa enim possumus et etiam volumus, quæ tamen persæpe propter innatam nostram inconstantiam ad finem usque non perducimus. Licet ergo justus possit ad mortem usque omnia mortalia vitare, et ideò etiam perseverare, quia tamen ejus voluntas, etiam sub influxu gratiæ, remanet libera, et ideò inconstans et mutabilis; quia insuper caro, mundus et diabolus voluntatem continuò impugnant, ut eam a bono proposito abstrahant, idcircò fieri nequit, ut voluntas infirma et mutabilis propositum nunquam mutet et tentationi semper resistat, nisi præter auxilia communia singulari adjuvetur Dei præsidio, quo usque in finem inclinetur ut immutabiliter velit et bonum indeclinabiliter operetur, et a malo infallibiliter custodiatur.

QUÆSITA.

257. — Quæritur I. — *In quo consistit magnum perseverantiæ donum?* [1]

Resp. Donum perseverantiæ, ut liquet ex dictis, consistit essentialiter in conjunctione gratiæ cum morte, sive homo moriatur statim post acceptam justitiam, antequam eam amittere potuerit, sive moriatur post longam vitam in Dei amicitiâ protractam. Cum autem in hominis potestate non sit, ut gratiam cum morte conjungat, ideò speciale requiritur Dei auxilium, quo ei hoc præstetur. In quonam verò consistat illud speciale auxilium, quod homini actualem conferat perseverantiam finalem?

1° Non consistit in habitu quodam animæ infuso: etenim, ut *ait S. Th.:* « Quia habitus est, quo quis utitur cum voluerit, non est » necessarium quod habens habitum virtutis, immobiliter utatur eo » usque ad mortem. » *(2. 2, q. 137, a. 4, ad 1).* Donum autem perseverantiæ dat homini firmitatem in bono. — Præterea, cum habitus ille radicaretur in gratiâ, non posset majorem tribuere firmitatem quam ipsa gratia; proinde nequiret hominem immobiliter in bono firmare, sicut nec ipsa gratia. *(Cf. S. Th., Cont. Gent., L. 3, c. 155, in fine).*

2° Non consistit in gratiæ sanctificantis augmento: multi enim dantur justi qui, post maximos in gratiâ progressus, in peccatum incidunt et pereunt; alii verò, qui minorem habent gratiam, in ea ad

[1] Cf. *Grandin,* Q. 109, a. 10; p. 100. - *Muniessa,* Disp. 9, sect. 9, n. 108; p. 205.

mortem usque perstant, et donum habent perseverantiæ; parvuli verò baptizati, ante usum rationis morientes, absque ullo prorsus gratiæ augmento istud donum accipiunt.

3° Nec est tantum illud idem auxilium, quod justis conceditur ad singula peccata mortalia vitanda. Hoc enim non durat nisi parum temporis, seu quamdiu eo opus est ut lex impleatur aut tentatio superetur; donum verò perseverantiæ durat ad finem usque vitæ.

4° Sed consistit: *a*) pro parvulis, et adultis qui statim post acceptam justitiam moriuntur, in gratiâ quadam externâ specialis divinæ protectionis, qua omnia sic disponuntur, ut et istis gratia infundatur, et mors contingat quando sunt in gratiâ. — *b*) Pro adultis verò, qui per tempus majus vel minus notabile in justitiâ vivunt, consistit non in auxilio quodam unico, sed *in catenâ quadam gratiarum* cum internarum tum externarum, quibus homo quasi undique vallatur, ne unquam excidat.

258. — Perseverantia igitur multa complectitur interna auxilia, speciales scilicet mentis illuminationes et motiones voluntatis, quibus voluntas ad tentationum impulsus semper repellendos suaviter simul et fortiter inducitur. Multa etiam includit auxilia externæ Dei protectionis et directionis, quibus vel occasiones exequendi bonum offeruntur, vel exteriora pericula avertuntur, vel si occurrant, media specialissima suppeditantur, ne homo ex eis salutis detrimentum patiatur: quibus omnibus evenit, ut homo in bono stabilis permaneat, et in Dei amicitiâ finaliter moriatur.

Utriusque generis auxilium commendat *S. Augustinus*. « Adulter » non fuisti, *inquit*, in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondum » illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens » in illum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Re» gebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, » suasor defuit; ut suasor deesset, ego feci. Locus et tempus defuit; » et ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit » tempus: ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, » cui debes et quod non admisisti. » *(Serm. 99, c. 6. M., 38, c. 598).* In his autem S. Doctor declarat cum gratiam externæ protectionis, quâ tentationes avertuntur, tum gratiam inspirationis internæ, quâ tentationibus resistitur atque in bono perseveratur [1].

[1] Cf. *S. Fulgent.*, De Verit. Prædest., L. 2, n. 28. M., 65, c. 642.

259. — **Quæritur II.** *Quibusnam conceditur donum perseverantiæ?* **Resp.** Magnum hic tangitur divinæ gratiæ mysterium, et altissimum prædestinationis mysterium, in quo exclamandum est cum Apostolo, (Rom. XI, 33): *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!*

Fatentur SS. Patres se investigare non posse, cur Deus uni perseverantiam elargiatur, alteri verò non. « Hic si a me quæratur, *ait* » *S. August.*, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam » quâ christiane viverent, dilectionem dedit; me ignorare respondeo... » Si ergo confiteris, donum Dei esse perseverare in bono usque in » finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod me- » cum pariter nescis, et ambo hic inscrutabilia Dei judicia penetrare » non possumus. » *(De corrept. et gr., c. 8, n. 17. Cf. etiam n. 18 et 19. M., 44, c. 926).* Et: « Ex duobus parvulis originali peccato pariter » obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; et ex duobus ætate » jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, » ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt » Dei judicia. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia » usque in finem, illi non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. » Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex præde- » stinatis, illum non esse. » *(De dono persev., c. 9, n. 21. M., 45, c. 1004).*

Et *S. Prosper* scribit: « Si in sanctitate vivitur, si in virtute pro- » ficitur, si in bonis studiis permanetur; manifestum munus est Dei, » sine quo nullus boni operis fructus acquiritur; si autem ab his re- » ceditur, et ad vitia et peccata transitur, nihil ibi Deus malæ ten- » tationis immittit, et recessurum non deserit antequam deseratur; et » facit plerumque ne deserat, aut etiam, si discessit, ut redeat. Cur » autem illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehen- » dere, nec licitum vestigare; cum scire sufficiat, et ab illo esse quod » statur, et non ab illo esse quod ruitur. » *(Resp. 14, ad object. Vincent., M., 51, c. 185).*

259.bis — Licet generaliter verum sit adagium: *qualis vita, talis mors;* licet ordinarie vita sancta sanctâ morte terminetur, ac proinde satagere debeamus, ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus, tenendum tamen est, nos per opera nostra bona perseverantiæ donum promereri non posse. Non possumus mereri ut crastinâ die in gratiâ perseveranter stemus; non possumus præsertim mereri ut post longissimam etiam vitam in Dei amicitiâ transactam

in eadem amicitiâ moriamur. Et quamdiu vivimus, de perseverantiâ certi esse non possumus. « Utrum quisque hoc munus acceperit, *ait* » *S. August.*, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est. » *(De dono persev., c. 1. M., 44, c. 993).* « Quis enim hominum, *addit S. Doctor*, » se in actione profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem » sciat, nisi aliqua revelatione a Deo fiat certus? » *(De Civ. Dei, L. 11, c. 12. M., 41, c. 328).* In timore igitur et tremore salutem nostram operari debemus, et semper cavere ne cadamus; gratiam enim in vasis fictilibus portamus; et licet nunc fide stemus, altum tamen sapere non debemus, sed timere ne Deus, qui viris nobis sanctioribus non pepercit, nec nobis parcat. *(Cf. Rom. XI).*

Verum, *teste S. Bernardo:* « Est autem efficax medicamentum, quod » huic timori apponamus. » *(Vitis myst., c. 14, n. 48. M., 184, c. 664).* Etenim, licet donum perseverantiæ mereri non possimus, illud tamen per orationem a Dei liberalitate obtinere possumus, et quidem infallibiliter, ut probat *S. Alphonsus* [1]. « Hoc ergo Dei donum, *ait S. August.*, suppliciter emereri potest. » *(De dono persev., c. 6. M., 45, c. 999).* Et *S. Fulgentius:* « Nunquam homo congrua custodia servat cor suum, » nisi fuerit ipsum cor Deo custodiente servatum... Sicut igitur omnia » bona, inter quæ etiam voluntatem habemus, non nisi Deo largiente » accipimus, sic omnia quæ accipimus, non nisi Deo custodiente ser- » vamus... Ille vero certus est bonæ voluntatis profectus, si ea quæ » accipit a Deo ita vigilanter solliciteque custodiat, ut custodiæ di- » vinæ adjutorium frequentiâ orationis et studio bonæ operationis » exposcat. Ita fiet ut dum oranti auxilium tribuitur, laborans retri- » butione boni operis non privetur. » *(De verit. prædest., c. 17. M., 65, c. 642. Cf. ejusdem Ep. 3, c. 20, col. 337).*

Ut autem hæc oratio sit Deo accepta et efficax, cum jugi mandatorum observatione jungi debet. « Qui se existimant stare, *inquit* » *Trident., Sess. VI, cap. 13*, videant ne cadant, et cum timore ac » tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in elee- » mosynis, in orationibus et oblationibus, in jejuniis et castitate. »

Illi igitur donum perseverantiæ certò obtinebunt, qui laborantes sicut boni milites Christi, et satagentes ut mandata fideliter custodiant, dicunt tamen: *Servi inutiles sumus*, (Luc. XVII, 10); et cum summâ humilitate et fiduciâ a purâ Dei liberalitate perseverantiæ donum indeficienter efflagitant. Qui verò aliter agunt, et legem ora-

[1] Cf. Magn. orat. med., P. 1, c. 3, § 4; Glor. Mar., P. 1, c. 2, § 3; Præp. Mort., Introd. - Cf. etiam *Vega*, De Justif., L. 13, c. 23; p. 479 et seq.

tionis non observant, secundum cursum ordinariæ Dei providentiæ hoc dono carebunt [1].

260. — Quæritur III. *An Deus paratus sit dare omnibus donum perseverantiæ?* [2]

Resp. Docuerunt nonnulli Deum omnibus quidem dare potentiam perseverandi; non tamen esse paratum actualem perseverantiam dare omnibus. Ratio est, quia actualis perseverantia arcte connectitur cum prædestinatione; Deus autem non est paratus conferre omnibus beneficium prædestinationis, ac proinde nec donum perseverantiæ. *Præterea*, Deus ab æterno decrevit non conferre reprobis donum perseverantiæ; ergo nec paratus est illud ipsis dare.

Dicendum tamen est cum communissimâ doctorum sententiâ, Deum, quantum est de se, paratum esse perseverantiæ donum omnibus conferre, illudque omnibus reapse concedere, nisi per illos steterit. Etenim:

1° Tridentinum, agens de dono perseverantiæ, ait: « Nemo sibi » certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio » firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, » nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, » operans velle et perficere. » *(Sess. VI, cap. 13)*. Sed si Deus non esset paratus omnibus dare perseverantiam, non omnes possent in Dei auxilio firmissimam spem reponere.

2° Christus nos omnes docuit in oratione dominicâ perseverantiam petere. Sed quod Deus omnes petere jubet, illud est paratus concedere; secus enim irrisorium foret præceptum, et vana petitio nostra.

3° Omnes tenentur spe firmissimâ tum salutem tum media ad eam necessaria exspectare. Medium autem salutis est non sola perseverandi potestas, sed actualis perseverantia finalis. Si igitur Deus, quantum est de se, non vellet omnibus dare perseverantiam, nec omnes ad sperandum astringere posset. Irrisoria enim est jussio ad aliquid a jubente exspectandum, quod jubens a priori concedere recuset.

4° Deus voluntate antecedente, seriâ tamen et verâ, vult omnes salvos fieri; et eâ de causâ omnibus dat media ad salutem sufficientia, paratusque est omnibus dare omnia ad salutem necessaria, nisi per illos steterit: secus enim hominis perditio non ab homine, sed a Deo foret; cui enim citra propriam culpam deest aliquid necessarium quod obtinere nequit, ille non est culpandus si finem non

[1] Cf. *Vega*, De Justif., L. 12, cap. 23; p. 479. — [2] Cf. *Serra*, Q. 109, a. 10; p. 335.

attingit. Jamverò, donum perseverantiæ est medium ad salutem prorsus necessarium; et si Deus, quantum est de se, non esset paratus illud omnibus concedere, non omnes possent illud obtinere; et sic aliqui citra propriam culpam medio ad salutem necessario defraudarentur. Concedendum est igitur Deum, quantum est de se, paratum esse perseverantiam omnibus concedere.

261. — Ad rationes verò negantis sententiæ respondendum: *a*) Deum non esse paratum omnibus conferre beneficium prædestinationis, voluntate consequente, quæ præsupponit præscientiam demeritorum, ac proinde abusum gratiarum saltem remote sufficientium, *conc.;* voluntate antecedente, *nego.* Sed voluntas consequens, quâ denegatur beneficium prædestinationis, bene stat cum voluntate antecedente, quâ Deus paratus est omnes prædestinare, et consequenter omnibus donum perseverantiæ dare, nisi ipsi gratiæ defuissent. — *b*) Item, Deus ab æterno decrevit non conferre reprobis donum perseverantiæ, *dist.:* decrevit antecedenter ad præscientiam abusûs gratiæ, *nego;* decrevit consequenter ad prævisionem illius abusûs, *conc.* — Quamvis enim homo perseverantiam proprie mereri nequeat, potest tamen eam supplici-ter emereri, ut testatur S. Augustinus; proinde antequam donum perseverantiæ alicui non conferre decernat, Deus inspicit an sit oraturus sicuti et quantum debet, necne. Quos Deus sufficienter precaturos prævidit, illis statuit conferre perseverantiam; aliis verò recusat, licet paratus etiam istis eam conferre, nisi per ipsos stetisset.

262. — Quæritur IV. *Utrum donum perseverantiæ sit idem ac confirmatio in gratia* [1].

NB. Donum confirmationis in gratia definitur: *Auxilium divinum, reddens justum in gratiâ stabilem, et absolute aut secundum quid impeccabilem.* (Polm.). — Duplex distinguitur confirmatio in gratia: una est beatorum, qui ratione visionis beatificæ ita in bono stabiliuntur, ut potentia peccandi omnino eis auferatur; altera est viatorum, in quibus, etsi physica peccandi potentia remaneat, ita tamen ex dono gratiæ ligatur, ut non possit prodire in actum [2]. — Viatorum impeccabilitas est vel *absoluta*, relate scilicet ad peccatum cum mortale tum veniale, qualis fuit in Virgine Mariâ; vel *secundum quid*, relate scilicet ad peccatum mortale tantum, qualis fuit in Apostolis, qui

[1] Cf. *Suarez*, De Auxil., L. 10, c. 8, T. 9; p. 607. - *Ysamb.*, Q. 109, disp. ult., a. 4, p. 370. - *Serra*, Q. 109, a. 10; p. 332. - *Sylvius*, Q. 109, a. 10, quæritur 4. — [2] Cf. *S. Th.*, De Verit., q. 24, a. 8 et 9.

secundum communem sententiam ita in gratiâ erant confirmati ut in nullum mortale, bene verò in veniale cadere possent.

263. — **Resp.** Nonnulli etiam probati nominis theologi docent, inter donum confirmationis et donum perseverantiæ vel nullum vel accidentale tantum intercedere discrimen. Ratio est, « tum quia donum » confirmationis in gratiâ, sicut et donum perseverantiæ finalis homi» nem, cui conceditur, ad æternitatis portum deducit. Tum quia pro » uno eodemque indiscriminatim, hoc utrumque donum Scriptura sacra » usurpat. Sic Ps. 36: *Confirmat autem justos Dominus.* II Thessal., 3: » *Fidelis autem Dominus est, qui confirmet et custodiat a malo.* Hinc » S. Augustinus, (De corrept. et gr., cap. 11 et 12), utrumque donum pro » uno eodemque usurpat, dum ait Apostolos habuisse donum perse» verantiæ, quos tamen certum est confirmatos fuisse in gratia. » *(Frassen)* [1].

264. — Communior tamen et probabilior sententia docet, hæc duo dona inter se essentialiter differre. Etenim: *a*) Donum perseverantiæ est quid omnibus prædestinatis commune; donum verò confirmationis est quid specialissimum, quod paucissimis tantum fuit concessum. Quare, etsi omnes confirmati habeant donum perseverantiæ, non omnes tamen perseverantes habent donum confirmationis.

b) Donum perseverantiæ neque ullam specialem intrinsecam ipsius gratiæ sanctificantis et virtutum infusarum perfectionem importat, neque peccandi potentiam tollit aut ligat; sed solum efficit ut homo, quamvis peccare possit, mortaliter tamen non peccet. — Donum verò confirmationis peccandi potentiam tollit aut ligat, et dat *non posse peccare* mortaliter aut venialiter, juxta modum quo datur; atque provenit partim ab intrinseco, scilicet tum ex speciali gratiæ sanctificantis et virtutum infusarum perfectione, « quæ potentiam liberi » arbitrii ita perficit ut in contrarium flecti non possit, non quidem tol» lendo naturam libero arbitrio, sed defectum; » *(S. Th., 3 S., D. 3, q. 1, a. 2, q. 1, sol. 3);* tum ex assidua divinarum rerum contemplatione ferventissimaque caritate erga Deum; partim ab extrinseco, ex speciali scilicet Dei protegentis custodiâ et directione. « Per gratiam viæ, *ait* » *S. Th.*, ita potest homo bono astringi quod non nisi valde de diffi» cili peccare possit, per hoc quod ex virtutibus infusis inferiores vires » refrenantur, et voluntas in Deum fortius inclinatur, et ratio perfi» citur in contemplatione veritatis divinæ, cujus continuatio ex fer» vore amoris proveniens hominem retrahit a peccato. Sed totum quod

[1] Disp. 1, a. 3, q. 3; p. 153.

» deficit ad confirmationem completur per custodiam divinæ provi-
» dentiæ in illis qui confirmati dicuntur; ut scilicet quandocumque
» occasio peccati se ingerit, eorum mens divinitus excitetur ad resi-
» stendum. » *(De Verit., q. 24, a. 9).*

265. — **Quæritur V.** *Utrum Adamus innocens speciali indiguerit auxilio ad perseverandum?* [1]

Resp. Negat *Molina* [2]. Negantem opinionem tanquam probabiliorem propugnat *Grandin* [3]; cui sententiæ etiam adstipulari videtur *Magister Sent.* [4], cum aliis paucis.

Communis tamen et probabilior sententia docet Adamum innocentem (et etiam Angelos dum erant in via), licet facilius perseverare potuisset quam nos, quia non habuit passiones contra spiritum rebellantes, nihilominus tamen indiguisse speciali Dei auxilio ad actu perseverandum in Dei gratiâ. Quæ sententia ex auctoritate præsertim probatur.

Declaravit *Arausicanum II, can. 19:* « Natura humana, etiamsi » in illa integritate in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, » creatore suo non adjuvante, servaret. » Cum verò Adamus innocens habuerit tum gratiam habitualem, tum habitus infusos, tum auxilia actualia eisdem correspondentia, et non potuerit cum his se in suo statu actu servare, ergo, juxta mentem Concilii, præter accepta auxilia specialiori adhuc indiguit auxilio ad actu perseverandum.

S. Augustinus agens de Angelis, ait: « Istis mala voluntate caden-
» tibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde
» se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt. » *(De Civ. Dei, L. 12, c. 9. M., 41, c. 357).* — Et *S. Fulgentius,* fidelissimus doctrinæ S. Augustini interpres, de iisdem scribit: « Cum verò quædam pars
» ejus (angelicæ naturæ) de cœlesti beatitudinis culmine in imam per-
» petuamque cernitur devoluta miseriam.., profecto cognoscitur uni-
» formi cunctos opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellet a
» casu pravitatis virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari
» depravarive non posset. » *(Ad Trasimundum, L. 2, c. 2. M., 65, c. 246).* In his verò S. Augustinus et S. Fulgentius pro Angelorum perseverantiâ speciale Dei auxilium necessarium fuisse agnoscunt; ergo a

[1] Cf. *S. August.,* De corrept. et gr., cap. 10 et seq. M., 44, c. 931. - *Alvarez,* De Auxil., disp. 106; p. 687. - *Lemos,* Panoplia, L. 4, P. 2, tract. ult., T. 4 p. 223. - *Suarez,* De Auxil., L. 10, c. 9; p. 619. - *Salmant.,* Disp. 3, dub. 11, § 4; p. 502. - *Frassen,* Disp. 2, a. 3, sect. 3; p. 215. — [2] Concord., q. 14, a. 13, disp. 4; pag. 19. — [3] In q. 109, a. 10; p. 101. — [4] 2 Sent., D. 24.

fortiori speciale etiam auxilium Adamo innocenti necessarium erat ad perseverandum de facto usque in finem, præsertim cum potuerit tentari a diabolo, et habere inconsiderationem circa agenda, sicut de facto contigit.

266. — Præterea, ut ratiocinatur S. Thomas de homine lapso, (*Cont. Gent., L. 3, c. 155)*: Homini necessarium est speciale auxilium ad perseverandum propter innatam vertibilitatem liberi arbitrii, quæ non aufertur per gratiam habitualem et auxilia communia eidem annexa. Sed homo innocens erat de se vertibilis de bono in malum, nec hæc vertibilitas auferebatur per integritatem illius statûs, sicut probavit eventus. Ergo et Adamo innocenti necessarium erat speciale auxilium ad actualem perseverantiam; quod auxilium Adamus innocens, non secus ac homo lapsus, oratione sibi emereri debuit, et quod, si orasset, accepisset, sed quod, quia non postulavit, non accepit. « Neque affir- » mare dubitat S. Thomas, *inquit S. Alphonsus,* ideo Adamum in pec- » catum esse prolapsum, *quia* (tentatione irruente) *ad divinum auxilium* » *recursum non habuit* [1]. Et de rebellibus angelis idem asseverat S. Ge- » lasius: Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando... constare » nequiverunt [2]. » *(Magn. orat. med., P. 1, c. 1, n. 9. T. 2, p. 637).*

[1] P. 1, q. 94, a. 4, ad 5. — [2] Tr. adv. pelag. hær.

SECTIO TERTIA.

DE GRATIARUM DISTRIBUTIONE.

267. — Ex iis quæ in secundâ sectione tractata sunt, compertum habemus quanta sit in homine divinæ gratiæ necessitas, sine quâ nec opus salutiferum incipere aut ad bonum exitum perducere, nec peccatum vitare, nec in bono proposito perseverare, nec proinde salutem operari ulla ratione valet.

Cum igitur gratia sit unicuique omnimode necessaria, consequenter statim investigandum est, *an* et *quomodo* omnibus prorsus hominibus concedatur: quâ in disputatione tria occurrunt enucleanda. Igitur:

IN CAP. I. Sermo erit de gratuitate gratiæ.

IN CAP. II. De ejus universalitate.

IN CAP. III. De ejus inæquali distributione.

CAPUT I.

DE GRATUITATE GRATIÆ [1].

268. — Gratiam unicuique juxta merita naturalia de condigno a Deo concedi, hominemque posse gratiam operibus naturalibus de condigno mereri, hæresis fuit Pelagianorum. Semipelagiani meritum naturale de condigno rejiciebant, atverò simul admiserunt auxiliantem gratiam unicuique dari juxta merita sua naturalia de congruo, aut saltem juxta cujusque dispositionem naturalem, quâ se ad gratiam præparat. Docebant enim Deum, ne personarum esset acceptor, iis elargiri gratiam, qui ex vigore naturæ eam quærerent, peterent, et credere inciperent; aliis verò negare. Quare, rationem propter quam alii præ aliis gratiam consequantur, esse vel præcedens meritum naturale, vel præcedentem dispositionem positivam ex puris naturalibus [2].

[1] Cf. *S. Alph.*, Hist. hær., P. 2, Confut. V, § 2, p. 357; et Confut. VI, p. 361. - *Salmant.*, Disp. 3, dub. 6; T. 9, p. 420. - *Ysamb.*, Q. 112, disp. 3. - *Billuart*, Diss. 3, a. 7. - *Gotti*, De Prædest., q. 3, dub. 2. (Tom. 4, p. 53); et: De Grat., q. 1, dub. 9. (T. 9, p. 89). — [2] Cf. *Montoya*, De Provid., Tr. 3, disp. 14, sect. 2; p. 195.

Hæc autem meritum inter et dispositionem intercedit differentia, quod meritum est opus bonum, cui sive ex justitiâ sive solum ex condecentiâ debetur remuneratio; dispositioni verò nihil debetur, sed reddit unice subjectum aptum ad beneficium recipiendum. Dispositio est vel positiva vel negativa: positiva est opus bonum quod subjectum præparat ad beneficium recipiendum; negativa est abstinentia ab opere malo, quod obstare posset quominus conferretur beneficium.

Doctrina autem catholica docet, primam gratiam vocantem ita esse gratuitam, ut homo eam nullatenus mereri, neque se ad ipsam ex viribus naturæ ulla ratione disponere possit.

269. — **NB.** Agitur in hocce capite de *solâ primâ gratiâ vocante.* Per primam autem gratiam intelligimus tum eam, quæ prima homini in suâ vitâ conceditur; tum quæ prima conceditur ei, qui post justificationem iterum lapsus est; tum quæ secundò conceditur homini, qui præcedente gratiâ usus non est: relate enim ad has gratias homo supponitur unice instructus suis facultatibus naturalibus cum divino concursu naturaliter debito. — Si verò de subsequentibus gratiis sermo est, cum homo virtute prioris gratiæ supernaturaliter jam possit operari, altera exsurgit quæstio, scilicet an homo opere ex gratiâ posito possit subsequentes gratias mereri: quæ quæstio in tractatu *de Merito* agitanda, ab eâ prorsus diversa est quæ in præsenti capite disputatur, in quo quæritur tantum quid, in ordine ad gratiam consequendam, possit natura nude in se considerata.

Propositio I.

Auxilians gratia ita est gratuita, ut homo eam operibus suis naturalibus nullatenus possit mereri.

270. — Propositio est *de fide,* ex Arausic. II, can. 3, 4, et seq. Legimus in *can. 3:* « Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei » dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur » a nobis, contradicit Isaiæ prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: *In-* » *ventus sum a non quærentibus me: palam apparui his, qui me non* » *interrogabant.* » — Et in *can. 6:* « Si quis sine gratia Dei credentibus, » volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, » studentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit con- » ferri divinitus... aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit » gratiæ adjutorium,... resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non* » *accepisti?* et: *Gratia Dei sum id quod sum.* » *(Labbe, IV, c. 1667).*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Gratiam non meritis nostris naturalibus retribui, sed gratis dari, ex multis S. Scripturæ testimoniis luculenter commonstratur. Legimus, (Rom. XI, 6): *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* — Et *(ibid., 35): Quis prior dedit illi, et retribuetur illi?* — (I Cor. IV, 7): *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* — (Ephes. II, 8, 9): *Gratia enim Dei estis salvati per fidem; et hoc non ex vobis: Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* — (Rom. IX, 16): *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Jamverò, si homo operibus virtute solius naturæ positis, gratiam sive de condigno sive solum de congruo posset mereri, gratia foret ex operibus, proinde jam non esset gratia; homo prior quidquam daret Deo, ut hic ei retribueret; qui gratiam accipit, ipse se ab aliis discerneret, et de se gloriari posset; et Deus non ex purâ misericordiâ, sed ex debito, volenti et currenti elargiretur gratiam. Nullus igitur merito naturali gratiam sibi potest promereri. Gratia ergo est omninò gratuita; et cui datur, ex purâ Dei misericordiâ atque liberalitate conceditur. — *Cf. etiam dicta de salutari initio fidei, n. 116 et ss.*

271. — Prob. II. **Ex Traditione.** Ad gratuitatem gratiæ contra Pelagianos et Semipelagianos defendendam, mire consentiunt Patres cum Orientalis tum Occidentalis Ecclesiæ. Eminet inter omnes *S. Augustinus*, qui ad hanc pelagianam hæresim exstirpandam plures conscripsit libros.

« Ipsum quippe gratiæ nomen, *inquit*, et ejus nominis intellectus » aufertur, si non gratis datur, sed eam qui dignus est accipit... *Ei* » *qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secun-* » *dum debitum.* (Rom. IV, 4). Quisquis ergo dignus est, debitum est » ei; si autem debitum est, gratia non est: gratia quippe donatur, » debitum redditur. Gratia ergo donatur indignis, ut reddatur debitum » dignis. » *(De Gestis Pelagii, c. 14, n. 33. M., 44, c. 339).*

Et, *(Ps. 70, sermo 2, n. 1. M., 36, c. 891):* « Gratia gratis data est; » nam nisi gratis esset, gratia non esset. Porro autem, si propterea » gratia est, quia gratis est, nihil tuum præcessit ut acciperes. Nam » si aliqua bona opera tua præcesserunt, pretium accepisti, non gratis: » pretium autem quod nobis debetur supplicium est. »

S. Fulgentius scribit: « Hæc Dei gratia, qua salvamur, non alicui » præcedenti bono merito datur, nec tamen nisi præcedenti malo me- » rito denegatur. » *(De Verit. prædest., L. 1, n. 7. M., 65, c. 606).* Et: « Istam gratiam nullus hominum desiderare, vel poscere, sed nec co-

» gnoscere poterit, nisi eam prius ab illo accipiat qui eam nullis præ» cedentibus operibus aut voluntatibus bonis largitur. » *(Loc. cit., n. 33; col. 620).*

S. Leo Magnus, in Epist. synodali ad Aquileiensem Episcopum, ait de Pelagianis: « Cumque omnes definitiones suas ad subrependi » facilitatem, improbare se simulent atque deponere, hoc sibi tota arte » fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, ut gratia Dei secundum merita » dari accipientium sentiatur. Quæ utique nisi gratis detur, non est » gratia, sed merces retributioque meritorum, dicente B. Apostolo: *Gra» tia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum » est, non ex operibus, ne forte quis extollatur*... Omnis itaque bonorum » operum donatio, divina præparatio est. » *(Ep. 1, cap. 3. M., 54, c. 595).*

S. Gregorius: « Nemo, ut divina illum gratia subsequatur, prius ali» quid contulit Deo. Nam si nos Deum bene operando prævenimus, ubi » est quod propheta ait, (Ps. 58, 11): *Misericordia ejus præveniet me.* » Si quid nos bonæ operationis dedimus, ut ejus gratiam mereremur, » ubi est quod Apostolus dicit: *Gratia salvati estis per fidem, et hoc » non ex vobis*, etc. » *(Moral., L. 33, c. 21. M., 76, c. 698).*

272. — Prob. III. **Ex Ratione.** 1° Cum meritum dicat jus vel saltem quamdam condecentiam ad præmium, proportio quædam inter meritum et præmium necessariò intercedere debet. Atqui inter opus naturaliter bonum et gratiam nulla potest adesse proportio, cum sint diversi ordinis. Ergo gratia nequit esse merces operis naturalis.

2° Si gratia præcedentibus meritis daretur, ad inscrutabilia Dei judicia provocandum non foret, cur unus accipiat gratiam, alter vero non; sed hæc diversitas naturaliter posset explicari. Jamverò SS. Patres, quoties de inæquali gratiarum distributione loquuntur, ad inscrutabilia Dei judicia provocant. « Nec omnium est fides, qui audiunt » verbum, *ait S. August.*, sed quibus Deus partitur mensuram fidei; » sicut nec omnia germinant quæ plantantur et rigantur, sed quibus » Deus dat incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat, cum » ambo idem audiunt, et si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo » idem vident; altitudo est divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, cujus » inscrutabilia sunt judicia. » *(Epist. 194, n. 10. M., 33, c. 878). Cf. n. 383.*

Propositio II.

Auxilians gratia ita est gratuita, ut homo ex solius naturæ viribus sese ad eam positive disponere nequeat [1].

273. — Propositio est *certa.*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Hæc propositio iisdem probatur testimoniis ac superior propositio. Si enim homo, licet gratiam non possit mereri, posset se tamen ad eam vi solius naturæ ita disponere, ut intuitu istius dispositionis concederetur prima gratia, sequeretur: hominem ex suis operibus aliquo modo accipere gratiam, proinde gratia jam non foret gratia; hominem priorem aliquid præstare Deo, ut gratia retribuatur; hominem se disponentem seipsum ab indisposito discernere; Deum non ex purâ misericordiâ, sed ob laborem se disponentis gratiam conferre, etc.

274. — Prob. II. **Ex Arausicano II,** in quo, can. 4, legimus: « Si » quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare » contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per S. Spiritus in- » fusionem et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui » Sancto per Salomonem dicenti: *Præparatur voluntas a Domino* [2]. » *(Denz., n. 147).* » De fide est ergo voluntatem præparari a Domino, Deumque voluntatem non exspectare, ut gratiam concedat. Nequit igitur homo se ad gratiam absque gratiâ præparare seu disponere; et gratiæ auxiliantis infusio a præviâ hominis dispositione nullatenus pendet.

Nullam in homine inveniri posse dispositionem naturalem, ob quam ei prima gratia concedatur, manifeste in canone VI ejusdem Concilii supra relato *(n. 270)* etiam definitur. Excluditur enim citato canone non tantum meritum proprie dictum, sed quidquid in homine vi solius naturæ possit haberi.

275. — Prob. III. **Ex Traditione.** Scribit *S. Augustinus:* « Sed quod » scriptum est: *Hominis est præparare cor, et a Domino responsio* » *linguæ* (Prov. XVI, 1), non bene intelligendo falluntur (Pelagiani), » ut existiment cor præparare, hoc est, bonum inchoare, sine adju- » torio gratiæ Dei ad hominem pertinere. Absit ut sic intelligant filii » promissionis, tanquam cum audierint Dominum dicentem: *Sine me*

[1] Cf. *S. Th.,* 1. 2, q. 109, a. 6; q. 112, a. 2 et 3. De Verit., q. 24, art. ult. Cont. Gent., L. 3, c. 149. - *Montoya,* De Provid., Disp. 18, sect. 3, p. 222; et Disp. 20, sect. 2 et 3; p. 247. — [2] Prov. VIII, 35, juxta 70.

» *nihil potestis facere;* quasi convincant eum dicentes: Ecce sine te » possumus cor præparare; aut cum audierint a Paulo Apostolo: *Non » quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed suffi- » cientia nostra ex Deo est;* tanquam et ipsum convincant dicentes: Ecce » idonei sumus ex nobismetipsis præparare cor, ac per hoc et boni » aliquid cogitare. Quis enim potest sine bona cogitatione ad bonum » cor præparare? Absit ut sic intelligant, nisi superbi sui arbitrii » defensores et fidei catholicæ desertores. » *(Cont. duas Epist. Pelag., L. 2, c. 9, n. 19. M., 44, c. 585).*

S. Prosper, agens contra Collatorem, qui meritum naturale ad primam gratiam respuit, dispositionem tamen quamdam prævium in homine ad eam præexigit, ait: « Quomodo non advertis, te in illud » damnatum incidere, quod, velis nolis, convinceris dicere, *Gratiam » Dei secundum merita nostra dari;* cum aliquid præcedere boni » operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affir- » mas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quæ- » rentis pietas, pulsantis instantia... In quo superfluum, imo impium » est, sic velle meritis ante gratiam existentibus locum facere, ut non » ex toto verum sit quod ait Dominus: *Nemo venit ad me, nisi Pater, » qui misit me, attraxerit eum.* » (Joan. VI, 44). *(Cont. Collat., c. 3, M., 51, c. 222).*

276. — Prob. IV. **Ex Ratione.** 1° Inter dispositionem et id, ad quod ordinatur dispositio, quædam debet intercedere proportio. Atqui, *teste S. Th.:* « donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis » humanæ. » *(Q. 112, a. 3).* Etenim actus mere naturalis ad gratiam disponit vel physice vel moraliter; porro in neutro casu adest proportio. « Ut physice disponat, *ait Montoya*, requiritur proportio » unius entitatis physicæ cum alia entitate physica, ita ut saltem sint » ejusdem ordinis. At verò actus elicitus per solas vires naturæ longe » inferioris ordinis est, nimirum naturalis; gratia vero auxiliatrix est » ordinis supernaturalis. Rursus si moraliter disponeret, eo ipso ha- » beret vim merendi, aut impetrandi, nec enim alio modo excitare » potuisset atque flectere divinam voluntatem, ut ad conferendam » auxiliatricem gratiam inclinaretur. At verò merendi et impetrandi » vim nullam inesse in actibus elicitis per vires naturæ jam ostendi- » mus. » *(De Provid., Disp. 20, sect. 2, n. 15; pag. 248).*

2° Si Deus primam auxiliantem gratiam homini intuitu præviæ dispositionis elargitur, hæc dispositio, etiamsi sit remotissima, dicenda est primum initium justificationis et salutis. Porro, juxta Tridentinum, Sess. VI, cap. 6, justificationis et salutis initium est a gratiâ, non a

naturâ. Nequit igitur homo se ad primam gratiam ita præparare, ut hæc ei hac de causâ conferatur.

3° Dispositio positiva ad formam, etsi non mereatur formæ infusionem, ejus tamen est naturæ, ut forma ei connaturaliter debeatur. Si igitur homo semetipsum ad primam gratiam disponere posset, gratia connaturaliter deberetur homini; et sic gratia foret debitum naturæ, non donum divinæ misericordiæ.

QUÆSITA.

277. — **Quæritur I.** *Utrum homo possit saltem negative se ad primam gratiam disponere.*

Resp. 1° Si per dispositionem negativam intelligitur unice dispositio *removens prohibens*, aliquo modo dici potest, hominem se posse negative ad primæ gratiæ receptionem præparare. Etenim, dispositio negativa removens prohibens consistit unice in non ponendo obstaculo, quominus conferatur gratia. Quodlibet autem peccatum est quoddam gratiæ impedimentum, atque ex naturâ suâ hominem indignum reddit, cui gratia conferatur. Cum igitur homo vigore suæ naturæ possit quædam leviora peccata vitare, præsertim quando non urget gravis tentatio, possitque etiam quædam bona moralia leviora facere, quibus graviora peccata præcaventur, potest vi solius naturæ quædam gratiæ impedimenta præcavere, et se a majori indignitate præservare. Proinde sub hoc respectu homo dici potest se ad gratiam negative præparare [1].

278. — 2° Si verò per dispositionem negativam intelligitur ratio seu conditio etiam remotissima, ob quam Deus gratiam concedat, ita ut qui peccata minora habeat, ideò præ alio gratiam accipiat quia minus peccavit, omninò negandum est posse se hominem ad primam gratiam negative disponere.

Si enim vel minimus influxus naturæ in gratiæ collationem existeret, etiam per modum simplicis conditionis quantumvis remotæ, tolleretur omnimoda gratiæ gratuitas, voluntas aliquid prius daret Deo ut ei retribueretur, ipsaque a se haberet aliquod suæ justificationis initium [2].

Præterea, expressis verbis docet *S. Augustinus*, nec ingenium, nec honestas disciplinas aut virtutes naturales, nec minora peccata esse

[1] Cf. *Montoya*, De Provid., Disp. 16, sect. 1; pag. 207. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 3, q. 2, n. 43; p. 73. — [2] Cf. *Zumel*, Var. disput., T. II, Disc. 5, concl. 4; p. 134.

rationem, cur Deus uni præ alio gratiam elargiatur; imò sæpius evenire gratiam eos, qui habent vel minora peccata vel majores virtutes naturales, præterire, ut deteriores tangat et ad Deum adducat. « Ego, » *inquit*, hac in re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo quod » intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem... nisi vel » majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, » si placet, honestas utilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit quam » minimis peccatis irretitus atque maculatus, (nam nullis quis potest?) » et acer ingenio, et liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad » gratiam. Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille qui infirma mundi » elegit ut confundat fortia, et stulta mundi ut confundat sapientes, ut » eum intuens et pudore correctus, ego irrideam multos et præ quibus- » dam peccatoribus castiores, et præ quibusdam piscatoribus oratores. » Nonne advertimus multos fideles nostros ambulantes viam Dei, ex » nulla parte ingenio comparari, non dicam quorumdam hæreticorum, » sed etiam mimorum? Item non videmus quosdam homines utriusque » sexus in conjugali castitate viventes sine querela, et tamen vel hære- » ticos vel paganos, vel etiam in vera fide et vera Ecclesia sic tepidos, » ut eos miremur meretricum et histrionum subito conversorum, non so- » lum patientia et temperantia, sed etiam fide, spe, caritate superari? » Restat ergo ut voluntates eligantur. » *(Ad Simplicianum, L. 1, q. 2, n. 22. M., 40, c. 127).*

« Unde fit, *inquit adhuc*, ut homo ab ineunti pueritia modestior, » ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui » oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras » provectior aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei prædi- » cari gratia christiana non possit?... Alius autem tardus ingenio, » libidinibus deditus, flagitiis et facinoribus coopertus, ita gubernetur, » ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, » laudabiliter hic vivat? » *(De peccat. merit. L. 1, c. 22. M., 44, c. 126).*

279. — Quæritur II. *Utrum opere naturali posito cum gratiâ supernaturali quoad modum tantum, possit homo primam gratiam mereri, aut se ad ipsam disponere.*

Resp. *Negative.* Gratia supernaturalis quoad modum tantum, est specialis Dei motio naturalis, concessa homini præter exigentiam suæ naturæ; seu, est auxilium naturale quoad substantiam, collatum homini modo non debito, ex speciali Dei Creatoris benevolentiâ. Virtute talis auxilii non potest poni nisi actus entitative naturalis, qui nullam cum ente supernaturali proportionem habere potest. Tali proinde opere,

sicut nec alio opere naturali, potest homo nec primam gratiam mereri, nec se ad ipsam positive disponere, nec in ejus collationem quocumque modo etiam remotissimo influere [1].

280. — Quæritur III. *Utrum saltem quantitas primæ gratiæ mensuretur secundum majorem vel minorem quantitatem præcedentis conatûs liberi arbitrii.*

Resp. *Negative.* Teste Apostolo, (Eph. IV, 7): *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Hinc patet unicuique dari gratiam, non secundum mensuram præcedentis conatûs, sed secundum mensuram donationis Christi, qui singulis sua dona distribuit prout vult. *Ratio est*, quia ut ait *Alvarez*, « Conatus omnes et » bona opera moralia, procedentia ex sola facultate naturæ, nullum » dicunt ordinem ad gratiam, nec habent proportionem cum illâ: ergo » non possunt quantificare perfectionem aut intensionem illius; alias » jam dicerent ordinem ad gratiam; nam omnis dispositio quantificans » formam, dicit aliquem ordinem ad illam.» *(De Aux., Disp. 57; p. 111).* Sicut ergo ipsa gratia, ita et quantitas gratiæ a purâ Dei misericordiâ dependet, qui pro consilio sapientiæ suæ unicuique de gratiâ quantum vult, elargitur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

281. — Objicitur I. Legimus, (Zach. I, 3): *Convertimini ad me... et convertar ad vos.* His verbis jubemur, ut ad Dominum convertamur; quod autem jubemur, id possumus facere. — Eisdem etiam verbis nostræ conversioni ad Deum repromittitur conversio Dei ad nos. Sed conversio Dei ad nos fit per gratiam. Ergo conversione nostrâ possumus promereri gratiam, seu ut aiebant Pelagiani « secundum me- » ritum conversionis nostræ ad Deum datur gratia ejus, in qua ad nos » et ipse convertitur. » *(Apud S. August., De Grat. et lib. arb., c. 5. M., 44, c. 888).*

Resp. His verbis Zachariæ jubemur, ut ad Deum convertamur, *dist.:* ut convertamur virtute solius naturæ, *nego;* virtute gratiæ prævenientis, quam Deus ex purâ misericordiâ nobis prius elargitur, *conc.* — *Quoad min.:* Quod autem jubemur, illud possumus, *dist.:* illud semper possumus ex solâ nostrâ virtute, *nego;* virtute auxiliantis gratiæ, *conc.* Ideò autem jubemur, ut convertamur ad Dominum, quia

[1] Cf. *Gabr. a S. Vinc.,* Disp. 3, q. 2, n. 39 et 40; p. 72.

prævenienS gratia nostræ committitur libertati, et idcircò, quia ei resistere valemus, admonemur ut eidem libere assentiamur.

Item: conversioni nostræ ad Deum repromittitur conversio Dei ad nos per gratiam, *dist.:* conversioni nostræ naturali repromittitur Dei conversio ad nos, *nego;* nostræ conversioni ex gratiâ prævenientе, *conc.*

NB. Iisdem distinctionibus occurrendum est difficultatibus, quas movent Pelagiani et Semipelagiani ex aliis Scripturæ textibus, ut sunt, v. gr., qui leguntur, (I Reg. VII, 3): *Præparate corda vestra Domino.* — (Luc. III, 4): *Parate viam Domini; rectas facite semitas ejus.* — (Rom. VII, 18): *Velle, adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio.*

Insto: Frustra exhortaremur ut convertamur ad Dominum, si non esset in nostrâ potestate consequi auxilia gratiæ, quibus ad conversionem indigemus; sicut non exhortamur ad facienda miracula, quia non habemus in nostra potestate obtinere auxilia ad ea necessaria. Ergo ipsæ exhortationes commonstrant, in nostrâ potestate esse consequi gratiam.

Resp. Exhortationes illæ commonstrant quidem in nostrâ potestate esse consequi gratiam; at non commonstrant illud esse in nostrâ potestate *naturali.* Frustrà quidem hortaremur ad conversionem, si hæc non esset in nostrâ potestate; sed Deus, hortando nos, dat simul gratiam, quâ possimus vel actu converti, vel saltem uberiores efflagitare gratias. — Quoad comparationem ex miraculis sumptam, *nego paritatem.* Etenim facere miracula non est necessarium ad salutem; unde cum homo nequeat ex viribus propriis patrare miracula, nec Deus omnibus virtutem ea faciendi largiatur, nulla exstat exhortatio ad ea facienda. Conversio verò est cuilibet ad salutem necessaria; quapropter et Deus dat cuilibet auxilia necessaria, et omnes hortatur ut conversionem peragant.

282. — Objicitur II. Si Deus independenter ab omni merito, vel prævià dispositione, uni præ alio elargiretur gratiam, esset personarum acceptor. Sed, teste Apostolo, (Rom. II, 11): *Non est acceptio personarum apud Deum.* Ergo gratias concedit juxta cujusque merita vel dispositionem. *(Ita præsertim Semipelagiani).*

Resp. *Nego maj.* — Ut enim adsit personarum acceptio, requiritur ut aliquis in rebus ex justitiâ debitis uni plus reddat quam alii cum hujus præjudicio. In iis verò quæ dantur ex purâ liberalitate, nemini infertur injuria nec est personarum acceptio, si unus præ alio ma-

jora accipiat. Jamverò nullus jus habet ad gratiam; si igitur Deus uni majora gratiæ auxilia, alii minora elargitur, nulli infert injuriam, nec ulla adest personarum acceptio. Apposite *S. Thomas:* « Neque » tamen propter hoc est iniquitas apud Deum, si inæqualia non inæ- » qualibus præparat. Hoc enim esset contra justitiæ rationem, si præ- » destinationis effectus ex debito redderetur, et non daretur ex gratia. » In his enim quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare » cui vult plus vel minus, dummodo nulli subtrahat debitum, absque » præjudicio justitiæ. Et hoc est quod dicit paterfamilias (Matth. XX, » 15) : *Tolle quod tuum est, et vade. An non licet mihi quod volo facere?* » *(P. 1, q. 23, a. 5, ad 3).* Cf. *n. 380;* et *S. Augustinum,* Cont. duas Epist. Pelag., L. 2, c. 7. M., 44, c. 580.

283. — Objicitur III. Congruum est, ut qui majora opera moraliter bona faciat, majora etiam accipiat gratiæ auxilia; sicut congruum est, ut qui majora impedimenta ponit, minora accipiat. Atqui homo potest virtute solius naturæ quædam opera bona elicere. Ergo congruum est, ut isti præ alio majora dentur.

Resp. *Quoad maj.:* Congruum est, ut qui majora opera faciat, majora etiam accipiat dona gratiæ, *dist.:* si opera facit, quæ cum gratiâ habeant quamdam condignitatem aut proportionem, *conc.;* quæ nullam habeant condignitatem aut proportionem, *nego.* — Item, congruum est, ut qui majora impedimenta ponit, minora accipiat, *dist.:* posito quod dispositio negativa aliquo modo influat in gratiæ collationem, *transeat;* posito quod non influat, *nego.* — *Quoad min.:* Potest homo ex virtute solius naturæ opera quædam bona facere, *dist.:* quæ habeant quamdam condignitatem aut proportionem cum gratiâ, *nego;* quæ nullam habeant, *conc.* — *Quoad concl., negatur.* Licet enim homo, qui majora peccata habet, sit magis indignus, attamen qui minora habet, non ideò est magis dignus, aut magis dispositus ad gratiam. Dispositio enim negativa, ut diximus *n. 277 et ss.*, nihil influit in gratiæ collationem; sed hæc semper ex merâ liberalitate conceditur. Proinde nihil in homine bonum naturale operante invenitur, quo congruat gratiam ipsi potius quam alii dari.

284. — Objicitur IV. Cui non datur prima gratia, ex proprio ipsius impedimento et demerito non datur; ergo a pari, cui datur, ex suâ dispositione et merito datur: idem enim judicium debet esse de gratiæ negatione et collatione. Ergo prima gratia datur homini ex ipsius dispositione. *(Ita Semipelagiani).*

Resp. 1° Negandum est, quemquam existere hominem, cui nulla prorsus conferatur gratia. Sicuti enim in sequenti capite dicetur, nullus est homo, qui non accipiat realiter gratiam saltem remote sufficientem ad salutem.

2° Posito verò quod ita se res habeat, neganda est paritas. Homo enim potest a semetipso gratiæ impedimentum opponere peccando; quare, quod propterea gratiâ privetur, ad justitiam Dei pertinet, quæ punit peccatum non conferendo gratiam. Abstinentia autem a peccato non est dispositio ad gratiam; neque potest se homo a semetipso ad gratiam positive disponere, cum gratia sit superioris ordinis, quam quælibet dispositio naturalis. Unde, quod gratiam accipiat, illud ad puram Dei misericordiam pertinet, quæ citra prævium meritum aut dispositionem gratiam confert cui vult et in quantum vult.

285. — Objicitur V. Gratia non datur nisi capaci; ergo nonnisi disposito: sola enim dispositio reddit hominem capacem. Ut enim ait *S. Thomas, P. 1, q. 12, a. 5:* « Omne quod elevatur ad aliquid, quod » excedit suam naturam, oportet quod disponatur aliquâ dispositione. » Sed prima gratia est supra naturam humanam; ergo debet ad eam disponi. Atverò, ante primam gratiam, non potest esse in homine nisi dispositio naturalis. Ergo homo potest se naturaliter ad primam gratiam disponere.

Resp. Gratia non datur nisi capaci, *conc.;* ergo nonnisi disposito, *nego consequentiam.* Aliud est enim esse capax, et aliud esse dispositum. Ut homo sit capax recipiendi gratiam, nihil aliud requiritur nisi natura intellectualis cum suâ potentiâ obedientiali passivâ, vi cujus subditur suo Creatori ad recipiendum quidquid supra naturales facultates conferre voluerit. Dispositio verò dicit aliquam præparationem subjecti ad gratiam recipiendam. Cum autem omnis præparatio ad formam debeat cum eâ habere aliquam proportionem, gratiaque sit ordinis supernaturalis, omnis dispositio ad gratiam necessariò etiam debet esse ordinis supernaturalis.

Ad confirmationem, resp.: Quod elevatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, debet ad illud disponi, *dist.:* si illud, ad quod elevatur, se habet per modum termini seu formæ completæ, *conc.:* si illud se habet per modum medii seu viæ ad terminum, *nego.* Et ideò, relate ad gratiam habitualem, quæ se habet per modum termini et formæ completæ, requiritur in homine prævia dispositio; cum autem gratia actualis se habeat per modum motionis et medii ad gratiam sanctificantem, nulla ad gratiam actualem requiritur prævia dispositio.

« Gratia dicitur dupliciter, *ait S. Th.:* quandoque quidem ipsum habi-
» tuale donum Dei, quandoque autem auxilium Dei moventis animam
» ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, præexigitur ad
» gratiam aliqua gratiæ præparatio: quia nulla forma potest esse nisi
» in materia disposita. Sed si loquamur de gratia secundum quod si-
» gnificat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla præparatio re-
» quiritur ex parte hominis, quasi præveniens divinum auxilium: sed
» potius quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio
» Dei moventis animam ad bonum. » *(1. 2, q. 112, a. 2).*

286. — **Objicitur VI.** Auxilium necessarium ad salutem debet esse in hominis potestate: secus enim salvari non posset. Porrò, si homo ad gratiæ collationem nihil ex se conferre posset, saltem illam petendo, non haberet in suâ potestate auxilium salutis. Ergo potest ex se ad gratiæ collationem aliquid conferre. *(Ita Semipelagiani).*

Resp. Auxilium salutis debet esse in hominis potestate, *dist.:* receptive, *conc.;* effective aut dispositive, *nego.*

Medium ad finem consequendum triplici modo potest esse in hominis potestate, videlicet effective, dispositive, et receptive. *Effective* est in hominis potestate, quando homo est causa efficiens illius medii. Quo sensu manifestum est, gratiam non esse in hominis potestate, cum solus Deus possit esse causa efficiens gratiæ. — *Dispositive* est in hominis potestate, quando homo ex se talem valet ponere præparationem, cui de lege ordinariâ adnectitur collatio medii: quo sensu Pelagiani et Semipelagiani contendebant gratiam esse in hominis potestate. Qui error in supradictis abunde refutatus est. — *Receptive* medium dicitur esse in hominis potestate, quando ab alio ita conceditur, ut homo pro voluntatis arbitrio illud recipere vel rejicere, illo bene uti vel non uti valeat. Et sic gratia dicitur esse in hominis potestate, quia in hominis arbitrio est gratiâ a Deo collatâ uti vel non uti, sicut definivit Tridentinum, Sess. VI, can. 4.

APPENDIX.

DE AXIOMATE: FACIENTI QUOD EST IN SE DEUS NON DENEGAT GRATIAM.

287. — Doctrinæ de omnimodâ gratiæ gratuitate imprimis obstare videtur celeberrimum axioma: *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam.* De quo proinde, ad hujus capitis coronidem, quædam specialius sunt addenda.

S. Patres illud axioma non verbis quidem, tamen *re* tradidisse, indubium esse videtur, cum doceant Deum suâ gratiâ nemini deesse, nisi ipse homo sibi prius defuerit [1]. Illud verbis æquivalentibus jam enuntiavit *S. Isidorus Pelusiota.* « Virtuti operam navanti, *inquit,* » æquum est divinum etiam implorare, ut opem Deus ferat, auxilium. » At qui ejus nullam ducit rationem, neque invocat numen, illud pro- » pitium non experietur. Qui enim omnia, quoad ejus fieri potest, » implet, benigne ei Deus annuit. » *(Lib. 5, Epist. 459. M., P. G., 78, c. 1594).* — Illud non solum recentiores theologi, sed antiquiores etiam scholastici, communi sensu usurparunt. — Eidem contradicunt Protestantes; illud præsertim impugnavit *Jansenius* tanquam suæ doctrinæ omninò contrarium [2].

Hujus axiomatis plures exstant explicationes. Celebriores referemus.

288. — *Prima explicatio*, quæ est quorumdam antiquiorum Scholasticorum, ut *Durandi* [3], *Thomæ Argentinensis* [4]: Facienti quod est in se ex viribus solius naturæ, cum solâ generali influentiâ ordinis naturalis, Deus non denegat gratiam excitantem; quia vi præcedentis meriti de congruo, vel intuitu naturalis dispositionis movetur, ut uni potius quam alii primam gratiam vocantem elargiatur.

Hæc explicatio ab aliis communiter rejicitur, tanquam pelagianam hæresim renovans, gratiæque omnimodam gratuitatem prorsus pessumdans.

289. — *Secunda explicatio*, quæ est D. Thomæ, *1. 2, q. 109, a. 6;* et *q. 112, a. 3*, et multorum antiquiorum Scholasticorum in suis com-

[1] Cf. *Is. Hab.*, L. 1, cap. 24, § 1; p. 112. — [2] Cf. *Augustinus*, De Gr. Chr., L. 1, c. 5; p. 7; et L. 9, c. 25; p. 410. — [3] In 2 Sent., D. 28, q. 5; fol. 137. — [4] In 1 Sent., D. 41, a. 2; fol. 112.

mentariis super secundum Sententiarum, Dist. 28: Facienti quod est in se ex virtute gratiæ prævenientis prius concessæ, Deus non denegat gratiam habitualem. Quæ explicatio est verissima, et ab omnibus catholicis admissa, atque ab ipso Tridentino confirmata. In Sess. enim VI, cap. 5 et 6, explicat quibus actibus ex gratia positis homo debeat se ad justificationem præparare; deinde *cap. 7* statim subjungit: « Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa conse» quitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio » et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ » et donorum ».

Cum enim Deus velit omnes salvos fieri, omnibus elargitur gratias ad salutem sufficientes. Infidelis, qui gratiâ actuali, quâ ad fidem movetur, bene utitur, fidem infallibiliter accipiet; et peccator fidelis, qui gratiâ actuali, quâ ad conversionem incitatur, bene utitur, remissionem peccatorum infallibiliter consequetur; et sic homini facienti quod est in se ex auxilio prævenientis gratiæ, Deus non denegat gratiam sanctificantem.

290. — *Tertia explicatio*, inter recentiores communior, (quæ tamen secundam non excludit): Facienti quod est in se virtute gratiæ prius concessæ, Deus non denegat uberiora gratiæ actualis auxilia, quibus homo indiget ad legem implendam et ad salutem consequendam. Bonus enim usus gratiæ præcedentis ad gratias subsequentes disponit. Ut enim infra dicetur, urgente præcepto, Deus ordinarie non concedit gratiam immediate sufficientem ad legem implendam, sed tantum gratiam remote sufficientem, seu gratiam orationis. Qui illâ gratiâ bene utitur, ipsi Deus non denegat uberiora illa auxilia, quibus ad legem servandam indiget. « Ex quo probe intelligitur, *ait S. Al*» *phonsus*, vulgo in scholis receptum adagium: *Facienti quod est in* » *se, Deus non denegat gratiam;* i. e., homini precanti, quum bene » utitur gratiâ sufficienti, cujus ope præstare potest faciliora (ut est » oratio), Deus non denegat gratiam efficacem ad difficilia exse» quenda. » *(Magn. orat. med., P. 2, c. 4, n. 4; T. 2, p. 708).*

291. — *Quarta explicatio*, omnium celeberrima, de quâ in scholis magna fervet disputatio, est Molinistarum. To, *facienti quod est in se*, intelligit de faciente ex viribus naturæ, sive solius naturæ quando agitur de re facili, sive naturæ adjutæ gratiâ medicinali seu supernaturali quoad modum tantùm, quando agitur de re difficiliori. To vero *non denegat gratiam*, refert ad primam gratiam entitative supernaturalem. A Molinistis assumitur hæc explicatio ad demonstran-

dum, quomodo infideles, præsertim negativi, in suâ potestate habeant gratiam sufficientem ad fidem et salutem consequendam [1].

Juxta Molinistas, Deus ex purâ misericordiâ decrevit dare omnibus gratiam sufficientem ad salutem; sed decretum illud non est absolutum, sed conditionatum, subjacens scilicet conditioni, quod homo gratiæ non apponat impedimentum peccando, sed faciat quod est in se ex viribus naturæ, (sive solius naturæ, sive naturæ adjutæ gratiâ supernaturali quoad modum tantum). Quæ conditio ex parte hominis non se habet per modum meriti nec de condigno nec de congruo; nec est dispositio positiva aut negativa, influens in ipsam collationem gratiæ; nec debet intelligi *exclusive*, eo scilicet sensu, quod solis facientibus Deus det gratiam, cum et non facientibus ipsam dare possit, et quandoque reapse concedat. Sed est mera et pura conditio, quâ positâ, Deus, qui vult omnes salvos fieri, ex merâ misericordiâ et liberalitate dat homini, sed dat infallibiliter, gratiam entitative supernaturalem, quâ possit ad fidem et caritatem pervenire.

292. — Cl. *Bucceroni*, supradictâ explicatione per decem propositiones propositâ et fuse probatâ, his verbis suam dissertationem absolvit: « Quæ huc usque dicta sunt resumentes, veros sensus axiomatis, » de quo agimus, subjicimus. Illius communis axiomatis: *Facienti* » *quod in se est Deus non denegat gratiam*, sensus non est: facienti » per vires naturales quod in se est per modum meriti, aut moralis » saltem dispositionis, quæ gratiæ recipiendæ sit proportionata, Deus » eam non denegat, seu dat *quia* facit quod in se est; sed sensus est: » Deus non denegat gratiam vel facienti quod in se est per vires ipsius » supernaturalis gratiæ si habet; vel si non habet facienti quidem » quod in se est per vires naturæ; minime verò in hac hypothesi, *vi* » alicujus positivæ dispositionis ad gratiam; sed dumtaxat, quatenus » removetur impedimentum, seu obex peccati, tanquam prævia con- » ditio, non semper cæteroquin requisita, ut gratia detur, sed tantum, » ne juste possit denegari, quæ consequenter *negative* tantum condu- » cere potest ad gratiam *ex mera liberalitate* Dei habendam. Unde » hæc quando datur homini, qui facit per vires naturæ quod in se est, » datur utique *facienti*, at non datur *quia* facit. *Vires* autem *naturæ*

[1] Cf. *Molina*, Concordia, q. 14, a. 13, disp. 10; p. 43 - *Herice*, In I. P. D. Th., Tr. 3, Disp. 27; p. 551. - *Lessius*, De Gr. eff., cap. 10; et App. ad cap. 10; p. 91. - *Haunoldus*, Theol. spec., L. 2, cap. 2, contr. 5; p. 285. - *Mazzella*, De Grat., n. 848; p. 586. - *Cercia*, De Gr., vol, 2, sect. 4, lect. 3 et 4; p. 336. - *Bucceroni*, Commentarii de Axiomate: facienti quod est in se, etc. - *Jungmann*, De Grat., n. 212.

» complectuntur tum vires mere naturales, tum specialia quædam » auxilia ordinis entitative naturalis, et supernaturalia tantum *quoad* » *modum*. Hisce autem viribus faciens quod in se est nondum quidem » habet in se sufficientem dispositionem ad fidem et gratiam justifi- » cantem; sed ulterior requiritur gratia *initialis fidei* et *caritatis*, su- » pernaturalis jam ordinis, quam Deus largitur, et qua quis proxime » et sufficienter ad fidem primum, et deinde ad justificationem dispo- » nitur. » *(Opusc. Comment. de axiomate, facienti, etc., n. 29).*

293. — Hæc axiomatis explicatio, in sensu exposito sumpta, nihil in se continere videtur, quod Pelagianismo faveat, atque a genuinâ Ecclesiæ doctrinâ recedat. Hanc suam explicationem Molinistæ ex antiquioribus theologis, qui primi prædictum axioma conceptis verbis protulerunt, probare conantur. Si enim horum, aiunt, testimonia in sensu suo obvio sumantur, ipsos illud de faciente quod est in se ex viribus solius naturæ cum generali Dei influentiâ usurpasse compertum erit.

Scribit *S. Thomas:* « Non oportet ut actus quibus homo se ad gra- » tiam habendam præparat sint naturam humanam excedentes: sicut » enim natura humana se habet in potentia materiali ad gratiam, ita » actus virtutum naturalium se habent ut dispositiones materiales ad » ipsam; unde non exigitur ad hoc ut homo ad gratiam se præparet, » aliquod aliud lumen gratiæ præcedens... Et ideo aliis consentiendo » dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero » arbitrio se homo potest præparare: faciendo enim quod in se est, » gratiam a Deo consequitur. Hoc autem solum in nobis est quod in » potestate liberi arbitrii constitutum est. » *(In 2 Sent., D. 28, a. 4. — Cf. etiam loc. cit., ad 4. — De Veritate, q. 14, a. 11, ad 1).*

Albertus Magnus: « In nobis possibile est aliquid facere, quo facto » habeamus potestatem ex gratiâ: hoc autem est facere quod in nobis » est: quia si hoc fecerimus, Deus inevitabiliter dat gratiam: quia » ipse uno modo se habet semper ad nos, scilicet gratiam porrigendo; » sed nos non uno modo nos habemus ad eum, quando avertimur: sed » si convertimur faciendo quod in nobis est, statim accipimus. » *(In 2 Sent., D. 28, a. 1, ad 4. T. 15, p. 270).*

Alexander Alensis: « Concedendum igitur, quod si homo faciat » quod in se est: quod Deus dat ei gratiam et etiam necessariò, id » est, immutabiliter; sicut sol immutabiliter dat lumen suum omni » volenti recipere, scil. disposito ad hoc, et se habenti in recta dispo- » sitione ad solem. » *(Summa, P. 3, Q. 61, M. 5, a. 3, fol. 262, col. 1).*

— Et in responsione ad 6^m, explicans quid sit *facere ex se*, explicat per vires solius naturæ.

Et *P. 2, q. 113, M. 8, casu 1°*, agens de puero incluso in carcere Saracenorum, ait: « Talis cum pervenerit ad adultam ætatem, non » habet impotentiam credendi omninò: quia si facit quod est in se, » Dominus illuminabit eum per occultam inspirationem, aut per An- » gelum, aut per hominem... Oportet autem quod faciat quod est in » se. Facere autem quod est in se, est uti ratione, per quam potest » comprehendere Deum esse, et advocare adjutorium Dei. »

Richardus a Mediavilla, ad quæstionem: Utrum liberum arbitrium sine omni gratia gratis data, possit se ad gratiam gratum facientem sufficienter disponere? respondet: « Dispositio ad gratiam gratum fa- » cientem duplex est: quædam remota et indirecta; quædam propinqua » et directa. Loquendo de prima dispositione, liberum arbitrium per » sua naturalia cum sola generali motione primi moventis, quam sup- » ponit quælibet actio creaturæ, potest se ad gratiam gratum facientem » disponere: quia hoc modo, qui libero arbitrio suo recte utitur, quan- » tum potest, disponit se ad gratiam gratum facientem. » *(2 Sent., Dist. 28, art. 1, q. 2; pag. 356).*

Plurium theologorum similia testimonia vide apud Ruiz de Montoya, De Provid., Disp. 21, per totam; pag. 252.

Quinimò et plura SS. Patrum Græcorum, præsertim S. Joannis Chrysostomi, asserta in medium proferunt Molinistæ, quibus suam explicationem stabilitam autumant [1].

294. — Verum hanc Molinistarum sententiam vehementer oppugnant non solum Thomistæ [2], sed etiam plures ex celebrioribus Soc. Jesu theologis [3], tanquam Pelagianorum errori nimis affinem.

Etenim: 1° Contradicere videtur definitionibus Ecclesiæ. In Conc. Arausicano II, can. 3-8, definitum est: nullum conatum a libero arbitrio elicitum quidquam conferre ad gratiam recipiendam; gratiam in nullo prævenire a viribus naturæ; gratiæ adjutorium non subjungi humilitati aut obedientiæ humanæ. Porrò, hisce definitionibus adversari videtur doctrina eorum qui docent, quod facientibus totum id quod est in se ex viribus naturæ, lege infallibili vel ex purâ mise-

[1] Cf. *Petavius*, Dogm., L 9, c. 3. T. 1, p. 348. — [2] Cf. *Salmant.*, De Gr., disp. 3, dub. 7. T. 9, p. 437. - *Alvarez*, De Auxil., Disp. 56; p. 396. - *Gotti*, De prædest., q. 3, dub. 2, T. 4; p. 52. - *Zumel*, Variæ disput., T. 3, concl. 5; p. 14. - *Lugo Benitez*, Vera Christi gr., disp. 1, dub. 1, § 4; p. 56. — [3] Cf. *Tanner*, De Gr., q. 3, dub. 8, col. 1246. - *Montoya*, De Provid., disp. 22; p. 270. - *Vasquez*, In P. 1, disp. 91, cap. 10. T. 1, p. 645.

ricordiâ, vel propter pactum initum cum Christo, (ut vult Molina, Conc., q. 14, a. 13, disp. 10; p. 43), Deus conferat primam gratiam auxiliantem.

Enimverò: vel illa opera Deum aliqualiter movent, saltem per modum dispositionis aut occasionis etiam remotissimæ, cur uni magis quam alii primam gratiam conferat, vel non movent. Si non movent, ergo illa opera sunt ac si non essent, et male asseritur facientibus potius quam non facientibus gratiam conferri; si autem movent, etiam remotissime, ergo illa opera habent aliquem influxum, etsi tenuissimum, in gratiæ collationem, et in aliquo præveniunt gratiam, ac aliquid conferunt ad gratiæ receptionem, gratiaque huic obedientiæ humanæ subjungitur.

295. — 2° Illud, quod lege infallibili divinitus latâ cum gratiâ ita connectitur, ut hæc semper et infallibiliter concedatur, est jam quoddam gratiæ et justificationis initium. Si igitur facientibus quod est in se vi solius naturæ daretur gratia ex lege infallibili, illa opera naturalia jam forent quoddam gratiæ et justificationis initium: quod est contra Tridentinum definiens, justificationis initium esse a gratiâ, non a naturâ.

296. — 3° Si ex hominibus unus præ alio, vi divini decreti, primam acciperet gratiam, quia facit ex viribus naturæ totum quod potest, faciens se suâ ope et industriâ a non faciente discerneret; nec in tam altâ quæstione recurrendum foret ad profundissima Dei judicia: quod utrumque contradicit verbis Apostoli: *Quis te discernit?* et: *O altitudo!*

297. — 4° Contra pactum a Molina excogitatum, specialis urget ratio, scilicet: Quod vi pacti sub quadam conditione promittitur, illud, adimpletâ conditione, induit rationem debiti. Si igitur Deus pacto cum Christo inito statuisset conferre gratiam omnibus facientibus, quod possunt ex viribus naturæ, illis qui faciunt quod possunt, gratia foret debita. Si autem debita, ergo jam non est gratia.

Nec dici potest, gratiam induere rationem debiti in ordine ad Christum, non verò in ordine ad hominem, qui eam accipit. Nam, ut sapienter monet Gotti: « Si aliquis Rex ad instantiam Filii conderet » legem, quâ promitteret se daturum civitatem cuicumque ex militibus » qui primus illam ingrederetur, posita tali lege, qui primus ingrede- » retur civitatem, eam faceret sibi debitam, et talis ingressus faceret, » ut non ex gratia illi conferretur. » *(De Gr. Q. 1, dub. 9, n. 12. T. 9, p. 93).*

A pari, si Deus cum Christo pactum pepigisset de dandâ gratiâ illis, qui faciunt quod possunt ex naturæ viribus, qui reapse faciunt

quod possunt, etsi gratiam suis operibus proprie non mereantur, talem tamen ponunt conditionem, quâ, vi legis latæ, jus verum habeant ad gratiam.

Præterea, si quod pactum, aut lex, aut conventio existeret de dandâ gratiâ illis, qui faciunt quod possunt ex viribus naturæ, illius parvulum saltem vestigium in traditione reperiri deberet. Cum enim agatur de re summi momenti, de quâ hæreticos inter et SS. Patres tantæ exagitatæ sunt controversiæ, illud pactum SS. Patres latere non potuisset. Atqui in traditione de tali pacto altum viget silentium; imò si Patrum effata vel obiter perpenderis, clare inde constabit, ipsos hujusmodi pactum non solum non agnovisse, sed rejecisse. Negant enim *absolute* quidquam, quod nostrum sit, gratiam præcedere, aut ad ejus collationem quocumque modo concurrere. Si quod verò pactum existeret, hæ locutiones non forent veræ, quia nimis absolutæ. Gratis igitur omninò a Molina tale pactum est excogitatum [1]. « Pactum autem, » *ait Clerus Gallicanus, an. 1700,* quod inter Deum et Christum asseritur, » commentum est temerarium, erroneum, non solum tacente, sed etiam » adversante Scripturâ, et Sanctorum Patrum traditione prolatum ».

298. — Ad antiquiores scholasticos quod attinet, (et idem dicendum est de quibusdam SS. Patribus Græcis), quos Molinistæ tanquam patronos suæ sententiæ vindicant, aliqui ex theologis, qui Molinistis adversantur, fatentur antiquiores theologos minus caute hac in re locutos esse, eos tamen, uno alterove excepto, benigna interpretatione exponi posse autumant. Ita *Montoya, De Provid., Disp. 21, p. 252.*

Quod ad S. Thomam speciatim attinet, fatentur plures Thomistæ, S. Doctorem in Summâ retractasse, quæ adhuc junior scripserat in D. 28, secundi Sententiarum. Ita *Cajetanus, 1. 2, q. 109, a. 6; T. 4; p. 512; Soto, De Nat. et Gr., L. 2, c. 3; p. 109; Capreolus, 2 Sent., D. 28, in fine; fol. 260.*

Alii tamen negant S. Thomam incaute esse locutum, aut suam sententiam retractasse; sed autumant ejus doctrinam in Sententiis expositam cum illis, quæ docentur in Summâ, perfecte conciliari. *Ita Duplessis, pag. 141 et seq.* — Quod verò de S. Thomâ affirmant, id ipsum affirmant de aliis antiquioribus scholasticis, si unum aliumve excipias.

299. — **Quæritur** ergo utrum antiquiores scholastici axioma *facienti quod est in se,* intellexerint de faciente ex solius naturæ viribus, an de faciente ex viribus gratiæ?

[1] Cf. *Salmant.,* Disp. 3, dub. 7, § 4; p. 451.

Negari non potest plura eorum testimonia, si sumantur in se et seorsum ab eorumdem doctrinâ aliis in locis traditâ, innuere, eorum mentem fuisse, posse hominem ex viribus solius naturæ aliquid facere, quo facto, Deus illi infallibiliter concedat gratiam. Affirmandum tamen videtur, si non omnes, tamen plerosque eorum, quos pro se citant Molinistæ, prælaudatum axioma nullatenus intellexisse de homine faciente ex viribus solius naturæ, excluso omni auxilio supernaturali.

300. — Meminisse oportet, antiquiores scholasticos, quando agunt de gratiâ, loqui præsertim de gratia habituali ; quare, quando inquirunt de præparatione hominis ad gratiam, nomine gratiæ solam intelligunt gratiam sanctificantem. « In hac distinctione (scil. II Sent., » Dist. 26), et tribus sequentibus, *ait Biel*, gratia accipitur propriis» sime pro gratia gratum faciente. » *(In 2 S. D. 26, fol. 135, verso).* — Duplicem agnoscunt præparationem ad gratiam, proximam scilicet, quacum semper conjungitur gratiæ habitualis infusio ; et remotam, quæ hominem quasi a longe ad justificationem disponit, nec cum ea immediate conjungitur. *(Cf. S. Th., 1. 2, q. 112, a. 2, ad 1).* Ad proximam præparationem quod attinet, nulla viget difficultas, cum omnes doceant eam non fieri posse ab homine absque speciali Dei motione supernaturali. De sola igitur præparatione remotâ quæstio movetur.

301. — Ad hujus quæstionis solutionem notandum est sedulò, antiquiores scholasticos, præter gratiam habitualem, etiam gratiam actualem agnovisse, et quidem duplicem : unam, quam vocant *motionem specialem, gratiam gratis datam, auxilium speciale*, vi cujus elicitur immediata præparatio ad gratiam ; — alteram, quam a Deo, ob ejus seriam voluntatem salvandi omnes, omnibus indistincte collatam aut saltem oblatam dicunt, quæ remote tantum ad justificationem disponit. Hanc rarius vocant gratiam gratis datam, frequentius vero *donum Dei, donum gratuitum, auxilium commune, auxilium ordinarium, influxum generalem, influentiam generalem, motionem gratuitam, motionem generalem.*

Hoc supernaturale auxilium commune antiquiores inter dona naturalia hominis constituti in ordine supernaturali ordinarie connumerant, ea scilicet ducti ratione, quod cuilibet statui debetur divina motio proportionata ; absque tali enim motione seu auxilio creatura nihil prorsus agere posset ad finem illius statûs prosequendum. Cum igitur homo sit ordinatus in statum supernaturalem, huic statui necessariò adnectendum erat auxilium eidem proportionatum, et tanquam quid naturale huic statui. Quâ de causâ, de hoc auxilio supernatu-

rali loquuntur antiquiores tanquam de re debitâ et naturali, non quidem ratione naturæ nude in se consideratæ, sed ratione ejus elevationis in statum supernaturalem. Quare, quando dicunt homini facienti *ex suis naturalibus*, aut *ex puris naturalibus*, Deum non denegare gratiam, auxilium supernaturale non excludunt, sed illud subintelligunt, tanquam omnibus communiter a Deo datum [1].

302. — Hanc esse antiquiorum mentem, constat tum ex eorum dictis, tum ex declaratione coævorum. « Quarta conclusio: Quamvis » nullus ex naturalibus puris primam gratiam post lapsum etiam de » congruo valeat promereri, *inquit Marsilius ab Inghen, († 1390)*, » potest tamen de congruo specialibus Dei auxiliis gratis datis sibi » quis mereri. » — Et probatâ istâ conclusione, addit: « Et in hoc » concordare videntur mihi opiniones magistrorum meorum. Nam illi » qui dicunt quod peccator ex puris naturalibus possit mereri primam » gratiam de congruo, intelligunt conclusionem jam positam, scilicet » quod ex illis speciali Dei auxilio præventis. Qui autem dicunt con- » trarium, intelligunt conclusionem tertiam, scilicet quod non ex na- » turalibus puris a Deo specialiter non adjutis. » *(In 2 Sent., q. 18, a. 3; fol. 300).* — Et *in resp. ad 6m, fol. 302,* ait: « quod peccator ex » puris naturalibus vel sola influentia generali non possit se sufficienter » disponere ad gratiam; potest tamen hoc, per gratuitas Dei præven- » tiones, quas Dominus dat singulis adultis, saltem de congruo. »

303. — *Alliacensis* agens de possibilitate, quæ est in peccatore ad vitanda peccata, ait: « Vitare peccatum ex puris naturalibus po- » test dupliciter intelligi. Uno modo ut per pura naturalia excluda- » mus omnia dona infusa supernaturalia. Alio modo ut per hoc exclu- » damus adjutorium supernaturale. Tunc secundum hoc pono aliquas » propositiones. Prima est: quod secundo modo nullus ex puris natu- » ralibus potest aliquod peccatum vitare... Secunda est: quod primo » modo quis potest ex puris naturalibus quodlibet peccatum vitare, etc. » *(In 1 Sent., q. 9, pag. 10 ab initio quæst.).* Jamvero ex his manifestum est, Alliacensem per *pura naturalia* intelligere non nudam naturam, sed naturam privatam donis infusis, id est, gratiâ habituali et caritate, habentem tamen adjutorium supernaturale, id est, gratiam actualem.

304. — *Alensis* facienti quod est in se ex viribus naturalibus gratiam non denegari, docet in P. 3, passim. Verum explicans undenam veniat homini possibilitas faciendi, ait: « Ad illud quod dicit Hiero-

[1] Cf. *Petavius,* Dogm., L. 9, c. 4; p. 352; et L. 10, c. 20; p. 444.

» nymus, quod initia bonæ voluntatis in nobis sunt, dicendum quod » Glossa non dicit, quod sint a nobis, sed in nobis, licet a Deo. » *(P. 4, q. 13, M. 2. T. 4, fol. 253).* Igitur initium bonæ voluntatis, qua homo facit quod est in se, non est a se, sed a Deo, per gratiam scilicet prævenientem [1].

305. — *Richardus a Mediavilla*, in 2 S., D. 28, a. 1, q. 2, p. 356, docere videtur hominem ex puris naturalibus se ad gratiam posse præparare. Sed ibidem paulo post, (p. 358), præparationem in Dei auxilium refundit. « Ad quartum dicendum, *inquit*, quod ideo non » observantes mandata Dei rei peccati tenentur: quia cum divino adju- » torio possent si vellent, se ad gratiam gratum facientem disponere: » si enim se disposuissent, Deus eis gratiam gratum facientem con- » tulisset, per quam mandata sua virtuose possent implere. »

306. — *Henricus a Gandavo* pro se citatur a Molinistis, *quodl. 4, q. 19, et quod 5, q. 20.* Sed *quodl. 8, q. 5*, docet primum initium præparationis ad gratiam esse a Deo, qui quemlibet, statim ac ad rationis usum pervenit, suâ gratiâ prævenit. Cf. *n. 654.*

307. — *Thomas ab Argentina*, quem omnes citant tanquam nimis arcte accedentem ad Pelagianos, scribit nihilominus: « Peccator, qui » quantum ad vitæ suæ correctionem facit totum, quod in se est, as- » similatur prædicto filio prodigo dicenti in Evangelio: *Surgam et » vadam ad patrem meum* etc. Unde si faceret totum, quod in se est, » etiamsi paganus existeret, Deus nunquam dimitteret, quin veritatem » suæ fidei panderet, et infunderet gratiam... Modus autem redeundi, » seu gratiam consequendi, quamvis in prædicta parabola satis sit » expressus, potest tamen dici, quod primò per gratiam prævenientem » ipse Deus admonet per aliquos impetus spirituales ipsum peccatorem, » quorum perceptione ipse peccator incipit reatum suum cognoscere, et » aliqualem habere displicentiam peccatorum; talibus enim admoni- » tionibus Deus stat ad ostium et pulsat. » *(2 Sent., D. 26 et 27, a. 3, concl. 2; fol. 179, col. 4).* Sed his in verbis, *ro facere totum quod in se est,* non solis naturæ viribus, sed et gratiæ adscribitur.

308. — *Driedo* sæpius affirmat, pie credi posse, Deum iis non defuturum, qui ex viribus naturæ faciunt totum quod possunt; unde et a Molinistis pro suâ sententiâ citatur. Explicans verò ex professo quid sit facere totum quod est in se, illud non de naturæ viribus, sed de gratiæ auxiliis intelligit: « Quod dicimus, *ait*, hominem facere » quantum in se est, trifariam potest intelligi. Uno quidem modo fa-

[1] Cf. *Duplessis*, Pag. 119 et seq.

» cere quantum in se est, est facere quantum ipsa natura potest ex » se, id est ex suis solius viribus a conditore naturæ insitis, non pe- » culiariter attractus a Deo Patre... Et sic faciens quantum in se est, » neque meretur gratiam, nec ad acquirendam gratiam sese præparat, » quia ad habendum gratiam præparatur voluntas a Domino. — Se- » cundò facere quantum in se est, est pro tempore et loco facere » quantum ipsa natura absque habituali gratiæ dono potest facere, » ex rationalis naturæ viribus peculiariter a Deo Patre ad initia fidei » attractis. Et sic facienti quantum in se est, Deus largitur initium » fidei, ex qua etiam valeat orare, invocare, quærere, implorare Dei » misericordiam. Et hic est jam primus rationalis animæ tractus, qui » est ponendus non tanquam generalis Dei influxus, omnibus semper » hominibus secundum conditionem humanæ naturæ jam post lapsum » Adæ debitus... sed est peculiaris et gratuitus tractus, ante quem » rationalis animus neque orare potest, ut trahatur, neque desiderare » gratiam, qua justus efficiatur... Tertio modo facere quantum in se » est, est facere quantum natura adjuta fide desuper data potest facere » pro remissione peccati, aut pro perseverantia gratiæ impetranda, » et sic Deus facienti quantum est in se, dat gratiam... Et his duobus » posterioribus modis intellexerunt sacræ theologiæ interpretes, do- » centes Deum illustrare et gratiam facere his, qui faciunt quantum » in se est, intelligentes eos facere quantum in se est, qui vel ad im- » petrandam gratiam, vel ad perseverandum in gratia faciunt quan- » tum possunt, ex his quæ in se præsto habent utcumque sentientes » jam Dei tractum. » *(De Captiv. et Redempt., Tr. 5, c. 2; fol. 126).*

« Si non habes, *inquit iterum*, tantum præsidii, ut valeas in eo » quod cœpisti, perseverare, habes tamen tale auxilium quo potes ad » id, quod nondum habes, ascendere; et ideo si non habes quo valeas » perseverare, ex totis præcordiis adeas Dominum Deum tuum, et ora » ut habeas. Et secundum hunc modum intelligendum est quod so- » lemus dicere de facere quantum in se est, ut homo ex his quæ in » se habet a Deo, faciat quantum potest, ut ascendat et accipiat cæ- » tera quæ nondum habet. » *(De Captiv. et Redempt., tr. 5; cap. 5; f. 138).*

309. — Similia testimonia fere apud omnes antiquiores invenire est [1]. « Quare, *ait Tanner*, sensus axiomatis illius theologici alius » non est, quam facienti, cum auxilio gratiæ prævenientis jam exhi- » bito, quod in se est, Deum ulteriora auxilia, quæ præterea ad sa-

[1] Cf. *Tanner*, Disp. 6, q. 3, dub. 8, n. 210 et seq., col. 1251. - *Duplessis*, p. 139; 167; 189, etc. - *Thomassin*, Consensus scholæ; p. 444; 448, etc.

» lutem necessaria sunt, non denegaturum, ut recte interpretantur » *Gregorius de Valentia, Medina* et alii recentiores. Quo modo etiam, » ut periculum errandi caveatur, plane loquendum est. » *(Disp. 6, q. 3, dub. 8, n. 216; col. 1254).*

CAPUT II.

DE UNIVERSALITATE GRATIÆ [1].

310. — Gratia, ut modo vidimus, est omninò gratuita, nullusque mortalium ex viribus solius naturæ eam sibi mereri, aut se ad ipsam disponere ita potest, ut eam intuitu meriti aut dispositionis naturalis infallibiliter accipiat. Conceditur autem ex purâ Dei misericordiâ, quæ, sicut homines ad æternam felicitatem gratis et non ex debito vocavit, gratis etiam et non ex debito eis elargitur media, quibus supremam illam beatitudinem adipisci valeant. Verùm, cum absque auxiliante gratiâ salus sit omninò impossibilis, magna hìc, et quæ nostrâ magni interest, exsurgit quæstio, videlicet: utrum Deus omnibus hominibus elargiatur sufficientia gratiarum auxilia, quibus omnes, dummodo velint, ad cœlestem gloriam valeant pervenire; an verò sint aliqui a Patre luminum ita exheredati, quibus omninò denegentur media cœlestem hæreditatem capessendi.

Quâ in maximi momenti quæstione ut magis dilucide procedatur, primò investigabitur an omnes homines accipiant sufficientia auxilia ad legem perfecte servandam: ex legis enim observantia dependet salutis negotium, juxta illud Domini, (Matth. XIX, 17): *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et quia speciales adsunt difficultates tum quoad peccatores quosdam insigniores, et infideles, tum quoad parvulos in peccato originali morientes, de his specialius erit agendum. Quatuor igitur ponuntur articuli.

In art. I. Sermo erit de universali gratiarum distributione pro legis observantiâ.

[1] Cf. *S. Alph.*, Magn. orat. med., P. 2, c. 2 et 3. - *Gamach.*, In q. 111, c. 5; p. 376. - *Grandin*, Q. 3, a. 2; p. 164. - *Tournely*, De Gr., q. 8. - *Tourn. (Montanius)*, Q. 4. - *Frassen*, Disp. 2, a. 3, sect. 4, § 2. T. 9; p. 259. - *Is. Habert.*, Theol. Patr. Græc., L. 2, cap. 12 et seq.; p. 247. - *Bancel*, Brevis theol. cursus, Tr. 4, de Vol. Dei, q. 4. T. 2; p. 236-449. - *Montoya*, De Prædest., Disp. 40 et seq.; p. 432.

In art. II. Sermo erit de fidelibus peccatoribus.
In art. III. De infidelibus.
In art. IV. De parvulis.

ARTICULUS I.

DE UNIVERSALI GRATIARUM DISTRIBUTIONE PRO LEGIS OBSERVANTIA.

311. — Non tantum infidelibus, excæcatis, peccatoribus fidelibus, sed etiam justis, urgente præcepto, sæpius denegari gratiam sufficientem, quâ mandata servari possint, commentum fuit *Jansenii*. « Nihil esse in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, *inquit*, » quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infide- » libus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque et justis, volenti- » bus, conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt im- » possibilia; deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia. » *(De Gratia Christi, L. 3, c. 13; pag. 138)*. Quæ doctrina sponte fluit ex Jansenii principio de delectatione relative victrice, in quâ gratiæ efficacis essentiam constituit. *(Cf. n. 35)*.

Docet præterea, sub lege mosaicâ omnibus Judæis, paucis exceptis, fuisse negatam gratiam sufficientem ad legis impletionem. « Ex his suf- » ficienter demonstrari puto, *inquit*, esse quemdam sub lege statum » sub quo generaliter (paucis exceptis) judaica natio ante Salvatoris » adventum fuit, in quo non solum non dabatur gratia sufficiens im- » plendi id quod jubebatur, multo minus gratia sufficiens ad salutem; » sed e contrario talis gratia lationi legis ac scopo Dei capitaliter » repugnabat. » *(De Gr. Chr., L. 3, c. 5; p. 112)*.

Jansenio præiverat *Calvinus*, qui, non aliam nisi efficacem agnoscens gratiam, omnibus qui legem non implent, gratiam sufficientem defuisse autumat [1].

Propositio.

Urgente præcepto, conceditur omnibus hominibus, tam justis quam peccatoribus, gratia vere et relative sufficiens.

312. — Propositio intellecta de justis, est *de fide*, ex Trident., *Sess. VI, can. 18:* « Si quis dixerit, Dei præcepta justificato esse ad observandum impossibilia, A. S. »; et ex condemnatione primæ pro-

[1] Cf. *Dechamps*, De hær. Jans., L. 1, disp. 8, c. 2; p. 107. - *Is. Habert.*, Theol. Patr. Græc., L. 2, c. 12; p. 247.

positionis Jansenii, quæ tanquam hæretica proscripta est. — Intellecta verò de peccatoribus, propositio est *certa*, ita ut opposita erronea et hæresi proxima sit dicenda.

Prob. Propositio, quatenus intelligitur de justis, ex iis probatur quæ supra *(n. 220 et ss.; 243 et ss.)* de fugâ peccatorum et de possibilitate perseverandi dicta sunt. Si enim justus potest per totam vitam suam peccatum mortale vitare, si habet perseverandi potestatem, habet utique etiam gratiam adimplendi præcepta, quoties urgent; secus enim nec a mortali posset abstinere, nec perseverandi potestatem haberet. Confer igitur dicta locis citatis. *Probatur præterea:*

313. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus, (I Cor. X, 13): *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Jamverò, si, imminente tentatione et urgente præcepto, Deus alicui gratiam vere et relative sufficientem non conferret, eum supra id, quod potest, tentari pateretur.

« Ea verba, sibi molesta, *ait S. Alphonsus*, Jansenius de solis » prædestinatis intelligi asserit. Attamen S. Paulus alloquitur omnes » fideles Corinthios, quos certo non omnes prædestinatos arbitrari po- » terat; quare S. Thomas ea merito de omnibus universim hominibus » dicta intelligit: nec fidelis esset Deus, inquit, si nobis non conce- » deret (quantum ad ipsum spectat) eas gratias, quarum ope salutem » consequi possumus: *Non autem videretur* (Deus) *esse fidelis, si... » nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per quæ pervenire ad eum » possemus*[1]. » *(De fidei verit., P. 2, c. 17, n. 20; T. 2, p. 230).*

(Deuter. XXX, 11): *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* — (Is., V, 4): *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Cum igitur mandatorum observantia sit supra vires naturales, si Deus aliquibus gratiam sufficientem denegaret, mandatum impositum foret supra hominem. Similiter, eis, quibus gratiam negaret, non faceret omnia quæ deberet ut uvas, id est, bona opera valerent producere; stulteque quereretur Deus se frustra ab eisdem uvas exspectasse, quandoquidem optime novit, homines, nisi gratiâ auxiliante prævenientur, solas labruscas germinare posse.

Hæc insuper verba directe contra Jansenium demonstrant, etiam Judæos ante Christi adventum habuisse sufficientia auxilia mandatum servandi; verba enim *mandatum hoc*, etc., Judæis directe dictum est,

[1] In Ep. I ad Cor., cap. 1, lect. 1.

et per *vineam meam* in sensu litterali intelligitur synagoga, seu populus judaicus.

(Eccl. II, 12): *Quis permansit in mandatis ejus, et derelictus est?* Hæc de justis proferuntur, ut patet per verba: *quis permansit*, etc. Justus ergo non derelinquitur a Deo, nisi, ut ait Tridentinum, Sess. VI, cap. 11, ipse prior Deum deserat. Si autem Deus alicui justo gratiam sufficientem denegaret, Deus prior justum desereret. Quilibet igitur justus, urgente præcepto, habet auxilium vere et relative sufficiens ad illud servandum.

(Matth. XI, 30): *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* — (I Joan. V, 3): *Mandata ejus gravia non sunt.* Qui duo loci ita evidenter convincunt, ut Tridentinum, Sess. VI, cap. 11, ex eis probet Deum neminem impossibilia jubere. — Nec objici potest, mandata non esse gravia habenti caritatem, bene verò peccatoribus; quia hi quoque habent gratiam saltem remote sufficientem ad ea implenda. « Omnia » quippe, *ait S. August.*, fiunt facilia caritati: cui uni *Christi sar-* » *cina levis est*, aut ea una est sarcina ipsa quæ levis est. Secundum » hoc dictum est: *Et præcepta ejus gravia non sunt;* ut cui gravia » sunt, consideret non potuisse divinitus dici, *gravia non sunt*, nisi » quia potest esse cordis affectus cui gravia non sunt, et petat quo » destituitur, ut impleat quod jubetur. » *(De Nat. et Grat., c. 69. M., 44, c. 289).*

314. — Prob. II. **Ex Tridentino.** Legimus, *Sess. VI, cap. 11:* « Nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce » uti (debet), Dei præcepta homini justificato ad observandum esse » impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet » et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat ut » possis. » Hæc verba, licet de justis prolata, pro peccatoribus tamen etiam valent, cum ratio allegata: *Deus impossibilia non jubet*, sit universalis, nullamque patiatur exceptionem. Recte igitur inde inferimus etiam peccatores, urgente præcepto, accipere gratiam saltem remote sufficientem.

Et *Sess. XXIV, can. 4:* « Si quis dixerit ... posse omnes contra- » here matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam vove- » rint, habere donum: A. S.; cum Deus id recte petentibus non de- » neget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.[1] » Ergo omnes qui castitatem voverunt, sive justi sive peccatores possunt eam, Deo auxiliante, servare.

[1] Cf. *Dechamps*, De hær. Jans., L. 2, disp. 8, c. 5; p. 320.

315. — Prob. III. **Ex Traditione.** SS. Patres gratiam hominibus, urgente præcepto, nunquam deesse, acerrime propugnant.

Ait *Innocentius I*, in Epist. ad Conc. Carthaginiense: « Quotidiana » præstat illi (homini) remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, » nullatenus humanos vincere poterimus errores. » *(Labbe, II, col. 1285).*

S. Leo: « Juste instat præcepto, qui præcurrit auxilio. » *(Serm. 16, de Pass. Dom., cap. 6. M., 54, c. 371).*

S. Augustinus: « Illud autem lumen (lux vera) non irrationabilium » avium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, et ab » amore visibilium rerum et temporalium se ad ejus præcepta im- » plenda convertunt. Quod omnes homines possunt si velint, quia illud » lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum. » *(De Genesi, Cont. Man., L. 1, c. 3. M., 34, c. 176).*

« Hæc imperat Deus, quæ fieri possunt: sed ipse dedit ut faciant, » eis qui facere possunt et faciunt; et eos qui non possunt, imperando » admonet a se petere ut possint. » *(Op. imperf. cont. Jul., L. 3, c. 116. M., 45, c. 1297).*

« Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judi- » caret, ut ab homine fieret. Sed considerans infirmitatem tuam, deficis » sub præcepto? Confortare in exemplo... Adest ille qui præbuit » exemplum, ut præbeat et auxilium. » *(In Ps. 56, n. 1. M., 36, c. 661).*

« Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit » curam cum jam hoc es quod voluit ut esses? Jam enim fidelis es, » jam ambulas in via justitiæ. Curam tui non habebit, qui facit solem » suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos? » te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo » vero et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat, et » noxia resecat... Dominus curam habet tui, securus esto. Ille portat » qui te fecit; ab artificis tui manu noli cadere... Nusquam tibi deest, tu » illi noli deesse, tu tibi noli deesse. » *(In Ps. 39, n. 27. M., 36, c. 450).*

316. — Prob. IV. **Ex Ratione**[1]. Si, urgente præcepto, Deus aliquibus gratiam sufficientem denegaret, hi versarentur in absoluta impossibilitate illud servandi. Atqui, nemo peccat in eo quod vitare non potest: ad impossibile enim nemo tenetur. Ergo, urgente præcepto, vel datur gratia sufficiens ad illud servandum, vel legis transgressio non foret peccatum; vel si peccatum foret, Deus ipse peccati auctor existeret. « Peccati reum tenere quemquam, *ait S. August.*, » quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et

[1] Cf. *S. Alph.*, Magn. orat. med., P. 1, c. 2. T. 2; p. 646.

» insaniæ;... si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla » conceditur, peccatum eorum tenere non possumus. » *(De duab. an., c. 12. M., 42, c. 107).* — Et *S. Joan. Chrysost.:* « Omnibus istis artibus » virtus est facilior, *inquit*, si velimus, et ascensio in cœlum; hic » enim solum oportet velle, et omnia sequuntur. Non licet dicere, non » possum; id est accusare Opificem. Nam si nos fecit imbecilles, et » jubeat, ipsius est accusatio. Quomodo ergo multi non possunt? Quia » nolunt. Quomodo non volunt? Præ desidia; nam si voluerint, pote- » runt omnino. » *(Hom. 16, ad Hebr. M., 63, c. 127).*

« Deus, *inquit etiam S. Th.*, non est magis crudelis quam homo. » Sed homini imputatur in crudelitatem, si obliget aliquem per præ- » ceptum ad id quod implere non possit. Ergo hoc de Deo nullo modo » est æstimandum. » *(2 Sent., D. 28, q. 1, a. 3).*

317. — Objicitur. B. Petrus, antequam Christum negaret, justus erat, sicut constat ex verbis Christi, (Joan. XIII, 10): *Vos mundi estis.* Atqui B. Petro deerat gratia ad Christum confitendum, sicut eruitur ex verbis Christi, (Joan. XIII, 36): *Non potes me sequi modo, sequeris autem postea;* et sicut aperte testatur S. Joan. Chrysost., qui agens de Petri negatione, ait: « Non quod frigidus esset, sed quod superna » nudatus esset ope, cecidit. » *(Hom. 73 in Joan., n. 1. M., 59, c. 396).* et: « Hic (Petrus) cum proposito voluntatis, quia nullo fultus erat » auxilio, lapsus est. » *(Hom. 82 in Matth., n. 4. M., 58, c. 742);* Cum igitur Petrus Christum sequi voluerit et conatus fuerit, nec tamen ob gratiæ defectum potuerit, manifestum est justis etiam volentibus et conantibus quandoque deesse gratiam.

Resp. Hanc objectionem magni faciunt Jansenius et Arnaldus ad primam jansenianam prop. defendendam. Ast incassum. Etenim:

1° Negant majorem plures theologi, scilicet Petrum fuisse justum eo momento, quo Christum negavit. Justus quidem erat quando Christus ei dixit: *Vos mundi estis;* sed opinantur S. Joan. Chrysostomum, *(hom. 83 in Matth.)*, docuisse, Petrum ante negationem peccasse lethaliter, scilicet peccato præsumptionis, nimis præsumendo de viribus propriis; peccato superbiæ, præponendo se cæteris Apostolis; et peccato incredulitatis, non adhibendo fidem verbis Christi asserentis, ut ab eo negaretur. Et si hoc verum esset, non valeret argumentum a lapsu Petri desumptum, ad probandum justis volentibus et conantibus quandoque deesse gratiam sufficientem.

Cum tamen certum non sit B. Petrum, antequam Christum negaret, mortaliter peccavisse, aliique Patres asserant verba Petri non ex præ-

sumptione, aut incredulitate, aut superbiâ, sed ex ardenti amore erga Christum processisse, ideo melior danda est responsio. Ergo:

2° *Quoad min.:* Petro deerat gratia, *dist.:* deerat gratia efficax aut proxime sufficiens, *conc.;* et hanc Deus Petro denegavit, ut de suâ imbecillitate edoctus, non sibi sed Dei gratiæ confideret. « Christus, » *inquit S. Joan. Chrysost.*, (Petrum) deseruit, ut suam edisceret infir- » mitatem. » (*Hom. 73 in Joan., n. 1. M., 59, c. 395).* Et: « Auxilio » suo Deus illum admodum nudavit: admodum vero nudavit, quia » vehemens in illo morbus erat arrogantiæ et contradictionis. Ut ergo » radicitus hunc morbum tolleret, ideo permisit ut illum terror inva- » deret. » *(Hom. 82 in Matth., n. 3. M., 58, c. 742).* Et *S. Augustinus:* « Non fuit illa Petri desertio, sed eruditio. Amare quippe Dominum » interrogatus, in corde suo præsumpserat se pro eo etiam moriturum. » Viribus suis hoc tribuerat: nisi paulisper a regente desereretur, non » sibi demonstraretur. » *(Serm. 285, n. 3. M., 38, c. 1294).* — Deerat gratia remote sufficiens, *nego.* Habuit enim B. Petrus gratiam orandi, et si orasset, gratia uberiori privatus non fuisset. Constat ex dictis ipsius Christi, quando discipulis in horto dixit: *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.*

Verba autem S. Scripturæ: *Non potes me sequi modo*, Jansenistis non prosunt. Quando enim Christus Petrum allocutus est, non urgebat pro ipso præceptum moriendi; ex eo igitur quod Petrus tunc non habuit gratiam sufficientem moriendi pro Christo, male inferunt Jansenistæ, ipsum nec habuisse gratiam sufficientem ad Christum confitendum.

318. — **NB.** Allatâ distinctione in responsione 2ª solvuntur omnia argumenta, quæ Jansenius ex Scripturæ et Patrum testimoniis congerit ad demonstrandum, justis, urgente præcepto, sæpius deesse gratiam. Id unice ex hisce testimoniis evincitur, scilicet, urgente præcepto, non semper concedi gratiam proxime sufficientem; quod omnes fatentur theologi; ast exinde nequaquam evinci, gratiam prorsus nullam, ne remote quidem sufficientem, concedi.

ARTICULUS II.

DE GRATIARUM DISTRIBUTIONE RESPECTU PECCATORUM.

319. — Peccatores omnes, urgente præcepto, recipere gratias vere et relative, proxime vel remote sufficientes, ex iis quæ in superiori articulo dicta sunt, compertum est: si enim, urgente præcepto, gratia

sufficiens ipsis deesset, legis transgressio eis in peccatum imputari non posset. Non igitur subscribere possumus eorum sententiæ qui docent, obduratos peccatores, quando in punitionem peccatorum propriorum omni prorsus privantur gratiâ, nihilominus tamen peccare, peccatumque ipsis in pœnam imputari, quoties legem transgrediuntur [1], quia eorum impotentia est voluntaria in causâ, seu est effectus præcedentium peccatorum, in quorum pœnam Deus eos deseruit.

320. — Sed specialis superest difficultas relate ad peccatores, speciatim relate ad excæcatos et obduratos, scilicet: an istis omnibus concedatur pro loco et tempore gratia sufficiens, ut possint a peccatis resipiscere, et ad salutem pervenire.

Existere quosdam insigniores peccatores, quorum intellectus, ob peccatorum enormitatem, spirituali cæcitate perculsus cœlestia capere jam non valeat, et quorum cor sicut æs durum, cœlesti rore gratiæ emolliri jam non amplius possit, ex S. Litteris aperte constat. De quibusdam enim peccatoribus legimus, (Sap. II, 21): *Excæcavit enim illos malitia eorum.* — (Joan. XII, 14): *Excæcavit oculos eorum, et induravit cor illorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde.* — (Eccli. III, 27): *Cor durum habebit male in novissimo* [2].

Infelices isti peccatores vocantur *excæcati*, ob mentis cæcitatem respectu cœlestium; *obdurati*, ob cordis duritiam, quod nec gratiarum suavitate, nec minis, nec flagellis emollitur; *derelicti*, quia in peccatorum punitionem ita sunt a Dei gratia deserti, ut eorum salus, etsi non sit omninò impossibilis, admodum tamen est difficilis, adeò ut vix aliquis ex eis salvetur.

321. — Calvinus et Jansenius obduratis et excæcatis omnem denegant gratiam sufficientem ad salutem; quam sententiam Jansenius fuse probare conatur in L. 3, de Gr. Chr., cap. 10, pag. 124, cujus capitis inscriptio est: *Excæcati et obdurati carent gratiâ sufficienti, quâ videant et moveantur ad bonum.*

Theologi autem orthodoxi, unanimiter docent, Deum dare omnibus peccatoribus, etiam excæcatis et obduratis, gratias saltem remote sufficientes, quibus possint ad Deum reverti per veram conversionem, et salutem consequi.

322. — Attamen, cum verbulum *dare* duplici sensu possit intelligi, in duas etiam partes scinduntur auctores.

[1] Ita *Lugo Benitez*, De Gr., Disp. 2, dub. 2, § 3; p. 178. — [2] Cf. *S. Th.*, 1. 2, q. 79, a. 3.

Verbum *dare* idem significare potest ac *conferre*, cujus correlativum est *recipere;* et hoc sensu *dare gratiam* denotat intrinsecam receptionem divinorum auxiliorum in eo, cui datur gratia. Sic, v. gr., medicus, qui ægroto confert et applicat medicinam, dicitur ipsi dare medium sanitatis. — Verbum *dare* idem etiam significare potest ac *præparare* et *offerre in communi*, sicut medicus dicitur dare omnibus remedium sanitatis, qui præparavit, et, quantum in se est, omnibus offert medicinam efficacem ad omnes ægrotos sanandos, licet omnes eam de facto non recipiant.

323. — Si igitur το *dare* sumitur pro *præparare* et *offerre in communi*, nullus catholicus negat Deum dare omnibus peccatoribus, etiam excæcatis, gratias ad salutem sufficientes. — Si verò το *dare* sumitur pro *conferre*, cujus correlativum est *recipere*, plures negant Deum dare obduratis gratiam sufficientem ad salutem. Inter hos eminet *Bannez* [1], qui hac de re mentem suam decem evolvit conclusionibus, quarum quatuor præcipuæ sunt:

6ª: « Si dare accipiatur pro hoc quod est offerre seu proponere, » vel in communi invitare, sic Deus omnibus hominibus dat supernatu» turale auxilium sufficiens ad salutem omnium ».

8ª: « Si utamur verbo dare prout est correlativum verbi acci» pere, Deus non dat omnibus hominibus etiam venientibus ad usum » rationis auxilium supernaturale gratiæ præparantis vel ad creden» dum, vel ad pœnitentiam agendum. »

9ª: « Nihilominus vere dicitur Deus paratus dare omnibus homi» nibus quamdiu sunt in hac vitâ auxilium, quo fiant potentes con» verti, imo et auxilium specialius quo convertantur si velint. »

10ª: « Deus ab æterno statuit voluntate vel absoluta vel conse» quenti non dare omnibus supernaturalia auxilia, videlicet eis qui » revera non erunt recepturi. [2] »

324. — *Longe tamen communior et verior sententia* docet, Deum non solum præparasse et offerre, sed reapse conferre pro loco et tempore omnibus peccatoribus, etiam excæcatis et obduratis, mensurâ

[1] In I P., q. 23, a. 3; p. 276.

[2] Cum Bannesio consentiunt: *Gonet,* De Reprob., disp. 5, a. 5. T. 2, p. 399. *Lemos,* Panoplia, L. 4, P. 2, Tr. 3, cap. 16. T. 4, p. 81. *Gonzalez de Albeda,* In q. 23, a. 8, sect. 3; p. 307. *Alvarez.* De Aux., Disp. 112, concl. 3; p. 735. *Joan. a S. Th.,* P. 1, Disp. 10, a. 3, n. 27. T. 3, p. 872. *Contenson,* L. VII, diss. 4, cap. 2, sp. 1, quæres 1°; p. 308. *Godoy,* De Prædest., disp. 70, § 4; T. 2, p. 321. *Simeon a S. Cruce,* Dubia selecta, De Auxiliis, dub. 2; p. 20. *Abulensis,* In c. 4 Exodi, q. 12, fol. 26, et in c. 2 Deuter., q. 10, fol. 13. *Lovanienses et Duacences,* Censura, art. 14 et 15; p. 34 et 103.

licet inæquali, gratiam internam vere sufficientem ad salutem, ita ut nullus sit peccator quantumvis enormis, qui non recipiat vere et realiter internum illuminationis et inspirationis auxilium, saltem remote sufficiens, quo possit a peccatis resipiscere et ad salutem pervenire [1].

Quid de gratiâ peccatoribus fidelibus ad conversionem concessâ sentiendum sit, tribus propositionibus evolvemus.

Propositio I.

Gratia sufficiens ad conversionem non datur peccatoribus fidelibus omni momento [2].

325. — Propositio est *certa.* Prob. I. Ex S. Scriptura. Legimus, (Ps. XCIV, 8): *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda*

[1] Hanc sententiam amplectuntur: *S. Alphonsus,* Magn. orat. med., P. 2, c. 2. - Major pars Thomistarum, ut: *Gotti,* De div. voluntate, q. 2, dub. 3; T. 3, p. 198; *Nazarius,* P. 1, q. 23, a. 3, contr. 3, concl. 2 et 4; p. 667; *Bancel,* Theol., De vol. Dei, q. 4, a. 3; T. 2, p. 311; *Medina,* 1. 2, q. 109, a. 10; p. 602; *Ferrariensis,* Cont. Gent., L. 3, c. 159; p. 600; *Lugo Benitez,* De Gr., Disp. 2, dub. 1, § 2; p. 139. - Fere omnes theologi S. J., imprimis *Suarez,* L. 4 de provid. circa reprobos, c. 1. 2. 3; *Valentia,* T. 2, disp. 8, q. 3, punct. 4; p. 990; *Montoya,* De prædest., disp. 45, sect. 3; p. 502; *Bellarmin.,* De Gr. et lib. arb., L. 2, c. 5 et seq.; *Herice,* De provid., disp. 34, c. 4; p. 677; *Arrubal,* P. 1, disp. 90, c. 2; p. 390; *Arriaga,* In P. 1, disp. 39, sect. 5, subsect. 2, p. 448; *Vasquez,* P. 1, disp. 97, c. 3, p. 716; *Muniessa,* De Gr., disp. 12, sect. 7, p. 240. - Socii Sorbonici fere unanimiter: *Is. Habert.,* Th. Patr. Gr., L. 2, c. 12, p. 247. *Lud. Habert.,* De Gr., c. 7, § 8; p. 374. *Tournely,* De Gr, q. 8, a. 4, p. 635. *Tourn. (Mont.),* De Gr., P. 2, Art. 3, § 2, concl. 1, p. 613. *Grandin,* De Gr., Q. 3, punct. 2, concl. 2; p. 201. *Gamachæus,* In q. 111, cap. 5, p. 376. - Maxima pars Scolistarum: *Frassen,* Disp. 2, a. 1, q. 3, quæres 3°, T. 9, p. 279. *Mastrius,* Disp. 5, de prædest., q. 1, a. 3, obj. 4; T. 1, p. 380. *Gaudentius Bontemps,* Palladium theol., De Deo, disp. 22, q. 6. T. 1, p. 455. *Macedo,* Collatio 13, diff. 3, § 3, T. 1, p. 566. *Becerra,* Asserta theo-subtilia, Tr. 1, disp. 6, de prædest., q. 3, § 2, a n. 110. T. 1, p. 299. *Thomas ex Charmes,* Diss. 1, cap. 3, q. 1, a. 2.

Eamdem sententiam profitentur: *Salmanticenses,* De Grat., disp. 6, dub. 3, T. 9, p. 759. *Cabrera,* In P. 3, q. 18, a. 4, disp. 6, dub. 5; T. 2, p. 432. *Aguirre,* Tom. 3, disp. 125; p. 492. *Gibbon,* Disp. 44, de reprob., dub. ult. T. 1, p. 560. *Sfondratus,* Nodus prædest., § 2, n. 14; p. 160. *Petr. a S. Jos.,* De Grat., disp. 6, sect. 7, n. 66; p. 294. *Maderni,* De Gr., q. 4, a. 3, concl. 3, p. 410. *Pesantius,* In q. 111, a. 5, disp. 5 et 6; p. 437. *Mezger,* De Gr., disp. 5, a. 1, § 2 et 3. T. 3, p. 44. *Schmier,* De Grat., q. 10 et 11; p. 29. *Wenzl,* De Gr., Contr. 3, q. 2, p. 84; et omnes fere auctores, qui ultimis hisce temporibus de gratiâ scripta edidêre.

[2] Cf. *Bellarm.,* De Gr. et lib. arb., L. 2, cap. 6; p. 459. - *Salmant.,* Disp. 6. n. 104; p. 785. - *Suarez,* De Aux., L. 4, c. 10, n. 3; p. 306. - *Gamach.,* In q. 111, c. 5, assertio 5ª; p. 379. - *Montoya,* De Prædest., disp. 47, sect. 2; p. 536. - *Vasquez,* In 1 P., disp. 97, c. 4; p. 723.

vestra. Jamvero dicendo: *Si hodie audieritis*, manifeste declarat Regius Psaltes, non quotidie vocem Dei ad conversionem invitantis in corde peccatoris resonare.

(II Tim. II, 25, 26): *Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati; ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis.* Quibus apparet, donum pœnitentiæ non semper adesse, sed concedi quando Deus voluerit; si enim semper adesset, non dixisset Apostolus: *ne quando Deus det.*

(Joan. XII, 37-40): *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, qui dixit: Domine quis credidit auditui nostro?... Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excœcavit oculos eorum et induravit cor eorum.* Judæi ergo, eo temporis momento, quo Christus ad eos locutus est, sufficiens auxilium ad conversionem non habuerunt.

Idem erui potest ex verbis, (Apoc. III, 20): *Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* « Qui stat et pulsat ad ostium, *ait Ysambertus*, non ita » continue pulsat, ut non desistat ab actuali pulsatione, donec ei » aperiatur, sed post pulsum exspectat aliquantulum, ut qui intus » sunt audiant: ita a simili cum Deus pulsat ad fores cordis nostri, » non ita continue pulsat, sed interdum cessat, et postea repetit pul- » sum. » *(In q. 111, disp. 4, a. 8).*

326. — Prob. II. **Ex Traditione.** Ait *S. August.:* « Hæc vocatio, » quæ sive in singulis hominibus, sive in populis, atque in ipso ge- » nere humano per temporum opportunitates operatur, altæ et pro- » fundæ ordinationis est. » *(Lib. de 83 quæst., q. 68, n. 6, M., 40, c. 73).* — Et, *(Cont. Epist. fund. Manich., c. 37, M., 42, c. 203)*, naturam lapsam ita alloquitur: « Nec tamen sine misericordia derelicta es, » quæ certis rerum temporumque mensuris vocaris ut redeas. » Si autem *per temporum opportunitates* vocatio divina operatur, si *certis rerum temporumque mensuris* vocatur homo, ergo non quolibet momento homo recipit gratiam vocantem, quâ ad Deum possit redire.

327. — Prob. III. **Ex Ratione.** Gratia excitans, sive consistat formaliter in actibus indeliberatis intellectûs et voluntatis, sive in aliquâ motione prævîâ, secum semper necessariò affert piam quamdam intellectûs illuminationem et voluntatis inclinationem, quibus homo ad bonum faciendum vel malum vitandum incitatur. Atqui experientiâ constat, peccatorem omni momento neque ad conversionem excitari, neque circa ejus necessitatem illuminari. Non habet igitur quolibet momento sufficiens auxilium ad conversionem.

Neque dici potest Deum singulis momentis interius vocare, peccatores verò vocationem non semper percipere: vocatio enim, quæ non percipitur, non est vera interior vocatio; hæc enim fit mediante propriâ cognitione, quam Deus operatur in nobis, et ideò non potest non percipi.

328. — **Scholium.** Cum Deus non quolibet momento, sed certis temporibus, prout divinæ sapientiæ inscrutabilia judicia dictaverint, peccatores ad pœnitentiam vocet, omnes adhortandi sunt, ut, quando vocem Dei ad pœnitentiam invitantis audiunt, absque morâ sedulò sequantur, conversionemque suam non procrastinent: incerti enim sunt an iterum ita vocandi sint, ut efficaciter sequi valeant; anne tardius vocati, tempus ad pœnitentiam agendam sint habituri. (Eccles. V, 8, 9): *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.*

Apposite *S. Augustinus*, qui agens de operariis a patrefamilias conductis, ut venirent in vineam, exclamat: « Attendite et intelligite, » fratres mei, ne ideo quisque differat venire ad vineam, quia securus » est quoniam quandocumque venerit, ipsum denarium accepturus est. » Securus est quidem quod ipse denarius illi promittitur; sed differre » non jubetur. Numquid enim et illi qui sunt ad vineam conducti, » quando ad illos exibat paterfamilias, ut conduceret quos invenit » hora tertia, et conduxit, verbi gratia, dixerunt illi: Exspecta, non » illuc imus nisi hora sexta?... Quid ille daturus sit, et quid facturus » sit, penes ipsum consilium est: tu, quando vocaris, veni. Merces enim » cunctis æqualis promittitur: sed de ipsa hora operandi, magna quæstio » est... Sexta hora vocaris, veni. Paterfamilias tibi quidem etiam » undecima venienti denarium promisit: sed utrum vivas usque ad » septimam, nemo tibi promisit. Non dico usque ad undecimam, sed » usque ad septimam. Quare ergo differs vocantem te, certus de mer- » cede, incertus de die? Vide ne forte quod tibi ille daturus est pro- » mittendo, tu tibi auferas differendo. » *(Serm. 87, n. 8. M. 38, c. 533).*

Propositio II.

Peccatores omnes, etiam excæcati et obdurati, recipiunt pro tempore et loco, gratiam saltem remote sufficientem ad conversionem et salutem [1].

329. — Propositio est *certa*.

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Innumera in S. Scriptura inveniuntur testimonia, quibus docemur, nullum esse peccatorem quantumvis durum, qui quamdiu vivit, ita sit a viâ salutis exclusus, ut jam nullum auxilium, quo possit ad vitam redire, recipiat.

Legimus (II Petr. III, 9): *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Sed si aliquibus excæcatis et obduratis Deus omninò et in perpetuum denegaret gratiæ sufficientis auxilium, vellet aliquos perire, et nollet omnes ad pœnitentiam reverti: sine gratiâ enim peccator pœnitentiam agere nequit, sed necesse est ut pereat. Cum igitur nolit aliquos perire, Deus omnibus dat, pro tempore et loco, gratiam saltem remote sufficientem ad salutem.

(Rom. II, 4, 5): *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* His verbis Apostolus peccatores alloquitur obstinatos, qui secundum cordis duritiam thesaurizant sibi iram in die judicii; et tamen asserit, Deum ex misericordiâ eos ad pœnitentiam vocare. Sed vocatio Dei ad pœnitentiam fit unice per internam gratiam. Habent igitur isti peccatores gratiam, quâ vere pœnitentiam agere et salutem consequi possint, si velint.

(Matth. XI, 28): *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* His verbis Christus omnes oneratos absque ullâ exceptione invitat, ut ad se veniant; et sæpius in SS. Litteris Spiritus Sanctus peccatores omnes invitat et adhortatur, ut ad Deum redeant. Jamverò, ut testatur ipsemet Christus, (Joan. VI, 44): *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Invitando igitur omnes, ut ad se veniant, omnibus, etiam obduratissimis, dat auxilium sufficiens, ut possint venire: secus ipsius invitatio prorsus foret irrisoria, cum absque præveniente auxilio homo in omnimodâ im-

[1] Cf. Auctores supra citatos, præsertim *Salmant.*, *Valentia* et *Bancel.* Cf. etiam *Driedo*, De Captiv. et Redempt., Tr. 5, c. 4, fol. 131 et seq.

possibilitate veniendi ad Christum versetur. — *Alia testimonia vide apud Valentia.*

330. — Prob. II. **Ex Conciliis.** Legimus in Lateranensi IV, cap. *Firmiter:* « Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit » in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari. » Sed pronomen *quisquam* denotat quemlibet peccatorem, etiam obduratum; et *semper* significat totum tempus præsentis vitæ. Cum autem absque interiori Spiritûs Sancti gratiâ nullus possit reparari, sequitur nullum esse peccatorem, quantumvis obduratum, cui gratia omnino negetur.

In Tridentino, *Sess. XIV, can. 1:* « Si quis dixerit, in catholicâ » Ecclesiâ pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro » fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo » reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, A. S. » In hoc canone notetur verbulum *quoties.* Si qui autem fideles ita essent obdurati, ut nulla gratia sufficiens ad conversionem eis amplius concederetur, horum reconciliatio foret impossibilis, et pro his Deo reconciliandis sacramentum pœnitentiæ non foret institutum: quod Tridentino directe adversatur.

Concilium Senonense, an. 1528, in 15° decreto fidei, sic loquitur: « Neque enim liberum arbitrium asserentes, divinam excludimus gra- » tiam. Sed juxta S. Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana » misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, et interiori quodam et » occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in » Deum, Deo appropinquet, et ad veram illam gratiam se præparet, » quæ tandem accepta sit ad vitam æternam. Neque tamen tanta » gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in » promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet » ad ostium, et pulset; cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum » et cœnabit cum illo. » *(Labbe, T. 14, p. 458).*

Concil. Coloniense I, *Pars VII, cap. 32,* ait: « Quanquam nemo » convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem, attamen nemo » hic excusationem prætexat, quod non trahatur: quod ille semper » stet ad ostium pulsans, nimirum per internum et externum verbum » commonens, ut convertamur a via nostra pessima. » *(Labbe, T. 14, p. 539).*

Hæc duo concilia non sunt quidem infallibilia, magna tamen apud omnes est eorum auctoritas. Jamverò ex eis constat neminem esse, ad cujus cor Deus non stet et non pulset. Juxta ea igitur nullus peccator est a gratiâ ita desertus, ut ad Deum converti nequeat.

331. — Prob. III. **Ex Traditione.** Scribit *S. Cyprianus:* « Quando » istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus sa- » tisfactionis effectus. Hìc vita aut amittitur aut tenetur; hìc saluti » æternæ cultu Dei et fructu fidei providetur. Nec quisquam aut pec- » catis retardetur aut annis, quominus veniat ad consequendam salu- » tem: in isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est; patet » ad indulgentiam Dei aditus. » *(Ad Demetrianum, n. 25. M., 4, c. 563).* Ergo quicumque, quamdiu est in vita, pœnitere potest et salvari: quod falsum foret, si aliquibus gratia penitus denegaretur.

S. Gregorius M.: « Quisquis delinquit et vivit, idcirco hunc di- » vina dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat. » Sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, mu- » nus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis ex » ipso se munere arctius astringit. Nam quia accepta pœnitentiæ tem- » pora divertit ad culpam, districtus in ultimis judex impensa argu- » menta misericordiæ convertit ad pœnam. » *(Moral., L. 17, c. 7. M., 76, c. 13).* Peccatorem igitur quemlibet, vel obduratissimum, quem Deus in vitâ conservat, ideo tolerat, ut ipsi det tempus ad pœniten- tiam agendam. Sed cum absque gratiâ pœnitentia salutaris sit im- possibilis, exspectando ad pœnitentiam, etiam dat gratiam necessa- riam, ut possit pœnitentiam agere.

S. Augustinus: « Ea est cæcitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, » ab interiore Dei luce secluditur, sed nondum penitus cum in hac » vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, *(Matth. XXV, 30)*, quæ » magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum » sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. « *(In Ps. VI, n. 8. M., 36, c. 94).* In his S. Doctor duplicem agnoscit mentis cæcitatem, perfectam scilicet et consummatam, quæ est in alterâ vitâ; ac im- perfectam et inchoatam, quæ est in præsenti vitâ, in quâ homo non- dum penitus secluditur ab interiore Dei luce. Si autem non est pe- nitus seclusus a luce, ergo et aliquid gratiæ recipit quamdiu est in vitâ. Quare S. Doctor docet, de nullo obdurato desperandum esse, quamdiu vivit. « Ista impœnitentia vel cor impœnitens, *inquit*, quam- » diu quisque in hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim » desperandum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit, » nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quantum » ut revertatur et vivat. » *(Serm. 71, c. 13. M., 38, c. 456).*

332. — Prob. IV. **Ex Ratione.** — 1° *Ex natura obstinationis.* Præ- sentis vitæ obstinatio est inchoata et imperfecta; futuræ est perfecta et consummata. Cum autem virtute solius gratiæ homo possit ad Deum

converti, si cuidam obdurato gratia penitus denegaretur, hic in absolutâ foret impossibilitate ad Deum redeundi, ejusque obstinatio foret consummata. Nulli igitur, quamdiu vivit, gratia sufficiens ad conversionem penitus denegatur. Apposite *S. Thomas:* « Alio modo, *ait*, habet » aliquis firmitatem in peccato, ita quod nec cooperari potest ad hoc » quod a peccato resurgat. Sed dupliciter est hoc. Uno modo ita quod » nullo modo possit cooperari: et hæc est perfecta obstinatio, quâ dæ» mones sunt obstinati... Alio modo ita quod non de facili possit coo» perari ad hoc quod exeat de peccato; et hæc est obstinatio imper» fecta, qua aliquis potest esse obstinatus in statu viæ, dum scilicet » habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato quod non surgunt » motus ad bonum nisi debiles. Quia tamen aliqui surgunt, ex eis » datur via ut præparentur ad gratiam. » *(De Verit., q. 24, a. 11).*

333. — 2° *Ex Ratione divinæ justitiæ.* « Non hoc habet ordo di» vinæ justitiæ, *ait S. Th.*, quod quamdiu aliquis est in via, sibi detur » quod pertinet ad terminum viæ. Immobiliter autem se habere vel » in bono vel in malo pertinet ad terminum viæ; immobilitas enim » et quies est terminus motus; tota autem præsens vita est status viæ... » Non igitur hoc habet divina justitia ut homo post peccatum immo» biliter maneat in eo. » *(Opusc. 1, de Compendio theol., cap. 145).* Jamverò, cum absque gratiâ homo nequeat peccatum deponere, si cui gratia penitus denegaretur, hic immobiliter in peccato maneret, divinaque justitia viatori infligeret quod pertinet ad terminum. Nullus igitur est peccator, qui pro loco et tempore non recipiat gratiam sufficientem ad peccatum deponendum.

334. — 3° *Ex præcepto spei.* Quilibet viator sub gravi tenetur sperare salutem; ergo et gratia sufficiens ad salutem cuilibet conceditur. Ad impossibile enim nemo tenetur; verùm, sine gratiâ salus est impossibilis. Si igitur gratia alicui penitus denegaretur, hic a præcepto spei solveretur: quod patet esse falsum. Statuendum est ergo, quemlibet peccatorem, vel obduratissimum, accipere, quamdiu vivit, sufficientem gratiam, quâ, si velit, possit salutem consequi.

Propositio III.

Gratia sufficiens ad salutem non solum offertur aut præparatur, sed omnibus peccatoribus reapse confertur.

335. — Prob. Hæc propositio, quam ut certam tenemus, ex omnibus testimoniis in superiori prop. allatis, apprime probatur; omnia enim probe convincunt, peccatoribus omnibus, non solum offerri, sed

reapse conferri auxilium saltem mediate sufficiens ad conversionem et salutem.

Probatur præterea argumento invictissimo. Si gratia sufficiens est aliquibus præparata vel oblata, quin eis tamen actu conferatur, dicendum est: istos homines vel posse aliquid facere ut gratiam oblatam reverà accipiant, vel non posse. Si nihil facere possunt, ut gratiam in se recipiant, gratia est ac si non esset, et de se foret inutilis; non secus ac medicina in scrinio recondita, quam ægrotus sibi applicare nequit, ipsi ad sanitatem recuperandam prorsus est inutilis. Quo in casu isti homines dicendi sunt non habere reapse auxilium sufficiens ad salutem, quia privantur tum ipsâ gratiâ, tum omni medio eam recipiendi; proinde si pereunt, id non est ex eorum culpâ: quæ omnia Scripturis et Patrum testimoniis contradicunt. Si verò quid facere possunt, quo gratiam reapse accipiant, gratia jam non est gratuita. Etenim actio, quâ gratiam oblatam sibi comparant, gratiam necessariò præcedit, et oritur ex solius naturæ viribus; et sic gratia oblata conferretur aliquo modo ex merito naturali: quod pelagianismum sapit.

336. — Nec dici potest, gratiam oblatam desiderantibus concedi. Nam ut gratia cognoscatur vel desideretur, jam prærequiritur gratia. « Ista gratia, *ait S. Fulgentius*, quam Deus vasis misericordiæ donat, » ab illuminatione cordis incipit; et hominis voluntatem non bonam » invenit ipsa, sed facit; atque ut eligatur, ipsa prius eligit; neque » suscipitur aut diligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operetur. Ergo » et susceptio et desiderium gratiæ opus ipsius est gratiæ. Istam gra- » tiam nullus hominum desiderare, vel poscere, sed nec cognoscere » poterit, nisi eam prius ab illo accipiat qui eam nullis præceden- » tibus operibus aut voluntatibus bonis largitur. » *(De Verit. præd., L. 1, c. 15. M., 65, c. 619).*

Nec etiam dici potest, gratiam oblatam ideò non conferri, quia homo impedimentum apponit. Cum enim absentia peccati, ut supra dictum est, *(n. 277)*, nec sit dispositio ad primam gratiam, nec motivum ob quod Deus eam conferat, ita nec peccati præsentia potest esse causa, cur Deus primam gratiam vocantem deneget; eò magis quod peccator, ut non apponat impedimentum, seu ut non committat nova peccata, jam indiget prævià gratiâ excitante.

Confitendum est igitur, Deum omnibus peccatoribus non solum offerre, sed reapse conferre gratiam saltem remote sufficientem ad conversionem et salutem.

337. — **Corollarium.** Ex dictis eruitur, excæcatos et obduratos vocari *derelictos,* non quia penitus et omninò a Deo deseruntur, neque ullum amplius accipiunt gratiæ influxum, quo ad viam salutis redire et salvari possint; sed quia in pœnam præcedentium scelerum multis privantur gratiæ auxiliis. Privantur enim maximâ ex parte externâ Dei protectione et directione, juxta illud, (Isaiæ, V, 15): *Quid ergo faciam vineæ meæ? Auferam sepem ejus et erit in direptionem.* Minuitur pro ipsis Angelorum custodia, secundum illud, (Jerem. 41, 9): *Curavimus Babylonem et non est sanata: derelinquamus eam.* Hinc fit ut augeantur tentationes, et crescant peccandi pericula. — Privantur præsertim gratiis internis uberioribus et efficacibus, quibus ad conversionem indigerent; et solæ conceduntur gratiæ communes et in dies debiliores, quas spernunt, (Prov. XVIII, 3): *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Inde evenit horumce excæcatorum conversionem, licet sit adhuc possibilis, esse tamen adeò difficilem, ut nunquam aut fere nunquam sequatur. Propter densissimas enim intellectûs tenebras, propter nimiam cordis duritiam, atque omnium facultatum vehementissimam propensionem in malum, specialissimâ indigerent gratiâ ad exeundum e suo statu miserrimo, quam Deus justo judicio eis denegat.

338. — Apposite *S. Alphonsus:* « Ex unâ parte mens obtenebrata; » voluntas divinis inspirationibus ægerrime annuens ac sensuum » oblectamentis ita prorsus adstricta, ut bona spiritualia despicetur » et nauseæ habeat; cupiditates sensuumque appetitus ex perversis » habitibus contractis in animum dominantes; — ex alterâ parte il- » lustrationes divinæ atque invitationes omni fere efficaciâ destitutæ, » quum homo culpâ suâ eas contempserit neque iis profecerit, quin » etiam eas velut fastidiat, ne a corporis oblectamentis avocetur; — » ea omnia moralem illam constituunt derelictionem, in quâ si pec- » cator versetur, admodum difficulter ex miserando suo stato exire » seque ad vitam recte ordinatam convertere poterit.

» Ut tali perversitate relictâ, ad statum salutis illico transiret, » copiosa atque extraordinaria opus esset gratia; eam vero gratiam » obstinatis illis peccatoribus Deus haud sæpe concedit. Nonnullis in- » terdum (inquit S. Thomas), quos ad bonitatem suam manifestandam » in vasa misericordiæ elegit (ut ait Apostolus), eam tribuit; sed juste » eam negat aliis, quos in infausto illo statu relinquit, ut suam osten- » dat justitiam atque potentiam...

» Non negamus igitur, nonnullos obstinatos a Deo moraliter re- » linqui, et sic eorum conversionem esse moraliter impossibilem, id

» est, difficillimam... Atvero (apposite Petrocorensis) crudelem se præ-
» beret, qui omni spe ablatâ, salutis viam prorsus intercluderet, quod
» plane derelicti nullam omnino reciperent gratiam actualem, quâ
» nova peccata vitarent seque ad Deum converterent; idque ne me-
» diate quidem, orationis ope (quam orationis gratiam nemini, his in
» terris viventi, denegari, infra demonstraturi sumus), ut eâ deinde
» auxilia copiosa sibi acquirant ad viam salutis denuo ingrediendam.
» Omnimodæ quippe derelictionis formido non solum ad desperatio-
» nem eos adduceret, sed ad omnem etiam eos projiceret libidinem;
» quod gratiâ se prorsus destitutos, neque ullam æternæ damnationis
» evitandæ spem ultra sibi affulgere crederent. » *(Magn. orat. med., P. 2, c. 2, n. 23 et ss. T. 2, p. 690).*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

CONTRA PROPOSITIONEM PRIMAM [1].

339. — Objicitur I. Concilia et Patres, sicut gratiam omnibus hominibus, ita eam semper et omni tempore conferri dicunt. Ergo, sicut nullus excipitur homo, qui gratiam non accipiat, ita nec excipi debet momentum, quo non detur gratia. Proinde, omnibus momentis peccator sufficientem habet gratiam ad conversionem.

Prob. antecedens. Later. IV, cap. *Firmiter,* de quolibet peccatore docet: « Per veram potest *semper* pœnitentiam reparari. »

Conc. Senonense, in 15° decreto fidei: « Cum illa (gratia) *semper* » sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non » stet ad ostium et pulset. »

S. Prosper (vel quisquis sit auctor libri *De Vocat. Gentium*): « Uni-
» versitati hominum ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei con-
» suluit *semper* et consulit. » *(De Voc. Gent., L. 2, c. 29. M., 51, c. 715).*

S. Fulgentius: « Sicut ergo medico nostro nulla est incurabilis
» plaga, ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore, cœlestis
» potest deficere medicina. » *(Epist. 7, ad Venantiam, c. 8. M., 65, c. 356).*

Resp. Verbulum *semper,* a Conciliis et Patribus usurpatum, eodem sensu accipi debet, quo usurpatur in consueto modo loquendi et in ipsis SS. Scripturis. Porro, in Scripturis et secundum consuetum modum loquendi, adverbium *semper* non sumitur pro tempore continuo, absque ullâ interruptione, sed pro diversis temporum intervallis cuique

[1] Cf. *Montoya,* De Prædest., Disp. 47, sect. 1 et 4; p. 535.

actioni accommodatis. Sic, v. gr., Christus de se dixit, (Joan. XVIII, 20): *Ego semper docui in synagoga*, non quod absque interruptione docuerit, sed quia, prout occasiones se offerebant, docuerit. Igitur, quando Concilia et Patres dicunt gratiam semper dari, significant gratiam, quoties eâ indigeamus ad præceptum implendum, concedi; vel nullum esse hominem, cui, quamdiu vivat, gratia pro loco et tempore non concedatur ad conversionem; nullatenus autem eam continuò et absque ullâ interruptione præstò esse.

Eodem modo intelligenda sunt verba Senonensis: *nec momentum prætereat*, et S. Fulgentii: *nec in aliquo tempore;* scilicet nullum esse momentum, quo lex urget, quin detur gratia; aut nullum esse tempus longioris tractûs, quo Deus ad conversionem non invitet; non autem quod continuò et absque ullâ morâ pulset ad cor peccatoris et invitet ad conversionem.

340. — Objicitur II. Præceptum ad Deum redeundi urget semper et pro semper; quare a Deo monentur peccatores ut se convertant, et increpantur qui in dies conversionem procastinant. Atqui sine gratiâ conversio est impossibilis. Ergo semper, seu omnibus momentis, adest gratia sufficiens ad conversionem.

Resp. Præceptum conversionis urget semper, *dist.:* eo sensu quod peccator nullo unquam tempore liberetur ab obligatione ad Deum redeundi, *conc.;* eo sensu quod præceptum illud urgeat quolibet momento immediate et proxime, ita ut homo quolibet momento obligetur ad hic et nunc se convertendum, *nego.* Præceptum conversionis urget immediate tunc solum, quando homo a Deo ad conversionem vocatur et excitatur; unde signanter dicitur, (Ps. 94, 8): *Hodie si vocem ejus audieritis.* Igitur, quando se non convertit, quia nondum vocatus, præceptum non infringit.

341. — Objicitur III. Si gratia conversionis non omni momento conceditur, pro momento quo deest gratia, salus est homini impossibilis. Sed homini, quamdiu vivit, salus est semper possibilis, secus enim jam foret in termino. Ergo quolibet momento gratia sufficiens conversionis conceditur.

Resp. *Quoad min.:* Homini, quamdiu vivit, salus est semper possibilis, *dist.:* eo sensu quod, quamdiu vivit, potest recipere gratiam conversionis, et quod reapse pro loco et tempore auxilium sufficiens ad conversionem aliquoties recipit, *conc.;* eo sensu quod gratia sufficiens ad se actu convertendum semper sit collata, *nego.* Licet igitur

peccator non habeat quolibet momento auxilium sufficiens ad conversionem, et non possit pro illo momento actu converti, salus ejus tamen est possibilis, quia potest recipere gratiam, et aliquando revera accipit; dum contra, status termini implicat tum absolutam negationem cujuslibet gratiæ, tum impossibilitatem recipiendi quamcumque gratiam.

CONTRA PROPOSITIONEM SECUNDAM ET TERTIAM [1].

342. — **Objicitur I.** De Judæis legimus, (Joan. XII, 37-40): *Quum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum... Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum*, etc. Jamverò ex his manifestum est, Judæos excæcatos credere non potuisse. Non habuerunt igitur auxilium sufficiens ad fidem et conversionem.

Resp. Judæos credere non potuisse stante eorum voluntate obstinatâ, ac proinde non habuisse gratiam efficacem aut proxime sufficientem ad credendum, *conc.*; ipsos non habuisse gratiam remote sufficientem, *nego*. Potuissent enim suam obstinationem deponere, quia ut ait *S. Th.*: « in statu viæ nullus est, qui mentis obstinationem non » possit deponere. » *(I. S., D. 48, q. 1, a. 3, ad 2)*. Quo si bene usi fuissent auxilio remoto, auxilium proxime sufficiens ad credendum recepissent. Si enim nullum prorsus, nec remotum nec proximum recepissent auxilium, ipsorum incredulitas illis in peccatum verti non potuisset.

Nec dici potest, Judæos absolute non potuisse credere, quia necesse erat prophetiam impleri. Nam, ut bene advertit S. Thomas, « ly *ut* » in S. Scripturâ quandoque accipitur causaliter, sicut illud: *Ego veni* » *ut vitam habeant*; quandoque autem tenetur consecutive, et signi» ficat eventum futurum: et sic accipitur hic. Non enim ideo non cre» debant quia prædixerat Isaias; sed quia non erant credituri, ideo » prædixit... Deus enim futurorum præscius eorum infidelitatem per » prophetam prædixit, non fecit: non enim propterea Deus quemquam » ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit. Illud » ergo peccatum, quod Judæi fecerunt, Dominus, quem nihil latet, » facturos eos prædixit. » *(In Joan., c. XII, lect. 7)*.

S. Augustinus, de eodem peccato agens, ait: « *Non poterant cre*» *dere*, quia hoc Isaias propheta prædixit. Propheta prædixit, quia » Deus hoc futurum esse præscivit. Quare autem non poterant, si a

[1] Cf. *Gotti*, De Vol. Dei, Q. 2, dub. 3, § 8. T. 3, p. 222. - *Bancel*, Q. 4, De Vol. Dei, § 6. T. 2, p. 328.

» me quæratur, cito respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum » voluntatem prævidit Deus et per prophetam prænuntiavit ille cui » abscondi futura non possunt. » *(In Joan., Tr. 53, n. 6. M. 35, c. 1776).*

343. — Objicitur II. Legimus, (Eccl. VII, 14): *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Igitur aliqui ita sunt a Deo despecti, ut nemo eos ad sua mala corrigenda adducere possit. Ergo jam nullam amplius habent gratiam sufficientem.

Resp. 1° Nego suppositum. In verbis enim allatis non agitur de substractione gratiæ, quâ plectuntur peccatores; sed de impossibilitate explicandi rationem agendi Dei mala aut permittentis aut operantis, necnon de impossibilitate hujusce malis metendi [1].

2° Posito etiam hæc verba intelligi debere de substractione gratiæ, tunc: *conc. antec., nego conseq.* — Quem Deus despicit, eum vel totaliter et perfecte relinquit; sed hæc totalis gratiæ substractio est tantum ad tempus, et non pro semper, quamdiu vivit qui derelictus dicitur. Vigente hac derelictione, impossibile est ut obduratus convertatur, quia deficit gratia; et qui eum ad pœnitentiam adhortatur, in vanum laborat; quia ut dictum est, (*n. 47*), prædicatoris verba extrinsecus sonant; sed si Magister in corde non docet, incassum resonat verborum strepitus. — Vel agitur tantum de derelictione partiali, quoad gratias scilicet efficaciores et auxilia selectiora, non autem quoad gratias remote saltem sufficientes. Qui sic derelictus est, habet adhuc gratiam sufficientem ad conversionem; tamen potentiâ consequente ordinariè non potest converti. Propter obstinatam enim voluntatem respuit et despicit motus illos debiles, qui ipsi adhuc conceduntur; et sic quia ipse renuit curari, insanabilis fit plaga ejus.

344. — Objicitur III. Illustria in SS. Scripturis reperimus exempla totalis divinorum auxiliorum subtractionis. De Esau legimus, (Hebr. XII, 17): *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* — De Antiocho, (II Machab. IX, 13): *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* — Cain ob suam derelictionem in desperationem incidit, *(Genes. IV)*; et Pharaonis cor ita a Deo obduratum est, ut populum Dei dimittere non posset, *(Exod. VII)*. Aliqui igitur obdurati omni gratia penitus et pro semper privantur.

[1] Cf. *S. Hieron.*, In Eccl. VII, 14. M., 23, col. 1064; et *Gietman*, In Eccl., q. 242.

Resp. Ex allatis exemplis deduci, gratiam efficacem aut proxime sufficientem fuisse negatam, *conc.*; etiam gratiam remote sufficientem, *nego.*

a) Esau et Antiochus habuerunt gratiam remotam ad veram pœnitentiam agendam, sed ex malâ suâ voluntate pravam egerunt pœnitentiam, dolentes de pœnâ, non de culpâ. Apposite *S. Thomas:* « Quamdiu præsens vita agitur, *inquit*, potest agi vera pœnitentia. » Interdum tamen aliquis pœnitet, non propter amorem justitiæ, sed » propter timorem pœnæ, vel damni temporalis: et sic pœnituit Esau, » non quia vendiderat primogenita, sed quia perdiderat: unde non » dolebat de peccato venditionis, sed de damno perditionis. Et ideo » pœnitentia ejus non fuit accepta, quia non fuit vera. » *(In Hebr., c. 12, lect. 3).* — Ita etiam Antiochus orabat non debitâ intentione, scilicet ut peccatis remedium obtineret, sed quia gravi plagâ percussus jacebat.

b) Cain gratiâ non fuisse penitus destitutum, sed accepisse adhuc auxilia quibus pœnitentiam agere posset, testantur tum timores quos corde persentiebat, tum stimuli qui ejus conscientiam exagitabant, tum verba quibus Deus ipsum allocutus est. *(Gen. IV, 6-14).* Ad quæ alludens Auctor libri *de Vocatione gentium*, ait: « Cum ergo talia » ad Cain loqueretur Deus, numquid ambiguum est voluisse eum, et » (quantum ad illum medendi modum sufficiebat) egisse, ut Cain ab » illo impietatis furore resipisceret? Sed malitia pertinax inde facta » est inexcusabilior, unde debuit esse correctior. » *(L. II, c. 13. M., 51, c. 698).*

c) Ad Pharaonem quod spectat, ipse certe non potuit pœnitentiam agere, nisi dimittendo populum Dei. Sed non potuit dimittere: *dist.:* non habuit auxilium proxime sufficiens, quo in populi dimissionem consentiret, *conc.;* non habuit auxilium remote sufficiens, *nego.* Ipsum habuisse vocationes illas remotas, et auxilia ad cordis duritiem deponendam, constat tum ex sermonibus Moysis ad ipsum, tum ex portentis coram ipso patratis. Imò cor ipsius ad tempus emollitum fuisse testantur Scripturæ. (Exod. VIII, 8): *Vocavit autem Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis: Orate Dominum... et dimittam populum, ut sacrificet Domino.* Sed gratiam mox respuit, et durior factus est. Sufficiens igitur gratia ipsi non defuit. Unde ait *S. Joan. Chrysost.:* « Deus valde bonus cum sit, in ambobus eamdem ostendit benigni- » tatem. Etenim non eos tantum, qui salvi facti sunt, misertus est, » sed etiam Pharaonem, quantum in se erat: nam eamdem diuturnam » patientiam tam hi quam illi experti sunt. Quod si is non servatus

» sit, ex ejus voluntatis proposito totum est: siquidem quantum ad » Deum pertinet, nihil minus habuit, quam ii qui salvi facti sunt. » *(Hom. 16 in Ep. ad Rom., n. 9. M., 60, c. 561).* — Et Auctor libri *De prædestinatione et gratia*, qui habetur inter opera S. Augustini, ait: « Si pie de Deo, sicut expedit, sentiamus, etiam Pharaoni datam mi- » sericordiam reperiemus. Patientia enim Dei valere ei debuit ad » salutem, qua differens justum meritumque supplicium, miraculorum » verbera crebra densabat. Numquid non potuit, sicut flagellis cedens » expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agno- » scere? » *(Cap. 14. M., 45, c. 1675).*

345. — Objicitur IV. Dantur peccata prorsus irremissibilia, teste ipso Christo, (Matth. XII, 32): *Qui autem dixerit* (verbum) *contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Qui igitur tale peccatum commiserunt, exulant omninò a salutis viâ, et nullum recipiunt auxilium, quo possint adhuc salvari.

Resp. Huic difficultati alii aliter satisfaciunt, pro diversitate scilicet sensûs, quo intelligunt *verbum* seu *blasphemiam contra Spiritum Sanctum.*

1° Per verbum seu blasphemiam contra Spiritum Sanctum, alii cum S. Augustino *(Contr. Cresc., L. 4, c. 8)*, intelligunt finalem impœnitentiam. Et tale peccatum non posse remitti evidens est, cum post mortem nullum mortale remittatur.

2° Alii per blasphemiam in Spiritum Sanctum, cum S. Basilio *(Reg. brevior., resp. 253)*, et S. Joan. Chrysost. *(In Matth., Hom. 42)*, intelligunt peccatum ex malitiâ; et illud non remittitur, *dist.:* nullo modo remittitur, *nego;* non remittitur facile, *conc.;* et quia est absolute remissibile in hac vitâ, datur adhuc gratia sufficiens saltem remota, ut peccator possit de eo peccato pœnitentiam agere. Ejus autem remissio dicitur *impossibilis*, quia *valde difficilis.* Ut enim notat *S. Anselmus:* « Sæpissime asserere solemus impossibile nobis esse, quod » sine difficultate perficere non valemus. » *(De Concordia, q. 3, c. 10. M., 158, c. 533). Cf. S. Th., P. 3, q. 86, a. 1, ad 2 et 3.*

3° Alii demum, nixi contextu verborum Christi, per blasphemiam in Spiritum Sanctum intelligunt peccatum eorum, qui ex malitiâ ad instar Judæorum opera Spiritûs Sancti attribuunt diabolo; atque illud peccatum juxta verba Christi, *non remittetur neque in hoc sæculo neque in futuro*, non quia non possit remitti, aut quod Ecclesiæ claves ad illud sese non extendant, sed quia homo ex duritiâ cordis sui respuit gratias, quibus ad pœnitentiam vocatur. Unde: tale peccatum

non remittitur de facto, *concedo*; non potest remitti, nec datur istiusmodi peccatori gratia sufficiens, quâ sollicitatur ad pœnitentiam, *nego* [1].

346. — **Objicitur V.** Datur pro quolibet homine certa peccatorum mensura, quâ completâ, nulla amplius datur peccati remissio. Qui igitur peccatorum numerum expleverunt, jam peccati veniam non possunt consequi; nullam proinde possunt habere gratiam sufficientem ad salutem.

Resp. *Conc. majorem.* Sed addo: illam peccatorum mensuram non compleri nisi in morte; seu: statim ac aliquis eam impleverit, eum morte tolli e vivis. Hujus exemplum habemus in rege Baltassar, de quo legimus, (Dan. V, 27 et 30): *Appensus es in statera, et inventus es minus habens... Eadem nocte interfectus est Baltassar.* Quo exemplo relato, exclamat *S. Alphonsus:* « Heu! Quam multis miseris idem » accidit! Deum offendere pergunt; et cum eorum peccata determi- » natum numerum attigerint, morte plectuntur, et detruduntur in in- » fernum. (Job. XXI, 13): *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad » inferna descendunt.* » *(Serm. brev., 15, n. 3).* — Et *S. Augustinus* (aut alius auctor): « Hoc magis sentire nos convenit, *inquit*, tamdiu » unumquemque Dei patientia sustentari, quamdiu nondum pecca- » torum suorum terminum finemque repleverit: quo consummato eum » illico percuti, nec illi jam veniam ullam reservari. » *(De vita christ., c. 4. M., 40, c. 1035).*

Igitur, quamdiu aliquis post commissum peccatum conservatur in vitâ, indubium est signum, ipsum peccatorum mensuram nondum explevisse, atque a Dei misericordiâ gratias ad salutem sufficientes adhuc recipere.

Posito autem, sicut aliqui existimant, peccatorum numerum quandoque etiam ante mortem expleri, tunc respondendum: Istiusmodi miseros adhuc recipere gratias sufficientes, quibus possint, si vellent, tum nova peccata vitare, tum de antea commissis pœnitentiam agere et salutem consequi; sed ex cordis duritia gratiis istis semper resistere, ut modo *n. 345, 3°*, dictum est de peccato in Spiritum Sanctum. *Cf. n. 331.*

347. — **Objicitur VI.** Sæpius accidit, homines in mortali existentes subitò incidere in perpetuam amentiam. Porro, in statu amentiæ gratia nulla potest recipi; horum proinde salus est omninò impossibilis. Sunt igitur aliqui, qui nullum recipiunt auxilium sufficiens.

[1] Cf. *Knabenbauer,* In Matth., XII, 32; p. 487 et ss.

Resp. Perpetua amentia est vera mors hominis, non utique physica, sed moralis; quare perpetuò amentes, licet vitâ animali vivant, quoad vitam tamen moralem jam sunt aliquo modo in termino. De peccatoribus igitur, qui in perpetuam amentiam incidunt, philosophandum est sicut de peccatoribus, qui in statu peccati e vivis sublati sunt. His, utpote in termino positis, post mortem nulla concedi potest gratia; ita nec perpetuò amentibus. Sed sicuti peccatoribus quamdiu vivebant, datæ sunt gratiæ sufficientes, quibus ante mortem resipiscere potuissent; ita et amentibus, antequam in amentiam inciderunt, concessa sunt sufficientia auxilia, quibus si bene usi fuissent, e peccato resurgere et salutem consequi potuissent.

ARTICULUS III.

DE GRATIARUM DISTRIBUTIONE RESPECTU INFIDELIUM.

348. — Infideles vocantur qui veram Christi fidem non profitentur. In duas classes dividi solent. Sunt enim qui de Christo nihil unquam audierunt, quibus nunquam annuntiatum est Evangelium, et quibus proinde sola, et adhuc imperfecte, lex naturalis innotuit: vocantur infideles *negativi*. Sunt quibus prædicatum est Evangelium; Christi tamen fidem vel amplecti renuerunt, vel jam susceptam denuò repudiarunt: nuncupantur *infideles positivi*. « Infidelitas, *ait S. Th.*, » dupliciter accipi potest: uno modo secundum puram negationem, ut » dicatur infidelis ex hoc solo quod non habet fidem; alio modo potest » intelligi infidelitas secundum contrarietatem, quâ scilicet aliquis re» pugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam. » *(2. 2, q. 10, a. 1)*. Infidelitas positiva, ut ibidem notat S. Doctor, rationem peccati habet; negativa verò non est peccatum, sed pœna peccati, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est.

349. — De infidelibus positivis in hoc articulo non inquirimus: istis enim concessam fuisse gratiam sufficientem ad salutem, ex eo ipso manifestum est, quod annuntiatam fidem amplecti et credere potuissent; quam tamen ex pravæ voluntatis pertinaciâ suscipere renuerunt: quæ resistentia eis ad peccatum imputatur. De istis dicitur, (Matth. X, 14, 15): *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros... amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.* — Et, (Joan. XV, 22): *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

De solis igitur infidelibus negativis, pro quibus major adest difficultas, procedit præsens disputatio.

350. — Jansenius, qui Christum non pro omnibus hominibus mortuum esse contendit, infideles ullum auxilium supernaturale recipere, aut ipsis præparatum fuisse tale auxilium, omninò negat; eos tamen omnes damnatum iri asserit, licet ignorantiâ invincibili laboraverint, atque in impossibilitate omnimodâ fidem suscipiendi versati sint. *(De Gr. Chr., L. 3, passim, præsertim cap. 20).* Quam doctrinam ex Calvino hausisse compertum est.

351. — Doctores catholici communissime docent, Deum omnibus infidelibus, nullo excepto, dare gratias sufficientes ad salutem. Atverò, sicuti supra monuimus, *(n. 322)*, quia verbulum *dare* accipi potest vel pro *præparare* et *offerre*, vel pro *conferre*, eadem pro infidelibus quam pro obduratis viget opinionum diversitas. Qui docent, gratiam omnibus obduratis offerri, sed non omnibus conferri, iidem gratiam omnibus infidelibus præparari et offerri, sed non omnibus conferri, autumant. Qui verò omnibus obduratis gratiam sufficientem reapse a Deo conferri docent, iidem, paucos si excipias, etiam contendunt gratiam saltem remote sufficientem ad salutem omnibus et singulis infidelibus, quantumvis barbaris, reapse a Deo conferri: Ad quorum opinionem accedimus tanquam probabiliorem et communiorem, et Dei misericordiæ magis consonam.

352. — In hac præsertim quæstione sedulò distinguenda est gratia proxime et immediate sufficiens ad fidem et salutem, a gratiâ remote tantum sufficiente. *Proxime sufficiens* est auxilium supernaturale, quod in se satis virium possidet, ut homo possit immediate actum fidei elicere et ad Deum converti. *Remote sufficiens* est auxilium supernaturale a Deo concessum ad actus quosdam imperfectiores, salutares tamen, quibus homo sibi saltem e remoto viam parat ad fidem et justitiam. Quo auxilio remoto, si homo bene eo utitur, non potest quidem actum fidei elicere, aut justitiam sibi comparare; sed potest uberiora quædam auxilia impetrare, quibus propius ad justificationem disponitur, donec tandem ipsam fidem et justificationem consequatur.

353. — Ultrò concedimus, non omnibus infidelibus conferri gratiam immediate sufficientem ad fidem, sine quâ ipsa justificatio est impossibilis: etenim juxta ordinariam Dei providentiam fides est ex auditu, teste Apostolo, (Rom. X, 14, 17): *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Sed experientiâ constat, verbum Christi non omni-

bus infidelibus fuisse annuntiatum. — Verùm contendimus, omnibus et singulis infidelibus conferri saltem semel in vita, gratiam remote sufficientem ad salutem, quâ, qui bene utitur, uberiora accipiet auxilia, quibus se ad fidem propius disponere valeat, donec tandem, providente Deo, fidem formaliter concipiat, justificationem acquirat, et salvetur, dummodo in acceptâ justitiâ ad finem usque perseveraverit.

Propositio.

Omnibus et singulis infidelibus confertur a Deo gratia saltem remote sufficiens ad salutem [1].

354. — Prob. I. **Ex generali illuminatione per Christum.** De Christo legimus, (Joan. I, 9): *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Si autem Christus quemlibet hominem, ergo et quemlibet infidelem illuminat. Jamverò, juxta SS. Patres et interpretes, hæc illuminatio per Christum non est illuminatio per lumen rationis, sed per internam illuminationem et illustrationem gratiæ. De quo lumine agens, scribit *S. Augustinus:* « Illud lumen non » irrationabilium avium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo » credunt, et ab amore visibilium rerum et temporalium se ad ejus » præcepta implenda convertunt. Quod omnes homines possunt si ve- » lint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc » mundum. » *(De Gen., cont. Manich., L. 1, c. 3. M., 34, c. 176).* Et ne Pelagiani suis verbis possint abuti, addit: « Quod verò dixi: *Illud autem* » *non irrationabilium avium oculos pascit*, etc., non existiment novi hæ- » retici Pelagiani secundum eos esse dictum. Verum est enim omninò, » omnes homines hoc posse, si velint; sed præparatur voluntas a Do- » mino, et tantum augetur munere caritatis, ut possint. » *(Retract., L. 1, c. 10. M., 32, c. 599).* In his autem S. Doctor diserte affirmat, quemlibet hominem ita gratiâ internâ reapse illuminari, ut, si velit, Deo possit credere et præcepta implere.

S. Augustino consonat *S. Joan. Chrysost.*: « Si illuminat, *inquit*, » omnem hominem venientem in hunc mundum, quomodo tot homines » non illuminati maneant? Non enim omnes Christi cultum cogno- » scunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Quantum in ipso » est. Si qui vero sponte sua mentis oculos claudentes, hujus lucis

[1] Cf. præsertim: *Montoya*, De Prædest., disp. 46; p. 516. - *Aguirre*, Disp. 126, 127 et 128; p. 513. - *Frassen*, Disp. 2, a. 3, sect. 4, § 2; p. 259. - *Bancel*, De vol. Dei, § 7 et seq.; p. 338.

» radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit quod in tenebris » maneant, sed ex nequitia eorum qui sponte se hoc privant munere. » Gratia quippe in omnes diffusa est; non Judæum, non Græcum, » non barbarum, non Scytham... aversatur; sed omnes similiter ad- » mittit, et cum pari vocat honore. Qui vero nolunt hoc frui dono, » hanc sibi ipsis cæcitatem imputent oportet. » *(Hom. 8, n. 1. M., 59, c. 65).*

Et in verba Ps. 18, 7: *Nec est qui se abscondat a calore ejus,* scribit *S. August.*: « Cum autem Verbum etiam caro factum est, et habitavit » in nobis mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mor- » talium excusare se de umbra mortis; et ipsam enim penetravit » Verbi calor. » *(M., 36, c. 155).* Si quis autem gratiam intrinsece non reciperet, ipse posset se excusare de umbra mortis; nec ipsum calor Verbi penetraret. Calor enim ignis non dicitur penetrare lignum, quando præparatur, sed quando ei applicatur atque in id recipitur. Nullus est igitur homo, cui a Christo non conferatur aliqua gratia.

355. — Prob. II. **Ex voluntate Dei salvandi omnes**[1]. Deum velle voluntate verâ et sincerâ salutem omnium hominum, SS. Scripturæ et SS. Patres solemnibus commendant testimoniis.

Legimus, (I Tim. II, 4): *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Ad quæ verba alludens, ait Concil. Arelatense: « Anathema illi qui dixerit quod Christus non pro omnibus » mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit. » *(Anath. 6. Labbe, T. 4, c. 1043).*

S. Prosper.: « Sincerissime credendum atque profitendum est, *in-* » *quit,* Deum velle ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, » cujus ista sententia est, sollicitissime præcipit, quod in omnibus » Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus sup- » plicetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum. » *(Resp. ad object. Vinc., cap. 2. M., 51, c. 179).*

S. Hilarius: « Ut omnes homines Deus salvos fieri velit, et non » eos tantum qui ad sanctorum numerum pertinebunt, sed omnes om- » nino, ut nullus habeatur exceptus. » *(Ep. ad Aug. M., 33, c. 1010).*

Atqui hæc voluntas seria salvandi omnes stare nequit absque collatione gratiæ sufficientis. Irrisoria enim et prorsus nugatoria dicenda est ea voluntas, quæ, dum vult finem, non vult concedere media ad finem, quæ ipsa sola dare potest, et aliunde haberi non possunt quam ex ejus liberali donatione. Porro, unicum medium salutem conse-

[1] Cf. *S. Alph*, Magn. orat. med., P. 2, c. 1. T. 2, p. 670.

quendi est interior Spiritus Sancti gratia; et hæc a solo Deo concedi potest, nullusque homo eam sibi virtute solius naturæ potest comparare. Cum ergo Deus seriò velit omnes et singulos salvos fieri, omnibus etiam et singulis confert sufficientia auxilia quibus, si velint, possint salutem consequi.

Apposite *S. Prosper:* « Sive igitur novissima contemplemur sæcula, » seu prima, seu media, rationabiliter et pie creditur omnes homines » salvos fieri Deum velle, semperque voluisse, et hoc non aliunde » monstratur quam de iis beneficiis, quæ providentia Dei universis » generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt » enim ac sunt hujusmodi dona ita generalia, ut ipsorum testimonio » ad quærendum verum Deum possent homines adjuvari: quibus donis » auctorem suum per omnia sæcula protestantibus, specialis gratiæ » largitas superfusa est. » *(De vocat. Gent., L. 2, c. 25. M., 51, c. 711).*

Et *S. Thomas:* « *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Et ideo gratia » Dei nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat. » *(In Ep. ad Hebr., c. 12, lect. 3).*

356. — Prob. III. **Ex morte Christi pro omnibus** [1]. Christus, sicut in Tractatu de Incarnatione fuse probatur, pro omnibus et singulis hominibus mortuus est. (I Tim. II, 6): *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* — (II Cor. V, 15): *Pro omnibus mortuus est Christus.* — (I Tim. IV, 10): *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* — (I Joan. II, 2): *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Atqui illis omnibus, pro quibus Christus mortuus est, gratia non solum præparatur aut offertur, sed reapse confertur. Ergo omnibus et singulis hominibus, etiam infidelibus, confertur gratia, quâ possint salvari.

Prob. minor. Gratia, ut suprà dictum est, *n. 335*, quæ est tantum præparata aut oblata, sed non collata, ad nihilum de facto inservit, quandoquidem in hominis potestate non est, eam sibi virtute naturali appropriare. Proinde, si Christus morte suâ quibusdam gratiam tantum præparavit, sed eam non confert, pro istis reapse mortuus dici non potest, hique beneficio redemptionis defraudantur non malitiâ propriæ voluntatis, sed solo beneplacito divino: quod utrumque tam SS. Scripturis quam Traditioni repugnat. [2] Quocirca SS. Patres ex

[1] Cf. *S. Alph*, Magn. orat. med., P. 2, c. 1; et: Confut. 13, n. 12 et seq. T. 2, p. 464. — [2] Cf. *S. Alph.*, Confut. 13, n. 13 et 14; T. 2, p. 464.

morte Christi pro omnibus inferunt, omnibus hominibus, nullo excepto, sufficientem conferri gratiam.

Ait *S. Ambrosius:* « Mysticus autem sol ille justitiæ omnibus ortus » est, omnibus venit, omnibus passus est... Si quis autem non credit » in Christo, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fe- » nestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus. » *(In Ps. 118, sermo 8, n. 57. M., 15, c. 1318).*

S. Augustinus: « *Non enim misit Deus Filium suum in mundum,* » *ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ergo quantum » in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta » medici observare non vult. » *(In Joan., Tract. 12, n. 12. M., 35, c. 1490).* Sed nisi omnibus gratias conferret, quibus possent sanari, non omnes sanare venisset ægrotos, hique præcepta cœlestis medici servare non possent.

S. Hieronymus: « Quod si prudens lector tacita cogitatione respon- » derit: quare multi non sunt salvati, si ipse salvavit eos, et dilexit, » et pepercit filiis suis, et redemit eos sanguine suo?... infertur causa » perspicua: Ipsi autem non crediderunt, et exacerbaverunt Spiritum » Sanctum ejus. Voluit itaque Deus salvare cupientes, et provocavit » ad salutem, ut voluntas haberet præmium; sed illi credere nolue- » runt. » *(In cap. 63 Isaiæ. M., 24, c. 615).* Sed provocatio ad salutem est per interiorem vocationem. Cum igitur Deus omnes ad salutem provocet, ita ut omnes possint credere, omnibus dat sufficientem gratiam.

S. Prosper: « Elaboratum est, ut non solum in novissimis diebus, » sed etiam in cunctis retro sæculis probaretur gratiam Dei omnibus » hominibus affuisse, providentia quidem pari et bonitate generali; » sed multimodo opere, diversaque mensura: quoniam sive occulte, » sive manifeste, ipse est, ut Apostolus ait, *Salvator omnium homi-* *num, maxime fidelium.* » *(De Voc. Gent., L. 2, c. 31. M., 51, c. 716).*

357. — Prob. IV. **Ex propositionibus condemnatis,** videlicet, ex 5ª prop. ab Alexandro VIII, die 7ª Dec. 1690, damnata: « Pagani, » Judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a » Jesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse vo- » luntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti. » *(Denz., n. 1161).* Et ex prop. Quesnelli, 26ª: « Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem »; 27ª: « Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum »; 29ª: « Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia. » *(Denz., n. 1241 et ss.)*[1].

[1] Cf. *Fontana,* In Const. Unigenitus, T. 1, p. 438.

358. — Prob. V. **Ex Traditione.** Traditionis documenta, quæ omnibus et singulis hominibus gratiam sufficientem a Deo conferri statuunt, in 1ª, 2ª, et 3ª probatione abunde sunt jam allata. Tria tamen magis illustria, quæ hac de re in medium afferri solent, addere juvat.

Scribit *S. Augustinus:* « Cum vero ubique sit præsens, qui multis » modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat » credentem... non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, » sed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulne- » rata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis: ista » tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est scire uti- » liter quærere quod inutiliter ignoratur, et humiliter confitendam esse » imbecillitatem, ut quærenti et confitenti illi subveniat, qui nec errat » dum subvenit, nec laborat. » *(De lib. arb., L. 3, c. 19. M., 32, c. 1297).* Si igitur nulli mortalium ablatum est scire utiliter quærere quæ ad salutem pertinent, omnibus datur gratia, cum de fide sit neminem absque interiori gratia posse utiliter quærere quæ ad salutem pertinent æternam.

S. Prosper: « Neque ob hoc excusabiles sint nationes, quæ alie- » natæ a conversatione Israel, spem non habentes, et sine Deo in hoc » mundo sub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia » gratiæ quæ nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non » fluxit. Adhibita enim semper est universis hominibus quædam su- » pernæ mensura doctrinæ ejus quæ, etsi parcioris occultiorisque gratiæ » fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad reme- » dium, omnibus ad testimonium. » *(De voc. Gent., L. 2, c. 14 et 15. M., 51, c. 700).*

Orosius, S. Augustini fidelis discipulus et amicus: « Mea semper » hæc est fidelis atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum » non solum in corpore suo quod est Ecclesia, cui specialia ob cre- » dentium fidem gratiæ suæ dona largitur, verum etiam universis in » hoc mundo gentibus propter longanimem sui æternamque clemen- » tiam subministrare, non ut tu asseris cum discipulo tuo Cœlestio... » in solo naturali bono, et in libero arbitrio generaliter universis » unam gratiam contributam: sed speciatim quotidie, per tempora, » per dies, per momenta, per atomos et cunctis et singulis ministrare. » *(De arbitrii libertate, n. 19. M., 31, c. 1188).* Et n° 21, addit: « Ex » quo evidentissime declaratum est, nemini hominum deesse Dei adju- » torium, præsertim cum et seductor insistat, et insit infirmitas. »

359. — Prob. VI. **Ex S. Thoma.** 1° *In cap. X, Epist. ad Rom., lect 3*, hæc tradit S. Doctor: « Illi qui loquentem Dominum per se

» vel per ejus discipulos non audierunt, excusationem habent de pec-
» cato infidelitatis; non tamen beneficium Dei consequentur, ut scilicet
» justificentur ab aliis peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel
» male vivendo addiderunt; et pro his merito damnantur. Si qui tamen
» eorum fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam mise-
» ricordiam providisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum
» Cornelio *(Act. X)* et Paulum Macedonibus. *(Act. XVI)*. Sed tamen
» hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet
» ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum. » Supponit igitur S. Doctor, infideles negativos recipere quoddam auxilium sufficiens remotum ad faciendum aliquid, quo si bene utuntur, per fidem illuminabuntur.

Et, *De Verit., q. 14, a. 11, ad 1*, ait: « Hoc pertinet ad divinam
» providentiam ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dum-
» modo ex parte ejus non impediatur: unde si aliquis nutritus in
» sylvis vel inter bruta animalia, ductum naturalis rationis seque-
» retur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum quod
» ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad
» credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum di-
» rigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. »

Quibus verbis relatis, addit *S. Alphonsus:* « Infidelibus igitur, qui
» ad rationis usum pervenerunt, S. Thomæ judicio, saltem conceditur
» a Deo gratia remote sufficiens ad salutem consequendam; quæ gratia
» consistit in mentis quâdam institutione et motione voluntatis ad
» naturæ legem servandam; cui motioni si cooperetur infidelis, naturæ
» præcepta servando, abstinendo scilicet a gravibus peccatis, postmo-
» dum, propter Jesu Christi merita, gratiam ad amplectendam fidem
» salutemque adipiscendam proxime sufficientem certo accipiet. » *(Hist. hær., P. 2, Conf. 6, n. 11. T. 2, p. 365)*.

360. — 2° Pluries docet S. Thomas hominem quemlibet, statim ac ad usum rationis pervenerit, teneri *se ad Deum convertere, curam suæ salutis agere, facere quod in se est ad quærendam suam salutem;* quod si non fecerit, peccat; si verò fecerit, a peccato originali, si nondum est remissum, liberatur et justificationem consequitur [1]. « Quo-
» niam homini pervenienti ad usum rationis, *inquit*, primum, quod
» tunc cogitandum occurrit, est deliberare de seipso. Et si quidem
» seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur re-
» missionem originalis peccati. Si vero non ordinet se ad debitum

[1] Cf. *Salmant.*, Disp. 6, dub. 3, § 3. T. 9, p. 766.

» finem... peccabit mortaliter non faciendo quod in se est. » *(1. 2, » q. 89, a. 6).* — « Postquam vero usum rationis habent, tenentur sa- » lutis suæ curam agere. Quod si fecerint, jam absque peccato ori- » ginali erunt, gratia superveniente. » *(De Malo, q. 5, a. 2, ad 8).* Similia docet *De Malo, q. 7, a. 2, ad 8; De Verit., q. 24, a. 12, ad 2; et q. 28, a. 3, ad 4.*

Verùm, cum de fide sit, hominem virtute solius naturæ nihil facere posse, quod valeat ad justificationem et salutem, necessariò supponit S. Doctor cuilibet homini in primo instanti, quo ad usum rationis pervenit, a Deo conferri auxilium intrinsecum entitative supernaturale, vi cujus possit se ad gratiam sanctificantem præparare, eamque reapse consequi. Quare, in testimonio supra citato in cap. X ad Rom., signanter dixit: *Hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est,... ex Deo est movente corda ipsorum*, non quidem motione naturali, quia hæc ad justificationem nihil confert; sed entitative supernaturali, quâ solâ potest homo ad justificationem præparari.

361. — Cum S. Thoma alii concordant antiquiores scholastici. » Nullus homo, *inquit Albertus Magnus*, quamdiu est in vita, desti- » tutus est ab omni gratia adjuvante: semper enim habet aliquam » influentiam divinæ bonitatis, vel in timore, vel in spe informi, vel » fide, vel aliquo tali sublevante se: et habet etiam extra instigatio- » nem boni Angeli: quibus potest vitare peccata. » *(In 2 S., D. 25, a. 6. T. 15, p. 241).*

Altissiodorensis: « Nobis videtur quod nullus est vel rarus qui non » habeat gratiam aliquam, fidem informem, vel timorem servilem, » vel aliquid tale. » *(Summa, L. 2, Tr. 26, cap. 1; fol. 92, recto).*

Henricus a Gorichem: « A primo motore Deo homo dupliciter mo- » vetur. Cum enim Deus sit universalis motor naturæ, movens unum- » quodque secundum analogiam propriæ naturæ, secundum hanc legem » motionis movetur homo conformiter ad suum finem naturalem. Hæc » autem motio tam homini quam cæteris rebus semper est assistens. » Non enim Deus solum dat rebus formas suas quibus ad actiones » suas procedunt, sed requiritur insuper de necessitate ut motio sua » incessanter fecundet tales formas; alioquin velut impotentes omni » actione sua privarentur. Quia vero creatura rationalis est capax » finis supernaturalis, ideo alia est motio altioris ordinis, quæ dicitur » gratuita motio divina, instigans creaturam rationalem tendere ad » suum finem. Et quemadmodum prima motio naturalis non subtra- » hitur rebus, ita nec ista altioris ordinis motio, sed semper pulsat

» creaturam rationalem viatricem ad hunc finem supernaturalem. » *(De prædest., cap. 16, fol. 24, verso).*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

362. — Objicitur I. Ait S. Augustinus: « Communis est natura, non » gratia. » *(Serm. 26, c. 4. M., 38, c. 172).* — « Scimus gratiam non om- » nibus hominibus dari. » *(Epist. 217, c. 5. M., 33, c. 984).* Idem do- cent S. Fulgentius, S. Prosper, et Episcopi Africani. Ergo gratia suf- ficiens non datur omnibus infidelibus.

Resp. Juxta S. Augustinum communis est natura, non gratia, *dist:* si gratiâ intelligitur gratia fidei perfectæ, quâ christiani sumus; aut gratia habitualis, quâ justi sumus; aut gratia efficax, quâ infallibili- ter bonum operamur, *conc.;* si gratiâ intelligitur gratia remote suf- ficiens, quâ quis potest se saltem remote ad justificationem præpa- rare, *nego.* Hanc enim omnibus adesse, persæpe tradit S. Doctor. Gra- tiam vero, quam S. Augustinus non omnibus communem dicit, esse gratiam fidei perfectæ, aut gratiam habitualem, ipse testatur eodem sermone, dum *cap. 5°*, ait: « Ipse nos fecit populum suum, ipse nos » fecit oves pascuæ suæ... Hæc est gratia. Excepta illa communi » gratia naturæ, qua homines facti sumus, nec digni fuimus, quia non » fuimus: excepta illa gratia, hæc est major gratia qua facti sumus » populus ejus et oves pascuæ ejus per Jesum Christum Dominum » nostrum. » Et *cap. 8°* addit: « Hanc ergo gratiam qua christiani su- » mus, ipsam volumus prædicent (Pelagiani), ipsam volumus agno- » scant. » Sed gratia quâ christiani sumus, quâ facti sumus populus ejus et oves pascuæ ejus, est gratia fidei perfectæ et gratia habi- tualis.

363. — Objicitur II. Fides est prima gratia, teste S. Augustino: « Fides ipsa prima datur, ex qua impetrantur cætera. » *(De præd. Sanct., c. 7. M., 44, c. 969).* — « Incipit homo percipere gratiam, ex » quo incipit credere Deo, vel interna vel externa admonitione motus » ad fidem. » *(Ad Simplic., L. 1, q. 2, n. 2. M., 40, c. 111).* — « Fides est » initium, unde bona opera incipiunt. » *(De Gestis Pelag., n. 34. M., 44, c. 341).* Porro, ut ait Apostolus, *Non omnium est fides.* (II Thessal. III, 2). Ergo nec omnes habent gratiam sufficientem.

Resp. Fides est prima gratia, *dist.:* fides inchoata, initialis, et im- perfecta, *conc.;* fides perfecta, *nego.* — Duplicem fidem distinguit S. Augustinus, unam *perfectam*, quâ aliquis in Christum explicite

credit; et hanc non esse primam gratiam, constat ex propositionibus condemnatis supra citatis, *n. 357;* alteram, inchoatam, initialem, imperfectam, quæ est qualiscumque Dei cognitio, modo sit ex lumine supernaturali, vel saltem non sine aliquo lumine supernaturali. Et hanc fidem initialem esse primam gratiam, asserit S. Augustinus, et cum eo theologi communiter. Cum enim gratia sufficiens consistat in aliqua supernaturali mentis illuminatione, nequit homo moveri gratiâ, nisi simul adsit aliqualis illuminatio fidei, quæ tamen ad justificationem proxime non sufficit. Ex hac fide inchoatâ infideles dirigi possunt, Deo adjuvante, ad orandum et exequendum opera quædam pietatis, quibus a Deo majus lumen majoraque impetrent salutis auxilia [1].

« Incipit autem homo percipere gratiam, *ait S. Augustinus*, ex » quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus » ad fidem. Sed interest quibus articulis temporum vel celebratione » sacramentorum gratia plenior et evidentior infundatur. Non enim » catechumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cum » eleemosynis et orationibus dignum se præberet cui Angelus mitte- » retur. (Act. X, 1-4); sed nullo modo ista operaretur, nisi ante credi- » disset; nullo modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa » mentis aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admo- » nitionibus vocaretur. Sed in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta » non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum; sicut in catechumenis, » sicut in ipso Cornelio antequam sacramentorum participatione in- » corporaretur Ecclesiæ. In quibusdam vero tanta est, ut jam corpori » Christi et sancto Dei templo deputentur... Fiunt ergo inchoationes » quædam fidei, conceptionibus similes: non tamen solum concipi, sed » etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. » *(Ad Simplic., L. 1, q. 2, n. 2. M., 40, c. 111).* Ut patet, his in verbis duplicem fidem distinguit S. Doctor, inchoatam scilicet, et perfectam.

364. — **NB.** Eadem distinctione respondendum est difficultati desumptæ ex Apostolo *(Rom. X)*, ubi docet fidem esse ex auditu, et non omnibus datam esse evangelii prædicationem. Loquitur enim Apostolus de fide perfecta et explicita in Christum, quæ juxta providentiam Dei ordinariam, non habetur nisi per auditum. Potest tamen, juxta providentiam extraordinariam, haberi etiam ministerio angelorum, ut testatur S. Thomas, *(locis in prop. adductis)*, quamvis, ut ait S. Augustinus, rarissime concedatur ope Angelorum. *(De dono pers., n. 48, M., 45, c. 1023)*. Fides verò inchoata et imperfecta, quam di-

[1] Cf. *Montoya,* De Provid., Disp. 19, sect. 5; p. 243.

cimus dari etiam ethnicis, haberi potest juxta ordinariam providentiam, per solam internam mentis illuminationem.

365. — Insto: Docet S. Augustinus fidem etiam inchoatam non omnibus dari. « Fides igitur, *inquit*, et inchoata, et perfecta, donum Dei » est; et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino » non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris Litteris repugnare. » *(De præd. Sanct., c. 8. M., 44, c. 972).* Ergo nec ipsa gratia omnibus datur.

Resp. Fidem inchoatam non omnibus dari, *dist.:* fidem inchoatam, quæ fit per externam Evangelii prædicationem, *conc.* Et de hac fide inchoatâ loqui S. Augustinum in allato testimonio, manifestum est ex verbis quæ præmittit. Ait enim « Cum igitur Evangelium prædicatur, » quidam credunt, quidam non credunt... Ergo trahi a Patre ad Chri» stum, et audire ac discere a Patre ut veniat ad Christum, nihil » aliud est, quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum. » — Fidem inchoatam, quæ est per internam illuminationem, non omnibus dari, *dist.:* quatenus dicit fidem libere acceptam ab homine, *conc.:* quatenus dicit inspirationem fidei, seu divinam vocationem, quæ illuminationem includit, *nego.* Jamverò fides, quam dicimus primam gratiam, est ipsamet inspiratio fidei, seu vocatio divina, non autem fides libere suscepta. Potest enim homo illuminatus lumini resistere, et vocationi aures obturare, et fidem inspiratam non accipere.

366. — Objicitur III. Si infideles negativi, qui nihil unquam de Christo audierunt, gratiam sufficientem, quâ justificari possint, recipiunt, recipiunt etiam gratiam, quâ possint in Christum credere: absque fide enim in Christum nulli unquam contigit justificatio. Qui igitur non credunt fide perfectâ, ipsi sunt causa suæ infidelitatis: quare infidelitas pure negativa, utpote voluntaria saltem in causâ, est peccatum. Porro hoc est condemnatum in baiana prop. 68ª: « Infidelitas pure » negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. » *(Denz., n. 948).* Non omnibus igitur infidelibus confertur gratia sufficiens.

Resp. Conceditur infideles negativos recipere gratiam remote sufficientem, quâ possint ad fidem perfectam pervenire; negatur tamen eorumdem infidelitatem negativam esse voluntariam in causâ, et constituere peccatum.

Ut enim aliquis effectus dicatur voluntarius in causâ, non sufficit ut sequatur ex aliquâ actione libere positâ, sed insuper requiritur ut effectus prævideatur in causâ saltem in confuso, vel saltem ut præ-

videri possit. Si igitur effectus nec prævidetur, nec ullo modo prævideri potest, non est voluntarius in causâ, nec proinde peccatum. Jamverò, infideles negativi ignorantiâ invincibili ignorant fidem in Christum, cum hæc juxta providentiam ordinariam solum habeatur per prædicationem, quæ supponitur eisdem non facta. Ignorant præterea, illuminationem illam fidei imperfectæ, quam recipiunt, esse viam ad fidem perfectam; ignorant invincibiliter resistentiam, quam opponunt primæ illuminationi divinæ, eos defraudare fide perfectâ, quam secus recepissent. Cum igitur privatio fidei ab eis nec fuit prævisa, nec potuit prævideri, ipsa, licet sit orta ex actu peccaminoso, nec est voluntaria in causâ, nec peccaminosa. Unde docet *S. Thomas* eorum infidelitatem nec esse peccatum, nec damnationis causam. « Qui » autem sic sunt infideles, *inquit*, damnantur quidem propter alia pec» cata quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter » infidelitatis peccatum. » *(2. 2, q. 10, a. 1).*

367. — **Objicitur IV.** Si omnes infideles gratiam sufficientem recipiunt, non recurrendum est ad inscrutabilia Dei judicia, cur unus credat, alter verò non: patet enim, unum credere, quia vocationi consentit; alterum verò manere in infidelitate, quia gratiæ restitit. Quod est contra S. Augustinum, qui hac in re ad altissima Dei judicia semper provocat.

Resp. *Nego antec.* — Proposita doctrina perfecte quidem commendat divinam bonitatem, quæ omnes vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, et omnibus hanc ob rationem sufficientia confert salutis media; perfecte etiam commonstrat eos, qui pereunt, esse inexcusabiles, propriâque perire voluntate. Plurima tamen insoluta relinquit. Non explicat cur ex duobus vocatis, unus gratiâ ita persuadeatur, ut vocationem sequatur; alter verò, licet vocatus, non persuadeatur, nec sequatur? cur e duobus vocatis et primæ vocationi resistentibus, unus statim in infidelitate relinquatur, alter verò iterum iterumque invitetur, donec fidem suscipiat et salvetur? In his et similibus exclamandum est cum Apostolo: *O altitudo!*

ARTICULUS IV.

DE SALUTIS REMEDIIS RELATE AD PARVULOS.

368. — Parvulos, qui ante usum rationis e vitâ migrarunt, nullum recepisse internum gratiæ actualis auxilium, per se manifestum est: consistit enim gratia actualis in supernaturali quadam intellectûs

et voluntatis motione, cujus, qui usum rationis non sunt adepti, omninò incapaces existunt. De solo igitur externo auxilio, ope aliorum istis parvulis applicabili, quæstio potest moveri.

Existere in lege gratiæ remedium ad delendum peccatum originale in parvulis, baptismum scilicet, dogma est fidei. In lege mosaicâ exstitisse circumcisionem, quâ deleri potuit peccatum originale, ex SS. Scripturis similiter est compertum. In lege etiam naturæ ante datam circumcisionem, et apud ethnicos extra gentem judaicam usque ad Christum passum, simile pro parvulis exstitisse remedium, communis est doctorum sententia. Præparatum igitur semper fuit a Deo auxilium quoddam de se aptum ad peccatum originale in parvulis delendum, curæque sive parentum sive aliorum adultorum commissum, qui illud parvulis applicarent. Quare recte dici potest, parvulis semper præparatum fuisse auxilium ad salutem sufficiens.

Cum verò accidat permultos parvulos mori, antequam remedium illud ipsis fuerit applicatum, sicut quotidie videmus multos parvulos mori absque baptismo, et hoc quidem vel ob negligentiam parentum et eorum quorum curæ parvuli sunt commissi, vel ob solum concursum causarum naturalium, sicut contingit quando moriuntur in sinu matris, magna exsurgit quæstio, scilicet: Utrum Deus ita instituerit baptismum, ut etiam vellet, quantum est in se, illum omnibus et singulis applicari; an verò illum ita instituerit, ut vellet ipsum applicari aliquibus, non autem omnibus et singulis?

369. — *Lemos* [1], *Gonet* [2], *Vasquez* [3], cum quibusdam aliis, censent Deum non velle ut baptismus conferatur parvulis, qui cum peccato originali moriuntur, præsertim iis, qui absque ullâ negligentiâ ex parte parentum, sed solo concursu causarum naturalium e vivis auferuntur, antequam baptismus potuerit conferri. « Vult Deus absolute » et efficaciter, *ait Lemos*, quod illis (baptismus) non applicetur, ad » puniendum originale peccatum, quod habent [4]. » — Et *Vasquez:* « Deum expresse voluisse parvulis quibusdam negare remedia, quæ » humana diligentia ipsis applicari et prodesse possent... Censeo prio» rem fuisse voluntatem negandi remedia, et ad hoc causas naturales » disposuisse » [5], quibus scilicet impeditur collatio baptismi. — Docent proinde, hos parvulos non habere, ne in præparatione quidem Dei, sufficiens auxilium externum ad salutem consequendam, quia Deus pro ipsis baptismum non instituit, et voluntate antecedenti absoluta

[1] Panoplia, Tract. 4, de reprob., c. 21; T. 2, p. 308. — [2] Tract. 5, disp. 5, de reprob., art. 5, § 3; T. 2, p. 402. — [3] In 1 P., disp. 96; p. 713. — [4] Loc. cit., n. 319, p. 309. — [5] Loc. cit., p. 715.

et efficaci vult ut eis non conferatur, et ex illa voluntate causas naturales disponit, quæ obstent ne possit conferri.

370. — *Probabilior* tamen et *communissima* sententia docet, Deum baptismum ad salutem ita instituisse, ut etiam vellet, quantum est ex se, illum omnibus et singulis parvulis reverâ conferri; proinde omnes et singulos parvulos habere in præparatione Dei sufficiens medium ad salutem, nullumque eo frustrari ob directam et positivam Dei voluntatem.

Propositio.

Parvulis absque baptismo decedentibus Deus, quantum est ex se, sufficientia salutis media præparavit [1].

371. — Prob. I. **Ex voluntate Dei salvificâ.** Deus voluntate antecedente, sed verâ et sincerâ, vult omnes homines salvos fieri *(I Tim. II, 4)*. Dicendo autem *omnes*, nullum excludit Apostolus, nec adultum, nec parvulum. « Cur tot millia parvulorum, *inquit S. August.*, » qui non percepto Baptismate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, » ubi certa est agnitio veritatis? Numquid aut homines non sunt, ut » non pertineant ad id quod dictum est, *omnes homines?* » *(Cont. Julian., L. 1, c. 8. M., 44, c. 750)*. Verùm, qui vult finem, vult etiam media ad finem. Cum igitur Deus velit omnes et singulos parvulos salvos fieri, omnibus etiam et singulis præparavit salutis medium, et quantum in se est, vult ut omnibus applicetur. Omnes igitur parvuli habent in præparatione Dei sufficiens salutis medium.

372. — Prob. II. **Ex morte Christi pro omnibus.** Teste Apostolo, Christus pro omnibus mortuus est, (II Cor. V, 14, 15): *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus:* et (I Tim., IV, 10): *Est Salvator omnium hominum.* Christus igitur pro iis omnibus et singulis mortuus est, qui mortui erant peccato; ergo et pro omnibus et singulis parvulis mortuus est, cum de fide sit ipsos omnes mortuos esse peccato originali. Porro, Christus dicitur pro omnibus mortuus, et esse omnium Salvator eâ solâ ratione, quia pro omnium liberatione mortem suam Deo Patri obtulit, omnibusque morte suâ præparavit salutis media, vultque, quantum est ex se, ut omnibus proficiant ad salutem. Cum igitur etiam pro omnibus

[1] Cf. *Is. Habert.*, L. 2, c. 10; p. 229. - *Montoya*, De Prædest., disp. 49; p. 553. - *Tourn. (Mont.)*, Q. 4, a. 3, § 5; p. 637. - *Frassen*, Tr. 3, disp. 2, art. 3, sect. 4, quæres 2°; p. 274.

et singulis parvulis mortuus sit Christus, omnibus etiam et singulis præparavit salutis medium : et quantum est ex se, vult ut omnibus et singulis applicetur. Omnes igitur et singuli parvuli habent ex voluntate Christi sufficiens præparatum salutis medium.

373. — Prob. III. **Ex Ratione.** Ut Deus censeatur parvulis absque baptismo morientibus de sufficienti salutis medio providisse, requiritur et sufficit : 1° Ut medium ad salutem sufficiens instituerit ; 2° ut velit, quantum est ex se, medium illud omnibus applicari ; 3° ut voluntate directâ et positivâ nullum apponat impedimentum, quo medii applicatio reddatur impossibilis. Non requiritur autem ut impedimenta aliunde provenientia, quibus inhibetur medii applicatio, arceat.

Jamverò : 1° Deus baptismum instituit tanquam sufficientissimum salutis medium pro parvulis : quo ii, quibus applicatur, cœlestis hæreditatis fiunt participes.

2° Deus, sicut dictum est in prob. 1ª et 2ª, vult, quantum est ex se, voluntate antecedente, verâ et sincerâ, baptismum omnibus conferri.

3° Deus voluntate positivâ et directâ nullum opponit impedimentum, ne cui baptismus conferatur ; nec causas secundas positive eò ordinat, ut quemquam e vivis auferant, priusquam ei baptismus potuerit conferri. Hæc enim si faceret, jam non vellet, quantum est ex se, medium salutis omnibus applicari. — Sed quia est provisor generalis totius universi, Deus non tenetur naturalem rerum ordinem ac cursum immutare, et causas secundas impedire, ne vitam parvuli exstinguant priusquam baptizari potuerit. Quod ubi evenit, Deus voluntate directâ et positivâ vult bonum totius universi ; et tantum voluntate pure *permissivâ*, vult defectum baptismi. Sed, ut ait S. Thomas, *P. 1, q. 22, a. 2, ad 2*, provisor generalis permittere potest defectum in aliquo particulari propter bonum totius. Etsi igitur Deus permittat parvulos quosdam mori ante susceptionem baptismi, cum tamen eorum mortem non velit voluntate directâ et positivâ, voluntate verò antecedente velit baptismum eis conferri, ipse propterea recte dicitur præparasse omnibus et singulis sufficiens remedium ad salutem.

Res exemplo illustrari potest. « Rex, *inquit Tournely (Mont.) loc.* » *cit., p. 642*, censeretur quantum est de se sufficienter providisse, tum » de mediis, tum de mediorum applicatione ad redimendos captivos » in exteris regionibus detentos, qui congruam ac sufficientem ad eo- » rum redemptionem subministraret pecuniæ summam, eamque viris » probis committeret ad illos captivos perferendam ; quanquam interim » contingeret pecuniæ illius latores spoliari vel ab hostibus, vel etiam

» a militibus quos rex ille circa regni limites constituisset, non quidem » ad deprædandos delatores illos, sed ad arcendos hostes, aut ad alios » fines communi totius regni bono utiles. » Et ita se res habet relate ad Deum quoad remedium salutis pro parvulis.

CAPUT III.

DE INÆQUALI GRATIARUM DISTRIBUTIONE.

374. — Ad arduam plane et altissimam accedimus quæstionem, de quâ Apostolus, licet lumine divino perfusus, exclamavit obstupescens, (Rom. XI, 33, 34): *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?* Consultius igitur videretur immensam Dei misericordiam erga electos, profundissimamque ejus justitiam erga reprobos silentio adorare, quam investigabiles ejus vias temerario conatu velle rimari.

Cum tamen divinarum viarum moderata et humilis consideratio non parum inserviat, tum ad Dei majestatem manifestandam, vel ad humanam præsumptionem retundendam, fideliumque fiduciam in divinum auxilium augendam; tum ad christianam humilitatem fovendam, sanctumque timorem inculcandum; quædam de inæquali gratiarum distributione, divino opitulante adjutorio, delibare opportunum visum est. De duobus hac in quæstione inquirere juvat:

1° De ipsa inæquali gratiarum distributione.

2° De causis hujus inæqualis distributionis.

ARTICULUS I.

DE IPSA INÆQUALI GRATIARUM DISTRIBUTIONE.

375. — Cum Deus omnes homines velit salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, imprimis affirmandum est, sicuti ex superiori capite probatum manet, omnibus adultis in hâc terrâ degentibus gratias ad salutem vere sufficientes concedi, ita ut mandatorum observantia et salutis consecutio nemini sit impossibilis. Qui igitur non salvantur, propriâ pereunt voluntate: *Perditio tua, Israel.* (Os. XIII, 9).

Hæc veritas plurimum valet ad alendam invictam omnium fiduciam in immensam Dei misericordiam, qui in necessariis vel ordinis

naturalis vel supernaturalis nemini unquam deficit. « Manifestaverunt » enim, *ait S. Prosper*, divinorum eloquiorum multæ auctoritates, et » continua omnium sæculorum experimenta docuerunt, justam Dei » misericordiam, misericordemque justitiam nec alendis unquam cor- » poribus hominum, nec docendis juvandisque eorum mentibus defuisse. » Semper etenim pluit super bonos et malos, semper solem suum oriri » fecit super justos et injustos, (Matth. V, 45). » *(De Voc. Gent., L. 2, c. 10. M., 51, c. 695).*

Hæc insuper veritas divinam justitiam ab omni iniquâ querimoniâ vindicat; eorumque retundit præsumptionem, qui divinam largitatem injustis prosequuntur questibus. « Ad vindicandam Dei bonitatem satis » est, *inquit S. Alphonsus*, si unicuique sufficientia præbeat auxilia, » quibus, si velit, ad salutem possit pervenire. Si quis a principe suffi- » cientem victum acceperit, num conqueri possit, quod non dederit » majores divitias? » *(De fidei Verit., P. 2, c. 17, n. 13. T. 1, p. 227).* — Et *S. Prosper:* « Universitati quippe hominum, *inquit*, ita multi- » plex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper et consulit, ut » neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine » veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari; cum » et illos propria nequitia demergat ad pœnam, et istos Dei gratia » perducat ad gloriam. » *(De Voc. Gent., L. 2, c. 19. M., 51, c. 715).*

Verum, hoc inconcusso principio statuto et firmissime retento, asse- rendum est nihilominus, divinam providentiam inæquali mensurâ suas gratias tam singulis hominibus quam universis nationibus distribuisse et semper adhuc distribuere.

Propositio.

Inæqualis est gratiarum distributio, tam pro singulis hominibus, quam pro universis nationibus [1].

376. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** « Hæc propositio, *inquit Bel-* » *larminus, (loc. cit.)*, in divinis litteris ita luculenter habetur, ut » mirum videri possit ab ullo unquam fuisse negatam. » Legimus, (Eph. IV, 7): *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* — (I Cor. XII, 12): *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

[1] Cf. *Valentia*, Q. 3, punct. 4, § 1, prop. 3ª; p. 1009. - *Gamach.*, In q. 111, c. 5, ult. assert.; p. 379. - *Bellarm.*, De Gr. et Lib. arb., L. 2, c. 2; p. 451. - *Petr. a S. Jos.*, De Gr., disp. 6, sect. 7, n. 72; p. 300. - *Knoll*, De Gr., sect. 1, c. 4, a. 2, § 449; p. 297. - *Sfondratus*, Nodus prædest., § 1, n. 19; p. 61.

Et re quidem vera, si sacras paginas perlustramus, compertum habemus quod:

Aliis datur donum fidei, et cognitio mysteriorum regni cœlestis, aliis verò non datur; et quibus datur, non æqualiter datur. (Matth. XIII, 11): *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum; illis autem non est datum.* « Quam tamen fidem, *ait S. Fulgentius*, non omnibus » dari beatus Paulus asserit, dicens: *Non enim omnium est fides*, » (II Thess. III, 2); et rursus: *Non omnes obediunt Evangelio*, (Rom. » X, 16). Quibus autem datur, non æqualiter dari, eodem docente co- » gnoscimus, qui ait: *Dico enim per gratiam quæ data est mihi, om- » nibus qui inter vos sunt, non plus sapere quam oportet sapere, sed » sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram » fidei.* (Rom. XII, 3). » *(De verit. prædest., L. 1, c. 16, n. 36. M., 65, c. 621).*

Aliis innumeræ conferuntur gratiæ, quibus ad vitam infallibiliter perducuntur; aliis verò parciores aut debiliores, quibus, quamvis vocati, tamen non trahuntur, (Ps. 148, 20): *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* « Verum est, *ait S. August.*, » multi vocati, pauci vero electi. Illi enim electi qui congruenter vo- » cati. Illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vo- » cationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. » *(Ad Simplic., L. 1, q. 2, n. 13. M., 40, c. 118).* Et: « Cur autem ille sic, ille autem » sic adjuvetur, vel non adjuvetur, nescio: id tamen Deum summa » sibique nota æquitate facere scio. » *(Epist. 95, n. 6. M., 33, c. 354).* Et: « Ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur » iste assumatur, ille relinquatur; et ex duobus ætate jam grandibus » impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut » non vocetur, aut non ita vocetur: inscrutabilia sunt judicia Dei. » *(De dono persev., c. 9. M., 45, c. 1004).*

Hic ante lapsum educitur ex hoc sæculo, (Sap. IV, 11): *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus;* ille post longam vitam in Dei amicitia transactam labitur, et in peccato moritur. Et ex duobus justis unus post lapsum iterum erigitur, alter in suo delicto remanet. (Matth. XXIV, 40): *Unus assumetur, alter relinquetur.* — (Rom. IX, 18): *Cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat.* « Sed quare aliis con- » cedatur, *inquit S. August.*, ut ex hujus vitæ periculis dum justi » sunt auferantur; alii verò justi donec a justitiâ cadant, in eisdem » periculis vitâ productiore teneantur; quis cognovit sensum Domini? » *(De præd. sanct., c. 14. M., 44, c. 979).*

Aliis Deus dat gratias, quas effectum non obtenturas prævidit; aliis, qui eisdem bene usuri essent, gratias ejusdem virtutis non concedit, (Matth. XI, 21): *Væ tibi, Corozain! væ tibi, Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.*

Aliis nationibus Deus citò mittit prædicatores; ab aliis eos ad tempus arcet, easque sinit diutius in umbrâ mortis sedere. « Magni » autem et inenarrabilis sacramenti mysterium est, *ait S. Prosper*, » quod prædicatoribus, quibus dictum est: *Ite in orbem terrarum, et* » *prædicate Evangelium universæ creaturæ* (Marc. XVI, 15), iisdem » prius dictum fuerat: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates* » *Samaritanorum ne introieritis, sed potius ite ad oves quæ perierunt* » *domus Israel*, (Matth. X, 5)... Volentes Apostoli evangelizare verbum » in Asia, *vetiti sunt ab Spiritu Sancto*, et disponentes ire in Bithy- » niam, prohibiti sunt ab Spiritu Jesu (Act. XVI, 6 et 7): non utique » negata illis populis gratia, sed quantum apparuit, retardata. » *(De Voc. Gent., L. 2, c. 3. M., 51, c. 688).*

377. — Prob. II. **Ex Traditione.** Præter memorata testimonia in prima probatione, sequentia notentur:

Ait *S. Fulgentius:* « In cujus gratiæ largitate quidam, minore » rerum consideratione perceptâ, non leviter errant, existimantes eam » omnibus hominibus æqualiter dari. » *(De Verit. prædest., L. 1, c. 14).*

Episcopi Africani in Sardinia exules: « De gratiâ verò non digne » sentit quisquis eam putat omnibus hominibus dari, cum non solum » non omnium sit fides, sed adhuc nonnullæ gentes inveniantur ad » quas fidei prædicatio non pervenit... Non itaque gratia omnibus » datur, quandoquidem ipsius gratiæ participes esse non possunt, qui » fideles non sunt, nec possunt credere, ad quos invenitur ipse fidei » auditus minime pervenisse. Ipsa vero gratia quibuscumque datur, » non æqualiter datur, sed *secundum mensuram donationis* |*Christi*, » (Eph. IV, 7), et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. » *(Epist. ad Joannem et Venerium, n. 10. M., 65, c. 438).* — *Quo sensu intelligendum sit:* gratia non omnibus datur, *cf. n. 362.*

S. Prosper: « Dicendo, *Qui est Salvator omnium hominum*, confir- » mavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem. Adji- » ciendo autem, *maxime fidelium*, ostendit esse partem generis humani » quæ, merito fidei divinitus inspiratæ, ad summam atque æternam » salutem specialibus beneficiis provehatur... In ipsis quoque fidelium » populis, non eadem omnibus nec paria conferantur, et ante ulla

» humanorum pondera meritorum, dissimillima divinorum mensura » sit munerum. » *(De Voc. Gent., L. 2, c. 31 et 32. M. 51, c. 716).*

378. — Prob. III. **Ex Ratione.** Causa meritoria gratiarum est mors Christi. Atqui Christus, licet suum sanguinem pro totius mundi delictis et pro salute omnium obtulerit, non cum æquali tamen dilectione erga omnes illum obtulit. Cum autem amor Christi erga homines sit causa, cur conferantur gratiæ, quos magis amavit moriendo, ii etiam virtute mortis Christi majora accipiunt gratiarum dona. « No- » bis non arridet, *ait S. Alphonsus*, sententia eorum, qui dicunt, mor- » tuum esse Jesum Christum cum eodem animi affectu erga omnes, » distribuendo singulis eamdem gratiam; quum tamen dubitari non » posse videatur, quin Redemptor cum peculiari affectu mortuus sit » pro fidelibus et maxime pro electis, juxta ea verba ante Ascensio- » nem prolata, (Joan. XVII, 9): *Non pro mundo rogo, sed pro his quos » dedisti mihi;* et juxta illud quoque Apostoli, (I Tim. IV, 10): *Qui » est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* » *(Hist. hær., P. 2, Conf. 13, n. 13. T. 2, p. 464).*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

379. — **Objicitur I.** Christus cum sole confertur, (Joan. I, 9): *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sed sol, quantum est de se, omnes æqualiter illuminat. Ergo et Christus.

Resp. Christus cum sole confertur, *dist.:* propter influxûs universalitatem, *conc.;* propter ejusdem æqualitatem, *nego.* Sol enim corporeus, utpote causa naturalis et cæca, quantum est de se, in omnes necessariò radios immittit et calorem. Christus autem est causa libera; et idèo pro voluntatis arbitrio sua dona dispensat, et cuique, quantum vult, confert.

Simili distinctione respondendum est verbis, (Sap. VI, 8): *Æqualiter est illi cura de omnibus;* et S. Augustini, *æqualiter omnibus consulens.* Id est, Deus omnibus hominibus, nullo prætermisso, sufficientia confert salutis media; et sic generalis et æqualis est cura illi de omnibus. Hæc autem generalis cura non impedit, quin aliquibus selectiora conferat auxilia.

380. — **Objicitur II.** Apud Deum non est acceptio personarum, secundum illud, (Rom. II, 11): *Non est acceptio personarum apud Deum.* Si verò Deus uni præ alio efficaciores et abundantiores con-

ferret gratias, apud eum esset personarum acceptio. Ergo omnibus æquales confert gratias.

Resp. *Conc. maj.; nego min.* — Existit personarum acceptio, quando aliquis in eorum bonorum distributione, ad quæ omnes æquale jus habent, uni plura præ alio, cum hujus detrimento, elargitur. Si quis autem in bonorum elargitione, quæ ex merâ suâ liberalitate procedunt, et ad quæ proinde nemo jus habet, uni majora quam alii concedat, nemini injuriam irrogat, et nulla apud eum adest personarum acceptio. « Duplex est datio, *ait S. Thomas:* una quidem pertinens » ad justitiam, qua scilicet aliquis dat alicui quod ei debetur; et circa » tales dationes attenditur personarum acceptio. Alia est datio ad » liberalitatem pertinens, qua scilicet gratis datur alicui quod ei non » debetur, et talis est collatio munerum gratiæ, per quam peccatores » assumuntur a Deo; et in hac donatione non habet locum personarum acceptio, quia quilibet absque injustitia potest de suo dare » quantum vult, et cui vult. » *(2. 2, q. 63, a. 1, ad 3).* — Jamvero, gratiæ sunt *gratiæ*, id est, *dona gratuita*, quæ ex sola Dei liberalitate procedunt, et ad quæ nullus homo jus quodpiam habet. Proinde, conferendo uni majores gratias quam alteri, Deus nemini injuriam irrogat, et nulla apud eum est personarum acceptio. *(Cf. n. 282).*

381. — Objicitur III. Deus crudelis esse videtur, cum multos perire sinat, gratias tantum sufficientes elargiendo, quos absque sanctitatis suæ præjudicio salvare posset, gratias efficaces conferendo; non secus ac pater terrenus crudelis existeret, si, cum posset omnes filios suos morte liberare, unum liberaret, alium vero perire sineret.

« Respondetur, *ait S. Alphonsus*, bonitatem increatam atque infinitam a creatâ ac finitâ multum differre. Creata bonitas necessariò » a Creatore suo dependet, atque idcirco communicari debet juxta » legem a Creatore impositam. Ideo pater, si ex morte omnes filios » eripere possit, ad illud faciendum tenetur; quum divina lex jubeat, » pietatem et amorem debitum erga singulos pariter exerceri. Deus » vero, Bonitas increata atque independens, nullam habet legem, quæ » præscribat, quantum creaturis suis communicari debeat. Quando » vult et quantum vult, semetipsum communicat, prout suæ convenit » gloriæ. Ad reverenda divina judicia, nobis quidem hoc satis esse » debet, Deum infinite justum esse et rectum: nec postulandum, ut » ejus judiciorum rationem perspiciamus. » *(De fidei Verit., P. 2, c. 17, n. 14; T. 1, p. 228).*

Iniquitas quidem aut crudelitas posset dici esse apud Deum, si, dum homines ad finem supernaturalem adipiscendum obligat, eisdem auxilia sufficientia non concederet, eosque deinde in gehennam detruderet. Sed Deus auxilia ad salutem sufficientissima nemini denegat; omnibus verò ea concedit, sicut et pro omnibus Redemptor sanguinem suum effudit: quod sat est ad Dei sanctitatem vindicandam.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS INÆQUALIS DISTRIBUTIONIS GRATIARUM.

Sicut *stella differt a stella in claritate,* (I Cor. XV, 41), ita homo differt ab homine in splendore gratiæ, et beatus a beato in splendore gloriæ. Hujus inæqualitatis SS. Scripturæ et SS. Patres duas causas assignant.

382. — I. *Prima et fundamentalis causa hujus inæqualis gratiarum distributionis, est profundissima et sapientissima voluntas Dei,* qui ad ædificationem et ornatum cœlestis civitatis Jerusalem, singulis suas gratias dividit prout vult. Sicut enim sapiens architectus in ædificando templo, neque omnibus lapidibus æqualem assignat locum, neque omnes sculptoris manu æqualiter exornat, omnes tamen lapides ad eamdem structuram et ad unum decorem totius templi ordinat, ita et Deus in ædificanda cœlesti civitate Jerusalem. Omnibus quidem hominibus Deus concedit gratias sufficientes, ut tanquam pretiosi lapides in ædificationem istius templi intrare valeant; sed aliquos præ cæteris pretiosius exornat, qui in structurâ perfectius resplendeant.

« Prima causa hujus diversitatis, *ait S. Thomas,* accipienda est ex » parte ipsius Dei, qui diversimode suæ gratiæ dona dispensat ad hoc » quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiæ con- » surgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit ut esset univer- » sum perfectum. Unde Apostolus (Ephes. IV, 12), postquam dixerat: » *Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi,* » enumeratis diversis gratiis subjungit: *Ad consummationem sanctorum* » *in ædificationem corporis Christi.* » *(1. 2, q. 112, a. 4).*

Et *S. Prosper:* « Altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, » cujus inscrutabilia sunt judicia et investigabiles viæ, sic semper » misericordiam suam et justitiam temperavit, ut secretissima æterni » consilii voluntate, noluerit in omnibus temporibus super omnes gene- » rationes, aut super omnes homines æquales donorum suorum esse » mensuras. » *(De Voc. Gent., L. 2, c. 9. M., 51, c. 694).*

383. — Cur autem Deus istum potius quam illum ad nobiliorem locum in ædificatione cœlestis civitatis eligat, et uberioribus gratiæ donis cumulet, consilium est supremi Architecti, et non alia suppetit ratio, quam verba Christi Domini, *(Matth. XI, 26): Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.*

« Quæ causæ sint, *ait S. Prosper*, harum sub eadem gratia dis- » similitudinum, quæve rationes, sanctis Scripturis non loquentibus, » quis loquetur? Et cum in eis scientia Pauli Apostoli a disputatione » transeat ad stuporem *(Rom. II, 33)*, cujus erit tanta præsumptio, » qui hæc disserendo existimet aperienda, potius quam miranda. » *(Loc. cit.)*.

Et *S. Augustinus:* « Si ad illam profunditatem scrutandam quis- » quam nos coaretet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem » non ita; duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat: » *O altitudo divitiarum*, (Rom. XI, 33); et: *Numquid iniquitas apud* » *Deum*, (Id. IX, 14)? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, » sed caveat, ne inveniat præsumptiores. » *(De Spir. et litt., c. 34. M., 44, c. 241)*.

Nobis sufficiat ratio, quam indicat *Salvianus:* « Satis mihi sit pro universis rationibus auctor et ordinator Deus: auctor in iis quæ facit; ordinator in iis quæ permittit. » *(De Gubern. Dei, L. 3, n. 1. M., 53, c. 56)*.

Et *S. Fulgentius:* « Sat est ergo nobis, et in his qui salvantur, gra- » tuitam Dei misericordiam, et in his qui condemnantur, veram Dei » justitiam sine dubitatione credere, et corde contrito atque humi- » liato misericordiam Domini judiciumque cantare. » *(Epist., 17, c. 28. M., 65, c. 486)*.

384. — II. *Altera causa hujus inæqualis distributionis gratiarum, est inæqualis cooperatio uniuscujusque hominis, vel hujus cooperationis totalis absentia.*

« Si quæris, *inquit S. Thomas*, quare unus magis habet de gratia » quam alter? Dico, quod hujus rei est causa proxima, et causa prima. » Proxima est major conatus istius quam illius. Causa prima est » electio divina. » *(In Matth., c. 25)*.

Quamvis primaria et fundamentalis radix inæqualis gratiarum distributionis sit inscrutabile divinæ sapientiæ consilium, divina tamen providentia in donorum suorum distributione duas leges, licet non infallibiliter, ordinarie tamen sequitur.

Altera quidem lex est: *Fidelis usus alicujus gratiæ plerumque in causa est, quare novæ atque uberiores gratiæ concedantur.*

Altera autem lex est: *Ex abusu gratiæ frequentius consequitur, ut ejusdem generis gratiæ parcius concedantur* [1].

Quam duplicem legem prænuntiavit Dominus in parabolâ de talentis, dum dixit, (Luc. XIX, 26): *Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit; ab eo autem qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.*

« Hinc theologi, *ait Cornelius a Lapide*, sumpsere suum illud » axioma: *Facienti quod in se est, Deus non deest*, nec denegat gra- » tiam, cui, si strenue cooperetur, majorem addet semper et majorem, » usque ad donum perseverantiæ et gloriæ. » *(In Matth., c. 25, v. 29).*

» Deus, *inquit S. Thomas*, non dat gratiam homini, nisi utatur » illa; et ideo quando quis per negligentiam gratia sibi data non » utitur, Deus aufert illi, ut patet de talento, Luc. XIX: *Auferte ab » eo mnam, et date illi qui decem mnas habet.* » (In Ps. 38, v. 1).

S. Augustinus: « Illa est peccati pœna justissima, ut amittat quis- » que quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet: » id est autem, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid re- » ctum sit; et qui recte facere cum posset, noluit, amittat posse cum » velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, » ignorantia et difficultas. » *(De Nat. et gr., c. 67. M., 44, c. 287).*

S. Prosper: « Deus... quibusdam mentibus non exspectata profe- » ctuum mora, totum simul quidquid collaturus est, invehit... Multo » tamen crebior, multoque numerosior pars illa hominum est, cui par- » ticulatim quidquid superna largitas donat, accrescit; ut conferen- » dorum munerum causæ, de his quæ sunt collata, pariantur. » *(De Voc. Gent., L. 2, c. 11. M., 51, c. 696).*

Innocentius I: « Adjutorio quotidiano nos egere, negare non pos- » sumus. Hoc enim *seu bene vivimus provocamus*, ut melius sanctius- » que vivamus; seu prave sentientes a bonis avertimur, ut ad rectam » redeamus viam, ejus auxilio plus egemus. » *(Epist. ad Episc. Concil. » Carth., n. 4. M., 20, c. 585).*

Henricus Gandavensis: « Quia iste per liberum arbitrium bene se » habet ad primam gratiam, Deus dat ei secundam, et similiter, quia » se bene habet ad secundam, dat ei tertiam, et sic deinceps usque » ad gloriam, in qua est finis. » *(Quodlib. 8, q. 5; fol. 307, verso).*

[1] Cf. *Lessius*, De Perfect. div., L. 13, cap. 12 et seq.; p. 382. (Edit. Lethielleux). - *Driedo*, De Captiv. et Redempt. gen. hum., Tr. 5, cap. 3, concl. 4ª; fol. 128.

S. Alphonsus: « *De propitiato peccato noli esse sine metu.* (Eccl. V, 5). « His verbis, *inquit S. Doctor*, Spiritus Sanctus nos monet ut de » peccato timorem habeamus. Curnam vero ille timor, si peccata sunt » jam condonata? Timere semper debemus, quia, licet culpa sit re- » missa, semper superest obligatio pœnas temporales exsolvendi, inter » quas sæpe invenitur divini subtractio adjutorii. Qua de causa Sancti » sua peccata, etsi levia et jam condonata, indesinenter plangere so- » lebant: timebant enim semper ne in eorum pœnam Deus ipsos pu- » niret subtractione gratiarum ad salutem necessariarum. » *(Vera sponsa, c. 5, n. 7).*

Hac de re tractans, ait *Tanner:* « Solet communiter Deus, pro sua » pietate, absque tamen certa et infallibili lege, tanto fere uberiora » auxilia gratiæ excitantis homini conferre, quanto quisque collatis » melius usus fuerit: ut in hoc genere habenti detur ad abundantiam, » et fidelis servus supra multa constituatur, Matth. XXV, 23. Quin » etiam juxta Augustinum, *(De Nat. et gr., c. 6)*, potest homo etiam » nondum justificatus, post primam gratiam excitantem, aliquo modo » se disponere ad sequentes, quæ ulterius necessariæ sint, recipiendas, » si quod in se est, cum illa faciat, maxime petendo et orando. » *(De Gr., q. 1, dub. 3, n. 43; p. 1125).*

385. — Adductis testimoniis aperte constat Deum iis, qui gratiis concessis bene utantur, majora ordinarie conferre auxilia, quibus ad sanctitatis fastigium ascendant; iis verò, qui collatis gratiis vel nullo modo, vel tepide tantum utantur, ordinarie parciora in dies conferre adjutoria, donec obcæcati et obdurati a Deo tandem derelinquantur. Hæ duæ leges aliquatenus explicant cum vitam Sanctorum, quorum *semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem,* (Prov. IV, 18); tum vitam reproborum, quorum *fructus ad peccatum est.* (Loc. cit.).

Quapropter, ut ait *Marsilius ab Inghen:* « Valde periculosum est » hujusmodi tractibus non obedire vel negligenter circa eos se ha- » bere, et magnum peccatum contravenire. Patet: quia sunt tractus et » consilia divinæ sapientiæ misericorditer trahentis ad bonum. Unde » contravenientibus dicit Sapientia divina (Prov. I): *Convertimini ad » correctionem meam; en proferam vobis spiritum meum, et ostendam » verba mea. Quia vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non » fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpatio- » nes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo et sub- » sannabo, cum vobis quod timebatis advenerit, cum irruerit repentina*

» *calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit.* » *(In II Sent., q. 18, a. 1; fol. 296, verso).*

386. — Summâ igitur curâ cuique vigilandum est, ut gratiis quibuscumque, sive magnis sive parvis, optimo quo potuerit modo, semper utatur. Et cum nemo sit his in terris, qui mundus sit ab omni peccato, « nemo itaque, *inquit Lessius*, securum se putet, sed *cum timore* » *et tremore*, ut Apostolus monet, *salutem suam operetur*, pristinas » negligentias novo fervore redimens, et priora peccata quibus Deum » offendit, magnis pro gloria Dei et salute proximi officiis compensans, » et assiduis precibus veniam et misericordiam flagitans. Sicut enim » peccatis meruit ut Deus ei peculiaria quædam auxilia subtraheret, » et tentationes aliquas, spiritualesque afflictiones obvenire sineret: » ita studio bonorum operum, et orationis assiduitate obtinere potest, » ut noxiæ tentationes avertantur, et majora auxilia, quibus ad sa- » lutem dirigatur aptissime, conferantur. » *(De perfect. div., L. 13, c. 15; p. 396).*

Cura gratiis collatis bene utendi et vitandi peccata ex hac etiam consideratione accrescere debet, quod collatio gratiarum specialium, quibus homines ad salutem indigent, a Deo juxta prædeterminatam mensuram conceditur, quæ mensura eadem non est pro omnibus; et ipse peccatorum numerus, quæ Deus unicuique condonare decrevit, statutâ quadam mensurâ regulatur.

387. — Inde sequitur, hominem, postquam vel gratiis juxta statutum numerum abusus fuerit, vel determinatum numerum peccatorum expleverit, justo Dei judicio derelinqui, nec peccatorum veniam amplius consecuturum, nec amplius selectas et speciales gratias recepturum. « In gratiis, quas Deus nobis dispensat, *inquit S. Alphonsus*, » adest determinata mensura, quâ impletâ, omni ulteriori gratiæ clau- » ditur janua. Necesse est igitur ut multum timeamus, ne ullam gra- » tiam, quam Deus elargitur, in vacuum recipiamus: fieri enim potest » quamlibet gratiam, quodlibet lumen, quamlibet excitationem esse » ultimam, quam Deus immittat; quam si despexerimus, perditi eri- » mus... Hæc mensura eadem non est pro omnibus: pro aliis major, » pro aliis minor existit. » *(Via salutis, Consid. 71. Cf. Præp. Mort., Consid. 18).*

Quoniam verò cuique ignota maneat mensura gratiarum aut peccatorum pro se determinata, quilibet semper sedulò obtemperare debet Apostolo dicenti, (II Cor. VI, 1): *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

SECTIO QUARTA.

DE MODO QUO OPERATUR GRATIA, SEU DE CONCORDIA EFFICACITATIS GRATIÆ CUM LIBERTATE CREATA.

PRÆNOTANDA.

388. — Nulla in sacrâ theologiâ existit quæstio, de quâ inter theologos acriores exortæ sint disputationes quam ea, quæ in hac quartâ Sectione tractanda occurrit. Agitur quippe de re admodum difficili, de concordiâ scilicet libertatis cum infallibili gratiæ efficacitate; quam conciliationem perdifficilem, imò nobis imperviam judicavit ipse Doctor gratiæ, S. Augustinus.

« Ista quæstio, *inquit*, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratiâ disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum » arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei » gratia, liberum arbitrium putetur auferri. » *(De Grat. Chr., c. 47. M., 44, c. 383)*. Et: « Laborant homines invenire in nostrâ voluntate, » quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo: et quomodo inveniri possit, ignoro... Ipsa etiam ratio, quæ de iis rebus a talibus, » quales sumus, iniri potest, quemlibet nostrum quærentem vehementer » angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre » videamur; rursus, ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superbâ » impietate ingrati Dei gratiæ judicemur. » *(De peccat. merit., L. 2, c. 18. M., 44, c. 168)*.

Proinde, « nihil difficilius in sacrâ theologiâ, *ait Paulus a Conceptione*, quam componere usum expeditum libertatis creatæ cum » auxilio ex se et ab intrinseco efficaci... Et quamvis in materiâ hac » adeò ex se difficili desudarint tot ingeniorum culmina ex utriusque » scholæ, jesuiticæ nempe et thomisticæ, professoribus, puto tamen » materiam hanc manere insolutam, et tantum in futurâ beatitudine » revelandam. » *(Tr. 13, disp. 3, dub. 2; p. 180. Cf. Cajetan., In P. 1, q. 22, a. 4)*.

389. — Antiquiores theologi, cum eorum temporibus sopiti essent Pelagii errores, necdum exstarent novæ hæreses, quæ sæculo XVI liberum negaturæ erant arbitrium sub motione gratiæ efficacis, de

prædictâ concordiâ tractatus speciales non exaravêre: fide cognoverant tum cuilibet homini concedi sufficientem gratiarum copiam, quibus posset salvari; tum gratiam suum effectum infallibiliter sortiri; tum liberum arbitrium sub influxu gratiæ salvum intactumque remanere; atque in hac tranquillâ veritatis possessione tutò quiescentes, ulterius de modo, quo hæc omnia inter se conciliantur, inquirere supervacaneum judicaverunt, eamque rem tanquam soli Deo notam habuerunt.

Exortis verò Lutheri atque Calvini hæresibus, qui tum gratiam sufficientem, tum liberum arbitrium expunxerunt, theologi orthodoxi, catholicæ veritatis defendendæ causâ, de concordiâ efficacitatis gratiæ cum libero arbitrio specialius tractare cœperunt; et sicut in rebus obscuris et admodum absconditis fieri assolet, in oppositas ruerunt sententias: exinde diversa systemata de modo, quo operatur gratia.

390. — Plura, ut infrà fuse dicetur, apud theologos catholicos hac de materiâ vigent systemata; duo verò sunt celebriora, Thomistarum scilicet et Molinistarum, quæ, sibi omninò opposita, ansam præbuerunt disputationibus acerrimis, ex studio partium potius quam veritatis amore exortis. Postquam enim Molina, ad componendum usum expeditum libertatis cum efficaciâ gratiæ, librum, cui titulus *Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis, divinâ præscientiâ*, etc., evulgavit, an. 1588, in quo nova quædam et eatenus in scholis inaudita protulit, ipsum Thomistæ acriter impugnare cœperunt; adeoque paulatim incaluit disputationis æstus, ut S. Sedes, motos animos sedandi causâ, litem ad suum tribunal evocaret. Inde institutæ sunt celebres illæ *Congregationes de Auxiliis*, in quibus coram Clemente VIII. et Paulo V. famosissimi utriusque scholæ theologi decertarunt, donec tandem die 6ª Martii 1606, ultimâ congregatione finitâ, sed causâ adhuc injudicatâ, Paulus V. partes dimiserit cum injunctione *ut in hujusce argumenti tractatione nullus partem alterum notâ aliquâ vel censurâ notare audeat*[1]. Et sic adhuc sub judice lis est.

Ne autem theologi amore prædictæ concordiæ novas suscitarent discordias, novasque lites moverent, severe prohibuit Paulus V., die 24ª Julii 1612, ne quisquam deinceps in lucem ederet librum de divinis auxiliis tractantem, nisi sua scripta prius misisset ad S. Inquisitionem Romanam ea examinandi causâ, ad tollenda scilicet scandala et dissensiones, quæ occasione operum de Auxiliis oriebantur

[1] Vide litter. Pauli V, apud Lemos, Hist. Congr. de Aux.; p. 1361.

in Ecclesiâ. Quam prohibitionem renovavit *Urbanus VIII.*, die 22ª Maii 1625, et die 1ª Augusti 1641 [1].

Pontificiis jussionibus ut obtemperarent, theologi qui de Gratiâ ineunte sæculo XVII scripsêre, quæstionem de gratiâ sufficiente et efficaci prætermiserunt, ut videre est apud *Curiel* [2], *Montesinum* [3], *Gonet* [4], *Muniessa* [5], *Gabriel a S. Vincentio* [6], etc. Verum, cum, labentibus annis, animorum æstus non parum deferbuisset, theologi, sciente et non contradicente S. Sede, hanc quæstionem ventilare iterum aggressi sunt, et jam diu cuique integrum est suas de eâ edere lucubrationes, obtentâ tamen prius debitâ approbatione juxta Regulas *Indicis*.

391. — Quæstio de modo, quo gratia operatur, intimam habet connexionem cum doctrinâ de scientiâ Dei, de voluntate Dei salvificâ, de prædestinatione et reprobatione, de concursu Dei cum operatione causarum secundarum, de spe christianâ. Quocircà, licet primo intuitu tota videatur speculativa, ad praxim tamen pro animarum regimine magnopere spectat; et pro systemate diverso, quod quisque circa gratiam amplexus est, diversam etiam methodum, si sibi non velit contradicere, tam in prædicatione quam in animarum directione, tenere necessariò debet. Quâ de causâ S. Alphonsus, qui totus erat in sanctificandis animabus, opportunum judicavit suam hac de controversiâ sententiam aperire. Idcircò, quid in hac insolubili quæstione probabilius videatur, duce S. Alphonso, fuse exponemus.

Alphonsum, Ecclesiæ Doctorem, ducem sequentes, in hac arduâ materiâ tuto pede procedere possumus. Cum enim S. Doctor, ut omnibus notum est, totam vitam saluti animarum procurandæ impendisset; cum ipse in dictis SS. Patrum atque theologorum esset versatissimus, et contra Jansenistas semper dimicaret, et post exortas controversias de Auxiliis scriberet; cum insuper nullius scholæ præjudicatis opinionibus esset imbutus, ipse ex omni parte instructus exstitit, ut systema eligeret et proponeret, quod aliis foret cum speculative probabilius, tum practice longe utilius, ac proinde præ cæteris commendandum. Prætereà, inter omnes Ecclesiæ Doctores unus existit Alphonsus, qui systema de modo operandi gratiæ et concinnate proposuerit, et argumentis fulserit: ex quo ejus opinioni non parva accedit auctoritas.

[1] Cf. *Ripalda*, De Ente Supern., Tom. 3, disp. 24, sect. 2; p. 588. — [2] In q. 111; dub. 2, § 4; p. 904. — [3] Disp. 31, q. 5; p. 812. — [4] De Grat., Disp. 3, n. 32; p. 743. — [5] De Grat., Disp. 11; p. 219. — [6] De Grat., Disp. 8, n. 14; p. 240.

392. — Priusquam verò ad ipsa systemata accedamus, præmittere juvat regulam generalem, juxtà quam judicium de quolibet systemate ferendum sit. Quâ regulâ statutâ, ipsa systemata ex propriis suis patronis exponentur, examinique subjicientur.

Norma dijudicandi systemata. Cum in hacce disputatione de re ordinis supernaturalis agatur, in eâ non tam principiis philosophiæ, quam principiis fidei innitendum est. Inter philosophiam et fidem nulla quidem potest esse dissensio, imò et philosophia fidei multum inservit. Attamen, mysteria fidei ita sunt supra rationem, ut hæc per se sola neque fidei veritatem attingere, neque eam explicare valeat. Qui igitur ex philosophiâ ad præsentem quæstionem dirimendam præcipua sua argumenta peteret, hic falsam prorsus et periculis plenam iniret viam.

Et licet homo his in terris intrinsecam mysterii rationem perscrutari nequeat, attamen « ratio fide illustrata, *ait Concil. Vatic., Const.* » *Dei Filius, cap. 4*, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam, Deo » dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam asse- » quitur, tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e » mysteriorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo. »

Jamverò, multas fidei veritates tenemus, ex quarum nexu inter se et cum fine hominis ultimo, quid in hac quæstione tanquam probabilius tenendum sit, dijudicari posse videtur.

Ex fide cognoscimus: Deum velle seriò omnes homines salvos fieri; providentiam divinam fines suos fortiter simul et suaviter attingere; ac proinde dari gratiam infallibiliter efficacem, et hominis tamen libertatem sub motione gratiæ efficacis perfectam atque integram servari; existere gratiam vere et relative sed mere sufficientem; quemlibet hominem ita posse salvari, ut ipsi soli adscribendum sit, si salutem non obtineat; quemlibet sub gravi teneri sperare salutem, etc.

Porrò, cum inter dogmata fidei nulla possit esse dissensio, veritasque veritati non opponatur, ex enuntiatis veritatibus inter se collatis, sequentes ad dijudicanda systemata de modo operandi gratiæ colligere licet regulas:

I. Omne systema, in quo gratiæ efficacia ita explicatur, ut vel gratiæ necessitas tollatur, vel humana libertas sub motione gratiæ certò auferatur, vel altera ex veritatibus revelatis evidenter pessumdetur, pro falso et hæretico est habendum.

II. Systema, in quo una alterave ex revelatis veritatibus salva subsistere non posse videatur, pariter est respuendum, non quidem

ut falsum, sed tanquam minus probabile, præsertim si ejus sit naturæ, ut in praxi animas in viâ salutis retardare possit.

III. Illud verò præ aliis tanquam probabilius est admittendum systema, in quo, speculative loquendo, omnes supradictæ veritates ita perfecte subsistunt, ut nulla appareat læsa; et quod, practice loquendo, ejus est naturæ, ut animas ad perfectionis studium promoveat, et ad salutem adipiscendam maximopere inducat.

393. — Divisio hujus Sectionis. — De modo operandi gratiæ Jansenius doctrinam undequaque hæreticam protulit; quare ejus asserta imprimis sunt refutanda: quod in primo præstabitur capite.

In quæstione de efficaciâ gratiæ Doctores catholici in tria dividuntur castra. Alii efficaciam ita gratiæ intrinsecam esse dicunt, ut ad omnia opera plene deliberata, quantumvis levia et facilia, semper necessaria sit gratia ab intrinseco efficax, quæ nempe jam in actu primo infallibilem habeat connexionem causalitatis cum effectu. Hic militant *Thomistæ* et *Augustiniani rigidiores.*

Alii ex opposito omnem gratiam ab intrinseco efficacem respuunt, et ad omnia opera, quantumvis gravia et difficilia, solam requirunt gratiam, quæ ab extrinseco efficaciam in actu secundo obtinet. Hic militant *Molinistæ* et *Congruistæ.*

« Hi, *ait Joannes Mariana, S. J.*, libertatem nostram tuentur, illi » gratiæ dignitatem, sine quâ neque opus salutare inchoamus, neque » complemus. Utrumque si jungeretur salutari aliquo temperamento » consultius esset, quam inter se convitio et linguæ petulantiâ pugnare, » quasi priores novis Lutheri placitis faveant... Posteriores accusantur » quasi Pelagium sequantur, nostris viribus tribuentes bona quæ fa- » cimus. certe complementum (sine quo quid alia sunt?) dent nobis, » neque totum opus adscribant gratiæ. Inter hæc duo præcipitia medii » tutissimi vadunt, qui supra gratiam quidem sufficientem addunt » efficacem: negant tamen ab illâ voluntatem ullâ necessitate cons- » tringi. » *(De Morte et Immortalitate, L. 3, cap. 8; p. 436)* [1].

Amborum igitur placita salutari temperamento jungentes, alii, id est, *S. Alphonsus*, et ante eum tota fere *Schola Sorbonica*, et *Augustiniani mitiores*, mediâ viâ incedunt, et docent: ad opera difficiliora requiri gratiam ab intrinseco suapteque naturâ efficacem; ad faciliora verò, et præsertim ad orationem, solam prærequiri com-

[1] Exstat hoc opus in volumine cui titulus: *Tractatus VII.* Septimus tractatus est *De Morte et Immortalitate;* in-fol., Coloniæ Agrippinæ, 1609.

munem seu sufficientem gratiam, quæ omnibus conceditur. Agemus igitur:

In **Cap. I,** de systemate Jansenii.
In **Cap. II,** de systematibus Thomistarum.
In **Cap. III,** de systemate Augustinianorum rigidiorum.
In **Cap. IV,** de systemate Molinistarum.
In **Cap. V,** de systemate Congruistarum.
In **Cap. VI,** de systemate Scholæ Sorbonicæ Sanctique Alphonsi.

CAPUT I.

DE SYSTEMATE JANSENII [1].

394. — Jansenius efficacitatem gratiæ reponit in delectatione relative victrici, in delectatione scilicet quæ majores vires habet quam delectatio prava, quæ ad malum sollicitat. Juxta ipsum:

1° Humana voluntas per peccatum Adami omni propriâ virtute et libertate fuit prorsus spoliata, adeò ut, nisi aliquâ moveatur delectatione, torpens omninò et iners maneat, neque ad bonum aut malum possit pro libitu deflectere.

« Cum non possit motus nisi ab immobili fieri, *inquit Jansenius,* » suavitas illa (cœlestis) immobilem quodammodo reddit animum, ut » possit in motum liberum spiritualis voluntatis ac delectationis erum- » pere. Ex quo consequenter fit ut si illa desit, voluntas veluti torpens » ac mortua nihil omninò boni amplecti possit: quemadmodum etiam » e contrario, nihil in carnalibus diligendis prosequi potest, nisi quod » eam antea delectaverit. » *(De Grat. Christi, L. 4, c. 7; p. 177).* Et: « Nihil aliud existimamus quam cognitionem ac delectationem, seu » delectabilem objecti complacentiam, esse id quod tantam potestatem » in liberum arbitrium habet, ut eam faciat velle aut nolle, seu, ut » ea præsente actus volendi sit reipsa in ejus potestate, absente non » sit. » *(De Gr. Chr., L. 7, c. 3; p. 309).*

2° Cum voluntas solâ delectatione possit moveri, gratia, quâ Deus hominem ad bonum sollicitat, necessariò consistit in supernâ suavi-

[1] Cf. *S. Alph.,* Hist. hær., P. 2, Confut. 13; p. 459; et Magn. orat. med., P. 2, c. 3; p. 691. - *Tournely,* De Grat., q. 3; p. 229. - *Montan.,* De Grat., Disp. 7, a. 3; p. 284.

tate, in cœlesti delectatione, quâ Deus voluntatem in bonum inclinat. « Non aliter posse moveri voluntatem ad bonum, *ait Jansenius*, nisi » quia delectatur bono, quia dulcescit, quia arridet et placet: qua » delectatione et complacentiâ si destituitur, velle nullo pacto potest. » *(De Grat. Chr., L. 7, c. 3; p. 311).* — « Nullam esse gratiam operandi » præter istam suavitatem Dei, etc. » *(Loc. cit., L. 4, c. 10; p. 184).*

3° In homine lapso non datur nisi duplex delectatio: *cœlestis* et *terrena*. Amor naturaliter honestus non existit; nec datur delectatio, quæ media sit inter cœlestem delectationem et pravam concupiscentiam. Proinde, quoties homo agit, agit necessariò vel virtute cœlestis delectationis, et opus ejus erit bonum supernaturaliter; vel virtute pravæ concupiscentiæ, et opus ejus erit peccatum. *Cf. dicta n. 35.*

4° Quando, urgente præcepto vel vigente tentatione, conceditur gratia, voluntas ex unâ parte sollicitatur ad bonum delectatione cœlesti; ex alterâ verò parte, ad malum delectatione terrenâ. Et cum voluntas per se nullas habeat vires ad resistendum, trahitur ab eâ delectatione, quæ relate ad oppositam majores vires possidet, seu plures gradus virtutis habet. Quod si eveniat utramque delectationem easdem possidere vires, atque trahere voluntatem æquali vigore, voluntas, utpote quæ nullas vires habeat ad se determinandam ad unam partem potius quam ad alteram, ob illud æquilibrium virium anceps hæret et iners, usquedum cesset ille conflictus delectationum per victoriam unius de oppositâ; eaque erit victrix, quæ crescendo alteram gradibus superaverit. Sic, v. gr., si in utraque stateræ lance æquale pondus posueris, statera in perfecto æquilibrio remanebit; si verò uni lanci gravius pondus imposueris, æquilibrium rumpetur, et statera in eam partem, in quâ majus reperitur pondus, necessariò trahetur.

« Ille conflictus delectationum, *ait Jansenius*, sopiri non potest, » nisi altera alteram delectando superaverit, et eò totum animi pondus » vergat. *Quod enim amplius delectat, secundum id operemur necesse* » *est*... Quamdiu in hac vitâ post acceptam gratiam (voluntas) militat » Deo, alternante creaturæ et Creatoris delectatione, nunc recte, nunc » perperam facit, prout cœli aut terræ delectatio consensum ejus abri- » puerit. » *(De Gr. Chr., L. 4, c. 9; p. 183).* Et: « Esse in homine » luctam quamdam duarum delectationum, noxiæ et beneficæ, ter- » renæ atque cœlestis, quarum utralibet vicerit, animum secum con- » sentientem ac pronum habet. » *(De Gr. Chr., L. 4, c. 4; p. 173).*

« Esse necessariam istam delectationis divinæ gratiam, quando » cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, » ut nisi major fuerit quam terrena, qua noster affectus detinetur,

» fieri non possit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major » enim delectatio nunquam sane delectatione minore superabitur, sed » eam sequetur animus, quæ magis eum afficiendo suavitate deti- » nuerit. » *(De Gr. Chr., L. 4, c. 6; p. 175).* — « Delectatio victrix, » quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est » victrix quando alteram superat. Quod si contingat alteram arden- » tiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec » efficaciter unquam volet quod volendum est. » *(De Gr. Chr., L. 8, c. 2; p. 344).*

Ex citatis Jansenii testimoniis compertum est, gratiam suum effectum sortiri, non propter virtutem aut energiam suam absolutam, quam in se possidet, sed propter virtutem aut energiam suam relativam, seu propter suum excessum supra oppositam concupiscentiam terrenam. Et cum omnis gratia sit necessariò quædam delectatio, sequitur, efficacitatem gratiæ consistere in delectatione relative victrici, sicut ipse Jansenius disertis verbis affirmat.

Propositio.

Systema Jansenii de efficacitate gratiæ falsum est et hæreticum.

395. — Prob. 1° Illud systema est hæreticum, quod gratiam efficacem necessitantem inducit, et consequenter voluntatis libertatem sub motione gratiæ penitus tollit. Atqui tale est systema Jansenii circa gratiæ efficacitatem. Enimverò: Ea gratia est necessitans, quæ supponit voluntatem destitutam verâ et proprie dictâ resistendi potentiâ. Porrò, juxtà Jansenium, quandò adest gratia efficax, voluntas destituitur verâ et proprie dictâ resistendi potentiâ. Voluntas enim, cum per se nullam vim electivam habeat, sed omnem suam virtutem a delectationibus accipiat, positâ cœlesti delectatione majori, non habet ad resistendum nisi vires inferiores ex delectatione terrenâ. Sed, sicut ipse fatetur Jansenius *(Cf. ejus verba supra relata)*, physice impossibile est ut vires inferiores, quæ agunt ut inferiores, efficaciter superioribus viribus resistant easque vincant; fieri enim nequit aliquid agere supra gradum suæ activitatis. Igitur, positâ gratiâ efficaci per superioritatem relativam, omninò impossibile est ut voluntas ei resistat, sed ab eâ necessariò trahitur; non secus ac necessariò trahitur ea pars stateræ, in quâ majus ponitur pondus [1].

[1] Cf. *S. Alph.*, Appendix: De modo, quo gratia operatur, n. 131 et ss., T. 1, p. 524.

Quam gratiæ virtutem necessitantem agnovit ipse Jansenius: « Jus-» titiæ vel peccati delectatio, *inquit*, est illud vinculum quo liberum » arbitrium in justitiâ vel peccato ita firmiter ligatur et retinetur, ut » quamdiu isto stabiliter possidetur et constringitur, actus oppositus » sit extrà ejus potestatem, ita videlicet, ut arbitrium non liberatum » eum velle non possit. » *(De Grat. Chr., L. 7, c. 5; p. 315)*. Ergo, juxtà Jansenium, præsente gratiâ efficaci, actus malus ita est extrà voluntatis potestatem, ut ipsum ne velle quidem possit; sicut etiam, absente eadem gratiâ, actus bonus ita est extra ejus potestatem, ut ipsum velle nequeat.

396. — Prob. 2° Illud systema est hæreticum, quod gratiam vere et relative sed mere sufficientem e medio tollit. *(Cf. n. 84)*. Atqui tale est systema Jansenii. Ea enim gratia dici nequit vere et relative sufficiens, quæ nullâ ratione hominis consensum elicere potest. Porrò, positâ terrenâ delectatione majori, impossibile est, sicuti ex modò dictis constat, ut delectatio cœlestis minor voluntatem trahat effectumque obtineat.

« Hinc claret, *ait Jansenius*, cur Augustinus omnem omninò gra-» tiam pure sufficientem, sive ante fidem sive etiam post fidem au-» ferat. Ratio enim perspicua est, quia cum ei nulla sit gratia ope-» randi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei » delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alter-» nante delectationum fluctu, in medio remanebitur; sin autem ista » superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur. *Quod enim » amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* Sed utrum-» libet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, » ex qua operatio ne quidem possit sequi, nisi ejus inefficacia per » aliam suppleatur. » *(De Grat. Chr., L. 4, c. 10; p. 184)*.

397. — Prob. 3° Illud systema est tanquam hæreticum abjiciendum, ex quo necessariò fluunt hæretica consectaria. Atqui tale est systema Jansenii: ex ipsius enim principio de delectatione relative victrici fluunt quinque illæ famosæ propositiones, quæ tanquam hæreticæ a S. Sede fuerunt reprobatæ, sicuti supra jam notatum est, *n. 34 et ss.*

398. — Prob. 4° Falsum est systema, quod falsis superstruitur fundamentis. Porrò, tale est systema Jansenii. Etenim:

a) Ponit Jansenius duplicem tantum dari delectationem, cœlestem et terrenam; amorem verò naturaliter honestum, ex quo procedere posset actio naturaliter honesta, nullum existere. Quæ doctrina falsa est omninò.

b) Ponit voluntatem humanam peccato Adami omnibus viribus et potentiâ electivâ fuisse destitutam. Docet verò Tridentinum, peccato Adami voluntatem seu liberum arbitrium fuisse quidem infirmatum et inclinatum, non verò penitus exstinctum, nec omni virtute exspoliatum.

c) Ponit voluntatem solâ delectatione moveri posse, proinde gratiam solâ delectatione operari. Sed, sicut infrà fusius dicetur, voluntas aliis etiam motivis moveri potest et sæpe movetur; et gratia non in solâ delectatione consistit.

d) Fundatur hoc systema etiam in male intellectâ illius S. Augustini sententiâ: *Quod amplius delectat, secundum id operemur necesse est. (In Gal., n. 49. M., 35, c. 2141).* Jansenius eam ampliorem delectationem pro indeliberatâ et antecedente accipit; S. Augustinus verò pro deliberatâ et consequente ad liberam voluntatis determinationem. « Hic autem meminerimus, *ait S. Alphonsus*, Jansenium non » loqui de deliberatâ seu consequenti delectatione; quandoquidem » idem cum eo sentirent omnes doctores Catholici; sed de delectatione » non deliberatâ. Ubi enim deliberata est delectatio et sine necessitate, » sed libere a voluntate acceptata. necesse est profecto, voluntatem » juxta delectationem operari. Atque ita intelligendum est pervul- » gatum illud S. Augustini: *Quod enim amplius nos delectat, secundum* » *id operemur necesse est.* Quæ verba necessario intelligi debent de » deliberatâ et consequenti delectatione. Jansenius vero, cujus doctrina » huic principio tota innititur, falso ea intelligit de delectatione in- » deliberatâ, quæ omnem præcedit voluntatis actum. » *(Magn. orat. med., P. 2, c. 3, n. 4; p. 692).*

CAPUT II.

DE SYSTEMATIBUS THOMISTARUM.

Duplex in scholis thomisticis adest systema de modo, quo gratia suum operatur effectum, *commune* scilicet quod fere unanimiter a Thomistis propugnatur; et *speciale*, quod pauci quidam amplexi sunt. Utrumque exponemus. Unde in ART. I de systemate communi, et in ART. II de Thomistarum systemate speciali sermo erit.

ARTICULUS I.

DE COMMUNI SYSTEMATE THOMISTARUM [1].

399. — Thomistarum systema commune non a Doctore Angelico, sicut ultrò fatentur Thomistæ, sed a Dominico Bannez, sæculo XVI, juxta principia, ut ait, D. Thomæ concinnatum fuit. Tanquam fundamento nititur in principio metaphysico, scilicet: Deum esse primam causam et motorem universalem, a quo omne ens et omnis actio venire debent.

Duplicem Thomistæ, non secus ac alii theologi, adstruunt gratiam, sufficientem scilicet et efficacem.

400. — I. **De Gratiâ sufficiente.** Gratia sufficiens, (quam etiam vocant *excitantem, vocantem, gratiam possibilitatis*), a Thomistis definitur: « *Gratia quæ confert homini facultatem bene agendi, ultra quam ut bene agat, aut bene utatur hac facultate, requiritur altera validior, scilicet efficax.* » (Billuart, Diss. 5, a. 4. T. 3, p. 138).

Eorum sententiâ, gratia sufficiens ordinatur tantum ad conferendum *posse agere*, non verò *ipsum agere;* ipsius est dare actum primum, seu facultatem operandi, non autem actum secundum, seu ipsum operari. « De ratione auxilii sufficientis duo sunt, *ait Lemos:* alterum, quod per » illud bene operari possit homo; alterum quod non habeat efficaciam, » ut de facto faciat hominem operari. » (*Panopl., Tr. 2, c. 10, n. 123; p. 34*).

Hac gratiâ munitus, homo est in potentiâ ad agendum, *potest agere*, si vult; sicut habens oculum est in potentiâ ad videndum, *potest videre.* « Auxilium sufficiens, *inquit Lemos*, tribuit voluntati posse bene ope- » rari ad hunc sensum, quod voluntas redditur per ipsum potens ad » bene operandum si vult, vel obtinet per illud potentiam et proxi- » mam facultatem et possibilitatem ad bene operandum, si vult. » *(Tr. 3, c. 3, n. 31; p. 41).*

Sed quia « posse agere et actu agere multum differunt, » [2] et « plura sunt necessaria, ut quis actu operetur, quam ut possit operari » [3], ut homo agat de facto, imò ut velit agere, necesse est ut

[1] Cf. *S. Alph.*, Cont. hær., Sess. VI, Appendix, n. 102; T. 1, p 517. - *Gotti*, De Gr., q. 2, dub. 4. T. 9, p. 129. - *Lemos*, Panoplia, L. 4, Tr. 3. T. 4, p. 36. - *Alvarez*, De Auxiliis. - *Zumel*, Variæ disput., T. 3, disp. 4; p. 49. - *Philipp. a SS. Trin.*, De Grat., disp. 2, dub. 8. T. 2, p. 470. - *Wenzl*, De Grat., Controv. 3 et 4; p. 80. - *Gazzaniga*, De Grat., diss. 6; p. 344. - *Cabrera*, In P. 3, q. 18, a. 4, disp. 6, dub. 3 et 4; p. 415. — [2] *Philipp. a SS. Trinit.*, p. 472. — [3] *Alvarez*, De Auxil., disp. 69, n. 4; p. 530.

gratia efficax superveniat, quæ eum ad agendum applicet, et de potentiâ reducat in actum; sicut habens oculum indiget lumine, ut de facto videat. Quæ si desit gratia efficax, impossibile est hominem de potentiâ agendi transire ad actum deliberatum, quantumvis parvum, ne ad actum quidem orandi; sed gratiæ sufficienti infallibiliter et ineluctabiliter resistet.

« Hominem posse quidem, absolute loquendo, *ait Alvarez,* recte » uti gratiâ sufficiente; nunquam tamen eâ de facto utetur, nisi adju- » vetur a Deo: nam auxilium gratiæ adjuvantis non est necessarium, » ut cum gratiâ sufficiente revera possit quis pie operari, si velit, sed » ut de facto velit. » *(Disp. 102, n. 6; p. 671).*

Et *Lemos:* « Auxilium sufficiens... importat quod ex Deo ita sit » sufficiens ad aliquid, quod per illud possit homo, si velit, illud ope- » rari, numquam tamen de facto id operabitur, nisi amplius adjuvetur, » sed semper illi impedimentum et resistentiam præscribit homo, sem- » perque ex defectu suo. » *(Tr. 3, c. 1, n. 11; p. 37).* Et:

« Fieri non potest, ut quis non resistat auxilio sufficienti, nisi am- » plius ab efficaci adjuvetur, quod tollat illam resistentiam et faciat » hominem non resistere; nam non resistere auxilio sufficienti, etiam » negative sumptum, bonum est et salutare. Unde ab homine solo » haberi nequit: sed ex necessitate dicendum id ex Deo homini dari » per auxilium efficax. » *(Tr. 3, c. 4, n. 36; p. 42).*

Et *Billuart:* « Pro certo tenemus, quod ut homo gratiæ sufficienti » non desit, eique consentiat, requiratur gratia efficax. » *(De Grat., diss. 5, a. 4; p. 140).*

401. — Igitur, etsi gratia sufficiens sit vere sufficiens in genere suo, et possit dici efficax relate ad actus indeliberatos, attamen relate ad actus deliberatos ex se solâ est inefficax, nec proxime et immediate sufficiens, nec habet quod tribuat actu operari, nec est principium completum operationis; quapropter inter ipsos Thomistas reperiuntur, qui eam simpliciter vocant gratiam *inefficacem* [1], aut qui fatentur eam non esse auxilium complete sufficiens, et non satis congrue vocari auxilium sufficiens [2].

« In gratiâ sufficienti, *ait Gazzaniga,* totum id continetur, quod » ad potentiam bene operandi exigitur, non autem id totum, quod » ulterius requiritur ad actum, ad quem necessaria est gratia per se, » et ingenitâ suâ vi efficax. » *(Cap. 4, n. 204; p. 474).*

[1] Ita *Alvarez,* Disp. 73; p. 510 et 512. — [2] Apud *Lemos,* Tr. 3, c. 2, n. 13 et 14; p. 38.

Zumel: « Dico de auxilio gratiæ Dei sufficienti: quod in suo ge-» nere constituit potentiam in actu primo supernaturali respectu finis » ad quem ordinatur, sed non constituit potentiam in ultimâ actua-» litate, neque in actu primo omninò adæquato et completo. » *(Sect. 2; p. 65).*

Alvarez: « Gratia sufficiens non habet per se, quod tribuat actua-» liter operari actum illum, cujus comparatione dicitur sufficiens. » *(Disp. 73, n. 4; p. 512).*

Lemos: « Auxilium sufficiens... habet omnia requisita ut princi-» pium operativum in potentiâ sit, licet non habeat requisita omnia » ut sit principium actualiter operans: et hujus comparatione imper-» fectum est negative. Cum ergo dicitur auxilium sufficiens non esse » complete sufficiens, distinguenda propositio est: non est sufficiens » in ratione auxilii sufficientis, id est, in ratione sufficientiæ, seu pos-» sibilitatis, seu principii in potentiâ operativi, negandum est; non » est sufficiens, id est habens requisita omnia, ut sit actualiter prin-» cipium operans, concedendum. » *(Tr. 3, c. 2, n. 21; p. 39).*

402. — II. **De Gratia efficaci.** Gratia efficax, (quam Thomistæ etiam vocant *adjuvantem*), est « *ea quæ infallibiliter infert consensum, et facit non solum ut possimus velle et operari, sed etiam ut de facto velimus et operemur.* » (Gonet, Disp. 3, a. 3; p. 741).

Hæc gratia, juxta omnes Thomistas, virtute sibi intrinsecâ voluntatem in potentiâ ad agendum positam, ad actum deliberatum movet et applicat, eam physice præmovendo; et, juxtà plures, antequam voluntatem ad actum applicet, ipsam prius in ratione potentiæ seu actûs primi complet, ita ut quod deerat ex parte potentiæ a gratiâ sufficiente datæ, illud per gratiam efficacem compleatur.

« Gratia sufficiens, *ait Gotti*, dat posse proximum et expeditum » in ratione potentiæ; quia licet, ut exeat in actum, requirat gratiam » efficacem, hanc tamen requirit, non ut det vel compleat potentiam, » sed ut potentiam conjungat cum actu. » *(Q. 2, dub. 4, n. 14; p. 132).*

Wenzl: « Gratiæ efficacis proprium et unicum munus est, causam » secundam applicare, et determinare ad operandum, illamque consti-» tuere in ratione principii activi, consequenter potentiæ operativæ » non potest tribuere *posse* in ordine ad aliquem actum, elevando et » complendo illam in actu primo. » *(Q. 1, n. 193; p. 84).*

Alvarez: « Auxilium efficax esse necessarium per modum prin-» cipii, seu ultimi complementi actûs primi. Unde sine illo datur qui-» dem auxilium simpliciter sufficiens ad conversionem vel piam ope-

» rationem; non tamen omnibus modis sufficiens. » *(Disp. 91, n. 14; p. 610).*

Lemos: « Duplex officium et munus exercet Deus per talem effi» cacem gratiam: primum est præbere animæ efficaces vires ad con» sentiendum Deo vocanti, et exercenti, complendo ejus virtutem, et » illam reducendo in actum primum ad agendum. Secundum est sic » roboratam animam per vires ei præstitas efficaciter promovere et » applicare, ut ipsa libera voluntas libere se moveat et determinet in » actu secundo. » *(Tr. 4, c. 12, n. 147; p. 125).*

403. — Gratia efficax recipitur tum in intellectu tum in voluntate; utraque enim facultas per illam virtuosam motionem, in quâ gratiæ efficacis essentia consistit, a Deo præmovetur et ad actum applicatur.

« Quamvis autem (gratia efficax) sit, et dicatur divina virtuosa » motio, *ait Lemos*, non tamen est intelligendum unam tantum realem » motionem esse, quia duplex realiter distincta est; altera se tenens » ex parte intellectûs, et quâ Deus intellectum supernaturaliter movet; » et altera voluntati impressa, qua voluntatem excitat et adjuvat. » Sicut ergo duplex potentia est, voluntas et intellectus, et realiter » inter se distinguuntur; ita necesse est, quod divina motio, qua Deus » utramque movet, et quæ in utraque recipitur, etiam realiter distincta » sit: sed dicitur una virtuosa motio, quia adintegratur et completur » ex utraque una supernaturalis virtuosa motio, sive unum completum » adjutorium efficacis gratiæ, quâ Deus voluntatem facit bene ope» rari. » *(Tr. 4, c. 12, n. 150; p. 125).*

404. — Deus per gratiam efficacem dupliciter animam præmovet: *prædeterminatione* scilicet *morali*, per propositionem objecti, per quam Deus voluntatem excitat, attrahit, suadet, ut bonum opus peragat; et *prædeterminatione physicâ*, quâ Deus voluntatem prævie, physice, et active ita ad agendum applicat, ut actus infallibiliter sequatur, illæsâ tamen manente voluntatis libertate [1].

Vi hujus physicæ præmotionis, gratia efficax habet cum effectu infallibilem, imò et metaphysicam connexionem causalitatis, adeò ut, positâ illâ gratiâ, impossibile sit effectum non sequi.

« Prædeterminatio moralis, *inquit Alvarez*, quæ se tenet ex parte » objecti et finis, est necessaria ad supernaturales actus eliciendos... » Datur de facto auxilium efficax physice prædeterminans liberum » arbitrium ad actus supernaturales. » *(Disp. 91; p. 604).* Utramque

[1] Cf. *Philipp. a SS. Trinit.*, Disp. 3, dub. 3; p. 475. - *Zumel;* p. 111 et ss.

hanc conclusionem multis probat argumentis, *(loc. cit.)*. — Quam præmotionem physicam in gratiâ efficaci omnes Thomistæ strenuè tuentur, tanquam inconcussam veritatem, et ad supremum Dei dominium prorsus necessariam.

« Impossibile est in sensu composito, *ait idem cl. Auctor*, quod » motus a Deo auxilio efficaci ad consentiendum, dissentiat auxilio » gratiæ, vel illud abjiciat. » *(Disp. 92, n. 7; p. 616)*.

Wenzl: « Nomine gratiæ ab intrinsecò efficacis intelligimus illam, » quæ non exspectato voluntatis creatæ libero consensu, talis est na- » turæ, ut ex intrinsecis suis principiis eumdem infallibiliter inferat, » ac cum eo metaphysicam habeat connexionem. » *(Quæst. 2; p. 104)*.

405. — III. **Necessitas gratiæ efficacis.** Gratiam efficacem Thomistæ necessariam dicunt ad quodcumque opus, quantumvis leve, reapse ponendum; quia excitans per se sola nunquam homini tribuere potest ut exeat in actum. Hanc insuper gratiam necessariam prædicant, tam pro statu naturæ lapsæ, quam pro statu naturæ integræ. Ejus necessitatem pro statu naturæ integræ ex solo titulo dependentiæ creaturæ a Factore suo deducunt; pro statu verò naturæ lapsæ ejus necessitatem cum ex titulo dependentiæ, tum ex titulo infirmitatis ex peccato contractæ desumunt [1].

Præter testimonia ex SS. Scripturis et Traditione petita, quæ et nos infra referemus *(n. 516 et ss.)* ad necessitatem gratiæ ab intrinseco efficacis stabiliendam, provocant Thomistæ præsertim ad argumenta metaphysica, ad dependentiam scilicet entis creati a suo Creatore.

Deus, inquiunt, est Primum Movens, a quo omnis motus venire debet; sed si Deus voluntatem creatam physice non prædeterminaret ad opus per auxilium efficax, hominis actio non foret a Deo, sed ab ipso homine: quod dependentiam causæ creatæ a causâ primâ destrueret [2].

Præterea, Deus est Primum Ens, et Causa omnis entitatis. Jamverò actio et potentia agendi sunt duæ entitates distinctæ. Proinde, sicut potentia agendi est a Deo per auxilium sufficiens, ita etiam ipsa actio debet esse a Deo per auxilium efficax physice præmovens; secus destrueretur dependentia entitatis creatæ a Primo Ente.

406. — IV. **Relatio gratiæ efficacis cum sufficiente.** *a*) Gratia efficax gratiam sufficientem semper præsupponit, saltem prioritate

[1] Cf. *Bill.*, Diss. 5, a. 2, § 2; p. 130. - *Gotti*, Q. 2, dub. 5, § 3, n. 21; p. 138. — [2] Cf. *Alvarez*, Disp. 18 et 19. - *Wenzl*, Contr. 4, q. 1, § 2; p. 109.

naturæ; et hoc quidem ex dispositione divinæ providentiæ, quæ omnia suaviter regens, in ordine tam naturali quam supernaturali, cuique prius dat potentiam agendi antequam ad actum moveat [1]. Jamverò, ut ex dictis constat, munus auxilii efficacis est vel movere tantum potentiam ad actum, vel, secundum quosdam, complere prius potentiam et deinde movere ad actum; auxilium verò sufficiens dat ipsam potentiam in actu primo. Sed nihil movet aut complet aliud, nisi hoc jam præexistat, saltem prioritate naturæ.

Auxilium efficax, *ait Wenzl*, « necessariò et essentialiter debet » præsupponere potentiam activam elevatam, et completam in actu » primo, seu constitutam in ratione principii solummodo habitualis, » seu potentis ad agendum. » *(Q. 1, n. 193; p. 84).*

Et *Lemos:* « Est ergo efficax gratia illa adjuvans quæ præsup- » ponit excitantem, cui ob efficaciam suam facit consentire infallibiliter. » *(Tr. 4, c. 12, n. 146; p. 125).*

b) Homo gratiâ sufficiente munitus potest, si velit, operari; quod si non operetur, ex ipsius culpâ est, quod nolit. — Cum gratiâ sufficiente semper offertur efficax, quam Deus iis omnibus dat, qui gratiâ sufficiente bene utuntur, nec ei impedimentum opponunt; iis verò, qui impedimentum objiciunt, ob hanc eorum culpam juste denegat.

« Deus, *inquit Lemos*, tribuens auxilium sufficiens, in eo offert » efficax; et quia homo resistit sufficienti, privatur efficaci quod sibi » offerebatur... Ista ergo instantia rationis distinguenda sunt in hac » parte. Primò Deus dat auxilium sufficiens. Secundo in collatione » sufficientis auxilium efficax homini offert. Tertio homo suâ pravâ » voluntate sufficienti resistit. Quarto in pœnam ob talem culpam » Deus hominem privat efficaci. » *(Tr. 3, c. 6, n. 78; p. 51).*

Zumel: « In hominis potestate est habere auxilium efficacis gra- » tiæ, quoniam si homo non fuerit rebellis, neque resisteret sufficienti » auxilio, neque præstaret impedimentum aliquod, tum Deus hominem » promoveret, et conferret efficax auxilium gratiæ suæ; et hæc pen- » dent ex libertate voluntatis, sine qua neque homo fuisset rebellis, » neque præstaret impedimentum, neque resisteret; et idcirco libere » et suâ culpâ illo caret. » *(pag. 76. — Similia sæpius repetit Zumel, v. gr., pag. 57, 68, 88, 98).*

407. — V. **Œconomia salutis.** Ex istius systematis expositione perfecte intelliguntur ea, quæ dicunt Thomistæ de prædestinatione salutisque œconomiâ.

[1] Cf. *Gotti*, Q. 2, dub. 4, § 1, n. 8; p. 130.

A. Deus, inquiunt, ante quæcumque prævisa merita, decreto absoluto decrevit hunc vel illum hominem esse salvandum; et gradum gloriæ, ad quem quisque perventurus est, simul designavit. Qui eo modo ad gloriam electi sunt, vocantur *prædestinati;* qui verò ad gloriam non sunt electi, vocantur *reprobi reprobatione negativâ.*

B. Quâ electione factâ, Deus gratias efficaces ad prædeterminatum gradum gloriæ proportionatas prædestinatis præparat, easdemque eis dare decernit. Quæ gratiæ, suapte naturâ efficaces, et voluntatem ad opus physice præmoventes, effectum infallibiliter consequuntur, et efficiunt ut homo merita gradui gloriæ proportionata reipsa acquirat. Prædestinatorum igitur salus est infallibili consecutione reapse futura, et ut talis a Deo in prævio ejus decreto infallibiliter cognita.

C. Illis verò, qui ad gloriam electi non sunt, Deus præparat et concedit gratias sufficientes, quæ dant *posse salvari;* gratias autem efficaces, sine quibus non datur το *ipsum salvari*, non concedit; ac consequenter reprobi reprobatione negativâ, licet possint salvari, infallibiliter tamen salvi non erunt.

DIFFICULTATES.

In systemate Thomistarum gratia efficax omninò salvatur, et perfectissime intelliguntur tum illa omnipotentia, quâ Deus corda hominum, quocumque voluerit, inclinat; tum divinæ Providentiæ certitudo atque infallibilitas. Multæ tamen et gravissimæ eidem objiciuntur difficultates.

408. — I. *In hoc systemate destruitur, vel saltem destrui videtur notio gratiæ vere sufficientis.* Etenim:

« Ea tantum gratia, *ait Petrus a S. Joseph,* dicitur absolute et » vere sufficiens ad aliquam operationem, quæ sufficit non tantum ut » homo dicatur utcumque posse operari, sed etiam ut actu operetur, » si velit,... quia cum potentia ordinetur ad operationem, et non nisi » propter illam detur, ex communissimo hominum sensu et usu, ille » non dicitur habere facultatem vere et proxime sufficientem ad ali- » quid agendum, qui caret principio aliquo prorsus necessario ut actu » operetur; sic enim homo, verbi causâ, non aliter dicitur habere suf- » ficientem et proximam potestatem ad videndum, nisi quia habet » quidquid requiritur ut actu videat, si videre velit. Illa igitur gratia » sola dicenda est vere et proxime sufficiens ad conversionem, quæ

» non solum sufficit ut homo converti possit, sed etiam quæ sufficit » ut actu si velit convertatur, non exspectato ullo alio complemento, » ex parte ipsius gratiæ sufficientis, ad actualem operationem intrin- » secè requisito. » *(Idea theol. specul., L. 4, c. 7, resol. 2; p. 417. Cf. ejusdem* Tract. theol. de Grat., *Disp. 7, sect. 4; p. 344).*

Atqui, juxta Thomistas, gratia sufficiens *non habet per se, quod tribuat actualiter operari actum illum, cujus comparatione dicitur sufficiens* [1]; *nec se sola sufficit proximè ad actum* [2]; *in eâ non id totum continetur quod requiritur ad actum* [3]; *nec habet requisita omnia ut sit actualiter principium operans* [4]; sed ex parte principii necessaria est prædeterminatio physica, sive per modum complementi potentiæ, sive tantum per modum applicationis potentiæ; quæ necessitas tantâ est, ut *fieri non possit ut quis non resistat sufficienti, nisi amplius ab efficaci adjuvetur* [5], et repugnet dari consensum vel operationem absque illâ physicâ prædeterminatione [6]. Ergo gratia sufficiens, quam ponunt Thomistæ, non videtur esse vere sufficiens ad actum, ad quem datur.

Ab hac difficultate ut se expediant, Thomistæ nullum non movent lapidem. Respondent:

409. — 1° Prædictum argumentum, si pure grammaticaliter loquamur, apud grammaticos vim habere, non autem apud philosophos et theologos [7]. Sed, ait *Lemos:* « In hac parte non attendendum est ad » puram grammaticalem vocabuli significationem, sed ad theologorum » et catholicorum usum; purus enim grammaticus illud dicit sufficiens, » ultra quod nihil aliud requiritur. At theologi ex eo vocant auxi- » lium sufficiens, quia homo per illud redditur sufficienter potens ad » operandum si voluerit, etiamsi, ut de facto operetur, alio indigeat. » *(Tr. 3, c. 2, n. 15; p. 38)* [8].

Resp. In hac parte certe non attendendum est quid sentiant grammatici, sed quid sentiant theologi et catholici. Porrò, antiquiores scholastici omnes non aliam agnoverunt gratiam excitantem præter illam, quacum homo potest quædam bona actu operari; sufficientia verò auxilia in sensu thomistico prorsus ignoravere. « Veterum theologorum, » *ait Thomassinus*, nemo attigit sufficientia illa auxilia, quorum ef- » fectus nunquam est ullus,... omnibus ea placuere sufficientia auxilia,

[1] *Alvarez*, Disp. 73; p. 512. — [2] *Puig et Xarrié*, n. 574. — [3] *Gazzaniga*, n. 204. — [4] *Lemos*, Tr. 3, c. 2, n. 21; p. 39. — [5] *Lemos*, Tr. 3, c. 4, n. 36; p. 42. — [6] *Gibbon*, Disp. 34, dub. ult., n. 7; p. 442. — [7] Ita *Lemos*, Tr. 3, c. 5, n. 59; p. 46. — [8] Ita etiam *Gazzan.*, n. 211; p. 479. - *Billuart.*, Diss. 5, a. 4, obj. 1ª; p. 139.

» quibus assentitur quandoque voluntas, quandoque non assentitur ». *(Theol. dogm., Tom. 3, Consensus Schol., P. 2).* Idem testatur et probat *Duplessis d'Argentré*, Doctor Sorbonicus, in sua dissertatione *De Multiplici genere gratiarum*, præsertim pag. 30, 33, 41.

Recentiores verò theologi omnes, qui post exortas controversias *de Auxiliis* scripserunt, (modo excipias Thomistas et Augustinianos rigidiores), omnesque fideles, illud auxilium vocant insufficiens ad opus, cui ex parte principii aliquid deest, ut opus reapse ponatur; non secus ac omnes dicunt hominem non habere auxilium sufficiens ad actu videndum, qui, licet oculos sanos habeat, positus tamen est in densissimis tenebris, e quibus se nequit eripere. Igitur non solum a grammaticis, sed a majori parte theologorum et ab omnibus catholicis, exceptis solis Thomistis, gratia sufficiens thomistica habetur ut omnino insufficiens [1].

410. — 2° **Aiunt:** Gratiam sufficientem, licet dare non possit ipsum operari absque efficaci, esse tamen omninò sufficientem in genere suo, « quia nimirum ad possibilitatem agendi, quam tribuit, nihil aliud » desideratur. Gratia enim, de quâ hìc agitur, dicitur sufficiens non » simpliciter et absolute, sed in linea possibilitatis, seu potentiæ, » actûs primi. Ut autem eâ in lineâ sufficiens apte dicatur, satis est, » si nihil aliud requiratur ad possibilitatem, seu ad potentiam in » actu primo. » *(Serry, Præl. theol., Præl. 3; p. 19)* [2].

Resp. Gratia sufficiens est vere sufficiens in genere suo, in ratione scilicet potentiæ, seu possibilitatis, *conc.;* sed dicimus præcise illam sufficientiam non esse vere sufficientem ad auxilium theologice vere sufficiens. Auxilium enim gratiæ proportionari debet fini, ob quem datur; gratia autem datur non tam ad posse agere, quam ad ipsum agere; datur enim ad implendum id quod Deus jubet. Jamverò Deus non jubet ut possimus facere, sed ut vere faciamus. Ergo et gratia ordinari et proportionari debet ad ipsum actuale operari. Proinde, omne auxilium, quod se solo non sufficit ut actus ponatur, sed quod ad actualem operationem aliud sibi expostulat auxilium, est auxilium per se omninò insufficiens. Sed gratia sufficiens Thomistarum ejus est naturæ, ut, nisi superveniat gratia efficax, quæ sufficientem

[1] Præter theologos Soc. Jesu, cf. *Gibbon*, Disp. 34, dub. ult.; p. 442. - *Ysamb.*, In q. 111, D. 5, a. 1; p. 412. - *Gamach.*, In q. 111, cap. 6; p. 383. - *Duval*, De Gr., q. 5, a. 2; p. 407. - *Tournely*, De Gr., q. 7, a. 4, concl. 4; p. 544. - *Caspens.*, Disp. 3, sect. 8; p. 527. - *Frassen.*, Disp. 2, a. 3, sect. 4; p. 235. - *Mascarenh.*, Disp. 1, P. 6ª; p. 94; et disp. 2, P. 2, n. 12; p. 122. — [2] Ita etiam *Lemos*, Tr. 3, c. 2; p. 39. - *Zumel*, p. 59. - *Gazzan.*, n. 216; p. 481.

compleat, aut saltem ad actum determinet, impossibile sit homini vel minimum actum deliberatum ponere.

411. — 3° **Aiunt:** Eam gratiam esse vere sufficientem, saltem remote, quæ, licet non sufficiat ad opus ponendum, sufficit tamen ad uberiorem gratiam obtinendam, quacum opus ponatur. Jamverò, habens gratiam sufficientem, potest habere efficacem. Ergo sufficiens in sensu thomistico est saltem remote vere sufficiens.

Resp. Omnes theologi, Thomistis et Augustinianis exceptis, gratiam remote sufficientem eam vocant, ex cujus bono usu homo, pro arbitrio suo, a Deo impetrare potest validiorem gratiam, quâ ad opus peragendum indiget; sic, v. gr., gratia orationis dicitur remote sufficiens ad gravem tentationem superandam, quia mediante oratione elicitâ vi solius gratiæ sufficientis orandi, homo, si vult, uberiora auxilia efflagitare potest. Porrò hujusmodi non est gratia remote sufficiens thomistica, ut ipsimet Thomistæ fatentur. « Arbitrium nostrum, *ait* » *Alvarez*, a Deo motum et excitatum non potest aliquid facere, quo » gratiam adjuvantem et efficacem consequatur. » *(Disp. 102, n. 7; p. 671).*

Gratia verò remote sufficiens, ipsorum sensu, est gratia quæ dat posse agere, et suscitat indeliberatos quosdam motus pios in intellectu et in voluntate; quibus si homo non resistit, accipit efficacem; sin verò resistit, efficax ei juste denegatur. Sed hìc Thomistæ verbis ludere videntur. Etenim:

Secundum Thomistas, *consentire gratiæ sufficienti, eâ bene uti, vel ei non resistere*, ita est effectus gratiæ efficacis, ut absque eâ absolute haberi nequeat. « Ut homo gratiæ sufficienti non desit, *inquit Bil-* » *luart*, eique consentiat, requiritur gratia efficax. » *(Diss. 5, a. 4; p. 140).* — « Consensus vocationi est gratiæ efficacis effectus. » *(Gazzan., n. 223; p. 485).* — « Quod homo respondeat gratiæ sufficienti venit » ex gratiâ efficaci. » *(Zumel, p. 66).* — « Ad actualem bonum usum » gratiæ excitantis requiritur gratia efficax. » *(Alvarez, Disp. 97, n. 14; p. 643).* — « Fieri non potest ut quis non resistat sufficienti, nisi am- » plius ab efficaci adjuvetur, quod tollat istam resistentiam, et faciat » hominem non resistere. » *(Lemos, Tr. 3, c. 4, n. 36; p. 42).*

Ex alterâ verò parte affirmant Thomistæ, Deum dare gratiam efficacem iis, qui sufficiente bene utuntur, nec ei resistunt; iis verò denegare, qui resistunt. Ergo efficax gratia non datur, quia homo sufficienti resistit; et homo sufficienti resistit, quia efficax data non est: Quod quid aliud est nisi ineptus verborum lusus?

412. — Hinc ut sese expediant, dicunt: Voluntatem, etsi non possit absque gratiâ efficaci consentire sufficienti, posse tamen propriis viribus eidem libere deesse, et ob hunc peccaminosum dissensum juste privari efficaci. « Ut illi (sufficienti) desit, *ait Billuart, (loc. cit. p. 140)*, » ut illi resistat, ut peccet, non requiritur gratia efficax, sed sufficit » defectiva ejus voluntas; et quia illa resistentia, istud peccatum præ- » cedit naturâ et ordine privationem gratiæ efficacis, ideò verum est » dicere hominem privari gratiâ efficaci, quia peccando sufficienti re- » sistit; non verò peccare, quia privatur gratiâ efficaci. »

Verùm, hæc responsio effugium est, non autem difficultatis solutio. Gratiâ enim sufficiente semel concessâ, homo non potest remanere indifferens, sed necessariò aut ei consentit aut resistit. Si deest gratia efficax, consentire nequit, quia *fieri non potest*, ut ait Lemos, *ut quis non resistat sufficienti, nisi amplius ab efficaci adjuvetur;* ergo denegatio efficacis naturâ et ordine præcedit actum dissensûs. — Præterea, absente gratiâ efficaci, quia homo nequit remanere indifferens, necessariò sufficienti resistit, et non potest non resistere. Porrò, nemo culpandus est de re, quam vitare non potuit, teste prop. 67 damnatâ Baii: *Homo peccat etiam damnabiliter, in eo quod vitare non potuit. (Denz., n. 947).* Ergo illa resistentia, etsi voluntaria, quia tamen necessaria, nequit dici libera, teste prop. 39 damnata Baii: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. (Denz., n. 919).* Proinde illa resistentia nequit esse culpabilis, nec causa cur non detur gratia efficax.

His adde, quod secundum prædeterminatores, quandò homo resistit gratiæ sufficienti, a Deo movetur præmotione physicâ saltem ad entitatem materialem illius resistentiæ; positâ autem Dei præmotione, sicuti ipsimet fatentur, impossibile est ut homo non ponat actum ad quem movetur, et in casu, ut non resistat. Unde dicendum est, Deum, concessâ gratiâ pure sufficiente, hominem simul præmovere ad resistendum, et denegare auxilium efficax, quo solo posset gratiâ excitante bene uti, et simul punire hominem propter illam resistentiam per privationem auxilii efficacis. Quod quomodo cum divinâ sanctitate et justitiâ possit conciliari, difficile est cernere.

413. — 4° Hac difficultate pressi, concedunt quidam Thomistæ denegationem auxilii efficacis præcedere resistentiam hominis; sed, addunt, denegatur efficax ob præcedens peccatum. « Aliquo tamen » sensu etiam dici potest, *ait Gazzaniga*, denegationem gratiæ effi- » cacis præcedere hominis resistentiam, quatenus Deus voluntate effi- » caci non vult nostram resistentiam vincere, cujus quidem causa in

» impiis est peccatum vel actuale, vel saltem originale, in justis pec- » cata venialia, sine quibus et ipsi non vivunt. » *(N. 227; p. 487).*

Sed etiam hæc responsio deficit. Quæritur enim ab his Thomistis quodnam peccatum in Angelis in causâ fuerit, cur eis denegata sit gratia efficax, quandoquidem et pro Angelis valet doctrina thomistica. — Et in Adamo innocenti, in quo non fuit peccatum originale, nec esse potuit veniale antequam peccaret mortaliter, ut fatentur ipsimet Thomistæ, quodnam peccatum assignari potest, in cujus pœnam privatus est auxilio efficaci? — Item, in homine justo, quando primum peccatum veniale committit ob defectum gratiæ efficacis, quodnam peccatum assignari valet, ob quod non accipit gratiam efficacem? Certe, non peccatum originale, quia, ut ait Tridentinum, *in renatis nihil odit Deus;* nec peccatum aliquod actuale, quia agitur de primo peccato actuali, in quod cadit ob defectum gratiæ efficacis?

414. — Quocircà aliqui Thomistæ ingenue fatentur, Deum sæpius denegare auxilium efficax unice quia sibi placet. « Si loquamur de » subtractione auxilii efficacis, *ait Medina*, aliquando (Deus) sub- » trahit illud propter peccatum: unde sequitur quod homo non con- » vertitur. Sed non semper causa hujus subtractionis est peccatum, » sed aliquando sola divina voluntas. » (*In q. 109, a. 10, ad 3; p. 603*). — Idem affirmat Estius, *in I. Sent., D. 41, § 18; p. 164.*

415. — II. *Secunda difficultas, quæ systemati Thomistarum opponitur, in eo sita est, quod peccatum homini non possit imputari.*

« Reus vocari nequit is, *inquit S. Alphonsus*, qui ideò præceptum » non servat, quia caret eâ re, quæ sibi ad præceptum servandum » absolute est necessaria. Sed in systemate præmotionis physicæ, quæ » ad actualem præcepti observantiam est necessaria, si quis gratiam » efficacem non habet, necessario auxilio caret. Præceptum igitur non » observans, reus dici nequit, quum ei desit auxilium, quod ad præ- » ceptum implendum necessariò requiritur. » *(App. n. 107; T. 1, p. 518).*

« Hoc argumentum, *inquit Gibbon*, adeò torquet prædetermina- » tores, ut teste Ledesma, lib. *de Auxiliis*, art. 14, ingenue fateretur » doctissimus M. Joannes Vincentius, illud esse indissolubile. » *(Disp. 34, dub. ult., n. 7; p. 442).*

Manifestata manet vis argumenti ex supra dictis de reali insufficientiâ gratiæ sufficientis thomisticæ. Etenim, sine gratiâ efficaci, sicut dicunt ipsimet Thomistæ, homo nullum opus actu ponere potest; et nihil etiam vi solius gratiæ excitantis facere potest, quo auxilium efficax obtineat: igitur, qui caret gratiâ efficaci, ille relate ad opus

implendum nec auxilium proxime sufficiens, nec remote sufficiens in suâ potestate habet. Et cum sine gratiâ præcepti impletio sit omninò impossibilis, neque ullus de ea re arguendus sit quam vitare nequit, hinc rigorose sequitur legis transgressionem non posse homini in peccatum imputari.

Istam difficultatem Thomistis jam obtrusit *Osorius*, medio sæculo XVI: « Qui Dei auxilium sufficiens, minime tamen efficax in- » ducunt, *inquit*, nos necessariò peccare, non tamen ad peccandum » cogi, quia non inviti peccamus, affirmant; fateantur enim, necesse » est, nos quidem posse, si velimus, officium tueri; non posse tamen » velle ullo modo, nisi Deus efficaci, ut dicunt, ope ad volendum » impellat. Quod cum non facit, efficitur, ut necessariò peccent, qui » peccant; quamvis non inviti peccent, quia non possunt velle pie- » tatis officio perfungi, eò quod efficaci ope deseruntur. » *(De Justitia, L. 19. Tom. 2; p. 407).*

416. — III. *Destrui videtur libertas humana.* « Omnium maxima » difficultas, *ait. S. Alphonsus*, in quam Thomistarum systema in- » currit, hæc est, quod, hoc systemate admisso, intelligi non posse » videtur, quomodo per prædeterminationem physicam gratiæ effi- » cacia cum voluntatis humanæ libertate perfecte possit conciliari. » *(App., n. 106. T. 1, p. 518).*

Quod enim voluntatis determinationem omninò antecedit, quod est independens a voluntatis determinatione, atque dependet a voluntate alterius, quodque cum nostrâ volitione connexionem metaphysicè certam habet, illud nostram libertatem destruere videtur. Atqui hujusmodi est gratia efficax physice prædeterminans. Etenim: *a*) Ipsa voluntatis nostræ determinationem antecedit: gratia efficax, juxta Thomistas, est principium nostræ volitionis, quam causat et efficit, applicando voluntatem ad actum. — *b*) Est independens a nostræ voluntatis determinatione, et pendet a solâ voluntate divina: nihil enim efficere potest homo, quo gratiam efficacem consequatur, cum ipsa ad omne opus jam prærequiratur; *præterea*, si quo modo dependeret a nostrâ determinatione, læderetur supremum Dei dominium, ut aiunt Thomistæ. — *c*) Habet cum nostrâ volitione connexionem metaphysice certam, cum, positâ gratiâ efficaci, impossibile sit hominem non moveri, aut gratiæ resistere. Ergo sub influxu gratiæ physice præmoventis libertas humana non videtur salva.

417. — Enuntiatam difficultatem eludere conantur Thomistæ recurrendo ad *sensum compositum et sensum divisum*. Aiunt: voluntatem

sub motione gratiæ efficacis non remanere liberam in sensu composito, bene verò in sensu diviso; et hoc sufficere ad libertatem omnimode salvandam. *Voluntas est libera in sensu diviso:* id est, voluntas mota a gratiâ conservat potentiam seu facultatem ad dissensum; gratia enim non aufert ipsam potentiam seu facultatem ad opposita; sic, v. gr., avis quiescens in ramo dicitur in sensu diviso posse volare, quia conservat potentiam volandi. — *Sed non est libera in sensu composito,* id est, non potest conjungere dissensum actualem cum motione gratiæ efficacis, sicut avis non potest in ramo quiescere et simul volare. Posito igitur quod voluntas moveatur a gratiâ efficaci, impossibile est quod conjungat dissensum, seu quod non operetur. Nam, ut ait *Lemos, (Tr. 3, c. 5, n. 69; p. 49):* « Hæc propositio: libe» rum arbitrium sic efficaciter motum et excitatum potest conjungere » dissensum cum Deo efficaciter movente, aperte composita est. » Quoties igitur voluntas a Deo efficaciter movetur, toties ei impossibile est ut dissentiat, vel non operetur, licet semper conservet potentiam resistendi.

418. — Sed illa distinctio sensûs compositi et divisi verbis Concilii Tridentini contradicere videtur. Ait enim Tridentinum *(Sess. VI, cap. 5), hominem inspirationem illam,* quâ scilicet vocatur ad justificationem, *abjicere posse;* et *(can. 4)* definivit: *hominem gratiæ dissentire posse, si velit.* In his autem Concilium aperte docet hominem, etiam motum gratiâ efficaci, posse illam motionem vere abjicere eique dissentire, seu posse eam rejicere quando reapse datur, ac proinde hominem esse liberum etiam in sensu composito. Igitur illa distinctio libertatem, quam Concilium expostulat, non satis salvat.

Præterea, admissâ distinctione sensûs compositi et divisi, sequitur hominem de facto in suis actibus nunquam esse liberum, nec in ordine naturali, nec in supernaturali. Cum enim homo absolute nihil actu agere possit, nisi præmoveatur, sequitur eum, absente præmotione, esse quidem perfecte liberum, sed libertate quâ uti nequeat, cum non possit aliquid actu agere; positâ verò præmotione, non esse liberum ad hic et nunc dissentiendum, sed necessariò agere, licet conservet in actu primo potentiam ad dissentiendum. Ac proinde, quoties agit, quia non agit nisi præmotus, toties necessariò agit, et non potest hic et nunc ab actione abstinere: motio enim illa prævia, teste *Lemos (ut supra)* et actualis dissensus sumuntur hic in sensu composito, in quo homo non est liber. Et sic sequitur hominem nullam unquam actionem vere liberam elicere.

419. — **Instant Thomistæ:** Negari non potest, Deum habere potestatem inclinandi voluntates quocumque voluerit; voluntatemque

sub illâ Dei motione remanere liberam; quia Deus quamlibet creaturam movet juxta ejus naturam, ac proinde liberam ut libere agat. Ergo sub præmotione physicâ intacta remanet libertas.

Resp. Concedendum est utique, Deum habere omnimodam potestatem inclinandi voluntates quocumque voluerit, voluntatemque humanam efficaci Dei motioni nunquam resistere. Quam ob causam gratiam ab intrinsecò efficacem admittendam esse censemus. Sed aliud est gratiam esse efficacem ab intrinsecò, et aliud ipsam agere præmotione physicâ. Unde ex eo quod Deus possit voluntatem efficaciter movere, illæsâ remanente libertate, non sequitur ipsam præmotionem physicam componi posse cum libertate; sed sequitur quod, quia physica præmotio non est compossibilis cum libertate creatâ, ideò Deus non movet voluntatem per præmotionem physicam, sed per motionem moralem, sicut infra fuse dicetur.

420. — IV. Celebris illa difficultas ex verbis Apostoli desumpta (I Cor. IV, 7): *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* quam Thomistæ Molinistis et nobis objiciunt [1], ipsos etiam, si sibi contradicere nolint, premit.

Docent: Deum gratiam efficacem iis concedere, qui sufficiente bene utuntur, aut ei non resistunt, aut ei impedimentum non apponunt; cæteris verò negare. « Si homo, *inquit Zumel*, non resistat (sufficienti), » recipiet gratiam efficacem... si homo recte utatur prioribus auxiliis » sufficientibus, de facto recipiet efficacem » *(pag. 57)*. « Si quis non » habet efficax Dei auxilium eo tempore quo tenetur converti, id sane » erit, quia ipse homo apposuit impedimentum aut obicem vel resistit, » neglectâ sufficienti gratiâ Dei » *(p. 88)*. — *Lemos:* « Deum esse pa- » ratum dare omnibus auxilium efficax, dummodo ipsi homines impe- » dimentum non ponant. » *(Tr. 3, c. 5, n. 72; p. 50)*. — *Alvarez:* « Quia » homo seipsum impedivit, ne daretur illi gratia adjuvans, ideo non » confertur. » *(Disp. 102, n. 3; p. 670)*. — *Cabrera:* « Si homo illo » (sufficienti) recte utatur, et non contradicat, dabitur illi auxilium » efficax. » *(Q. 18, a. 4, disp. 6, dub. 3, n. 62; p. 421)*. Et: « Si homo » non fuisset rebellis, nec auxilio sufficienti resisteret, Deus illi auxi- » lium efficax conferret. » *(Loc. cit., n. 110; p. 424)*.

Ergo, qui sufficienti gratiâ bene utitur, vel ei non resistit, aut impedimentum non apponit, ille se discernit ab eo qui resistit.

[1] Cf. *Salmant.*, Disp. 7, dub. 1, § 4; p. 11. - *Alvarez*, Disp. 97; p. 638. - *Lemos*, Tr. 3, c. 3, n. 29; p. 41. - *Cabrera*, Art. 4, disp. 6, dub. 4, n. 36; p. 429.

421. — Hanc difficultatem, *ait Alvarez, (Disp. 98, n. 1; p. 644)*, Scholastici ante ipsum non tractaverunt: quare ipse eam solvere suscipit. Alvarez hac in re comitem habet *Lemos, Tr. 3, c. 4; p. 42.* Dicunt igitur:

1° Prædictas propositiones non esse intelligendas *in sensu causali*, quasi sensus foret: quia homo vult bene uti, vel bene utitur auxilio sufficienti, Deus illi dat efficax. In hoc enim sensu falsæ sunt propositiones. « Hæc propositio causalis, *ait Alvarez*, est omninò falsa: « Quia homo præventus gratiâ excitante, vult consentire et cooperari, » ideo adjuvatur a Deo. » *(Disp. 99; p. 654)*. Quia « prima radix et » primum initium effectivum hujus boni usûs non desumitur ex libero » arbitrio, sed ex misericordiâ Dei, quæ per auxilium efficax fecit » active, proprie, seu physice, ut liberum arbitrium bene uteretur » eadem gratiâ, illi consentiendo. » *(Disp. 97, n. 14; p. 643)*.

Et *Lemos*, agens de propositione: *Quod si quis bene utatur auxilio sufficienti, illi Deus dabit efficax*, ait: « Si fiat sensus, fieri posse ho- » minem bene uti auxilio sufficienti, cui proinde Deus det efficax, » valde falsa erit, et damnatum continet sensum. » *(C. 4, n. 38; p. 43)*. — Falsa etiam est si « sensus sit, quod bene utenti auxilio sufficienti, » id est, illi non resistenti, ita tamen quod detur, quod ille homo ex » se ipso non resistat, et propterea illi Deus conferat auxilium efficax.» *(Loc. cit., n. 39)*.

2° Sed istas propositiones sumendas esse *in sensu conditionali*, ita ut sensus sit: Si per impossibile aliquis posset bene uti auxilio sufficienti, vel illi non resistere, Deus ipsi daret efficax. « Sensus magis » proprius in illâ propositione, *ait Lemos*, importat ut sit mere con- » ditionalis, ita ut nihil ponat in esse circa possibilitatem vel impos- » sibilitatem antecedentis, sed solum dicat bonam esse illationem inter » antecedens et consequens, taliter quod, licet fieri non possit, ut bene » utatur homo ex se auxilio sufficienti, tamen hoc incompossibili ad- » misso bene sequatur, quod si homo bene utatur auxilio sufficienti, » ei detur efficax. » *(Loc. cit., n. 40)*.

3° Si ulterius ab eis quæratur: An saltem resistentia, quam homo opponit gratiæ sufficienti, sit causa cur denegetur gratia efficax, respondent: Hanc resistentiam aliquo modo esse causam, quia Deus *post* resistentiam gratiam efficacem non confert; non esse tamen causam simpliciter, quia Deus non denegat efficacem gratiam *propter* resistentiam, sed unice quia non vult dare. « Licet in executione, *ait* » *Alvarez*, Deus non tribuat hominibus gratiam adjuvantem, propter » eorum præcedentem culpam, saltem originalem; in intentione tamen

» ante omnia demerita prævisa habuit voluntatem absolutam non dandi » reprobis gloriam, et consequenter nec auxilia efficacia. » *(Disp. 102, n. 7; p. 672).*

Bannez: « Deus, *inquit*, ab æterno statuit voluntate vel absolutâ » vel consequenti non dare omnibus supernaturalia auxilia, videlicet » iis, qui reverà non sunt recepturi. » (Q. 13, a. 3, concl. 9; p. 278).

Estius: « Quod Deus permittat hominem vel Angelum cadere in » peccatum quo Deum deserit, videlicet non præbendo auxilium effi- » cax, hoc non habet causam in ipsis. » *(In I. Sent., D. 21, § 18; p. 164).*

422. — Hæc Thomistarum responsio prædictam difficultatem tollit; sed meritò ab ipsis peti potest, quanam ratione possint tunc seriò affirmare, Deum dare gratiam efficacem iis, qui sufficienti bene utuntur, vel ei non resistunt, cum independenter ab omni usu vel abusu, et antecedenter ad eos, Deus statuerit voluntate absolutâ aliis efficacem concedere, aliis verò negare? — Peti insuper potest, in quo præcise hæc eorum doctrina a Calvini et Jansenii placitis discrepet? « Ex » theologis, *ait Mascarenhas*, ita nonnulli de efficaci loquuntur, ut » timendum sit, ne forte cum Lutheranis et Calvinistis non animo » quidem, sed sensu conveniant. » *(Disp. 1, P. 6, n. 12; p. 93).*

Quare, dum *Lemos, (Tr. 3, c. 1, n. 2; p. 36)* aliique Thomistæ non pauci Molinistis objiciunt, horum doctrinam de gratiâ sufficienti, cui homo absque efficacis auxilio vere correspondere possit, nihil aliud esse ac pelagianismum redivivum, Molinistæ æquo jure Thomistis obtrudunt, eorum dicta de gratiâ sufficienti a Calvini figmentis aut a gratiâ parvâ Jansenii non satis discrepare.

423. — V. *Destrui videtur seria Dei voluntas salvandi omnes homines.* — Cum homini impossibile sit gratiæ sufficienti consentire, vel ei impedimentum non apponere, nisi ejus voluntas a gratiâ efficaci præmoveatur, quam Deus omnibus non concedit; cum insuper gratias efficaces Deus electis concedat ex decreto absoluto eorum salutis, reprobis autem solam sufficientem concedat etiam ex voluntate absolutâ non dandi gloriam ante eorum prævisa demerita, non amplius apparet quomodo Deus velit seriò eorum salutem, quibus solam gratiam sufficientem concedit, quæ per se solam est necessariò inefficax, et cui, si sola datur, homo non potest non resistere, ut ex supra dictis constat.

424. — VI. *Destruitur orationis possibilitas.* — Nihil instantius in SS. Scripturis commendatur, quam orationis necessitas: Christus Do-

minus omnes ad orandum adhortatur; Apostoli ad Magistri exemplar omnes ad orationem provocant. Quocirca, si quod systema gratiam ita explicat, ut aliquibus dematur actualis orationis possibilitas, illud tanquam falsum, vel saltem valde suspectum est habendum. Atqui, hujusmodi est Thomistarum systema.

Docent quidem Thomistæ, nemini ablatum esse scire utiliter quærere, ut verbis utamur S. Augustini; omnesque posse cum gratiâ sufficiente orare, si velint. Sed, quod hìc verbis affirmant, illìc suis explicationibus negant. Gratia enim sufficiens orationis, sicut quælibet alia sufficiens, eorum sensu ea est, quæ dat solam orandi potentiam. Ut autem cum hac potentiâ aliquis oret, imò ut velit orare, necesse est ut altera gratia validior, efficax scilicet, superveniat, quæ voluntatem ad orandum physice determinet. Proinde, absente gratiâ efficaci, orandi potestas est per se solam irreductibilis ad actum. Sed gratia efficax multis non conceditur, cum multi non orent; in his igitur orandi potentia est irreductibilis ad actum, et quidem absque eorum culpâ; quia nihil facere possunt ut efficacem gratiam consequantur; ac proinde hi omnes actu orare nequeunt, imò nec velle orare possunt.

Præterea, hæc doctrina minuit in fidelibus orationis et virtutis studium, hominemque in cæcum fatalismum abducere posset. Sic enim cuique ratiocinari liceret: Cum solâ gratiâ sufficienti nullum actum virtutis nullamque orationem realiter elicere possum, nisi insuper addatur gratia efficax. Ad hanc efficacem obtinendam adlaborare nequeo, quia « arbitrium nostrum a Deo motum et excitatum non potest ali» quid facere, quo gratiam adjuvantem et efficacem consequatur. » *(Alvarez, Disp. 102, n. 7; p. 671)*. Gratia verò efficax, quam Deus dat cui vult, et cui vult denegat, ita est cum effectu conjuncta, ut, ipsâ semel concessâ, impossibile sit effectum non poni, vel voluntatem resistere. Quare, vel Deus gratiam efficacem mihi concedit: tunc impossibile est ut non orem aut virtutem non exerceam; vel eam mihi denegat, tunc ne actu quidem possum velle orare aut virtutem exercere. Ergo mihi non laborandum, ut orem et virtutem exerceam; sed efficacem motionem patienter exspectabo, donec me ad orationem et virtutem invicte applicet et determinet.

425. — VII. *Destruitur spes christiana.* — Systemati Thomistarum gravissimas quidem opposuimus difficultates; gravior superest, ex præcepto spei desumpta, quæ Sancto Alphonso visa est apodictica ad illud systema repudiandum, et cujus solutio a Thomistis nulla adhuc allata est.

Omnibus hominibus gravis incumbit obligatio sperandi salutem et media illius assequendæ. Atqui actus spei impossibilis est in systemate Thomistarum. Ergo nequit illud systema esse verum.

Major a nullo potest negari. — *Prob. minor:* Spes definitur: « Virtus per quam cum certâ fiduciâ futuram beatitudinem et media » illius assequendæ exspectamus per Dei auxilium. » *(S. Alph., Homo Apost., Tr. 4, n. 6).* Una ex proprietatibus essentialibus actûs spei est omnimoda ejus certitudo et firmitas, quibus vel minima formido aut dubitatio excludatur. Jamverò hæc certitudo haberi nequit in systemate Thomistarum. Etenim: certum est gratias efficaces esse ad salutem prorsus necessarias; certum est eas non omnibus concedi; certum est neminem eas mereri posse, imò, secundum Thomistas, neminem per orationem eas obtinere posse, cum ad orandum gratia sufficiens se solâ non sufficiat, sed gratia efficax jam prærequiratur. Actus igitur spei huic conditioni necessariò subjacet, videlicet: *Spero, si Deus gratias efficaces mihi concedat.* Qui actus, utpote conditionatus ex parte Dei, non est spei christianæ.

« Dicam quod sentio, *inquit S. Alphonsus:* Si ego cum Thomistis » et cum P. Berti existimarem, gratiæ sufficienti, nisi aliud accesserit » auxilium, denegandam esse vim actualiter orandi, ita quidem ut » nova eaque efficax orandi gratia requireretur; quomodo verum spei » actum elicere possem, haud scio. Etenim non solum Dei omnipo- » tentiâ, misericordiâ et fidelitate, sed hac quoque fiduciâ niti deberem » obtinendi efficacem orandi gratiam, quum Deus, ut docet S. Augu- » stinus, gratias dare non soleat nisi oranti; sed de illâ efficaci » orandi gratiâ nulla existit Dei promissio; certum quoque est, gratias » efficaces non dari omnibus; deberem igitur actum spei elicere con- » ditionatum: Si Deus efficacem orandi gratiam mihi dederit, spero » orationis ope, si eam adhibere voluero, me accepturum esse gra- » tiam efficacem servandi præceptum spei et reliqua omnia præcepta, » atque ita ad salutem me esse perventurum; sin autem Deus, qui » efficacem orandi gratiam mihi concedere non tenetur, eam mihi » largiri noluerit, nullus mihi supererit modus, ne mediate quidem » orationis ope, consequendi vires, quibus spei præceptum cæteraque » præcepta impleam; tum verò æternam meam salutem sperare ne- » queo. » *(Append., n. 109; T. 1, p. 519. Cf. etiam n. 158; p. 535; et Magn. orat. med., P. 2, c. 4, n. 28 et ss.; p. 717).*

426. — Difficultatem hanc sic propositam nullus, quem videre potui, solvit Thomista. Simili tamen objectioni a Congruistis et Molinistis propositæ, quod scilicet in systemate Thomistarum desperan-

dum est de salute eorum, qui solam gratiam sufficientem accipiunt, duplex responsum opponit *Bancel, (De Grat., q. 2, a. 2; T. 5, p. 374).*

Respondet 1°: Eamdem difficultatem occurrere apud Congruistas. — Porrò, quod eadem difficultas occurrat apud Congruistas, hoc non tollit difficultatem a systemate Thomistarum, nec illud justificat, sed argumentum est quod utrumque systema sit abjiciendum, et aliud eligendum, in quo non inveniatur prædicta difficultas.

Respondet 2°: « Majorem esse rationem spei, et minorem desperatio-» nis in sententiâ Thomistarum, quam Molinistarum: quia nos totam » spem nostram collocamus in solâ virtute divinâ, quæ gratiam reddit » efficacem per se ipsam, et eam misericorditer confert illis, qui ipsam » recipiunt, nonobstantibus eorum demeritis. Sed Molinistæ spem suam » collocant in ipsâ voluntate humanâ, quæ gratiam de se indifferentem » debet reddere efficacem, vel potest relinquere inutilem et inefficacem. » Cum igitur voluntas divina sit in infinitum firmior et efficacior, quam » omnis voluntas humana, constat in sententiâ Thomistarum firmius et » solidius esse fundamentum spei, quam in opinione aliorum. Nec refert » quod incerti sumus an velit Deus nobis conferre auxilium efficax, » vel solummodo sufficiens: nam etiam incerti sumus an voluntas » nostra sit redditura gratiam efficacem vel inefficacem... Cum igitur » utrumque sit incertum, quid nempe factura sit voluntas Dei, vel » etiam quid factura sit voluntas hominis, aliunde verò firmior sit » illa quam ista, non minor est occasio desperationis in opinione Mo-» linistarum, quam in sententia Thomistarum, et aliunde major est » ratio spei in sententiâ nostrâ, quam in alienâ. » *(Loc. cit.).*

Porrò, qui talia fatur, vel seriò non loquitur, vel naturam spei penitus ignorat. Posito etiam, non autem concesso, quod spes firmiori nitatur fundamento in systemate Thomistarum quam in Molinistarum systemate, cum tamen ad rationem veræ spei non pertingat, exinde unum concludere licet, utrumque scilicet systema esse rejiciendum.

427. — Dixi, in Thomistarum systemate spem veram subsistere non posse. Actus spei debet esse firmus et certus, absque ullâ hæsitatione: quæ firmitas ei accedit ex parte Dei. Sed quantumvis firma ex parte Dei, spes semper habet timorem conjunctum; unde, ut monet Apostolus *(Phil. II, 12)*, quilibet cum metu et tremore suam debet salutem operari. Sed hic timor venit ex parte hominis, qui agnoscens suam infirmitatem et vertibilitatem, semper trepidare debet ne salutis viam libere deserat, et culpâ suâ pereat. Si quid timoris accederet spei ex parte Dei, firmitas spei et ipsa spes destrueretur. Sed in systemate Thomistarum timor principaliter oritur ex parte Dei. Etenim:

certum est non omnes accipere gratias efficaces; certum est etiam neminem citrà revelationem scire posse se esse e numero eorum, qui gratias efficaces accipiunt. Quare nemo absolute et firmiter sperare potest salutem a Deo, sed semper sub conditione: *si sum e numero eorum, quibus Deus velit gratias efficaces concedere;* et semper timere potest et debet, ne gratiam non accipiat. Imò, cum numerus reproborum et eorum, qui gratias efficaces non recipiunt, sit, etiam juxtà communem Thomistarum sententiam, major quam numerus electorum et eorum, qui efficaces gratias recipiunt, multò plura sunt motiva desperandi quum sperandi.

Quamobrem, multum per omnem modum ad spem refert, ut certò sciamus Deum nobis dare vel gratias efficaces, vel taliter sufficientes ut cum eis, si velimus, gratias illas validiores vere et realiter et infallibiliter nobis procurare possimus.

ARTICULUS II.

THOMISTARUM SYSTEMA SPECIALE [1].

428. — Systema quod in scholis thomisticis communiter exponitur, gravissimis, ut ex modo dictis conspicuum est, objicitur difficultatibus, quibus nullâ adæquatâ responsione hactenus satisfieri potuit. Quâ de causâ in castris Thomistarum aliqui semper exstiterunt theologi, qui, duce Gonzalez de Albeda, prædictum systema tanquam principiis D. Thomæ adversum respuentes, aliud statuerunt, cum antiquis traditionibus magis conforme, nec tamen cum eis, saltem si exponitur sicut illud exposuit R. P. Guillermin, omninò consonum.

Systema hoc quod a R. P. Guillermin vocatur thomisticum *speciale*, magnam habet affinitatem cum systemate S. Alphonsi, a quo tamen juxta expositionem R. P. Guillermin, in re maximi momenti differt. Quod si auctores illius systematis nobis concederent, (sicut de facto concedere videtur Gonzalez de Albeda), gratiam sufficientem quandoque producere saltem actum orationis, quando nempe homo velit uti eâ gratiâ, libenter jungeremus dextras, conjunctisque viribus et animis cum eis incederemus.

Eò igitur sedulius illud speciale systema exponendum curabimus, quò ei stamus propiores, et rarius in libris expositum invenitur.

[1] Cf. *Gonzalez de Albeda, O. P.,* Commentarii in I Part. D. Thomæ, In q. 19, disp. 58. Tom. 2, p. 80 et ss. - *Guillermin,* Revue thomiste, Tom. 9, p. 505 et ss.; Tom. 10, p. 47; 377; 653; Tom. 11, p. 20.

429. — I. Gratia sufficiens definitur sicut in systemate Sorbonicorum et S. Alphonsi: *Auxilium præveniens, quod tribuit homini potestatem undequaque completam et expeditam, ut bonum operari possit, si velit.* Est nimirum auxilium divinum, quod facultatem transeunter elevat, et vires tribuit ad actum supernaturalem ponendum, atque facultatem ad actum ponendum simul movet, sed defectibiliter et impedibiliter. Unde gratia sufficiens non solum perficit facultatem, ut sit in actu primo principium sufficiens actionis supernaturalis, sicut affirmat systema commune Thomistarum; sed insuper facultatem movet et sollicitat ad agendum, et tribuit facultati ultimum complementum ad agendum. Ipsâ munitus, homo potest, si velit, vere agere, quin alio indigeat auxilio tanquam facultatem complente aut movente; quare si non agit, ex solâ ipsius malâ voluntate provenit quod actus non ponatur.

« Solâ gratiâ sufficienti adjutum, *ait Gonzalez*, (liberum arbi- » trium) habet proximam et expeditam potestatem ad consentiendum. » *(Sect. 3, n. 35; p. 98).* Et: « Indubie tenendum esse censeo voluntatem » creatam solum sufficienter adjutam a Deo habere ultimum comple- » mentum potentiæ activæ, et concursum prævium Dei, in quo sal- » vatur essentialis subordinatio causæ secundæ respectu primæ in » agendo, in ordine suo, nempe potentiæ proximæ operativæ; aliter » tamen, quam voluntatem creatam efficaciter adjutam. Nam ultimum » complementum hujus constituens illam ultimate in actu primo est » specialius, et efficax ex intrinsecâ majori virtute ad inclinandam » voluntatem ad consentiendum hìc et nunc; ultimum autem comple- » mentum, quod solum est sufficiens, solum est generale in ordine » gratiæ, non habet tantam intrinsecam virtutem ad inclinandam vo- » luntatem ad consentiendum hìc et nunc; habet tamen totam illam, » quæ sufficit, et requiritur, ut in actu primo sit ultimate completa » et proxime expedita ad consentiendum Deo vocanti, si velit. Quare » ex suâ malitiâ non vult; non autem ex defectu principii proximi ulti- » mate requisiti necessitate antecedente, seu ex parte causæ. » *(Sect. 2, n. 16; p. 86).*

Et R. P. Guillermin, de eadem gratiâ disserens, scribit: « La grâce » suffisante proprement dite n'apporte pas seulement à la volonté libre » un complément qui achève, dans l'ordre purement potentiel, de la » proportionner à l'acte salutaire, mais elle apporte encore une réelle » impulsion en vertu de laquelle la volonté est capable de passer réel- » lement de la puissance à l'acte et de procéder effectivement à l'opé- » ration. » *(Revue thom., Tom. 10; p, 655. Cf. etiam Tom. 11, p. 20).*

Essentia hujus gratiæ sufficientis non consistit in qualitate quadam emortuâ voluntati transeunter impressâ, nec solum in motione divinâ, quæ sit causa actuum indeliberatorum intellectûs et voluntatis; sed consistit imprimis et principaliter in ipsis actibus indeliberatis, et secundariò in entitate quadam fluente seu motione divinâ receptâ in facultatem, quæ facultatem elevat et proportionat ad actus illos indeliberatos producendum, ut mox fusius dicetur de gratiâ efficaci.

430. — II. GRATIA EFFICAX est auxilium prævenions, quod facultatem elevat, et actui supernaturali proportionat, atque ex intrinsecâ suâ virtute facultatem ita movet, ut actum infallibiliter et inimpedibiliter ponat.

« La grâce suffisante, *ait Guillermin*, apporte bien le vouloir et » l'agir, mais *defectibiliter* et *impedibiliter*. Au contraire la grâce » efficace proprement dite cause et confère effectivement la volition » et l'opération libres d'une manière immanquable, *infallibiliter*, *inim-* » *pedibiliter;* car, en même temps qu'elle meut le libre arbitre, elle » prévient et exclut sûrement, en fait, tous les obstacles qu'il pour- » rait opposer à la motion. » *(Tom. 11, p. 20).*

Et *Gonzalez:* « Gratia prævenions efficax, *inquit*, in duobus æqua- » liter tentatis, intrinsece et essentialiter individualiter differt in per- » fectione et virtute ad inclinandam voluntatem, a gratiâ prævenienti » inefficaci, quo tamen non obstante utraque est ultimum complemen- » tum potentiæ activæ, et concursus prævius primæ causæ in volun- » tatem creatam, subordinans illam ipsi primæ causæ; aliter tamen » atque aliter; nam gratia prævenions efficax est ultimum comple- » mentum speciale, et concursus prævius specialis, proveniens scilicet » ex speciali Dei benevolentiâ, quæ est præfinitio illius actûs boni, » ad quem excitatur voluntas... Gratia prævenions efficax, secundum » D. Augustinum, est vocatio proveniens ex proposito absoluto et effi- » caci Dei, quo decernit, quod voluntas nostra ei consentiat. Unde » verissimum est, quod ejusmodi gratia Dei a nullo duro corde res- » puitur; inde tamen non sequitur, quod intrinsece sit æqualis in » omnibus etiam inæqualiter tentatis, sed solum sequitur, quod in » omnibus est efficax ex intrinsecâ suâ virtute ad illum actum bonum, » ad quem ex proposito Dei ordinatur. » *(Sect. 2, n. 27; p. 91).*

431. — Essentia gratiæ prævenientis efficacis (sicut etiam sufficientis) consistit principaliter in motibus indeliberatis intellectûs et voluntatis, in sanctis scilicet cogitationibus et piis voluntatis affe-

ctibus, ut amore, delectatione, timore, dulcedine, etc., a Deo immediate productis in facultatibus. « Secundò dico, *ait Gonzalez*, gratia » prævenions efficax immediate non est qualitas per modum actûs » primi, sed motio, id est, motus subitus et indeliberatus ex infusione » Spiritus Sancti. » *(Sect. 3, n. 34; p. 94)*. Gratiam consistere in his actibus indeliberatis, Gonzalez longe lateque probat ex SS. Scripturis, Conciliis, Traditione, et auctoritate D. Thomæ.

Et *sect. 4, n. 50; p. 105*, addit: « Secundo dico, sancta cogitatio, » et delectatio quæ simul cum sancta cogitatione illam præcedente » est gratia auxilians efficax, non solum est illa, quæ naturaliter con- » sequitur ex objecto proposito voluntati, sed illa quæ infunditur spe- » cialiter ab Spiritu Sancto. »

432. — Ad gratiam prævenientem efficacem etiam requiritur qualitas quædam transiens, quæ facultatem elevet eique vires supernaturales tribuat. « Tertio dico, ad eliciendum motum illum subitum et » indeliberatum, in quo diximus potissime consistere rationem gratiæ » efficacis prævenientis, indiget voluntas qualitate per modum trans- » euntis infusâ a Spiritu Sancto. Etenim, cum voluntas nostra licet » non concurrat libere ad illum motum indeliberatum, concurrat tamen » effective vitaliter et elicitive, prærequirit principium aliquod intrin- » secum supernaturale, quo elevetur ad illum efficiendum, cum ille » sit quantum ad substantiam supernaturalis. Unde qualitas illa tran- » siens immediate adjuvat voluntatem ad actum illum indeliberatum, » præbendo ei proportionatas vires per modum actualis motionis et » concursûs Dei. » *(Sect. 3, n. 42; p. 97)*.

433. — Gratia efficax voluntatem movet ad actum per actus indeliberatos, scilicet mediante amore, delectatione, dulcedine, timore, etc. « Modus movendi voluntatem juxta modum causæ liberæ, *ait Gon-* » *zalez*, est infundere illi motum indeliberatum, ut inde accedente » advertentiâ intellectûs considerantis jam illudmet bonum sub indif- » ferentiâ boni et mali, id est, appetibilis et non appetibilis, ex præ- » cedenti affectione et delectatione magnâ et victrice, determinet se » ipsam ad libere prosequendum tale objectum, et hoc primo actu » libero præsupposito, nempe, quod velit agere pœnitentiam, deinde » se moveat ad inquirenda accommodata media in ordine ad illum » finem; in qua inquisitione mediorum iterum per gratiam subsequen- » tem adjuvatur a Spiritu Sancto, per aliam subitam cogitationem, » qua attentius et efficacius tale medium attendat; et per subitam » etiam et indeliberatam affectionem erga illud. Quâ præsuppositâ,

» judicat practice illud esse convenientius, et libere se determinat ad » illud eligendum. » *(Sect. 3, n. 40; p. 96).*

434. — Motio gratiæ efficacis in voluntatem non est prædeterminatio physica thomistarum, sed prædeterminatio moralis, quæ tamen, propter intrinsecam suam energiam in voluntatem, dici etiam potest physica vel quasi physica.

Motionem gratiæ non esse præmotionem physicam thomistarum, ex supra dictis jam patet, cum gratia per actus indeliberatos agat in voluntatem; præterea, ipse Gonzalez, *sect. 2, p. 83*, istam præmotionem physicam late et strenue quidem impugnat.

Ipsam verò esse motionem moralem, ex dictis pariter constat. Præterea, ipse Gonzalez, agens de peccatis, prædictam motionem explicite vocat moralem. « Deus, *inquit*, non concurrit cum voluntate nostrâ ad » actum peccati ut actus est, concursu prævio morali, nempe excitando illam per cogitationem et affectionem, ut prosequatur tale » objectum; seu ut prorumpat in talem actum. » *(Disp. 59, sect. 2, n. 12; p. 114).* Et *p. 95, n. 37*, jam dixerat motus illos indeliberatos, in quibus consistit gratia efficax, solum moraliter movere.

435. — Attamen, ad hujus motionis moralis energiam et virtutem perfectius designandam, Gonzalez eam etiam vocat *physicam* et *quasi physicam*. « Quintò dico, *inquit*, efficacia gratiæ prævenientis, præmo- » ventis quasi physice voluntatem nostram, optime cohæret cum usu » nostræ ingenuæ libertatis. Hæc conclusio ex præcedentibus satis est » manifesta; nomine enim præmotionis physicæ, aut quasi physicæ » solum intelligimus talem præmotionem Spiritus Sancti, quæ ex suâ » intrinsecâ virtute efficaciter inclinet voluntatem ad consensum, ita » ut ex ejusmodi præmotione necessitate illationis inferatur consensus » voluntatis; quamvis absolute possit dissentire, si velit. » *(Sect. 3, n. 34; p. 98).* — Et, *n. 41, p. 101*, ait: « Licet cogitationes bonæ tan- » tummodo moveant voluntatem ex parte objecti, tamen affectiones » et delectationes, et timores etiam movent physice et ex parte subjecti » ipsammet voluntatem. » — Et *sect. eadem, n. 38, p. 95*, scribens contra qualitatem, in qua Thomistæ gratiæ essentiam reponunt, ait: « Voluntas » præventa his duobus ab Augustino recensitis, nempe certâ scientiâ, » id est, verâ cognitione et apprehensione ejus quod agendum est, et » victrici delectatione ejus, ita ut magis delectet, velle operari ejus- » modi bonum, quam malum oppositum, efficaciter, imò et efficacissime » præparatur a Domino, ut infallibiliter ei consentiat; ergo superfluum » est addere aliquid aliud; præsertim cum ejusmodi delectatio, quæ

» est motus subitus voluntatis qua afficitur erga objectum ei propositum » ab intellectu, physice illam præmoveat, et excitet, et non solum ex » parte objecti..... Quod motus ille subitus sit annumerandus intra or- » dinem præmotionis physicæ, probatur, quia ideò illa qualitas, ut as- » serunt ejus auctores, ad ordinem præmotionis physicæ pertinet, quia » non solum movet ex parte objecti, sed etiam intrinsece ex parte sub- » jecti; sed hoc ipsum competit affectioni indeliberatæ, ut ex dictis » patet, et de se manifestum est. »

Ex his verbis apodictice constat, id, quod Gonzalez vocat præmotionem physicam vel quasi physicam, nihil aliud esse ac quod theologi intelligunt esse præmotionem moralem. Quare non satis recte loquuntur, qui simpliciter dicunt Gonzalez in suâ gratiâ efficaci agnoscere præmotionem physicam; quia hæc vox *præmotio physica* sine additamento semper sumitur in sensu neo-thomistico, quo in sensu eam fortiter impugnat Gonzalez.

436. — Gratia efficax non est ejusdem perfectionis et virtutis in omnibus, sed modo major modo minor, juxta necessitatem ejus cui datur; unde ejusdem entitatis gratia potest esse efficax in uno, atque inefficax in alio. « Auxilia efficacia, *ait Gonzalez*, non sunt paria nec » secundum perfectionem specificam, nec secundum perfectionem in- » dividualem: ergo qui ad vincendam majorem tentationem præpa- » ratur a Domino, majori et perfectiori auxilio adjuvatur, ac proinde » auxilium, quod est efficax in uno, non erit efficax vel in illo, vel » in aliis, si vehementiori tentatione oppugnentur; etc. » *(Sect. 2, n. 12; p. 84.* Cf. *totam hanc sect., a n. 10 et ss).*

437. — Gratia efficax consistit in quadam intrinsecâ contemperantiâ et congruitate divini auxilii cum voluntate et dispositionibus illius cui datur. « Et hoc est, *inquit Gonzalez*, facere cum tentatione » proventum, et etiam est dare auxilium congruum et contemperatum » cum subjecto: hæc enim est contemperies et congruentia, cujus sæpe » meminit Augustinus, non solum lib. I ad Simplicianum, q. 2, sed » etiam in libris de Prædestinatione Sanctorum; et etiam D. Thomas, » Joan. VI, in illa verba: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit* » *me, traxerit eum.* Nam D. Augustinus et etiam D. Thomas explicant » efficaciam gratiæ prævenientis per contemperamentum, et congruen- » tiam ejus cum subjecto, in quo recipitur; etc. » *(Sect. 2, n. 13; p. 85).* — Et statim exponit etiam auctor differentiam, quæ intercedit inter extrinsecam congruentiam ad mentem Suaresii, et congruentiam intrinsecam quam ipse agnoscit in gratiâ; et concludit, Deum ad effectum gratiæ efficacis cognoscendum non indigere scientiâ mediâ, sed illum

effectum cognoscere in ipso decreto dandi gratiam sic cum subjecto contemperatam [1].

438. — III. De Necessitate gratiæ ab intrinseco efficacis. Quæ hactenus de gratiâ sufficiente et efficaci dicta sunt in hoc systemate, omni laude sunt digna, eisque tanquam doctrinæ Sorbonicorum et S. Alphonsi omninò consonantibus toto corde et animo subscribimus. Longe autem aliter res se habet, ubi de necessitate gratiæ ab intrinseco efficacis agitur, saltem si intelligatur systema juxta recentiorum ejus patronorum explanationem.

Docent: hominem solâ gratiâ sufficiente adjutum, etsi tentationem vincere, et bonum, ad quod datur, vere efficere possit, ita ut ex ipsius solius malitiâ proveniat quod tentatio non vincatur aut opus bonum non efficiatur, nunquam tamen cum hac solâ gratiâ tentationem vincere aut bonum facere; sed omninò necessariam esse gratiam ab intrinseco efficacem ad victoriam etiam levissimæ tentationis, aut ad positionem actûs boni etiam levissimi. Aliis verbis, gratiam sufficientem esse vere sufficientem, sed remanere semper inefficacem, si sola datur, quia homo, etsi possit cum eâ vere operari, infallibiliter tamen ipsi semper resistit et nunquam operatur. Quare gratiam sufficientem vocant etiam *inefficacem*.

Etenim, sicut dicunt, ut opus bonum ponatur, gratia tria debet præstare, scilicet: 1° Elevare et proportionare facultatem operi supernaturali; 2° movere voluntatem ad opus ponendum. Et cum voluntas ob innatam suam malitiam semper possit gratiæ resistere, eique ne effectum producat, obstacula opponere, ideò requiritur 3°, ut gratia voluntatis resistentiam cohibeat, eamque impediat ne opponat obstacula. Duo prima munera sunt gratiæ sufficientis; tertium proprium est gratiæ ex se efficacis. Cum autem voluntas semper et ubique gratiæ resistat, vel saltem resistere possit atque obstacula opponere, idcircò ad omne opus bonum necessaria est gratia de se efficax, quæ prædictam resistentiam infallibiliter et efficaciter impediat; sufficiens verò gratia, etsi conferat omnia requisita ad agendum, tamen, quia non impedit resistentiam voluntatis, effectu ad quem datur semper caret, et ideo semper est inefficax. *(Cf. Rev. thom., T. 10, p. 656).*

439. — Si ab hac generali regulâ, ad quemlibet scilicet actum semper prærequiri gratiam ab intrinseco efficacem, eximeretur oratio seu petitio, litem nullam contra istam expositionem moveremus. Licet

[1] Cf. *Revue thom.*, Tom. 10, p. 658.

enim contendamus hominem cum solâ gratiâ sufficiente, præter orationem, alia etiam quædam opera faciliora quandoque peragere, hoc uno tamen concesso, quod gratia de se efficax non sit semper necessaria ad ipsum actum orationis, sed hominem quandoque orare cum solâ gratiâ sufficiente, contenti essemus, quia gratiam sufficientem ad orandum principalissime esse ordinatam opinamur cum Sorbonicis.

440. — Cum solâ gratiâ sufficiente hominem quandoque actu orare, ac proinde ad orandum gratiam ab intrinseco efficacem non esse necessariam, aperte supponit Gonzalez, cum sæpius affirmet gratiam efficacem esse petendam a Deo, nos debere postulare a Deo auxilium efficax. Justi, *inquit*, « indigent orare pro obtinendo auxilio speciali ad vincendam tentationem. » *(Sect. 2, n. 19; p. 87).* — « Specialior illa gratia, quam obtinemus a Deo per illas orationes... » *(p. 89, n. 22).* Et relatis textibus SS. Patrum de gratiâ obtinendâ per petitionem, ait: « Loquuntur prædicti Patres de necessitate et indigentiâ » specialioris regiminis Dei implorandi a nobis per orationes... Imò » inquit D. Aug.: *Audeo dicere, quod non solum vincere, sed nec pu-* » *gnare poterimus, si non nos ipse adjuvat.* Et loquitur de adjutorio » specialiori, quod per orationem imploramus... Quare ut cooperemur » (Deo vocanti), necessarium est ejusmodi adjutorium speciale a Deo » postulare » *(p. 89, n. 23).* — Similia sæpius repetit.

Unde sic: Juxta Gonzalez, auxilium ex se efficax est a Deo implorandum. Hæc autem oratio nequit esse naturalis, cum de fide sit orationem naturalem non valere ad donum supernaturale obtinendum. Ergo procedit a gratiâ. Hæc autem gratia nequit esse gratia efficax, quia ipsa est quæ debet implorari; ergo est a gratiâ sufficiente. Ergo, juxta Gonzalez, gratia sufficiens vere sufficit ad actum orationis realiter ponendum: in quo cum S. Alphonso perfecte concordat.

441. — Alii verò istius systematis expositores, recedentes a sententiâ Gonzalez, absolute affirmant, omnem gratiam sufficientem remanere semper inefficacem, nec orationis gratiam ab istâ generali regulâ eximunt [1]; quâ de causâ in insuperabilem impingunt difficultatem. Etenim: Quî fieri potest, ut inter tot millia hominum, inter quos non pauci sunt bonæ voluntatis, imò et sanctitate conspicui, (quandoquidem et sanctissimos contingit gratiæ quandoque resistere et venialiter peccare), quî fieri potest, inquam, ut inter illos nec unus inveniatur qui, munitus gratiâ sufficienti, ac proinde habens omnia requisita ad

[1] Cf. *Revue thom.*, Tom. 10, p. 655 et ss., præsertim p. 672 et ss.

actionem, et motus insuper ad agendum, velit illi gratiæ consentire, sed resistat semper infallibiliter?

442. — Hanc ipsam difficultatem sibi proponit *P. Guillermin*, hujus systematis novissimus defensor, eamque multiplici solutione enodare conatur.

1° Et primò quidem eam solvere conatur ex defectibilitate humanæ voluntatis. Gratia sufficiens dat vires et movet ad actum; sed movet defectibiliter, impedibiliter; et voluntas humana, quia libera et defectibilis, potest ei semper resistere, et quandoque resistit. Ergo concludit: nihil mirum quod gratia sufficiens suo careat effectu. *(Rev. thom., T. 10, p. 673 et 674)* [1].

Sed hæc solutio, ut luce clarius affulget, est omnino nulla, quia nullatenus respondet quæsito. scilicet: curnam voluntas semper resistat, nunquam verò consentiat? Ex eo enim quod possit semper resistere, non sequitur quod semper resistat.

Hujus responsionis debilitatem cernit ipse auctor, unde in sequenti articulo, positâ denuo difficultate, duas alias responsiones adfert.

443. -- 2° Secunda igitur solutio hauritur ex scientiâ Dei. Scientia Dei, inquit P. Guillermin, *(Rev. thom., Tom. 11, p. 23)*, nequit esse conjecturalis, sed debet esse omninò certa et infallibilis. Atqui si absque gratiâ ex se efficaci homo gratiæ sufficienti consentiret, Deus ejusmodi consensum cognosceret tantum conjecturaliter, non autem infallibiliter. Etenim, cum homo motus a solâ gratiâ sufficiente, se habeat indifferenter ad consensum et ad dissensum, consensus nunquam est infallibiliter futurus, sed solum contingenter; ergo nec infallibiliter potest a Deo cognosci, sed solum conjecturaliter. Ut ergo consensus infallibiliter cognoscatur, debet esse infallibilis. Porro sola gratia ex se efficax reddit consensum infallibiliter futurum. Ut ergo Deus futurum consensum infallibiliter cognoscat, semper necesse est ut gratia ex se efficax illum operetur; proinde cum solâ gratiâ suffi-

[1] « Si cet agent libre est défectible, il pourra toujours défaillir, et sûrement il défaillira quelquefois, à moins que Dieu par une protection gratuite particulière ne le préserve et ne le soutienne actuellement; et sa défaillance consistera précisément en ce qu'il choisira de ne pas procéder activement à l'acte auquel il est mû et actionné par la motion passive reçue de Dieu. On conçoit dès lors comment parfois, même en concurrence de la motion passive qui le pousse à agir, le libre arbitre défectible ne pose point effectivement l'acte apporté par la motion, ou, ce qui revient au même, comment la grâce suffisante est de soi une véritable motion et une impulsion de la volonté, bien que la volonté, à cause de sa résistance, ne procède pas en fait à l'opération » *(p. 674)*.

cienti homo, etsi posset consentire et bonum facere, nunquam tamen consensum dabit, nec bonum operabitur.

Resp. Hæc solutio foret optima, si divina scientia dependeret a rebus scitis, atque ex ipsis rebus hauriretur. Sed divina scientia est independens a rebus; Deus res cognoscit non in seipsis sed in seipso, in suâ scilicet divinâ essentiâ, in quâ certitudinaliter et infallibiliter cognoscit omnia, etiam futura tam necessaria quam contingentia. Aliud igitur est cognoscere objectum contingens, et aliud cognoscere contingenter objectum contingens; et ex eo quod objectum sit contingens nullatenus sequitur scientiam, quam Deus de eo habet, esse contingentem et conjecturalem. Licet igitur consensus præstandus cum solâ gratiâ sufficienti sit semper contingens, et nunquam infallibiliter futurus, scientia tamen, quam Deus de eo habet, nec contingens est nec conjecturalis, sed certa omnino et infallibilis. Responsio igitur ex divinâ scientiâ petita difficultatem non solvit.

444. — Tantummodo adest difficultas in assignando medio, in quo Deus prævidet infallibiliter consensum gratiæ sufficienti exhibitum; et in hac difficultate consistit præsertim nodus mysterii quo, in nostro systemate, involvitur doctrina de gratiâ divinâ et de scientiâ Dei. Sed, ut notat ipse P. Guillermin, *(Rev. th., T. 11, p. 30)*, licet hic nulla adæquata responsio præstò sit, ob hoc tamen non deserendum est ipsum systema; hæc enim eadem difficultas premit patronos hujus specialis systematis thomistici, de quo agimus. Etenim, si necesse est Deum infallibiliter prænoscere nostrum consensum, non minus infallibiliter prænoscere debet nostrum dissensum. Sed in quo medio Deus prævidet infallibiliter nostrum dissensum? Certe, non in ipso decreto dandi gratiam sufficientem; hæc enim movet ad consensum, defectibiliter quidem, sufficienter tamen ut consensum possit obtinere; — nec in voluntate humanâ, quia, cum hæc possit gratiæ sufficienti vere consentire, dissensus in eâ non continetur infallibiliter, nec proinde potest in illâ videri infallibiliter; — nec demum in decreto permissivo dissensûs, seu in decreto non dandi gratiam efficacem, quia hoc decretum nullam causalitatem exercet in voluntatem ut dissentiat, nec aufert quidquam ab illâ energiâ, quæ est in gratiâ sufficienti; unde, stante etiam decreto permissivo, possibile est hominem consentire gratiæ. Hic ingenue fatetur P. Guillermin, se nescire quid respondeat *(p. 29)*, nec tamen propterea a suâ sententiâ esse recedendum æstimat. Porro, si ignoratio medii, in quo Deus infallibiliter prævidet nostrum dissensum contingentem, illi systemati nihil detrahit auctoritatis; a pari dicendum est, ignorationem medii, in quo Deus præ-

videt fallibilem nostrum consensum dandum gratiæ sufficienti, nihil infirmare potest doctrinam, quam infra cum Sorbonicis et S. Alphonso sustinebimus.

445. — 3° Tertiam demum responsionem, magis quidem subtilem, non tamen ob hoc magis cogentem, adfert *P. Guillermin*. Præstat ipsius auctoris verba hic referre. *(Rev. th., Tom. 11, p. 24).*

« Avec la seule grâce suffisante, et sans la grâce efficace qui écarte en fait la résistance possible, il n'est pas nécessaire que le libre arbitre résiste, et il ne lui est pas impossible de poser effectivement l'acte bon; mais toutefois lorsque la résistance, toujours possible à une volonté défectible, ne vient pas s'opposer à la motion de la grâce, ce n'est pas sans une intervention spéciale de la miséricorde divine dont l'action dirige et pénètre tout ce qui arrive dans l'ordre du bien.

Je crains fort que certains esprits ne soient victimes d'une illusion. La volonté humaine, sous la motion divine active A et avec notre grâce suffisante A', contient à l'état actif, le pouvoir de poser l'acte bon *a*, donc, pensent-ils, elle n'a pas besoin d'une nouvelle intervention de Dieu pour poser effectivement l'acte *a*.

Ce raisonnement, qui aurait peut-être quelque valeur s'il s'agissait d'une faculté d'ordre purement physique agissant fatalement, est, quand il s'agit de la volonté libre, un pur sophisme.

« Cum solâ gratiâ sufficienti et sine gratiâ efficaci quæ possibilem resistentiam actu aufert, necesse non est liberum arbitrium resistere, nec ipsi impossibile est actum bonum effective ponere; attamen, cum resistentia, voluntati defectibili semper possibilis, motioni gratiæ non obsistit, hoc non evenit absque speciali interventu divinæ misericordiæ, cujus actio dirigit et penetrat quidquid in ordine boni contingit.

Timeo valde ne qui hic illusione decipiantur. Voluntas humana sub divinâ motione activâ A et cum nostrâ gratiâ sufficienti A', continet, in statu activo, potestatem ponendi actum bonum *a;* ergo, sic quidem existimant, non indiget novo interventu Dei ad actum *a* effective ponendum.

Hæc ratiocinatio, quæ vim quamdam fortasse haberet, si ageretur de facultate physicâ fataliter agente, est purum sophisma quando de voluntate liberâ agitur. Etenim, inter volun-

En effet, entre la volonté contenant même activement l'acte *a*, et la volonté le posant effectivement, il y a une double distance à franchir, une double difficulté à éviter. En premier lieu, la volonté qui par la grâce suffisante peut activement poser l'acte *a*, peut aussi, en raison de sa défectibilité, opposer une résistance à cette grâce motrice. En second lieu, cette même volonté, en vertu de son fonds d'activité naturelle qu'elle conserve simultanément avec l'activité surnaturelle apportée par la grâce, a le pouvoir actif de poser l'acte *b* contraire à l'acte *a*. Pour que la volonté, mue par la grâce suffisante à l'acte *a*, l'ait posé effectivement, il a donc fallu qu'une double condition se soit réalisée: à savoir et que la volonté, en fait, n'ait pas résisté, et qu'elle n'ait pas produit l'acte *b*, alors qu'elle pouvait faire l'un et l'autre au même titre qu'elle pouvait poser l'acte *a*.

Sans doute, ce choix par lequel la volonté s'est portée à l'acte *a* plutôt qu'à la résistance et à l'acte contraire *b*, doit être attribué au libre arbitre comme à sa cause prochaine; mais s'est-il fait indépendamment de la direction de la Providence et indépendamment de l'action divine physique sur notre libre arbitre lui-même? Nous le nions éner-

tatem continentem etiam active actum *a*, et voluntatem ponentem ipsum effective, duplex permeanda est distantia, duplex vitanda difficultas. Et primò quidem, voluntas quæ cum gratiâ sufficienti actum *a* active ponere potest, potest etiam ob suam defectibilitatem, huic gratiæ motrici resistentiam opponere. Secundò, hæc eadem voluntas, ob activitatem suam naturalem, quam cum supernaturali activitate datâ per gratiam simultanee conservat, potestatem habet ponendi actum *b* contrarium actui *a*. Ut voluntas, gratiâ sufficienti mota ad actum *a*, ipsum effective poneret, duplex igitur conditio fuerat implenda, scilicet: ut voluntas de facto nec resisteret nec actum *b* poneret, cum potuisset utrumque efficere eodem titulo quo potuit ponere actum *a*.

Sane, electio quâ voluntas actum *a* potius quam resistentiam aut contrarium actum *b* elegit, provenit a libero arbitrio tanquam a causâ proximâ; an vero provenit ab eo independenter a directione Providentiæ et independenter ab actione divinâ physicâ in ipsum nostrum liberum arbitrium? Hoc strenue negamus. Decreta divina

giquement. Les décrets de Dieu ne présupposent pas notre choix, ils le précèdent; et, quand il s'agit d'un acte bon qui mène au salut, ces décrets de Dieu sont cause positive et active. Et j'ajoute qu'il ne suffirait pas d'une intervention, d'une protection divine tout extérieure, éloignant les occasions ou atténuant les tentations; car, même avec une grâce suffisante plus forte et une tentation plus faible, il peut encore arriver que la volonté, puisqu'elle reste libre et défectible, résiste à la grâce et qu'elle accepte la tentation. Seule, une action intérieure, déterminant efficacement le libre arbitre, écartera infailliblement la résistance et le choix de l'acte contraire.

A l'argument sophistique que l'on objectait, je réponds donc par cette distinction: La volonté humaine, contenant à l'état actif par notre grâce suffisante A′ le pouvoir de poser l'acte *a*, n'a pas besoin, pour le poser effectivement, d'une nouvelle intervention de Dieu *conférant le pouvoir actif* de poser l'acte *a:* Je l'accorde. Elle n'a pas besoin d'une nouvelle intervention de Dieu *dirigeant*, par une impression physique interne sur le libre arbitre, l'*exercice* effectif de ce pouvoir actif et le protégeant efficacement contre la résistance et contre le choix de l'acte con-

nostram electionem non præsupponunt, sed ipsam præcedunt; et quando agitur de actu salutari, ista divina decreta sunt causa positiva et activa. Et addo quidem, mere externum divinum interventum aut protectionem occasiones avertentem aut tentationes attenuantem non sufficere; nam, etiam cum gratiâ sufficiente majori, et minori tentatione, accidere potest ut voluntas, utpote libera semper et defectibilis, gratiæ resistat, et consentiat tentationi. Sola actio interior, determinans efficaciter liberum arbitrium, resistentiam atque actûs contrarii electionem infallibiliter inhibebit.

Igitur, ad allatum argumentum sophisticum respondeo hacce distinctione: Voluntas humana possidens active per nostram gratiam sufficientem A′ potestatem ponendi actum *a*, non indiget, ut ipsum reapse ponat, novo interventu Dei *conferentis potentiam activam* ponendi actum *a:* Concedo. Non indiget novo interventu Dei *dirigentis*, per impressionem physicam internam in liberum arbitrium, *exercitium* effectivum hujus potentiæ activæ, protegentisque ipsam efficaciter contra resistentiam et contra electionem actûs contrarii *b:* Nego formaliter. Ista impressio physica

traire *b* : Je le nie formellement. Cette impression physique interne sur le libre arbitre, c'est la grâce efficace. Il faut donc admettre que la grâce efficace intervient dans la production effective de l'acte bon, bien que la grâce suffisante apporte tout le pouvoir de le produire et de le produire activement. Et quoique ces grâces soient toutes les deux une motion active, il y a entre elles une distinction réelle intrinsèque, car, seule, la grâce efficace a la vertu d'écarter victorieusement les obstacles.

interna in liberum arbitrium, ipsa est gratia efficax. Admittendum est igitur gratiam efficacem intervenire effectivæ productioni actûs boni, quamvis gratia sufficiens conferat totam potentiam ipsum producendi et quidem producendi active. Et licet ambæ istæ gratiæ sint motiones activæ, inter eas tamen intercedit distinctio realis et intrinseca, quia sola gratia efficax virtutem possidet invicte removendi obstacula.

446. — Jamverò, hæc verba sedulò ponderanti apparebit, non in objectione, sed in responsione latitare sophisma. Etenim:

a) Dicitur: Inter voluntatem continentem etiam active actum bonum *a*, et voluntatem ponentem ipsum effective, duplex permeanda est distantia, duplex vitanda difficultas; scilicet resistentia ipsi gratiæ sufficienti, et positio actûs contrarii *b*. Atqui voluntas potest semper resistere, potest semper actum contrarium *b* ponere. Ergo semper requiritur gratia ex se efficax, quia hæc sola resistentiam et electionem actûs *b* infallibiliter inhibebit.

Hæc responsio, ut aliquid roboris habeat, necessariò nititur hoc argumento: Voluntas potest semper gratiæ sufficienti resistere; Ergo semper resistit, nisi impediatur per gratiam efficacem. Sed quis non videt hic miserum contineri sophisma? Olim enim in philosophiâ didicimus *a posse ad esse non valere illationem*. Ex eo igitur quod voluntas possit semper resistere, nullatenus sequitur ipsam de facto semper resistere; secus eodem jure dicere possemus: voluntas potest semper gratiæ sufficienti consentire absque uberiori auxilio; ergo semper consentit. Ex possibilitate igitur resistentiæ argui non licet necessitas gratiæ ex se efficacis, quæ voluntatem efficaciter determinet ad non resistendum.

447. — *b*) Supponit responsio hominem, quoties gratiam sufficientem accipit, toties etiam aliquâ tentatione ad malum sollicitari. Sed hoc gratis omninò supponitur. Optime enim fieri potest, et quidem

reapse aliquoties contingit, hominem, quando gratiam sufficientem accipit, aut nullâ tentatione premi, aut tentatione adeò levi ut vix percipiatur, ut, v. gr., quando aliquis pius ad orationculam dicendam movetur. Sed si etiam tunc gratia ab intrinseco efficax necessaria foret ad levem hunc actum ponendum, nonne signum foret voluntatem non amplius valere nisi ad malum? Sed, ut docet S. Thomas, *(cf. n. 147)*, voluntas absque ullâ gratiâ potest leviora quædam opera bona ordinis naturalis ponere; cecur igitur voluntas, elevata et roborata et mota per gratiam sufficientem, non posset absque gratiâ ex se efficaci leviora quædam opera ordinis supernaturalis actu elicere, nisi quia foret irresistibiliter determinata ad malum: quod tamen nullus catholicus asserere auderet.

448. — *c*) Nec urgeri potest dicendo: possibilitas resistendi saltem facit, ut actus bonus *a* non infallibiliter ponatur, nec actus malus *b* infallibiliter vitetur: ergo gratia ex se efficax requiritur, quæ sola resistentiam et positionem actûs *b* infallibiliter impedire potest. Etenim: non est confundenda positio actûs *a* cum infallibilitate hujus actûs; nec vitatio actûs *b* cum infallibilitate hujus vitationis. Nec dicere possumus, sicut auctoris responsio innuit: Sine gratiâ ex se efficaci actus bonus *a* non ponitur infallibiliter, nec actus malus *b* vitatur infallibiliter; ergo sine gratiâ efficaci actus bonus *a* nullo modo ponitur, nec actus malus *b* nullo modo vitatur: quia conclusio latior est quam præmissæ.

Certe, ultrò concedimus gratiam ex se efficacem esse necessariam ut actus bonus *a* infallibiliter ponatur, et ut resistentia ac positio actûs mali *b* infallibiliter impediantur. Sed cum omninò aliud sit *ponere actum*, et aliud ponere actum *infallibiliter*, nec necesse sit omnem actum poni infallibiliter infallibilitate causalitatis, sed optime possit aliquis actus reapse poni a causâ contingente, ideò prorsus negandum est ad omnem actum bonum prærequiri gratiam ex se efficacem, quæ voluntatem ad actum infallibiliter determinet.

Et re quidem verâ, non obstante possibilitate resistendi aut ponendi actum malum *b*, voluntas, sicut ipse auctor concedit, habet per gratiam sufficientem potestatem perfectam et undequaque expeditam ponendi actum bonum *a*. Ubi autem adest potestas perfecta et undequaque expedita ad actum ponendum, nihil aliud requiritur ex parte principii ad ejus positionem. Eodem igitur titulo, quo voluntas potest gratiæ dissentire, potest ei etiam consentire, quia nec ad consensum nec ad dissensum determinatur. Sicut igitur accidere potest, ut homo actum malum *b* eligat, si lubet; ita a pari, accidere potest, ut actum

bonum *a* eligat, si lubet. Quo in casu, etsi actus bonus *a* non fuerit infallibiliter positus, fuit tamen vere positus; et quidem absque prævio concursu gratiæ ex se efficacis.

449. — *d*) Asserit auctor: Ad electionem actûs boni *a*, præter gratiam sufficientem, necessariam esse actionem divinam physicam in nostrum liberum arbitrium, — necessarium esse novum interventum Dei dirigentis per impressionem physicam internam in liberum arbitrium; et istam impressionem physicam esse gratiam efficacem.

Sed hìc quæro: Estne hæc divina impressio physica, seu hæc gratia efficax, absolute necessaria ex parte principii ad realem positionem actûs *a*, an non?

Si non est necessaria, omninò inutiliter adstruitur, ut per se patet; et habemus intentum, scilicet quod cum sola gratia sufficienti actus quandoque ponitur. — Si est necessaria, sequitur rigorose gratiam sufficientem non esse amplius vere sufficientem ad hoc, ad quod datur. Non enim datur ad hoc, ut homo possit facere actum *a*, sed ut ipsum realiter faciat. Si igitur, ex parte principii, gratia ex se efficax est absolute necessaria ad το facere, gratia sufficiens non continet omnia requisita, ut actus *a* reverà ponatur. Sed gratia, quæ non omnia continet requisita ad actum, nequit dici vere sufficiens relate ad illum actum. Et sic hoc speciale systema recidit in omnes difficultates, in quas propter suam gratiam sufficientem impingit commune systema Thomistarum.

Ex dictis manifestum est, in hoc speciali systemate nullam adferri rationem quæ vere probet, hominem cum solâ gratiâ sufficienti nihil unquam boni facere, sed ad omnem actum bonum egere gratiâ de se efficaci. Cum insuper doctrina, quod scilicet ad orationem requiratur gratia specialis de se efficax, quæ omnibus non datur, videatur traditioni contraria, sicut infra fuse demonstrabitur, idcircò hoc speciale systema omninò abjiciendum esse judicamus.

CAPUT III.

DE SYSTEMATE AUGUSTINIANORUM [1].

450. — Augustiniani rigidiores, qui puram et integram S. Augustini doctrinam se sequi gloriantur, statum naturæ innocentis a statu naturæ lapsæ sedulò distinguunt.

I. Pro statu naturæ innocentis nullam gratiam ab intrinseco efficacem admittunt, sed solam agnoscunt sufficientem et versatilem, quacum homo, si voluisset, omnia mandata servare et actu perseverare potuisset. « Quod ad salutis opera, *inquit Bellelli*, innocens crea» tura, adjutorio sufficienti suffulta, non eâ (efficaci) indiguerit,... ex » Augustini sententiis comprobavimus. Sanum videlicet tunc libertatis » arbitrium æquâ lance dispositum, virtutem, seu actum primum su» perni adjutorii indifferentem suopte nutu, absque ulteriori auxilio, » ad bonum usum, ad opus liberum, ad deliberatum consensum, ad » actumque secundum, quemadmodum Scholæ aiunt, applicabat. At» que ita gratia non a se, sed ab extrinseca libertatis assensione, » efficax reddebatur. » *(Mens August., L. 2, proem.; p. 27)* [2].

Et *Lud. Habertus:* « Gratia concessa Adamo innocenti erat ver» satilis ad nutum voluntatis ejus, adeoque ut quandoque haberet » suum effectum, nempe cum recens conditus, motu amoris ad Deum » se convertit; quandoque verò non haberet, ut contigit in esu pomi » vetiti. » *(Cap. 5, § 4; p. 326).*

451. — II. Dum verò de statu naturæ lapsæ agunt, Augustiniani ad Thomistas deflectunt, et duplicem cum eis gratiam necessariam agnoscunt, sufficientem scilicet, et efficacem ab intrinseco; a Thomistis tamen in pluribus discrepant tum quoad naturam gratiæ, tum quoad titulum necessitatis gratiæ efficacis.

1° Gratia sufficiens, (quam etiam vocant auxilium *sine quo*), ab eis definitur: « *Actuale Dei auxilium, quo voluntas redditur potens*

[1] Cf. *S. Alph*, App. de Grat., n. 126 et ss., Tom. 1; p. 523. - *Lud. Habert.*, De Grat., cap. 5, 6, 7. - *Puteanus*, In q. 111, dub. 4; p. 522. - *Did. Gonzalez*, In II. Sent., Disp. 6, q. 3; p. 481. - *Berti*, De locis theol., L. 14, c. 8 et ss.; T. 3, p. 93. - *Gibbon*, Tom. 1, disp. 38, dub. ult.; p. 444; et Tom. 3, disp. 33, appendix; p. 443. - *Bellelli*, Mens Augustini de modo reparationis hum. naturæ. - *Brancatus de Laurea*, Opusc. de Gratiis actualibus. — [2] Cf. *Berti*, L. 12, c. 8, prop. 2. Tom. 2, p. 314.

sive ad operandum, sive ad obtinendum id, sine quo operari non posset, quamvis contingat eam resistere. » *(Lud. Habert., c. 5, § 4, quær. 1; p. 327).* Seu, ut ait Puteanus, est « *Auxilium quod datur bonis et malis, quodque satis est ad suos producendos effectus, de facto tamen nusquam illos producit.* » *(In q. 111, dub. 1, concl. ult.; p. 519).*

Hæc gratia igitur, juxtà eos, ordinatur non tantum ad posse agere, sicut aiunt Thomistæ; sed ad ipsum agere, atque voluntati confert in actu primo expeditam et completam agendi potentiam, ita ut ex parte principii nihil desideretur, ut homo agere valeat. Voluntas tamen, propter innatam infirmitatem ex peccato originali contractam, cum solâ gratiâ sufficienti nunquam opus exsequitur; sed ad ipsum actum ponendum absolute indiget gratiâ ab intrinseco efficaci, quæ ipsam ad agendum determinet. Qui proinde solam habent sufficientem, etsi omnia habeant ad agendum requisita, nunquam tamen agunt, sed ex propriâ negligentiâ semper resistunt sufficienti.

« Auxilium sine quo, *ait L. Habert.*, dat posse, non verò dat actu » operari. » *(Cap. 5, § 4; p. 325).* Et: « Nulla gratia sufficiens in hoc » statu habet effectum sine efficaci. » *(Cap. 7, § 2; p. 357).* Quod ibidem multis argumentis probare nititur.

Et *Berti:* « Est ergo gratia sufficiens illa quæ dat posse, non velle; » aut si dat velle, istud adeò est invalidum atque imperfectum, ut » desideria carnis contraria concupiscentis non vincat, nisi superve- » niente flagrantissima et potentissima caritate. Hujusmodi sunt inspi- » rationes, et pia animi desideria, quæ perversam animam movent » atque excitant aliquantulum, sed illam ad conversionem non trahunt... » Gratia sufficiens tribuit voluntati posse eam (tentationem) superare, » si velit. Ut autem velit, requiritur in hoc statu sancta delectatio » victrix, quæ a nullo duro corde respuitur: et hanc nos dicimus gra- » tiam esse efficacem. » *(L. 14, c. 8; p. 95).*

452. — 2° Gratia efficax, (quam etiam vocant auxilium *quo*) definitur: « *Actuale Dei auxilium, quo voluntas actu vult et operatur bonum infallibiliter et insuperabiliter, libere tamen et minime necessariò* ». *(L. Habert., c. 5, § 4; p. 326).* — « Igitur gratia efficax, *ait* » *Berti*, est illa, quæ semper cum effectu conjuncta est, sive caritas, » quæ dat posse et velle, et tantum velle, ut voluntatem carnis con- » traria concupiscentis facile vincat; nec solum dat posse bene agere, » sed efficit ipsam actionem. » *(L. 14, c. 8; p. 95).*

453. — Gratia efficax, propter virtutem sibi intrinsecam, cum consensu voluntatis infallibilem habet connexionem causalitatis; movet-

que voluntatem indeclinabiliter et insuperabiliter, non physicâ quadam præmotione, sicut aiunt Thomistæ, sed motione seu determinatione morali, quæ secundum plerosque Augustinianos, in delectatione *absolute victrici*, secundum Berti autem, Bellelli aliosque paucos, in delectatione *relative victrici* unice consistit [1].

« Efficacia gratiæ, *inquit L. Habert.*, consistit in præveniente de» lectatione, eaque victrici et moraliter determinante. » *(C. 6, § 7; p. 340).* Quam suam propositionem Habertus longe lateque probare conatur. *(De hac motione morali cf. dicenda n. 535 et ss.).*

Did. Gonzalez: « Gratia sic præveniens voluntatem, eam movendo, » et inclinando sic vehementer, suaviter et fortiter, ut retentâ pote» state resistendi, ac dissentiendi conjungendo cum ipsâ gratiâ dis» sensum, nunquam resistat, nec dissentiat, nec gratiam respuat, est » gratia efficax moraliter. Dicitur moraliter efficax, quia ejus efficacia, » ut antecedit exercitium arbitrii, non est per physicam causalitatem » in arbitrio, cui inest, sed per moralem motionem suadendo, monendo, » vel terrendo, et ad ipsam ex electione arbitrii sequitur consensus, » non ex physicâ connexione ipsius cum consensu. » *(In II. Sent., Tr. 2, disp. 6, n. 643. p. 483).*

454. — Unicus titulus, ob quem gratiam suapte naturâ efficacem adstruunt, est *infirmitas* ex peccato originali contracta; quâ de causâ eam agnoscunt pro solo statu naturæ lapsæ. Relatis verbis S. Augustini, *(De corrept. et gr., c. 12): Subventum est igitur infirmitati humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, etc.*, addit *Bellelli:* « Quibus plane verbis in illâ esse sententiâ » ostendit, quod ratione infirmitatis ex originali peccato contractæ, » non sufficienti tantum adjutorio homo lapsus, quin etiam per se » efficaci indigeat, quod det velle, quod faciat ut velit, quodque bene » operandi possibilitatem effectui salutaris operationis adnectat. » *(L. 2, c. 2; p. 34).*

455. — Hanc gratiam efficacem ad omnia opera salutaria, quantumvis parva, imò ad ipsam orationem, absolute necessariam esse dicunt Augustiniani: tanta enim, aiunt, ex originali peccato relicta est debilitas in voluntate, ut hæc, quamvis per gratiam sufficientem constituatur in proximâ et expeditâ agendi potentiâ, nunquam tamen de facto e potentiâ ad actum secundum transeat, aut transire velit, nisi a gratiâ efficaci moveatur et determinetur.

[1] Cf. *S. Alph.*, App. de Grat., n. 124 et ss.; et n. 129 et ss.; T. 1, p. 524.

« Nullus, *inquit Berti*, absque gratiâ per se efficaci habet potentiam orandi conjunctam cum actu. » *(L. 18, c. 8, prop. 5; p. 284).*

Et *Bellelli:* « Quantumlibet humana facultas sufficienti gratiâ, quæ » dat posse pie velle, instructa sit; ut tamen velit, et ædificium sa- » lutis incipiat, gratiâ eidem per se efficaci opus est, quæ actum pri- » mum antecedentis potestatis ad secundum liberæ determinationis » conjungat. Scilicet opus est, ut gratiâ tantâ adjuvetur, quâ efficiatur » ut velit. » *(L. 2, c. 12; p. 77).* Et, *cap. 13* ejusdem libri probare nititur prælaudatus auctor, etiam ad orationem gratiam per se efficacem esse necessariam.

Et *L. Habertus:* « Gratia sufficiens est actuale Dei auxilium, quo » voluntas redditur potens ad implendum præceptum; alioquin si in- » choatas dumtaxat vires tribueret, vere sufficiens non foret, sed prorsus » insufficiens. Sed voluntas sic instructa et roborata, præ infirmitate » hujus statûs, vires divinitus acceptas non exercet, ut potest et debet, » nisi Deus efficaciori modo excitet, et ad agendum determinet. » *(Cap. 6, § 7; p. 342).* Et, *cap. 7, § 2*, probare conatur gratiam ab intrinseco efficacem ad orationem etiam prærequiri.

456. — Si verò quæratur: *Quibusnam detur gratia efficax?* respondent alii: Deum efficacem iis elargiri, qui sufficienti bene utuntur; iis autem negare, qui eidem resistunt [1]. Hic autem dicendi modus aliis displicet, tum quia ut quis bene utatur sufficienti, jam prærequiritur gratia efficax; tum quia bene utens sufficienti, sese discerneret ab iis qui resistunt. « Nam si uni datur gratia efficax, ait *Bellelli*, alteri » non datur, quia ille gratiæ sufficienti, quæ precedenti tempore com- » munis est, absque ulteriori gratiâ non resistit, hic verò resistit: ergò » jam ille non resistendo semet a resistente discernit, ut pro cœpto » non resistentiæ merito perfectionem, complementumque efficacis » gratiæ recipiat. » *(L. 2, c. 12; p. 75).*

Alii igitur docent, Deum dare gratiam efficacem quibus vult; et quibus vult, denegare; atque hujus discretionis non aliam esse causam quærendam, nisi Dei voluntatem justam simul et misericordem. « Uni- » versaliter loquendo, *ait Brancatus*, pro omni statu hominum nequit » assignari alia convincens et adæquata ratio cur Deus nec omnibus, » nec in omni temporis circumstantiâ concedat gratiam facientem fa- » cere seu efficacem, sive in casibus exercendi alia bona opera, et » cavendi mala, nisi voluntas Dei justa, et ab acceptione personarum » ac iniquitate alienissima. » *(De Grat. act., c. 17, n. 370; p. 400).*

[1] Cf. *Bellelli*, L. 2, c. 12; p. 74.

Salutis œconomia. In hoc systemate, salutis œconomia explicatur sicut in systemate Thomistarum; admittitur prædestinatio ante prævisa merita, necnon et reprobatio negativa, quæ tamen ex solâ peccati originalis prævisione repetitur.

DIFFICULTATES.

457. — In hac Augustinianorum explicatione, non secus ac in systemate Thomistarum, gratia efficax omninò salvatur, et perfectissime intelliguntur tum illa omnipotentia, quâ Deus corda hominum, quocumque voluerit, inclinat, tum divinæ Providentiæ certitudo atque infallibilitas.

In hoc præterea Augustinianorum systemate aliquantulum saltem intelligi potest, quonam modo salvetur humana libertas sub influxu gratiæ suapte naturâ efficacis, quia, sicut infra dicetur, *n. 576 et ss.*, motione morali voluntas humana ita determinari potest, ut opus infallibiliter simul et omninò libere exsequatur.

458. — Verùm, difficultates, quæ Thomistas ob eorum gratiam sufficientem premunt, contra Augustinianos etiam militant.

Affirmant quidem Augustiniani, gratiam sufficientem tribuere voluntati non solum vires inchoatas, ut dicunt Thomistæ, sed vires expeditas et completas ad agendum, ita ut voluntas reddatur vere potens ad operandum; secus enim, sicut ait *L. Habertus, (cap. 5, § 4; p. 327)*, gratia non foret sufficiens, sed absolute insufficiens. At docent simul, voluntatem, ob innatam suam infirmitatem, istam agendi potentiam ad actum secundum applicare non posse, seu non posse cum illâ potentiâ actu operari; imò non posse; actu velle operari, nisi per gratiam ab intrinseco efficacem ad actum secundum determinata fuerit. Si autem voluntas, propter suam infirmitatem, non potest cum solâ gratiâ sufficienti actu agere, sequitur hanc gratiam non esse vere sufficientem relate ad hominem lapsum, nec se solâ sufficere ad opus reapse ponendum. Quod quidem ipsi Augustiniani fateri coguntur. « Gratia suf» ficiens, *inquit Brancatus a Laurea*, se solâ non sufficit ad opus. » *(De Grat. act., c. 18, n. 403; p. 416)*. Et: « Ipsa (sufficiens) in genere » gratiæ, sola non satis valens est ad trahendam voluntatem ut cum » eâ faciat opus bonum, sed est necessaria gratia adjuvans, quæ facit » facere. » *(Loc. cit., n. 404; p. 417)*. — « Ex se habet gratia ista, ex » Dei dispositione, ut non sit efficax seu faciens facere, non verò re» spectu voluntatis non consentientis, ita quod si consentiret, illa eadem » sufficiens evaderet efficax. » *(Loc. cit., n. 415; p. 422)*.

Cum igitur juxta Augustinianos gratia sufficiens *se solâ non sufficiat ad opus, cum non sit satis valens ut homo faciat cum eâ opus bonum, et hoc ipsa habeat ex se et ex Dei dispositione*, rigorose sequitur, eam relate ad hominem lapsum non esse vere sufficientem. Ut enim testatur ipse prælaudatus *Brancatus:* « verbum *sufficio*, tam » apud grammaticos quam apud scriptores profanos, imò et sacros, » significat verbum impositum ad ostendendum aliquid idoneum et » aptum ad ponendum effectum aliquem in esse reali; et significat » idem ac *satis est ad faciendum.* Ideoque sæpe cum aliis viris doctis » miratus sum, cur theologi moderni gratiam illam divinam, quâ » homo vocatur, excitatur, illuminatur et inspiratur ad bonum facien- » dum, et effectum non obtinet, vocare cœperunt *sufficientem*, ad dis- » tinctionem efficacis, quæ semper habet annexum effectum, cum satis » non sit ad eum ponendum, sicut efficax quæ in rigore dici deberet » sufficiens. » *(Loc. cit., cap. 4, n. 84; p. 283).*

Quidquid ergo ex hoc capite obstat, ne admittatur systema Thomistarum, illud etiam obstat, ne admittatur Augustinianorum systema.

Hæc difficultas contra omnes militat Augustinianos; omnes enim docent, præter gratiam sufficientem requiri etiam ab intrinseco efficacem, ut voluntas quantulumcumque opus salutare reapse faciat.

459. — Contra eos verò, qui gratiæ efficaciam in solâ delectatione reponunt, specialis exsurgit difficultas. Juxta S. Augustinum enim, ut infra fusius dicetur, *n. 550*, licet gratia voluntatem plerumque trahat delectatione absolute victrici, eam tamen aliis etiam trahit motivis, puta: pudore, desiderio, timore pœnarum. Quod idem testatur experientia: quilibet enim, etiamsi sit jam in sanctitate provectus, in semetipso persentit se non unice delectatione trahi, sed non rarò etiam timore gehennæ a malo abstinere aut bonum amplecti.

460. — Demum, contra eos qui cum *Berti*[1] docent, efficacitatem gratiæ consistere in delectatione *relative victrici*, per superioritatem scilicet graduum relate ad oppositam concupiscentiam, specialissima militat difficultas, in eo consistens, quod talis gratia voluntatem necessitat libertatemque aufert. Docet quidem Berti gratiam relative victricem, quam admittit, voluntatem semper infallibiliter, nunquam tamen necessariò trahere; ac proinde suam gratiam victricem esse omninò diversam a gratiâ victrice Jansenii; verùm, quomodo subsistat voluntatis libertas cum gratiâ relative victrici, explicari nequit.

[1] Lib. 14, c. 8, prop. 2, 3 et 4; p. 96.

Apposite *S. Alphonsus:* « Quamvis dicat P. Berti, delectationem » gradu superiorem non necessariò sed tantum infallibiliter vincere, » illæsâ scilicet voluntatis libertate; nihilominus, quum in tali con- » ditione voluntati non remaneant nisi vires inferiores, resistendi po- » tentiâ caret: inferiores vires siquidem ultra activitatem suam ope- » rari nequeunt; atque ita voluntati necessitas infertur prævalentem » sequendi delectationem. Unâ stateræ lance propter ponderis exsu- » perantiam descendente, altera ascendat necesse est...

» Ceterum, quidquid dicunt *P. Berti* ejusque discipuli, ut ex rela- » tivâ suâ delectatione victrici removeant qualitatem, quæ necessi- » tatem infert et consequenter destruit humanam libertatem, nun- » quam effugere poterunt difficultatem, adversus systema suprà alla- » tam: delectationem videlicet ubi gradu est superior, non solum in- » fallibiliter, sed necessariò etiam vincere debere, quum unius dele- » ctationis inferiores vires contra superiores alterius valere nunquam » possint; illud autem hominis voluntati imponere necessitatem ei » assentiendi delectationi, quæ gradu superior est. Equidem perspi- » cere non valeo, quænam ad gravem hanc difficultatem idonea esse » possit responsio...

» Hinc est, cur nihil aliud a nobis petant Jansenistæ, nisi ut hoc » iis concedamus, superiorem delectationem vincere semper inferiorem; » quo concesso, causam se obtinuisse gloriantur. Hæc quippe scripsit » unus ex illis, Abbas *de Bourzeis: Nobis enim sufficit, quod hæc sola* » *nobis veritas concedatur, nimirum quoties gratiæ Dei consentimus,* » *id oriri semper ex eo quod rectus amor, quem Deus nobis inspirat,* » *viribus superior est perverso amore, et quia viribus superior est, id-* » *circo eum certissime superare* [1]. Atque illud asserentes, jure suo ita » loqui videntur; nunquam enim inferiores vires prævalere possunt » superioribus. Recte igitur juxta suum systema inferunt, delecta- » tionem gradu superiorem non invicte solum, sed etiam necessario » semper vincere. » *(App. n. 131 et ss., p. 524).*

[1] S. Augustin victorieux de Calvin et de Molina, Confér. 4, ch. 30.

CAPUT IV.

DE SYSTEMATE MOLINISTARUM [1].

461. — Molinistarum systema, sic dictum a Molina, qui ejus auctor exstitit, præcedentibus ex adverso opponitur. Multos nactum est patronos, tam intra quam extra Societatem Jesu, inter quos præsertim eminet *P. Lessius*, ex cujus doctrinâ facultates Lovaniensis (an. 1586) et Duacensis (an. 1588) theses 31 censuraverunt; cui censuræ Lessius eodem anno 1588 respondit per suam *Apologiam Patrum Societatis* [2]; quâ disputatione prælusit celeberrimis illis disputationibus *de Auxiliis*, de quibus supra, *n. 390.*

462. — 1° Molinistæ quamlibet prædeterminationem præviam, proinde omnem gratiam suapte naturâ et ab intrinseco efficacem rejiciunt, tanquam libertatis eversivam.

« Molina et alii nostræ Societatis theologi, *ait Lessius*, docent: » neque ad conversionem neque ad alia opera pietatis requiri ali- » quam motionem prævenientem sive impulsum prævium qui volun- » tatem ad consensum prædeterminet, imo hujusmodi impulsum videri » tollere omnem in agendo libertatem... Nos dicimus, talem motionem » (prævium) nec ad conversionem, nec ad opus bonum, et multo minus » ad opus non bonum requiri; nec facile potest intelligi, quâ ratione » non evertat libertatem. » *(De Grat. eff., c. 2, n. 9 et 12; p. 6).*

463. — 2° Solam igitur admittunt, tam pro statu naturæ integræ quam pro statu naturæ lapsæ, gratiam *versatilem*, quæ ab eventu seu a determinatione voluntatis cum effectu conjungitur; ita ut gratia fiat efficax, si voluntas consentit; remaneat verò *mere* sufficiens, si voluntas dissentit.

« Asserimus, *ait Molina*, auxilia prævenientis atque adjuvantis » gratiæ, quæ lege ordinariâ viatoribus conferuntur, quod efficacia » aut inefficacia ad conversionem seu justificationem sint, pendere a » libero consensu et cooperatione arbitrii nostri cum illis, atque adeo » in liberâ potestate nostrâ esse, vel illa efficacia reddere, consen-

[1] Cf. *Molina*, De Concordia, q. 14, a. 13, disp. 38, 39 et 40. - *Lessius*, De Grat. efficaci, passim, præsertim cap. 2; p. 6; et cap. 10, n. 9 et ss.; p. 102. - *Mazzella*, Disp. 3, a. 7. - *Jungmann*, De Grat., n. 199. — [2] Invenitur hæc apologia in *Historia controversiarum* a Theodoro Eleutherio (Livino de Meyer); pag. 755 edit. Antwerp., 1705; et pag. 753, vol. 1, edit. Venetæ, 1742. In lucem etiam edita est, tacito auctoris nomine, Leodii 1634, quâ editione usi sumus.

» tiendo et cooperando cum illis ad actus quibus ad justificationem » disponimur; vel inefficacia illa reddere, continendo consensum et » cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum. » *(Art. 13, disp. 40; p. 230).*

Lessius: « Quod autem (gratia) sit efficax vel inefficax in actu » secundo, provenire a libero arbitrio... Totus influxus gratiæ in » opus, et tota ejus efficientia est in potestate liberi arbitrii, et » pendet ab ejus applicatione et cooperatione. » *(De prædest., c. 6, n. 72; p. 364).*

Et: « Si quæras cur gratia hic et nunc influit in opus, respondeu- » dum, non quia gratia erat ex se efficax, et determinata ad influen- » dum hoc tempore, et hac graduum intensione; sed quia liberum » arbitrium ex suâ indifferenti potestate se determinat ad nunc potius » influendum, et utendum gratiâ, quam aliàs, idque tanto vel tanto » conatu... Unde vere dixeris: Ideò hic actus libere fit, hìc et nunc » fit, tanto conatu fit, quia procedit a causâ liberâ, quæ vult illum » nunc et sic elicere; et consequenter ideò gratia nunc et sic influit » in illum actum, quia liberum arbitrium nunc et sic influit. » *(De grat. eff., c. 10, n. 13; p. 105).*

464. — 3° Docent gratiam sufficientem et efficacem naturâ et entitate et viribus a se invicem non distingui, nihilque esse in efficaci ex parte sui, quod non sit in sufficienti; sed illas gratias ab invicem unice distingui per liberum voluntatis assensum vel dissensum.

« Quo fit, *inquit Molina*, ut divisio sufficientis auxilii in efficacem » et inefficacem, nostrâ sententiâ, ab effectu, qui simul ab arbitrii » libertate pendet, sumatur; illudque auxilium sufficiens, sive majus » sive minus in se sit, efficax dicatur cum quo arbitrium pro suâ » libertate convertitur, cum tamen, nihil eo auxilio impediente, po- » tuerit non converti; illud verò inefficax dicatur, cum quo arbitrium » pro eadem suâ libertate non convertitur, cum tamen potuerit con- » verti, alioquin tale auxilium sufficiens non esset ad conversionem. » *(Art. 13, disp. 40; p. 230).*

Et: « Nemo ergo nobis jam molestus erit, si de solo auxilio gratiæ » prævenientis loquentes, illudque dividentes in ita efficax ut ex illo » sequatur conversio, et ita inefficax, ut ex illo conversio non sequatur, » dicamus: quod auxilium gratiæ prævenientis efficax aut inefficax » eo pacto sit, pendere ex eo, quod arbitrium nostrum cum eo ulte- » rius, modo explicato, cooperari velit; ac proinde quod dicamus, divi- » sionem illam sumi ab effectu, non verò explicare varias naturas,

» quas diversa auxilia gratiæ prævenientis, qua talia sunt. ex se ha-» beant. » *(App. ad Concordiam; obj. 3; p. 595).*

465. — 4° Sedulò distinguunt efficaciam gratiæ *in actu primo* et *in actu secundo*. Si agitur de efficaciâ gratiæ in actu primo, docent eam venire totam a Deo, voluntatemque ei nihil addere roboris, virtutis aut energiæ; contrà, gratiam esse quæ voluntati vires tribuit. Quare, quando dicunt, voluntatem reddere efficacia gratiæ auxilia, unice loquuntur de efficaciâ in actu secundo, seu de actuali influxu gratiæ in opus.

« Quando audis, *inquit Molina*, consensum nostrum efficacia red-» dere auxilia gratiæ, non ita id intelligas, quasi arbitrium nostrum » vim aliquam aut efficacitatem tribuat auxiliis ipsis: ut enim late » explicatum est, arbitrium et influxus noster nullam vim conferunt » gratiæ auxiliis, sed potius auxilia vim et propensionem arbitrio » tribuunt ad consensum eliciendum, arbitrium nostrum ad id invi-» tando, alliciendo atque adjuvando. » — Deinde explicat Molina quod agitur de solâ efficaciâ in actu secundo, et addit: « Hæc censui hoc » loco addenda, tametsi perspicua satis in nostrâ doctrinâ essent, quo-» niam non defuerunt qui, ut auxilia gratiæ ex se efficacia tuerentur, » doctrinam nostram hoc loco in sinistrum sensum trahere conati sint, » quasi nos docuerimus, arbitrium conferre efficaciam seu vim auxilio » gratiæ, et quasi sit aliqua supernaturalis efficientia seu efficacia, » quæ non sit ab auxilio gratiæ. » *(Q. 23, art. 4 et 5, disp. 1, membr. 6; p. 462).*

466. — 5° Secundum Molinistas igitur, gratia redditur efficax in actu secundo ex determinatione voluntatis. Hæc autem voluntatis determinatio non fit a voluntate solis viribus suis naturalibus, sed mediantibus viribus receptis a gratiâ. Gratia enim excitans est, quæ voluntati vires tribuit, ut possit consentire vocationi, seu ut possit sese ad consensum determinare; et simul voluntatem invitat atque excitat, ut vocationi libere consentiat; ita ut consensus fiat quidem a voluntate, sed per vires receptas a gratiâ. Consensus igitur voluntatis, seu ejus determinatio est effectus tum gratiæ tum voluntatis.

« Molina et alii nostræ Societatis theologi, *ait Lessius*, docent suf-» ficere ad opera pietatis ea auxilia prævenientia, cum quibus voluntas » ita potest consentire, ut illis stantibus possit dissentire; ita seipsam » ad consensum determinare, ut possit se continere, vel etiam deter-» minare ad dissensum. Auxilium enim præveniens quod Deus con-» fert, duo præstat ante consensum et unum in consensu. Primò allicit » et trahit voluntatem ut consentiat, ita tamen, ut huic tractui possit

» non obsequi. Secundò vires tribuit, ita ut voluntas tunc in suâ po-
» testate habeat consentire si velit. Denique si voluntas consentiat,
» simul juvat et concurrit ad illum consensum eliciendum, idque vel
» physico influxu in consensum, (quod mihi semper visum verius cum
» Molina), vel morali, ut quidam non improbabiliter existimant. » *(De grat. eff., c. 2, n. 10, p. 6).*

467. — 6° Cum juxtà Molinistas gratia excitans non sit efficax ab intrinseco, sed quoad actualem influxum in opus dependeat a liberâ voluntatis acceptatione seu consensu, sequitur nullam gratiam habere in se seu in actu primo infallibilem connexionem causalitatis cum effectu, Deumque effectum gratiæ cognoscere non posse in ipsâ gratiâ, seu in decreto dandi gratiam.

Ut igitur explicent, quomodo effectus gratiæ efficacis sit infallibilis tum objective, tum subjective in cognitione Dei, seu, quomodo gratia producat infallibiliter suum effectum, et quomodo Deus illum effectum infallibiliter cognoscat, provocant ad scientiam mediam seu ad scientiam conditionatorum.

Docent: *a*) Deum *scientiâ simplicis intelligentiæ* intime cognoscere omnia possibilia, proinde perfecte noscere tum omnia auxilia gratiæ, quæ in sua potestate habet; tum omnes voluntates humanas, et omnes circumstantias, in quibus quilibet homo in quolibet ordine possibili versari potest.

b) Deum *scientiâ mediâ* intime cognoscere quid quilibet homo, in omni ordine possibili, faceret per liberam suæ voluntatis determinationem, si hæc vel illa gratia ei concederetur; v. gr., cognoscere quod, si Petro in tali circumstantiâ conferret auxilium **A**, Petrus libere consentiret et bonum operaretur; si verò eidem Petro in eâdem circumstantiâ concederet auxilium **B**, vel auxilium **A** in alterâ circumstantiâ, Petrus non consentiret nec operaretur.

c) Hâc conditionatorum scientiâ existente, Deus juxtà inscrutabilia suæ misericordiæ atque justitiæ decreta, prædefinit dare huic homini tale vel tale auxilium, cui hominem consensurum vel non consensurum esse prænovit ope scientiæ mediæ. Cum verò hâc Dei prædefinitione seu decreto conditio, ut aiunt, verificetur, consensus vel dissensus, qui ante decretum erat simplex futuribile, per decretum transit in absolute futurum, et cadit sub scientiam visionis.

Igitur, quia decretum illud præsupponit cognitionem effectûs gratiæ, et cum impossibile sit idem simul esse et non esse, sequitur gratiam efficacem habere cum effectu infallibilem connexionem, non quidem causalitatis, sed *prævisionis*, effectumque infallibiliter evenire, Deum-

que scientiâ visionis ipsum infallibiliter cognoscere. Et hac ratione, aiunt Molinistæ, perfecte conciliatur plena et perfecta hominis libertas cum perfectâ et omnimodâ gratiæ efficacis infallibilitate.

468. — Œconomia salutis. In systemate Molinistarum admitti potest prædestinatio ante vel post prævisa merita; et licet maxima eorum pars prædestinationem post prævisa merita admittat, nonnullos tamen reperire est, qui stant pro prædestinatione ante prævisa merita.

Qui prædestinationem ante prævisa merita admittunt, docent: Deum omnibus hominibus ab æterno præparasse et in tempore conferre gratias vere sufficientes ad salutem, ita ut quilibet homo, dummodo gratiis velit bene uti, possit salutem consequi. Quos autem Deus decreto absoluto et a meritis independente elegit ad gloriam, illis etiam decreto absoluto eam gratiarum seriem præparasse et conferre, quas ope scientiæ mediæ efficaces fore prævidit ex determinatione humanæ voluntatis; quos verò non elegit ad gloriam, sed reprobavit reprobatione negativâ, iis eas tantum præparasse et conferre gratias, quas ob defectum liberi consensûs ex parte hominis, absque effectu mansuras esse prævidit.

Qui autem prædestinationem post prævisa merita admittunt, docent: Deum voluntate verâ et seriâ, sed antecedente, velle omnium salutem, neminemque decreto absoluto ante prævisionem demeriti a gloriâ exclusisse: quapropter omnibus præparasse et conferre, mensurâ tamen inæquali, gratias vere sufficientes et in actu primo vere efficaces, et cupere simul ut efficaces reddantur in actu secundo, eique displicere si remaneant inefficaces. Quilibet igitur homo habet gratias vere sufficientes, quibuscum, dummodo velit, salutem possit reapse consequi. Quos ope scientiæ mediæ gratiis concessis bene usuros prævidit, eos Deus elegit ad gloriam; quos autem gratiis non consensuros et in finali impœnitentiâ morituros prævidit, eos decreto positivo propter eorum demerita ad gehennam destinavit.

DIFFICULTATES.

Prædictum systema Thomistæ et Augustiniani vehementer impugnant, eique pene innumeras opponunt difficultates, quas tamen omnes approbare non possumus, licet ipsum Molinæ systema non admittamus. Ob sequentes igitur rationes istud systema admitti non posse arbitramur.

469. — I. *Systema Molinæ contradicit Scripturæ et Traditioni.* — Cum in præsenti quæstione agatur de re ordinis supernaturalis, eam non ex solis rationibus philosophicis, sed imprimis ex SS. Scripturis et traditione Patrum dijudicare debemus. Ante omnia igitur quærendum est, quid de efficaciâ gratiæ docuerint Scripturæ, quid tradiderint Patres. Porrò, si Scripturarum aut Patrum testimonia inspexerimus, reperiemus gratiam non solum ex prævisione conditionati consensûs, sed ab intrinseco suapteque naturâ esse efficacem. *(Cf. n. 516 et ss.).* Cum igitur Molinistæ solam gratiam ex prævisione conditionati consensûs efficacem adstruant, manifestum est eorum systema Scripturis adversari atque traditioni.

« Non diffitemur, *inquit S. Alphonsus*, in Molinæ systemate melius » quidem conciliari gratiam cum libertate; maxima tamen hæc exsurgit » difficultas, quod ejus sententia non congruit cum sacris Scripturis, » quæ luce clarius significant, saltem juxta præsentem naturæ lapsæ » statum, efficacem esse gratiam ex se et *ab intrinseco*, non verò per » voluntatis consensum; gratiam præterea causam esse, quæ volun- » tatem determinet atque efficiat, ut bonum operemur. » *(App. n. 115; p. 520).* Et pluribus citatis S. Scripturæ testimoniis, addit S. Doctor: « Non ignoramus, *Molinam* et qui eum sequuntur, illos textus diverse, » juxta propriam sententiam, interpretari; sed negare non possunt, » eos Scripturæ locos sensu obvio et naturali reverà designare gratiæ » efficaciam *ab intrinseco.* Idque eo magis, quod SS. Patres, saltem » major eorum pars, eos locos ita intelligunt; atque imprimis eos ita » intelligit Doctor gratiæ, S. Augustinus, in sententiis quas hìc affero. » *(Loc. cit., n. 119; p. 521).*

Et agens de S. Augustino et S. Thomâ, ait S. Doctor: « Nec potest » negari, docuisse S. Augustinum et S. Thomam, ex seipsâ suâque » naturâ efficacem esse gratiam; quod quidem ex multis eorum verbis » liquet et nominatim ex iis, quæ hìc adjicio. » *(Magn. orat. med., P. 2, c. 4, n. 36; p. 720).*

De systemate Molinæ cum loquitur *Bellarminus*, ait: « Prima » opinio eorum est, qui gratiam efficacem constituunt in assensu et » cooperatione humanâ, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia » videlicet sortitur effectum, et ideò sortitur effectum, quia voluntas » humana cooperatur... Hæc opinio aliena est omninò a sententiâ » B. Augustini, et quantum ego existimo a sententiâ etiam Scriptu- » rarum divinarum. » *(De Grat. et lib. arb., L. 1, c. 12; p. 439).*

Tanner, S. J., eximius theologus, item probat hanc Molinæ Lessiique sententiam esse contra S. Scripturam et S. Augustinum, et

videri plane repugnare S. Thomæ. *(Disp. 6, dub. 5, n. 80 et ss.; p. 1164).*

Similia de eadem sententiâ tradit *Ripalda, S. J., (De Ente sup., disp. 109, sect. 2. Tom. 2, p. 465)*, ubi ex SS. Scripturis, Patrum testimoniis, et rationibus theologicis probat, gratiæ efficaci talem necessariò adscribi deberi causalitatem, ut ab intrinsecâ suâ vi et energiâ, non autem ex consensu per scientiam mediam præviso, inferat infallibiliter consensum voluntatis.

470. — II. *Hoc systema gratiam Dei nimis extenuat.* « Hæc sen» tentia, *inquit Tanner*, efficaciam gratiæ nimis extenuat. » *(Loc. cit., n. 76; p. 1163).* Etenim, si Deus antequam gratiam efficacem concedat, explorare debet, utrum voluntas velit ei consentire, an non, Deus jam non possidet sufficientem potestatem in cor hominis: nec potest voluntatem a nolente facere volentem; nec potest independenter ab hominis consensu gratiam efficacem elargiri. Quod Molinistæ ultrò concedunt. « Verum est, *inquit Kirsch, S. J.*, quod Deus non possit » cognoscere gratias efficaces, qua tales, nisi dependenter a præviso » conditionato consensu... Istud etiam ultrò do, quod Deus indepen» denter a præviso conditionato consensu per scientiam mediam nullam » possit vel eligere, vel dare gratiam efficacem... Si dicas, in hoc divi» nam misericordiam dependere a libero arbitrio, quia Deus non posset » nos salvare, nisi prius videret nos velle salvari. *Respondeo:* rectis» sime dicis, quia, cum in hac providentiâ nos liberos, non coactos, velit » divina misericordia salvare, non potest nos salvare, nisi videat infal» libiliter nos gratiâ præventos velle salvari. » *(De Grat.. P. 1, c. 5, § 3, n. 19 et 20; p. 281).*

Sed, juxtà S. Scripturæ testimonia, *(de quibus infra, n. 516 et ss.)* et Patrum dicta [1], tanta debet esse vis gratiæ, ut Deus, non exspectato prius libero hominis consensu, possit hominem ad libere consentiendum trahere, cor hominis convertere, et malam atque nolentem voluntatem in bonam et volentem mutare.

« Quis tam impie desipiat, *ait S. August.*, ut dicat Deum malas » hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in » bonum non posse convertere? » *(Enchir., c. 98. M., 40, c. 277).* — Et: « Cui (Deo) volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium. » Sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut » divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem... Hu-

[1] Cf. *Ripalda*, De Ente Sup., diss. 109, sect. 2; p. 466.

» manas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod » vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod » vult, cum vult, facit... Sine dubio habens humanorum cordium quo » placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem... Intus egit, » corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in » illis operatus est, traxit. » *(De corrept. et gr., c. 14. M., 44, c. 942).*

Porrò, hæc et similia S. Augustini et aliorum Patrum testimonia invicte probant, Deum posse, quando vult, et quomodo vult, operari in cordibus nostris, atque nostræ voluntatis consensum obtinere.

Dicunt Molinistæ, hanc potestatem Deo convenire non ex vi intrinsecâ gratiæ, sed ex certitudine de futuro hominis consensu, quam Deus habet ope scientiæ mediæ. « Si de modo agatur, *ait Mazzella*, » quo Deus potest inclinare voluntatem quocumque voluerit, respon- » demus id posse non prædeterminando, sed tribuendo illud auxi- » lium, cum quo prævidet connexum consensum. » *(De Grat., n. 726).* » Sed, ut optime notat *Ripalda*, huic solutioni contradicunt SS. Patres. « Satis diserte, *inquit*, exprimunt Patres eam potestatem in virtu- » tem intrinsecam divinæ gratiæ referendam; item eam esse omninò » antecedentem necessarium consensum, sicut est alia quævis potestas, » quæ in commendationem divinæ omnipotentiæ a Patribus prædi- » catur. » *(Disp. 109, sect. 2, n. 16; p. 467).*

Nisi igitur Patribus contradicere, divinamque potentiam plus æquo deprimere velimus, talis est necessariò admittenda gratia, non quæ dependenter a libero consensu prius præviso a Deo cognoscatur ut efficax; sed quæ in se ipsâ, independenter a consensu, et antecedenter ad eum, habeat jam infallibilem connexionem causalitatis cum effectu, et quæ consensum non exspectet ut in opus influat, sed virtute sibi intrinsecâ consensum operetur et efficiat. *(Cf. n. 514 et ss.).*

471. — III. *Orationis necessitatem minuit.* — In SS. Scripturis nihil instantius commendatur quam orationis necessitas, ut homo salutem consequatur, adeò ut salus nostra ab oratione dependere recte affirmes [1].

Thomistæ et Augustiniani Molinistis acriter obtrudunt, in eorum systemate orationis necessitatem penitus auferri. Nos non tam longe progedimur: nostrâ sententiâ, in eo systemate orationis necessitas non penitus aufertur, attamen plus æquo deprimitur. Etenim:

[1] Cf. *S. Alph.*, Magn. orat. med., P. 1, c. 1; p. 635. — [2] Cf. *Gotti*, De Grat., q. 2, dub. 5, § 2, n. 13. T. 9, p. 136. - *Billuart.*, De Grat., Diss. 5, a. 6. T. 3, p. 148.

Juxta Molinistas, urgente præcepto, Deus semper elargitur gratiam sufficientem, quam homo libero suo consensu efficacem in actu secundo reddere potest. Igitur, homo semper in suâ potestate habet tentationem vincere legemque servare. Sed, ut ait *S. Augustinus:* « Quid stultius quam orare ut facias quod in potestate habeas? » *(De Nat. et Grat., c. 18. M., 44, c. 256).* Et: « Quis optat quod in po- » testate sic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adjumento? » *(De peccat. mer., c. 6. M. 44, c. 155).* Cum igitur juxta Molinistas omnibus semper concedatur auxilium sufficiens, cujus efficacia in actu secundo dependeat ab ipsorum liberâ voluntate, non est cur aliquid aliud petant. Quid enim peterent? Ut auxilio collato consentirent? Sed ille consensus est in liberâ potestate hominis; et irrisoria est petitio quâ quis petit, quod in suâ constitutum est potestate. — An gratiam efficacem? Sed nulla datur efficax independenter a liberâ hominis cooperatione seu determinatione. — An gratiam, quam Deus consensum obtenturam fore prævidet? Sed in hominis potestate est quamlibet gratiam reddere efficacem, et Dei prævisio pendet a libero consensu hominis. Non superest igitur quod petat homo. Quâ de causâ, tertiam propositionem ex scriptis Lessii excerptâ, jam censurârunt Doctores Lovanienses et Duacenses, eo quod orationis necessitatem tolleret [1].

472. — Verum quidem est, Lessium in suâ apologiâ ad prædictam censuram respondisse, hominem non habere semper auxilium immediate sufficiens ad legem servandam, sed quandoque solum auxilium mediate sufficiens, mediante scilicet oratione; ac proinde hominem oratione indigere, ut gratiam proxime sufficientem accipiat. Verum tamen etiam est, nec Lessium, nec Molinam, nec quemquam ex eorum discipulis, in ipsâ systematis expositione de orationis necessitate mentionem fecisse; sed gratiam undequaque semper sufficientem videri statuisse, perinde ac si homo quilibet gratiam proxime sufficientem ad operandum et salutem consequendam in suâ potestate semper habeat: quod certe legem orationis non commendat.

« Id obtinuit nobis Christus ob sua merita, *inquit Molina,* atque » inter leges quas tam ipse, quam Pater æternus statuerunt de auxiliis » et donis, quæ nobis Christus promeruit, mere gratis conferendis, » una, eaque rationi maxime consentanea fuit, ut quoties ex nostris » viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis est, præsto » nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet ad salutem, effi- » ceremus, ut eâ ratione, dum essemus in viâ, semper in manu liberi

[1] Censuræ; p. 21 et 73.

» arbitrii nostri posita esset salus nostra, per nosque ipsos staret, quod » ad Deum non converteremur. Quare, sicut Deus semper præsto est » per concursum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit, aut » nolit, prout placuerit: ita præsto illi est per auxilium gratiæ suffi- » ciens, ut quoties ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus » aliquod ex iis, quæ ad justificationem spectant, illud exequatur prout » ad salutem oportet. » *(Concord., a. 13, disp. 10; p. 13).* Quibus verbis Molina auxilium proxime sufficiens omnibus semper adesse certe denotare videtur, ejusque liberalem donationem non orationi, sed naturali conatui adscribit: quod utique orationis necessitatem non commendat.

Quibus de causis recte dicimus, systema Molinæ, etsi orationis necessitatem non penitus tollat, eam tamen plus æquo minuere; atque fidelibus, si apud eos in praxim deduceretur, maximum salutis præjudicium allaturum esse.

473. — IV. *Falso aut saltem debili nititur fundamento.*

a) Agens de systemate Molinæ, scribit *Tanner*, S. J.: « Mihi pro- » bari ea sententia nunquam potuit, quia inani nititur fundamento; » eo nimirum potissimum, quod auctores ejusdem existimant, si effi- » cacia gratiæ constituatur in vi quadam infallibili efficiendi consen- » sum, quæ prior sit ipso consensu absolute futuro, destructum iri » libertatem consensûs: quod falsum est ex iis etiam, quæ auctores » isti ultrò concedunt. » *(Q. 2, dub. 5, n. 77; p. 1163).*

Sicuti enim ex infra dicendis patebit, plena et integra voluntatis libertas perfecte conciliatur cum omnimodâ infallibilitate gratiæ ab intrinseco efficacis, prædeterminantis voluntatem motione morali. *(Cf. n. 576 et ss.).*

474. — *b)* Aliud fundamentum, in quo directe nititur systema Molinæ, est scientia media. « Molinistarum systema de naturâ gratiæ » efficacis, *ait Mazzella*, totum tanquam fundamento superstruitur » scientiâ Dei mediâ. » *(De Grat., n. 658).* Verùm, nihil in theologiâ incertius, quam hujus scientiæ existentia. Eam unanimiter rejiciunt Thomistæ, Augustiniani et Scotistæ; et si verbis Molinæ, qui se hujus scientiæ inventorem prædicat, fides est adhibenda, ipsa tam S. Augustino et aliis Patribus, quam antiquioribus theologis omnibus fuit prorsus ignota. « Nos, *inquit*, pro nostrâ tenuitate rationem totam con- » ciliandi libertatem arbitrii cum divinâ gratiâ, præscientiâ et præ- » destinatione tradimus,... quæ si data explanataque semper fuissent, » forte neque pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam

» impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obten-
» dentes cum divinâ gratiâ, præscientiâ et prædestinatione cohærere
» non posse; neque ex Augustini opinione concertationibusque cum
» Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecis-
» sent... Neque verò dubito, quin ab Augustino et cæteris Patribus
» unanimi consensu comprobata fuisset hæc nostra de prædestinatione
» sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divinâ gratiâ,
» præscientiâ et prædestinatione, si eis proposita fuissent... Hæc nostra
» ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divinâ prædestinatione, a
» nemine quem viderim, huc usque tradita est. » *(Concord., q. 24, a. 4 et 5; p. 548 et 550).* Similia tradit *Typhanius, S. J.:* « Nullum, *ait,* » alium theologum ante Molinam, ne per somnium quidem, de scientiâ » mediâ cogitasse, nec illam ullibi, vel supposuisse, vel adhibuisse. » *(De ordine, deque priori et posteriori, c. 24; apud Wenzl, p. 530).*

Jamverò, si scientia media vere existeret, valde mirum est, Deum eam Patribus et toti Ecclesiæ abscondisse, et per tot sæcula caligine densâ involutam tenuisse, donec eam tandem Molina sui visûs acumine detegeret. Cum igitur, fatentibus ipsis ejus propugnatoribus, scientia media sit dogma in sacrâ doctrinâ recens introductum, ipsa jure tenenda est tanquam suspecta, et admodum dubia; proinde etiam systema, quod totum eâ superstruitur, suspectum est habendum, et admodum dubium.

475. — V. *Systema Molinæ fuit in scholis prohibitum.*

« Denique, *ait Tanner, (loc. cit., p. 1166),* eadem sententia post » diuturnam et diligentem hujus rei discussionem, peculiari decreto » R. P. N. Claudii Aquavivæ Societatis nostræ Præpositi generalis, » anno 1613, improbata est, cum ita ad Societatem nostram rescribit: » *Mandamus, ut in tradenda divinæ gratiæ efficacitate, nostri eam* » *opinionem sequantur, sive in libris, sive in lectionibus ac publicis* » *disputationibus, quæ a plerisque Societatis nostræ scriptoribus tra-* » *dita, atque in controversiâ de auxiliis divinæ gratiæ... tanquam* » *magis consentanea SS. Augustino et Thomæ, gravissimorum Patrum* » *judicio, explicata et defensa est. Nostri in posterum omninò doceant,* » *inter eam gratiam, quæ effectum reipsa habet atque efficax dicitur,* » *et eam, quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in* » *actu secundo, quia una ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem* » *gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso* » *actu primo, quod positâ scientiâ conditionalium, ex efficaci Dei pro-* » *posito, atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de indu-*

» *striâ ipse ea media seligit, atque eo modo et tempore confert, quo* » *videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si hæc inefficacia* » *prævidisset. Quare semper moraliter, et in ratione beneficii, plus* » *aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratiâ, etiam in actu primo* » *contineri. Atque hac ratione efficere Deum, ut re ipsa faciamus, non* » *tantum quia dat gratiam, quâ facere possimus: quod idem dicendum* » *de perseverantiâ; quæ procul dubio Dei donum est. Romæ, 14 De-* » *cembris, anno 1613.* » (Cf. Denzin., n° 964).

476. — Docent recentiores quidam Molinæ discipuli, magistri sui sententiam hoc decreto nullatenus fuisse proscriptam [1], sed aliud nescio quod systema. Porrò, Molinæ systema vere fuisse prohibitum, fere omnes confitentur theologi ex Soc. Jesu, et palam est ex verbis ipsius decreti: Molina et Lessius aperte docent, gratiam pure sufficientem et efficacem ex solo consensu liberi arbitrii inter se distingui; quod amplius doceri juxta verba decreti fuit prohibitum. Decreto paruerunt theologi; exinde in sinu Societatis Congruismus Suaresii invaluit, quem tamen placita moliniana temperaverunt; hodie vero purus molinismus iterum refloruit [2].

[1] Cf. *Mazzella,* n. 717. - *Schneeman,* Controv. de div. Grat., § 16; p. 302.

[2] « On constate, *ait De Regnon,* qu'à partir de ce décret, le pur Molinisme » cessa d'être enseigné parmi nous. Partout, depuis lors, dans nos écoles, régna » le Congruisme, système complexe, sorte d'intermédiaire entre le Molinisme » et le Thomisme... Il est même probable que c'est précisément ce caractère » mixte qui porta le P. Acquaviva à imposer à la Compagnie le système de » Suarez ». *(Bannez et Molina, p. 129).* Et: « Ce que nous savons par l'histoire, » c'est que si l'ordre du Général fut strictement observé dans la Compagnie, » on évita cependant d'insister sur la doctrine qu'il impose, sauf dans les cours » de théologie. Là même on chercha bientôt à fondre ensemble le Congruisme » et le Molinisme pour obéir au décret, sans renoncer à un sentiment plus » consolant.

» Le P. Schneemann en est encore à ces projets de fusion qui ne peuvent » aboutir, suivant plusieurs, qu'à la confusion des idées. Qu'il me soit permis » de lui rappeler que de nos jours, et sous le regard des supérieurs, le pur » Molinisme a reparu dans un certain nombre de nos chaires. Par conséquent, » nous pouvons actuellement, en toute obéissance et soumission, défendre la » conception de nos incomparables théologiens Molina et Lessius. » *(Loc. cit., p. 133).*

CAPUT V.

DE SYSTEMATE CONGRUISTARUM [1].

477. — Molinistæ gratiæ efficacitatem nimis extenuant, ut ait Tanner supra citatus, libertati hominis nimis indulgent, Deique supremo dominio derogare videntur. Hoc igitur in puncto Suaresius systema Molinæ emendare nisus est: exinde natus est *Congruismus*, qui post decretum P. Acquavivæ in Scholis Societatis invaluit, atque sive purus, sive sententiis Molinæ plus minusve temperatus, multos per annos fuit traditus. De Congruismo puro hìc solum agemus.

478. — 1° Congruistæ gratiam excitantem distinguunt in efficacem et sufficientem. « Assero, *inquit Suarez*, auxilium efficax, prævenions » ordine naturæ consensum liberum voluntatis, esse quoddam auxi- » lium excitans, ita ut auxilium excitans, in genere sumptum, abs- » trahat a sufficiente et efficaci, et in illa dividi possit tanquam in » membra condistincta intra latitudinem auxilii excitantis. » *(De Aux., L. 5, c. 5, n. 3; p. 405).*

479. — 2° Gratiam efficacem (quam etiam vocant congruam) definiunt illam « *per quam Deus facit ut velimus et faciamus;* » *(Suarez, c. 5, n. 10; p. 408);* seu *auxilium quo Deus facit ut homo faciat. (Suarez, c. 3, n. 2; p. 394).* — Est igitur auxilium efficax vocatio quædam prævenions, quâ Deus hominem ita ad bonum excitat, ut homo, etsi absolute loquendo posset non operari, infallibiliter tamen operetur, quia « Deus eâ intentione dat tale auxilium, ut infallibi- » liter talem effectum simul conferat. » *(Suar., c. 1, n. 12; p. 391).* Unde, dum Molinistæ dicunt Deum dare gratiam QUAM PRÆSCIT fore efficacem, Congruistæ dicunt Deum dare gratiam QUIA PRÆSCIT eam fore efficacem [2].

480. — 3° Duo ad gratiam efficacem requiruntur: intrinseca vocationis vis movendi hominem ad bonum, et infallibilis connexio hujus motionis cum consensu voluntatis. « Duo, *inquit Suarez*, requiruntur » ad gratiam seu auxilium efficax prævium, unum est ut inducat » voluntatem in consensum, aliud ut infallibiliter consequatur effe- » ctum. » *(C. 24, n. 11; p. 513).*

[1] Cf. *Suarez*, De Auxil., L. 5. - *Vasquez*, Disp. 88, 98, et 99. - *Tanner*, Disp. 6, q. 2, dub. 6; p. 1169. - *Bellarm.*, De Grat. et lib. arb., L. 1, c. 12 et 13. - *Simonnet*, De Grat., disp. 3, a. 9, et ss.; p. 303; et art. 4; p. 348. — [2] Cf. *De Regnon*, Bannez et Molina; p. 127.

Intrinsecam vim movendi voluntatem gratia habet ex se et ex suâ naturâ; et hæc virtus ei competit propter ejus congruitatem et contemperationem cum hominis ingenio, indole, et cum circumstantiis loci et temporis in quibus versatur homo, adeò ut eadem specie gratia in his circumstantiis sit efficax, quæ in aliis circumstantiis fuisset inefficax, et vice versâ. « Eadem specie et intensione gratia, *ait Si-*» *monnet,* quæ incongrua est pro aliquibus circumstantiis, pro aliis » congrua esse potest, et est. Unde eadem etiam specie et intensione » gratia sic est pure sufficiens pro aliquibus circumstantiis, ut possit » esse et sit efficax pro aliis. Quare eadem etiam specie et intensione » gratia quæ non habuit, aut habitura est effectum in certis circum-» stantiis, in quibus erit incongrua et inefficax, adeoque pure sufficiens, » habuit in aliis, si data est, vel habuisset, si data esset; ita habitura » est in aliis, si dabitur, aut habitura esset, si daretur: quia in aliis » fuit vel fuisset, item in aliis erit vel esset congrua et efficax. » *(De Grat., disp. 4, a. 3; p. 369).*

481. — Infallibilem autem connexionem cum effectu gratia efficax non habet ex suâ entitate, quia sic destrueretur libertas voluntatis; sed ex prævisione Dei, qui ope scientiæ mediæ cognoscit, talem hominem, si ipsi in hisce circumstantiis dederit tale auxilium, infallibiliter esse consensurum. « Dico tertio, *ait Suarez:* infallibilis con-» nexio, quæ in vocatione congruâ seu efficaci cum libero consensu » invenitur, non est mere causalis, sed præscientiæ, non per absolutam » scientiam, sed per conditionatam, quâ Deus de omni voluntate creatâ » et creabili præscit quid sit actura in omni tempore et occasione, si » hoc vel illo modo excitetur seu vocetur. » *(C. 21, n. 6; p. 499).*

Et: « Vocatio efficax illa est quæ de facto habitura est infallibi-» liter effectum a vocante intentum, et ideo, licet in se sit gratia præ-» veniens a solo Deo facta, nihilominus includit habitudinem ad coo-» perationem futuram liberi arbitrii, cum auxilio gratiæ simultaneo, » et consequenter includit quamdam congruitatem respectu personæ » cui datur, ut sit illi ita proportionata et accommodata, sicut oportet, » ut in tali personâ, in tali tempore et occasione infallibiliter effectum » habeat, et per hoc habet illa vocatio quod congrua et efficax sit... » Gratia efficax dicitur quæ infallibiliter habitura sit effectum, et sub » hac ratione a Deo infunditur. Sed non habet hanc infallibilitatem » ex vi suæ entitatis, vel alicujus absolutæ proprietatis suæ; ergo » necesse est ut habeat conjunctam habitudinem ad effectum futurum » cum liberâ determinatione, ut inde habere possit dictam infallibi-» litatem. » *(C. 21, n. 4; p. 498).*

482. — Ex dictis intelligere liquet, cur systema Suaresii vocetur *Congruismus*, et ejus gratia efficax *congrua*, *congruitate extrinsecâ*. Vocatur *Congruismus*, *congruitate extrinsecâ*, quia infallibilis gratiæ efficacia non provenit ex ipsius gratiæ entitate absolutâ, nec ex vi aut energiâ ipsius gratiæ intrinsecâ, sed ex ejus congruitate, accommodatione, convenientiâ et attemperatione cum hominis ingenio, naturâ, affectibus, variisque locorum ac temporum circumstantiis, *prout hæc omnia subjacent scientiæ mediæ*.

Hæc extrinseca congruitas sedulò distinguenda est a congruitate intrinsecâ, quam et nos in gratiâ efficaci admittimus, *(de qua longius infra, n. 561 et ss.)*, et quæ desumitur ex entitate ipsius gratiæ, et ex mirâ vi et energiâ intrinsecâ gratiæ, quibus fit ut gratia habeat in se et ex se, independenter a scientiâ mediâ, et antecedenter ad prævisum consensum, infallibilem connexionem causalitatis, et non solum prævisionis, cum effectu.

483. — 4° Gratia efficax ad omnia et singula opera salutaria, sive gravia sint, sive levia, necessaria est. « Dixerunt aliqui, *ait Suarez*, » hoc auxilium efficax non esse necessarium, nec dari ad singulos actus » supernaturales... Nihilominus, contraria sententia tanquam omninò » vera tenenda est, ac dicendum gratiam efficacem dari et requiri ad » omnes et singulos actus supernaturales, qui ab hominibus fiunt. » *(Cap. 2, n. 2 et 3; p. 391)*. Et: « Deus juxta probabiliorem sententiam, » prædefinit omnes et singulos actus supernaturales; ergo, ut infalli- » biliter illa prædefinitio habeat effectum, necessaria est gratia efficax » ad singulos actus. » *(Loc. cit., n. 5; p 393)*. Prædefinitio enim, ut ait *Mazzella*, est: « Decretum seu voluntas, quâ Deus antecedenter ad » creaturæ liberæ determinationem *absolute* prævisam, ab æterno po- » sitive, absolute et efficaciter decrevit, ut ab eadem creaturâ aliquis » actus bonus fiat in tempore. » *(De Grat., n. 688)*. Hujuscemodi verò prædefinitione pro omnibus et singulis actibus salutaribus semel admissâ, necessariò admittenda est gratia efficax pro omnibus actibus; secus enim contingere posset, vel actus prædefinitos non evenire, vel actus non prædefinitos evenire.

484. — 5° Necessitas gratiæ efficacis fundatur tum in magnâ perfectione Divinæ Providentiæ, tum in intrinsecâ perfectione actuum supernaturalium; quâ de causâ etiam necessaria fuit Adamo innocenti, et Angelis dum erant in viâ. « Fundanda est hæc necessitas, » *ait Suarez*, in modo operandi Dei et in magnâ perfectione provi- » dentiæ ejus, præsertim in his supernaturalibus, et quæ ad salutem » hominum spectant. » *(C. 2, n. 5; p. 393)*. — « Sine ullâ dubitatione

» dicendum est, etiam in statu innocentiæ fuisse necessarium auxi-
» lium efficax ad actus supernaturales efficiendos. Probatur, quia ne-
» cessitas hujus auxilii non est orta ex lapsu naturæ humanæ, nec
» ex defectu virium ad bene operandum contracta, sed ex intrinsecâ
» perfectione supernaturalium actuum. » *(C. 2, n. 7; p. 395).* Et paulo infra, *n. 9,* idem affirmat de Angelis.

485. — 6° Ex dictis jam manifestum est, quid, juxta Congruistas, sit *gratia sufficiens,* quam etiam vocant *incongruam*, quæ semper est inefficax. Est nimirum vocatio prævia seu auxilium excitans, hominis ingenio et dispositionibus non attemperatum, neque accommodatum circumstantiis loci et temporis, quodque ob dictam incongruitatem virtute destituitur voluntatem efficaciter ad consensum movendi, et a Deo prævidetur consensum non obtenturum.

486. — 7° Ex dictis conspicuum est:

a) Efficaciam gratiæ *efficienter* esse a solo Deo, qui, ut aiunt, de industriâ aliis dat gratias congruas, aliis verò incongruas. « Ve-
» rius ac melius absolute dicitur, *ait Tanner*, efficaciam gratiæ pen-
» dere a solo Deo. » *(Disp. 6, q. 2, dub. 6, n. 112; p. 1175).* Et *Simonnet:* « Quando gratia congrua est, congruitatem suam habet forma-
» liter a se ipsâ, seu a suâ entitate, efficienter a Deo, misericorditer
» illam dante in iis circumstantiis, in quibus a voluntate non impe-
» ditur ejus congruitas. » *(Art. 12; p. 335).*

b) Efficaciam gratiæ *formaliter* non consistere in ipsâ entitate gratiæ, aut in aliquâ virtute absolutâ gratiæ intrinsecâ, quia quid-quid est intrinsece in auxilio efficaci, illud etiam invenitur in sufficienti. « Asserimus, *inquit Suarez*, vocationem efficacem non addere
» sufficienti novum auxilium præveniens, neque aliquam entitatem vel
» proprietatem realem absolutam, quæ ad constituendum auxilium
» efficax, et distinguendum illud a sufficiente, necessaria sit; etc. »
(Cap. 21, n. 2; p. 497). — Hanc efficaciam neque dependere ab eventu seu consensu voluntatis, sicut dicunt Molinistæ, quia « in potestate
» liberi arbitrii non est gratiam efficacem vel inefficacem reddere. »
(Tanner, loc. cit.). Et *Simonnet:* « Gratia naturâ prius movet, et in-
» fallibiliter movet voluntatem quomodo ei congruit, quam actu con-
» sentiat. Hinc neque congruitas neque infallibilitas congruitatis de-
» pendet dependentiâ proprie dictâ a consensu absolute futuro: nam
» si gratia naturâ prius movet, et infallibiliter movet voluntatem quo-
» modo ei congruit, quam actu consentiat, naturâ prius futurum est,
» ut gratia moveat, et infallibiliter moveat voluntatem quomodo ei
» congruit, quam futurum sit ut consentiat. » *(Art. 12; p. 336).* — Sed

consistere hanc efficaciam in virtute ipsius gratiæ *dependenter* a circumstantiis, seu in congruitate *extrinsecâ*, quam habet gratia cum hominis ingenio et circumstantiis in quibus versatur, ut supra explicatum est.

c) Infallibilitatem connexionis gratiæ cum effectu *non esse causalitatis, sed tantum prævisionis*, aliundeque haberi non posse, nisi ope scientiæ mediæ; « quia quod est infallibile in causâ, non potest » non evenire, positâ illâ », sic enim destrueretur libertas sub motione gratiæ; « ergo hæc infallibilitas non potest esse in ipso auxilio secun» dum se spectato, tanquam in causâ. Et inde concluditur debere esse » in præscientiâ, quia in effectu futuro, priusquam fiat, non potest alius » modus infallibilis cogitari. » *(Suarez, c. 21, n. 6; p. 500).*

487. — 8° Hâc suâ explicatione Congruistæ autumant libertatem creatam perfecte conciliari cum omnimodâ gratiæ infallibilitate, atque supremum Dei dominium in corda hominum perfecte salvari. « In » nostro systemate, *ait Simonnet*, duo in eadem gratiâ conciliamus, » quæ primâ fronte videntur conciliari non posse, summam scilicet » infallibilitatem cum intrinsecâ repudiabilitate, etiam moraliter et » humanitus ad actum reducibili. Secundum nos, gratia efficax, quan» tum est ex se, contingenter tantum et fallibiliter movet voluntatem, » quomodo ei aptum est ut consentiat, et tamen consensum ejus summâ » infallibilitate obtinet. Secundum nos, gratia per se talis est, ut volun» tas possit ei resistere, possit eam abjicere... potentiâ etiam moraliter » et humanitus ad actum reducibili, sed summâ infallibilitate non re» ducendâ pro iis circumstantiis, pro quibus gratia supponitur efficax. » Secundum nos, gratia efficax est medium secundum se cum effectu » contingenter tantum et fallibiliter connexum, per quod tamen Deus » summâ infallibilitate operatur effectum: unde medium est exe» quendis decretis absolutis et efficacibus sufficientissime proportio» natum, sartis tectis libertatis humanæ juribus. » *(Q. 3, a. 9; p. 313).*

488. — 9° Addunt demum Congruistæ, gratiam efficacem seu congruam esse semper majorem inefficaci in ratione doni et beneficii. « Absolute dicendum est, *ait Tanner*, etsi gratia efficax non semper » excedat inefficacem physice, seu secundum entitatem physicam, » attamen moraliter, et in ratione beneficii, semper excedere... Ratio » est manifesta: quia beneficium, cum relate dicatur ad subjectum, » cui donatur, et ad donantem a quo donatur, absolute loquendo, » majus est, quod ex majori affectu amoris et benevolentiæ profici» scitur, et juxta intentionem ac præscientiam ipsius donantis, magis » oportunum et utile est ei, cui confertur... At verò gratia efficax

» confertur a Deo ex majori amore et benevolentiâ, hominem scilicet » absolute et efficaciter convertendi, seu perducendi ad finem super- » naturalem, quam gratia inefficax; simulque etiam illa, juxta præ- » scientiam et intentionem Dei conferentis, oportune confertur, gratia » autem inefficax non ita. » *(Disp. 6, q. 2, dub. 7, n. 114; p. 1176).*

489. — Œconomia salutis. — Congruistæ prædestinationem ante prævisa merita, et reprobationem negativam admittunt. Electis « de » industriâ Ipse (Deus) ea media seligit, atque eo modo et tempore » confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si » hæc inefficacia prævidisset. » *(P. Acquaviva, in Decr. an. 1613).* Non electis autem Deus ea seligit media, eaque iis in circumstantiis eoque tempore ac loco confert, quibus videt effectum infallibiliter non habitura, non quidem ex defectu ipsius gratiæ, sed ex malitiâ voluntatis.

DIFFICULTATES.

490. — I. *Destruitur gratia ab intrinseco efficax.* — Congruistæ gratiam suapte naturâ et ab intrinseco efficacem, atque infallibili connexione causalitatis conjunctam cum effectu, respuunt tanquam creatæ libertatis eversivam. « Nullum auxilium excitans, *ait Suarez*, de se » et ex vi suæ entitatis, esse efficax ad determinandam voluntatem » ad unum. » *(Cap. 21, n. 2; p. 498).* Et *Tanner:* « Nihil esse in » ipsâ vocatione intrinsecum, ex quo gratia vocans habeat infallibi- » litatem producendi effectum. » *(Disp. 6, q. 2, n. 104; p. 1173).* Sed hoc, sicut supra jam dictum est, SS. Scripturis repugnat. Repugnat et doctrinæ S. Augustini, ejusque discipuli S. Prosperi.

Ejusmodi gratiam efficacem requirit S. Augustinus, quâ *ipse* (Deus) *facit ut illi* (homines) *faciant quæ præcepit. (De prædest. Sanct., c. 10. M., 44, c. 975).* Porro, talis non est gratia congrua. Definiunt equidem Congruistæ gratiam efficacem *illam per quam Deus facit ut velimus et faciamus.* Quonam verò modo hæc definitio in eorum gratiam efficacem quadret, non satis manifestum est. Qui enim facit ut velimus et faciamus, ipse operatur nostrum velle et nostrum operari; et ideò in ipso decreto, quo Deus decernit dare gratiam efficacem, quâ operatur nostrum velle et nostrum operari, effectum gratiæ jam infallibiliter cognoscit, et non indiget ut ope scientiæ mediæ prius exploret, an voluntas velit necne tali gratiæ assensum præbere. Si ergo, sicut asserunt Congruistæ, necesse est Deum, ut effectum gratiæ infallibi-

liter cognoscat, prius explorare quid voluntas cum gratiâ actura sit, si ei detur, hoc signum est efficacitatem gratiæ a liberâ voluntatis humanæ determinatione dependere, prout dicunt Molinistæ; nec proinde revera dici potest Deus facere ut velimus et faciamus.

Præterea, juxta S. Augustinum, talis est admittenda gratia efficax, quâ homines *volentes ex nolentibus fiant, (Ad Bonif., L. 1, c. 19. M., 44, c. 568)*, et juxta S. Prosperum, quâ Deus *ex invito volentem facit, ita ut cor inde velit unde nolebat. (Cont. Collat., c. 3. M., 51, c. 222)*. Sed, talem gratiam efficacem non agnoscunt Congruistæ. Si enim Deus, ut effectum gratiæ infallibiliter cognoscat, ope scientiæ mediæ prius explorare debet, quid creata voluntas ex determinatione sui arbitrii actura sit, si hæc vel illa gratia ipsi concedatur, signum est, gratiam non facere voluntatem ex nolente et invitâ volentem, sed obtinere effectum, quia voluntas vult libere consentire. Quare, posito quod voluntas absolute nolit vocationi consentire, nullum jam præsto est Deo medium hominem convertendi: quod certe supremo Dei dominio repugnat.

491. — Respondent Congruistæ, in thesauro divinæ omnipotentiæ non deesse media hominibus quantumvis nolentibus adaptata, ita ut nullus possit reperiri, qui Deo vocanti non respondeat, si Deus velit efficaciter vocare. — Sed nihil prodest hæc evasio, quia hominis consensus naturâ prior semper supponitur, quam infallibilitas effectûs; nec gratia est, quæ prius facit consentire voluntatem; sed effectum obtinet, quia voluntas prius vult consentire.

492. — Respondent præterea Congruistæ, efficaciam in actu secundo non dependere a præviso consensu voluntatis, quia gratia est naturâ prius efficax, quam voluntas consentiat, *(Simonnet, p. 338)*, sed dependere a circumstantiis, quibus adaptatur. Verùm, neque hæc quidquam prodest evasio; quia, cum circumstantiæ sint aliquid a gratiâ extrinsecum, gratia nunquam erit efficax ab intrinseco. — *Præterea*, Dei omnipotentia minui videtur: Deus enim sic a circumstantiis dependere videtur, perinde ac si non posset independenter ab omni circumstantiâ immediate et directe in corda operari, ad ea indeclinabiliter movenda. — *Demum*, hæc evasio nec proposito a Congruistis intento respondet: gratia enim ex circumstantiis congrua habet cum effectu infallibilem connexionem vel ante vel post prævisionem consensûs: si ante, redit gratia conjuncta cum effectu infallibili connexione causalitatis, quam respuunt Congruistæ tanquam libertatis eversivam; si post, redit gratia efficax ab eventu, in sensu Molinistarum, quam pariter respuunt.

493. — II. *Destruitur gratia vere et relative sufficiens.* — Gratia vere et relative sufficiens ea est, quacum homo, spectatis circumstantiis in quibus versatur, vere et realiter operari potest, si velit; ita ut præcepti omissio soli malæ hominis voluntati, nullatenus autem defectui gratiæ, sit adscribenda. Atqui hujusmodi non est gratia sufficiens seu incongrua Congruistarum. « Secundum nos, *ait Simonnet*, » non consensus efficaciam gratiæ, sed efficacia gratiæ consensum; » similiter non dissensus inefficaciam gratiæ, sed inefficacia gratiæ » dissensum naturâ præcedit. Ratio est, quia secundum nos, non consensus efficaciam gratiæ, sed efficacia gratiæ consensum positive; » similiter non dissensus inefficaciam gratiæ, sed inefficacia gratiæ » dissensum negative causat...

» Falsum est, hominem posse pro arbitrio reddere gratiam efficacem vel inefficacem. Nam ad hoc ut homo vere et proprie dici possit, » posse pro arbitrio reddere gratiam efficacem vel inefficacem, requiritur ut ante actum secundum gratia neque efficax sit, neque inefficax, sed sit ad utrumlibet indifferens. Atqui quod ante actum secundum gratia neque efficax sit, neque inefficax, sed sit ad utrumlibet indifferens, falsum est, secundum nos, cum secundum nos, » spectato solo actu primo sit efficax vel inefficax: nam secundum nos » vel congruit voluntati, vel non congruit. Si primum, efficax; si secundum, inefficax est, etiam spectato solo actu primo. » *(Art. 12; » p. 338).* — « Si non omnes sequuntur (vocationem), certe qui non sequuntur, non solum non sequuntur, quia nolunt sequi, sed etiam » quia non sunt congrue vocati. » *(Art. 9; p. 304).*

Igitur, cum juxta Congruistas gratia incongrua sit inefficax etiam spectata in solo actu primo, cum homo non possit gratiam incongruam reddere efficacem, cum inefficacia gratiæ dissensum naturâ præcedat sitque negativè causa consensûs, cum illi qui non sequuntur vocationem, non sequantur non solum quia nolunt, sed etiam propter incongruitatem gratiæ, manifeste sequitur, hominem cum gratiâ incongruâ seu sufficienter vere operari non posse, atque præcepti omissionem non refundi in solam malam hominis voluntatem, sed etiam in inefficaciam gratiæ; proinde, gratiam sufficientem non esse vere sufficientem, hominemque non esse culpandum, cum, motus solo auxilio incongruo, legem non impleat.

494. — Respondent quidem Congruistæ, gratiam sufficientem ex naturâ suâ non esse inefficacem; sed quantum est de se, conferre veram et expeditam agendi potentiam; carere verò semper effectu, quia in circumstantiis non congruis confertur. *Sed contra:* Licet gratia

sufficiens, absolute in se spectata, efficaciam habeat in actu primo, attamen cum non sit attemperata circumstantiis, neque sit in hominis potestate eam congruam reddere, ut omnes fatentur Congruistæ, semper verum remanet, gratiam sufficientem *comparate* ad præsentes circumstantias esse incongruam in actu primo, et inefficacem antecedenter ad hominis dissensum; neque esse in hominis potestate eam reddere efficacem in actu secundo; et consequenter gratiam illam esse vere insufficientem *relative* ad præsentes circumstantias, in quibus versatur homo.

495. — Si verò cum aliis quibusdam Congruistis dicatur, gratiam sufficientem suppeditare etiam comparate ad præsentes circumstantias veram et expeditam agendi potentiam, semper tamen et infallibiliter carere effectu, quia voluntas semper et infallibiliter resistit; voluntatemque semper resistere, quia pro libitu semper et infallibiliter vult resistere; quæritur ab eis, quænam sit causa cur per sex annorum millia omnes voluntates, etiam sanctissimorum virorum, gratiæ sufficienti semper et infallibiliter velint resistere? Sicut enim sapientissime ait *Duplessis:* « Hic aliqua ratio sibi constans afferenda est. Per» petuus enim et constans effectus per multa annorum millia constan» tem causam exigit, qualis non est fortuitus voluntatis dissensus. » Ut enim demus, humanam voluntatem, eo quod in malum jam prona » sit, sufficienti gratiæ *ut plurimum* resistere, non idcirco effectu suo » semper carere debet sufficiens gratia, quæ proximam potestatem det » ad recte agendum... Incredibile est voluntatem sufficienti gratiæ re» sistere *semper* velle, nisi aliqua constans causa hujusmodi *perpetuæ* » resistentiæ suppetat. Ut enim jam ante diximus: *Perpetuus effectus* » *semperque sibi constans quolibet tempore, constantem causam re*» *quirit,* nec *in fortuitum* voluntatis dissensum refundi potest. » *(De multipl. gen. grat.; p. 47).*

Porro hujus constantis et perpetuæ resistentiæ ex parte voluntatis non alia potest assignari causa, nisi ipsius gratiæ intrinseca insufficientia; vel, quod eòdem recidit, quia Deus istis de industriâ selegit gratias incongruas, ut optime notat Lessius, *(De prædest., sect. 2, n. 11; p. 263).*

496. — III. *Destruitur orationis possibilitas et necessitas.* — Ad divina auxilia accipienda et salutem consequendam, nihil instantius in SS. Scripturis et a SS. Patribus commendatur quam oratio. Atqui in systemate Congruistarum tollitur orationis possibilitas pro majori parte hominum. Enimverò: Oratio est actus bonus, et ut talis

a Deo prædefinitus, quia juxta Suaresium, omnes actus boni, etiam minimi sunt a Deo prædefiniti; ergo, juxta eumdem, ad quamlibet orationem prærequiritur gratia congrua seu efficax. Qui igitur orant, orant quia eorum oratio fuit a Deo prædefinita, et quia ad orandum accipiunt gratiam efficacem, quâ Deus facit eos orare; qui verò non orant, non orant non solum quia nolunt, sed etiam quia eorum oratio non fuit a Deo prædefinita, et quia non accipiunt gratiam efficacem, sed solam sufficientem, quam ex sententiâ Congruistarum, ut supra vidimus, homo non potest reddere efficacem. Qui igitur solam accipiunt gratiam sufficientem, actu orare nequeunt.

Præterea, « non est in potestate hominis habere gratiam efficacem, » *ait Simonnet*, nam homo facere non potest, ut uno potius modo vo- » cetur a Deo, quam alio, ac proinde facere non potest, ut potius vo- » cetur a Deo modo congruo quam incongruo. » *(Art. 12; p. 339).* Porrò, orationes ad Deum dirigimus, ut nobis auxilia ad salutem vere conducentia, id est, auxilia congrua et efficacia, elargiri dignetur. Quia igitur nihil facere potest homo, ut vocetur a Deo modo potius congruo quam incongruo, ejus orationes superfluæ sunt omninò et inutiles.

497. — Reponunt Congruistæ orationem esse necessariam ad gratias proximè sufficientes accipiendas. « Cum omnibus Doctoribus catho- » licis dicimus, *inquit Simonnet*, non semper adesse gratiam proxime » sufficientem ad implendum præceptum, aut vincendam tentationem, » et Deum gratiam hanc sæpe non dare, nisi debite petatur. » *(Art. 12; p. 334).* — *Sed contra:* Cum, juxta Congruistas, ad orationem jam prærequiratur gratia efficax, illi soli de facto orare possunt, qui auxilio efficaci moventur. Qui autem solâ gratiâ sufficienti moventur, cum eam non possint reddere efficacem, hi nunquam de facto orare possunt. Si igitur Deus gratias proximè sufficientes ad operandum iis solis concedit, qui eas implorant, collationem gratiæ efficacis subjicit conditioni cujus impletio non est in potestate eorum, qui solam accipiunt motionem sufficientem seu inefficacem. Quare, si hi carent gratiâ efficaci ad operandum necessariâ, eâ carent absque culpâ propriâ; proinde nec sunt culpandi si legem non impleant.

498. — IV. *Destruitur studium bonorum operum.* — « Deus, *ait* » *Suarez*, prædefinit omnes et singulos actus supernaturales; ergo, ut » infallibiliter illa prædefinitio habeat effectum, necessaria est gratia » efficax ad singulos actus. » *(Cap. 2, n. 5; p. 393).* Cujus gratiæ efficacis necessitas tanta est, ut « repugnet (hominem) operari quem-

» cumque hujusmodi actum in particulari, nisi a gratiâ efficaci pro» cedat. » *(Loc. cit., n. 4)*. Et hæc gratia efficax cum effectu infallibiliter conjungitur, quia « ipsa gratia congrua, ut efficax est, datur » ex intentione Dei, » *(Loc. cit., n. 5)*, quæ divina intentio effectu frustrari nequit.

Docent præterea Congruistæ, quod « homo non potest pro arbitrio » reddere gratiam efficacem vel inefficacem. — Non est in potestate » hominis non habere gratiam efficacem, quia non est in potestate » hominis facere, ne Deus eum, si velit, vocet quomodo ei congruit, » ut consentiat. — Non est in potestate hominis habere gratiam effi» cacem; nam homo facere non potest, ut uno potius modo vocetur a » Deo, quam alio. » *(Simonnet, art. 12; p. 338 et ss.)*.

Hisce doctrinis innixus, quilibet sic jure ratiocinari potest: Opera mea salutaria, quibus salutem consequi debeo, vel sunt a Deo prædefinita, vel non. — *Si non*, ad ea quæ præscribuntur efficienda, sola mihi concedetur a Deo gratia sufficiens et incongrua, quam reddere efficacem non est in meâ potestate; unde, velim, nolim, legem implere nequeo; imò orare nequeo, cum ad orationem jam mihi necessaria sit gratia efficax, ad quam accipiendam nihil facere possum.

Si verò opera mea sunt a Deo prædefinita, ad quodlibet opus ipse Deus mihi dabit gratiam efficacem, quâ faciet me facere. Et cum non sit in meâ potestate hanc gratiam non habere, aut eam reddere inefficacem, velim, nolim, opera prædefinita infallibiliter exsequar, et salvus ero. — Et sic evertitur monitum Apostoli, (II Petr. I, 10): *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*

Et ita in electis generatur socordia, in reprobis vero desperatio. « Talis secretio et præparatio gratiæ, *inquit Lessius*, electis daret » occasionem socordiæ; reprobis desperationis et abjiciendi omnes » conatus. Si enim (Deus) quærit electis eam gratiam, quam scit habi» turam effectum, cur sint solliciti ut gratiæ cooperentur, et ut effe» ctus sequatur? jam enim a Deo selecta et præparata est gratia » cum effectu ante omnem cooperationis prævisionem. Sicut si tu scires » animum meum tuâ persuasione inflectere ad omne bonum, et sta» tuisses mecum uti iis rationibus, quibus scires me promovendum, » non deberem ego de me excitando ad bonum esse sollicitus: sed » tibi omnis cura incumberet, ut tales persuasiones adhibeas. Simi» liter si ego non possem ad bonum nisi tuis suasionibus incitari, et » tamen nolles adhibere alias quam quas nosti fore irritas; cur spe» rem me aliquid boni facturum, cum certum sit omnem meum co-

» natum tandem fine frustrandum? » *(De prædest., sect. 5, n. 51; p. 330).*

499. — V. *Destruitur seria Dei voluntas salvandi omnes homines, Deusque videtur esse crudelis.* — « Ita nos oportet Deum facere fau» torem et adjutorium salutis electorum, *ait Lessius, (loc. cit.)*, ut non » faciamus veluti insidiatorem salutis reproborum. At si talem facit » secretionem gratiarum, ut electis non præparet nisi gratiam, quam » præsciebat habituram effectum, ita ut hæc sit tota ratio cur hìc et » nunc gratiam conferat; reprobis verò solum eam quam videbat » frustrandam: quomodo non videtur insidiari ipsorum saluti? Sicut » enim electis confert illam, ut impleatur quod de illis decrevit: ita » reprobis conferet alteram, ne fiat in illis quod noluit decernere, » videlicet salus. »

Præterea, ut ait prælaudatus auctor: « Quia (Deus) electis seligit » gratias congruas, ut fiat opus ab ipso prædefinitum: ergo non ele» ctis debet seligere incongruas, ne fiat opus quod ipse non prædefi» nivit. Absurdum enim esset ipsos facere aliqua opera bona, quæ a » Deo non sunt prædefinita; id enim esset contra perfectum modum » providentiæ, qui postulat, ut omnia talia ante prævisionem sint præ» definita, ut ipsi (Congruistæ) volunt. Unde ulterius sequi videtur, » Deum quasi insidiari illorum saluti. Si enim, cum salus periclitatur, » quærit et seligit illis gratias incongruas, (id est, quas scit fore ir» ritas), videtur id facere ne salventur, neve in numerum salvando» rum irrepant non electi. Quam enim ob causam alioquin id faceret? » Sicut enim ad providentiam ejus pertinet ut salvetur numerus sic » electorum: ita ad eamdem pertinere videtur, ut alii qui ab illâ ele» ctione sunt exclusi, non fiant salvi, quia alioquin posset fieri ut » aliquis ex istis in numerum illum intraret, quod est absurdum. » Quare cum ex tam immensâ multitudine nemo salvetur, signum est » id aliquâ peculiari providentiâ provisum: atqui hoc non consistit » cum sincero desiderio salutis; et nefas est ita de fonte illo bonitatis » sentire. » *(De prædest., sect. 2, n. 11; p. 263)* [1].

500. — VI. *Falsis nititur fundamentis.* — *a*) Supponunt Congruistæ, gratiam suapte naturâ efficacem et conjunctam cum effectu infallibili connexione causalitatis independenter a prævisione effectûs ope scientiæ mediæ, pessumdare libertatem creatam. Supponunt insuper, non aliud præsto esse medium explicandi infallibilem gratiæ effica-

[1] Cf. *Frassen*, De Grat., Disp. 2, art. 3, sect. 3, § 3; p. 232.

ciam, nisi per gratiam prædeterminatione physicâ agentem, vel per gratiam congruam prout conjunctam habet præscientiam effectûs ope scientiæ mediæ. Sed utramque positionem falsitate laborare ex infra dicendis conspicuum erit, (*n. 535 et ss.*). Præter gratiam enim physicâ præmotione moventem, et gratiam congruam ad sensum Suaresii, datur gratia suapte naturâ et ab intrinseco efficax et cum effectu infallibili connexione causalitatis conjuncta; quæ tamen, quia voluntatem solâ motione morali præmoveat, humanam libertatem illæsam et integram relinquit.

501. — *b*) Aliud fundamentum, quo nititur Congruismus, est operum nostrorum prædefinitio, quâ Deus, antecedenter ad nostram liberam determinationem absolute prævisam, ab æterno positive, absolute et efficaciter decrevit, ut omnia et singula opera nostra salutaria fierent in tempore, et quidem cum hoc vel illo gradu intensionis et perfectionis. — Hæc operum prædefinitio est unica ratio cur, secundum Congruistas, Deus seligat gratias congruas ab incongruis, illas deputans electis, has reprobis. « Ideo enim, *ait Lessius*, hæc distinctio gra» tiarum statuitur, quia necessaria est, ut opera bona a Deo præde» finita infallibiliter fiant; et quæ non sunt prædefinita, infallibiliter » non fiant. Quare si non est talis operum absoluta prædefinitio, non » erit opus illâ gratiarum discretione, quæ propter illam prædefini» tionem ponitur. » *(De prædest., sect. 2, n. 20; p. 288).*

Atqui, illa absoluta bonorum operum prædefinitio non datur. Etenim: si omnia et singula opera bona, et gradus perfectionis cujusque operis, sunt a Deo absolute prædefinita, sequitur, nulla alia opera reapse fieri posse quam prædefinita; nec ullum opus majori cum perfectione poni posse eâ, quacum positum est: secus enim, juxta Congruistarum placita, vacillaret divinæ Providentiæ infallibilis certitudo. Jamverò, hoc est contra intimam persuasionem omnium fidelium. Omnes enim fideles, præsertim viri sanctiores, se de neglectis piis operibus accusant, quæ se dīvinâ opitulante gratiâ facere potuisse sibi persuasum habent; omnes suum tepōrem accusant, quia opera non cum tantâ perfectione posuerunt, quantâ potuissent. Si verò Deus omnia et singula opera cum eorum gradu perfectionis prædefinivit, eccur isti cum dolore queruntur, se nec ampliora nec perfectiora peregisse opera salutaria, cum ipse Deus nolit eos ampliora et perfectiora peragere?

Quare dicendum est, vel omnes fideles in errore ineluctabili versari, quod nullus theologus asserere audet; vel Deum omnia et singula eorum opera salutaria non prædefinivisse.

CAPUT VI.

DE SYSTEMATE S. ALPHONSI.

502. — Quæ hactenus exposita sunt systemata, gravissimis, ut compertum est, objiciuntur difficultatibus ex eo ortis, quod videlicet gratiam ab intrinseco efficacem vel ad omnia prorsus opera salutaria necessariam dicunt, vel omninò de medio tollunt. « Quod si, *inquit* » *Duplessis d'Argentré*, tot ac tanta incommoda vitare velis, benevole » auditor, manus des in sententiam antiquiorum Scholasticorum de » auxilio excitantis gratiæ nec per se gratum facientis, cujus ope » quisque sine auxilio per se efficaci reipsa facere possit quod in se » est, inchoatæ scilicet boni volitioni ex animi deliberatione consen- » tiendo, et bonos actus licet imperfectos eliciendo, per quos effica- » cem gratiam pro libito impetrare valeat. Hâc viâ ab intricatissimis » difficultatibus, quibus in alienâ sententiâ satisfieri nequit, facile te » expedies. » *(De multipl. gen. div. gr., p. 48)*.

503. — Quæ antiquiorum Scholasticorum communis sententia quasi media intercedit Thomistas et Augustinianos inter atque Molinistas, cum illis statuens gratiam ab intrinseco efficacem, quando agitur de operibus difficilioribus; cum his verò admittens gratiam sufficientem, quæ ex consensu voluntatis fieri potest efficax, ubi sermo est de operibus facilioribus, præsertim de oratione. Hâc de causâ, hæc media sententia, ut ait *Mariana*, *S. J.*, tutissima vadit, quia supra gratiam quidem sufficientem addit efficacem. *(Cf. n. 393)*.

504. — Cum Duplessis d'Argentré concinit *D. Joan. Schwetz*, celeberrimus imperii Austriaci theologus († 1890). Hic, postquam ea, quæ superius exposita sunt systemata, ad trutinam revocavit, addit: « Quum itaque nullum quidem systematum enumeratorum plane sa- » tisfaciat, attamen phænomena gratiæ efficacis felicius per systema » Thomistarum, per systema Molinistarum verò phænomena gratiæ » sufficientis enodentur; porrò quum, ut demonstravimus, etiam gratia » sufficiens cum effectu nonnunquam conjuncta sit, et ideò non tantum » gratia efficax sensu communi, sed et sensu Molinistarum detur: rei » convenientissimum esse videtur, quoad efficaciam gratiæ divinæ » explicandam, utramque hypothesim conjungere, ita ut assumatur, » Deum illis, quos prævidet faciles gratiæ suæ obsecundaturos, cum » eâque cooperaturos, aut de quibus speciale aliquod habet consilium, » majorem gratiæ gradum conferat, bonumque per ipsos alacriter coo-

» perantes perficiat; aliis autem gratiam illâ quidem minorem, atta-» men vere sufficientem, concedat, quæ cum effectu conjuncta sit, si » voluntas cum illâ cooperata fuerit; illo destituatur, si illi voluntas » restiterit. » *(Theol. dogm., De Grat., art. 2, B, § 109. T. 2, p. 473).*

505. — Hanc mediam sententiam fere unanimiter tenuerunt Almæ Sorbonæ illustrissimi Doctores, ut *Ysambertus*, *Duvallius*, *Isaac Habertus*, *Alphonsus Le Moyne*, *Duplessis d'Argentré*, *Tournely*, etc. « Ea » sententia deinceps plurimis probata est, » ut testatur ipse *Schneemann*, *S. J. (Controv., p. 318).* Eamdem S. Alphonsus de Liguori, traditionis amicus, suam fecit tanquam aliis *multò probabiliorem et æquiorem*, eamque fuse evolvit et novis roboravit argumentis, ita ut ejus secundus Pater meritò dici possit. « Illius (systematis), *inquit Causa* » *Doctoratûs S. Alphonsi*, *secundus* saltem *parens* dicendus est S. An-» tistes, quatenus disjecta membra ita collegit, ut in systema ex omni » parte absolutum coalescerent, et argumentis jam ab aliis prolatis » nova eaque gravissima et evidentissima adjecit, quibus hoc systema » confirmatur. » *(Cap. 3, art. 1, p. 55).* Quocircà et hoc systema simpliciter inscripsimus: *Systema Sancti Alphonsi;* ipse enim S. Antistes primus et solus inter Ecclesiæ Doctores existit, qui de modo, quo gratia operatur, systema methodice concinnatum protulerit.

506. — **Compendiosa systematis expositio.** Innixus verbis S. Augustini: « Admonemur in facilibus quid agamus, in difficilibus quid » petamus », *(De Nat. et Gr., c. 69. M., 44, c. 289);* necnon et verbis ejusdem Doctoris a Concilio Tridentino, *Sess. VI, cap. 11*, relatis: « Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, et facere quod » possis, et petere quod non possis, et adjuvat, ut possis, » *(loc. cit., c. 43)*, distinguit S. Alphonsus opera salutaria *in difficiliora*, inter quæ computantur mandatorum observantia, perfecta cordis conversio, et præsertim finalis perseverantia; — et *in faciliora*, inter quæ principalissimum locum obtinet oratio.

Quâ præmissâ distinctione, docet S. Doctor:

I. *Ad opera difficiliora* absolute requiri gratiam ab intrinseco efficacem, quæ voluntatem ad actum salutarem prædeterminet, et cum effectu infallibili connexione causalitatis conjungatur.

« Nostra igitur sententia hæc est, *ait S. Alphonsus:* Ad bonum » operandum et servanda præcepta satis non est gratia sufficiens, » quæ tantummodo confert auxilium ad facilia præstanda, sed requi-» ritur gratia *ab intrinseco* efficax, quæ humanam voluntatem ad bo-» num operandum determinet, ut supra in responsione ad *Molinæ* sen-

» tentiam demonstravimus. » *(App. de modo quo grat. oper., n. 141; T. 1, p. 528).*

II. *Ad opera verò faciliora*, et specialissime ad orationem, omninò sufficere gratiam sufficientem seu communem, quæ omnibus datur; et per orationem omnes homines gratias efficaces, quibus ad difficiliora opera ponenda et ad salutem consequendam indigeant, obtinere posse.

« Dicimus nihilominus, *ait S. Doctor*, gratiam sufficientem cuilibet » conferre actum orandi, si velit, (qui quidem actus in numero rerum » facilium reponitur); et quemlibet orando obtinere gratiam efficacem » *(Loc. cit.)*.

507. — In his duobus, quæ systematis essentiam constituunt, omnes hujus sententiæ patroni concordant, licet in quorumdam accidentalium explicatione, quoad naturam scilicet gratiæ efficacis, inter se dissentiant. Alii enim gratiam efficacem in præmotione physicâ, alii verò, quorum opinio videtur probabilior et quam duce S. Alphonso sequimur, in prævia motione morali consistere dicunt. Quæ tamen opinionum diversitas unitati systematis non officit. « Quoad indolem » gratiæ autem, *ait Schwetz*, perinde est, sive illa in motione physicâ, sive in efficientiâ morali sita esse cogitetur; quamvis putemus, » sententiam illam quæ statuit, Deum actione physicâ intellectum » illustrando et voluntati aspirando in mente nostrâ cognitionem veram » atque bonum desiderium excitare, et moraliter per utrumque voluntatem ad consensum flectere, simulque in bono perficiendo continuatâ inspiratione adjuvare, veram Augustini sententiam esse, eamque unicam naturæ mentis nostræ adcommodatam. » *(Loc. cit., § 109, pag. 474)*.

508. — **NB.** Prædicta operum distinctio in faciliora et difficiliora nec Thomistis et Augustinianis arridet, nec Molinistis et Congruistis. Eâ quippe semel admissâ, duplicem operatricem gratiam omnes statuere coguntur, sicut, eâ ablatâ, constat unius generis gratiam, licet in gradu intensionis diversam pro omnibus operibus requiri, sive ab intrinseco efficacem juxtà Thomistas et Augustinianos, sive ab extrinseco efficacem juxtà Molinistas et Congruistas.

509. — Ut per se patet, in hoc nostro medio systemate nobis agendum est contra omnes patronos aliorum systematum, ita tamen ut eos ad nostram sententiam stabiliendam coadjutores habeamus. Contra Molinistas nobis probandum est, gratiam ab intrinseco et suapte naturâ efficacem esse admittendam; et in hoc opem nobis ferunt Thomistæ et Augustiniani rigidiores. Contra Thomistas speciatim pro-

bandum est, hujus gratiæ efficacitatem non desumi ex præmotione physicâ; et in hoc nobis auxiliatur tota schola Augustiniana. Contra Thomistas, Augustinianos et quadantenus contra Congruistas probandum est, gratiam ab intrinseco efficacem non requiri ad omnia et singula opera salutaria; sed ad faciliora, et præsertim ad orationem, omninò et perfecte sufficere gratiam sufficientem omnibus ordinarie concessam: et in hoc Molinistæ nobis auxilium præstant.

Ut igitur ea, quæ ad hoc S. Alphonsi et Scholæ Sorbonicæ systema evolvendum et probandum pertinent, rite pertractentur, agemus in ART. I, DE GRATIA EFFICACI: quæ pars contra Molinistas præcipue, et ex parte etiam contra Thomistas militat; et in ART. II, DE GRATIA SUFFICIENTI, in quâ contra Thomistas, Augustinianos rigidiores et Congruistas agetur.

ARTICULUS I.

DE GRATIA AB INTRINSECO EFFICACI.

510. — Definitio. — Gratia stricte efficax, quatenus a sufficienti et late efficaci contradistincta, a Scholâ Sorbonicâ definitur: *Supernaturalis quædam motio intellectûs et voluntatis, habens vim quamdam peculiarem, et singularem efficaciam ad infallibiliter inducendum creatam voluntatem ad indeclinabiliter consentiendum Deo vocanti.* (Ysamb., In q. 111, disp. 5, a. 2; p. 412).

Hæc eadem gratiæ efficacis definitio traditur ab Augustinianis rigidioribus, quandoquidem, etsi Sorbonicos inter et Augustinianos non vigeat concordia quoad extensionem necessitatis ipsius gratiæ efficacis, mire tamen quoad naturam et efficaciam ejusdem gratiæ inter se consentiunt.

Dicitur in definitione: *a*) *Supernaturalis motio intellectûs et voluntatis;* gratia enim efficax est species gratiæ prævenientis seu excitantis, quam secundum probabiliorem sententiam, diximus consistere in virtuosâ Dei motione intellectui et voluntati impressâ, quâ actus indeliberati cum in intellectu tum in voluntate producuntur. *(Cf. n. 39 et 62 ss.).* — *b*) *Habens vim quamdam peculiarem*, etc.; ad indicandum, gratiam efficacem, ex virtute sibi intrinsecâ a Deo inditâ, habere jam in actu primo infallibilem connexionem causalitatis cum effectu, ad quem datur; unde ipsa sic est prævenienS, ut semper sit etiam perficiens, et quidem infallibiliter et indeclinabiliter, ut ait S. Augustinus.

511. — **Munera.** — « Gratia actualis, prævenions et adjuvans, *ait* » *S. Alphonsus*, nobis ad recte operandum vires tribuit; et quando est » efficax, non solum ejusmodi vires nobis largitur, quod quidem facit » gratia sufficiens, sed præterea efficit ut bonum actu operemur. » *(Hist. hær., P. 2, Conf. 11, n. 4. T. 2, p. 413).*

Primum igitur gratiæ efficacis munus in eo positum est, ut videlicet facultatem, si habitibus infusis careat, ad ordinem supernaturalem transeunter elevet; et in voluntatem, licet jam sit elevata, vires supernaturales operi, ad quod datur, proportionatas physice influat; ita ut voluntas constituatur physice in actu primo principium efficax operationis supernaturalis, quantumvis difficilis. Deus, *ait S. Augustinus*, dat animæ ut perseveret *delectabilem perpetuitatem et insuperabilem fortitudinem;* (De corrept. et gr., c. 8); *eique præbet vires efficacissimas.* (De Gr. et lib. arb., c. 16. — *Cf. n. 53*).

512. — *Secundum* gratiæ efficacis munus est, intellectum et voluntatem ita actuare, ut ipsa deinde ad bonum, ad quod per gratiam sollicitantur, sese libere determinare valeant. Notum est principium, nullum agens in potentiâ transire posse ad actum, nisi moveatur ab alio agente. Jamverò, nec intellectus nec voluntas sunt semper in actu relate ad operationem supernaturalem, sed sæpius tantum in potentiâ; quare indigent physice a Deo moveri quoad exercitium, et ut tollatur eorum indifferentia passiva seu suspensiva ad agendum vel non agendum; ita ut ipsa voluntas hac divinâ motione actuata possit sese de potentiâ reducere ad actum eligendi hoc vel illud. Porrò, tam intellectus quam voluntas reducuntur physice de potentiâ ad actum per ipsam gratiæ collationem. Ut enim vidimus, per gratiam Deus facultates elevat, vel saltem eis addit virtutem; salutares in intellectu excitat cogitationes indeliberatas, et supernaturalem in voluntate operatur inclinationem indeliberatam in bonum; porrò, in his consistit divina motio, quâ tam intellectus quam voluntas physice educuntur de potentiâ ad exercitium, ita ut voluntas possit se deinde libere determinare. « Operationis intellectûs est duplex principium in intelligente, » *ait S. Thomas*, unum scilicet quod est ipsa virtus intellectualis, quod » quidem principium est etiam in intelligente in potentiâ; aliud autem » est principium intelligendi in actu, scilicet similitudo rei intellectæ » in intelligente. Dicitur ergo aliquid movere intellectum, sive det » intelligenti virtutem ad intelligendum, sive imprimat ei similitu- » dinem rei intellectæ. Utroque autem modo Deus movet intellectum » creatum... Sic igitur Deus movet intellectum creatum, inquantum » dat ei virtutem ad intelligendum, vel naturalem, vel superadditam,

» et inquantum imprimit ei species intelligibiles, et utrumque tenet » et conservat in esse. » *(P. 1, q. 105, a. 3).* — Et in *art. 4*, ejusdem quæstionis, et *q. 111, a. 2*, docet, Deum movere voluntatem et eam ad actum reducere interius eam inclinando.

Gratia proin efficax, etsi motione tantum morali, ut infra dicetur, voluntatem ad liberum consensum moveat, eam tamen physice afficit, physice vires ei addit, non naturales quidem, sed supernaturales; eam physice roborat, eam physice actuat, atque constituit in actu primo principium physice undequaque completum ad deliberatam salutarem operationem exsequendam. Sed de hoc munere in præsenti non agitur.

513. — *Ultimum* gratiæ efficacis munus in eo situm est, ut videlicet faciat nos facere; voluntatem ad actum secundum deliberatum moveat, et quidem tam efficaciter, ut voluntatis consensum infallibiliter semper et indeclinabiliter operetur. « Subventum est infirmitati » voluntatis humanæ, *ait S. August.*, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter » et insuperabiliter ageretur. » *(De corrept. et gr., c. 12, n. 38. M., 44, c. 940).*

Quod munus a priore sedulò est distinguendum. Aliud est enim vires ad operandum tribuere, et facultatem ex indifferentiâ passivâ educere et actuare; et aliud voluntatem ad ipsam operationem deliberatam movere; nec ex eo quod gratia vires physice tribuat, aut voluntatem physice educat de potentiâ in exercitium, sequitur eam etiam physice movere voluntatem ad deliberate operandum; sed cum influxu physico virium, aut physicâ motione ad tollendam indifferentiam passivam, optime stare potest motio tantum moralis gratiæ in voluntatem in ordine ad actum deliberatum.

De hoc ultimo gratiæ efficacis munere in hacce disputatione unice agitur; in eo enim tota jacet difficultas: *quonam scilicet modo gratia suapte naturâ et ab intrinseco efficax, voluntatem ad actum deliberatum infallibiliter et insuperabiliter moveat, et voluntas sub tali motione remaneat tamen perfecte libera.*

Quod ut præstetur, probandum est: 1° admittendam esse gratiam ab intrinseco efficacem; 2° hanc gratiam motione morali, non autem physicâ, voluntatem ad actum determinare; hancque motionem plerumque, sed non unice, voluntatis consensum per delectationem absolute victricem operari; 3° inquirendum erit, in quo formaliter consistat gratiæ efficacia; 4° declarandum est, quonam modo sub morali determinatione gratiæ illæsa maneat creata libertas. Quibus pertractatis quædam solventur objectiones.

§. 1. *De Existentia Gratiæ ab intrinseco efficacis.*

514. — Gratiam ab intrinseco efficacem, ut suprà notatum est, rejiciunt Molinistæ tanquam creatæ libertatis eversivam; quorum sententiam *S. Alphonsus*, *Bellarminus*, *Tanner* cum omnibus Thomistis et Augustinianis, meritò reputant SS. Scripturis, necnon et doctrinæ S. Augustini atque S. Thomæ oppositam.

In existentiâ igitur gratiæ ab intrinseco efficacis stabiliendâ, præter Sorbonicos, comites habemus Thomistas omnes et Augustinianos; a quibus tamen recedimus cum de extensione ejusdem agitur. Hi eam ad omnia opera salutaria, et magna et parva, absolute necessariam dicunt: nos verò ad sola difficiliora eam requirimus; faciliora verò, saltem orationem, ei subducimus, cum ad orandum, etiam in hoc statu infirmitatis naturæ lapsæ, gratiam sufficientem omnibus communem sufficere affirmemus, sicut in art. 2° fuse probabitur. Nec probata sunt nobis argumenta, quæ Thomistæ, ad gratiam efficacem adstruendam, a præmotione physicâ ducunt, cum hanc ad mentem recentiorum Thomistarum nequeamus admittere.

Propositio.

In præsenti saltem statu naturæ lapsæ admittenda est gratia ab intrinseco efficax.

515. — **NB.** Dicitur: *in præsenti saltem statu naturæ lapsæ;* abstrahimus enim a quæstione inter Thomistas et Augustinianos agitatâ, *an scilicet eadem gratia fuerit necessaria in statu naturæ integræ.* S. Alphonsus stare videtur cum Augustinianis docentibus, gratiam ab intrinseco efficacem non fuisse Adamo innocenti necessariam. Ait enim: « Non est dubitandum quin in præsenti statu naturæ lapsæ legis » observantia sit valde difficilis, imò et moraliter impossibilis sine » divino auxilio speciali et major eo, quod in statu naturæ inno- » centis fuit necessarium. » *(Brevis tract. de necessitate orationis, § 1. Marietti, T. 2, p. 611).* — De solo igitur statu naturæ lapsæ agimus.

Hæc propositio, utpote fundamentalis in S. Theologiâ, consueto prolixius est probanda.

Probatur I. Ex Scriptura Sacra.

516. — « Sacræ Scripturæ, *inquit S. Alphonsus*, luce clarius signi-» ficant, saltem juxta præsentem naturæ lapsæ statum, efficacem esse » gratiam ex se et *ab intrinseco*, non verò per voluntatis consensum; » gratiam præterea causam esse, quæ voluntatem determinet atque » efficiat, ut bonum operemur... Hic autem Scripturæ locos indicamus, » qui clare docent, efficacem fieri gratiam non *ab extrinseco*, id est, » per humanæ voluntatis determinationem, sed *ab intrinseco*, quia vo-» luntas Dei determinat humanam voluntatem, et gratia efficit, ut nos » operemur bonum. » *(App., n. 115; p. 520).*

517. — 1° Legimus, (Ephes. II, 10): *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Quæ verba gratiam ab intrinseco efficacem apodictice ostendunt. « Notentur verba: CREATI IN OPERIBUS BONIS, *ait S. Al-» phonsus;* si nos in operibus bonis creati sumus, Deus decreto suo » efficit, ut nostra opera illum habeant effectum, quem reverà habent. » Præterea dicitur: QUÆ PRÆPARAVIT DEUS; si Deus præparavit nostra » bona opera, ea igitur prædestinavit, quæ nos facere debemus. De-» nique dicitur: UT IN ILLIS AMBULEMUS; bona opera nostra præparavit, » non quia prævidit, nos in iis esse ambulaturos, sed quia suâ vo-» luntate efficit, ut in iis ambulemus. » *(Loc. cit., n. 116; p. 521).*

518. — 2° (Ezech. XXVI, 26, 27): *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri; et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.* Allato testimonio gratiam ab intrinseco efficacem designari, manifestum est. Etenim: *a*) Deus dicit se facturum ut ambulemus in præceptis, ut bonum operemur: « Certum est, *ait S. August.*, » nos facere cum facimus: sed ille facit ut faciamus, præbendo vires » efficacissimas voluntati, qui dixit: *Faciam ut in justificationibus » meis ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis.* » *(De gr. et lib. arb., c. 16. M., 44, c. 900).* — Et: « Itane nondum evigilatis? nondum » audistis: *Faciam ut ambuletis, faciam ut observetis*, postremo, *fa-» ciam ut faciatis?* Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, » verum est; nos observamus, nos facimus: sed ille facit ut ambule-» mus, ut observemus, ut faciamus. Hæc est gratia Dei bonos faciens » nos, hæc est misericordia ejus præveniens nos. » *(Ad Bonif., L. 4, c. 6. M., 44, c. 620).*

b) Deus allato testimonio absolute promittit, se facturum ut faciamus, ut legem observemus, ut bonum operemur. Quod autem Deus absolute promittit, hoc a suo efficaci decreto, non verò ab humanæ voluntatis determinatione pendet. « Hoc enim Deus promittit, *inquit* » *S. August.*, quod ipse facit: non enim ipse promittit et alius facit, » quod jam non est promittere, sed prædicere. » *(De Spir. et litt., c. 24. M., 44, c. 224).* — Et: « Non de nostræ voluntatis potestate, sed de » sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus » fuerat, non quod homines. Quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum; ipse facit ut illi faciant quæ præcepit, » non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit: alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate. » *(De Prædest. Sanct., c. 10. M., 44, c. 975).*

519. — 3° (Philipp. II, 13): *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* In quæ verba scribit *S. Augustinus:* « Certum est nos velle, cum volumus: sed ille facit ut velimus bonum, » de quo dictum est: *Deus est qui operatur in nobis et velle.* » *(De gr. et lib. arb., c. 16. M., 44, c. 900).* — Et: « Nos ergo volumus, sed » Deus in nobis operatur et velle; nos ergo operamur, sed Deus in » nobis operatur et operari, pro bona voluntate. Hoc nobis expedit » et credere et dicere. » *(De dono persev., c. 13. M., 45, c. 1013).*

« Illud notate, *ait S. Alphonsus:* S. Augustinus non dicit: « Deus » hoc operatur, ut velle possimus, » id quod ad gratiam sufficientem » spectat, sed: « Deus hoc operatur, ut velimus et operemur, » quod » gratiæ efficacis proprium est. » *(App. n. 116; p. 521).*

520 — 4° (Rom. VIII, 14): *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* In quæ verba scribit *Glossa ordinaria:* « Aguntur dicit, non » reguntur. Plus est enim agi quam regi: agi enim dicimus aliquem, » quasi vix aliquid agentem; regi autem quasi jam aliquid agentem, » qui ideo regitur, ut recte agat. Sed aguntur, non quod nihil per se, » sed quod, ut aliquid agant, impetu gratiæ impelluntur. » *(M., 114, c. 496).* — Et *S. Augustinus:* « Intelligant, si filii Dei sunt, spiritu » Dei se agi, ut quod agendum est agant; et cum egerint, illi a quo » aguntur gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil » agant. » *(De corrept. et gr., c. 2. M., 44, c. 917).*

521. — 5° (Joan. VI, 44): *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* « Non ait, Duxerit, *inquit S. Augustinus,* ut » illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, » si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris » modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus

» operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed » ut volentes ex nolentibus fiant. » *(Ad Bonifac., L. 1, c. 19. M., 44, c. 568).* Porro tractio, quæ ex nolentibus volentes facit, non dependet quoad suum effectum a consensu voluntatis; sed ipsa consensum operatur: quod est proprium gratiæ efficacis.

522. — 6° Ad eamdem veritatem probandam, multa alia Scripturæ testimonia præstò sunt, ut, v. gr., (Prov. XXI, 1): *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.* — (Is. XLVI, 10): *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* — (Is. XIV, 27): *Dominus enim exercituum decrevit, et quis poterit infirmare?* etc.

Hos textus omnes Molinistæ elidere, imò et in suam sententiam detorquere conantur [1]; negare tamen non possunt, ait *S. Alphonsus* [2], eosdem in sensu suo obvio et proprio gratiam ab intrinseco efficacem apprime denotare.

Probatur II. **Ex Precibus Ecclesiæ.**

523. — Ad efficacis gratiæ existentiam et necessitatem probandam, validissimum ex precibus Ecclesiæ desumitur argumentum. Preces enim Ecclesiæ antiquam nobis exhibent Patrum traditionem; quare, *legem credendi lex statuit orandi*, ut ait Papa Cœlestinus, in Epist. ad Episcopos Galliæ. Porro indubium est, Ecclesiam in suis orationibus a Deo postulare gratiam suapte naturâ efficacem. Orat enim:

Feria 4ª post Dom. 2 Quadragesimæ: « Dirige ad te tuorum corda fidelium, ut spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces. » — *Dominica 4ª post Pentecosten:* « Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates. » — *Domin. 5ª post Pascha:* « Largire supplicibus tuis, ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, et te gubernante, eadem faciamus. » — *Domin. infra octavam Ascensionis:* « Fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem, et majestati tuæ sincero corde servire. » — *In Vigilia Pentec.:* « Concede nobis, et nostræ voluntatis pravitatem frangere, et tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. » — *In die Pentec.:* « Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium. » — *Domin. 19ª post Pentec.:* « Tua nos medicinalis operatio, et a nostris perversitatibus clementer expediat, et tuis semper faciat inhærere mandatis. »

[1] Cf. *Lessius*, De Grat. eff., c. 11; p. 122. — [2] Cf. Cont. hær., Sess. IV, n. 119.

Similibus precibus tota referta est liturgia sacra. Sed gratia, quæ reddit nos in fide stabiles et in opere efficaces, quæ ad Deum rebelles etiam compellit voluntates, quæ præstat ut recta faciamus, quæ facit ut devotam geramus voluntatem et corde sincero serviamus Deo, quæ voluntatis pravitatem frangit rigidumque atque renitentem animum flectit, quæ nos a nostris pravitatibus expedit et nos facit divinis inhærere mandatis, ejusmodi gratia, inquam, omnium judicio est gratia suapte naturâ et ab intrinseco efficax, non autem ea cujus effectus pendeat a liberâ voluntatis determinatione.

524. — Hujus argumenti vim aliqui Molinistæ frangere conantur dicentes, Ecclesiam hisce precibus petere quidem gratiam efficacem, non autem ab intrinseco efficacem, sed talem quam nos de facto per consensum nostrum reddamus efficacem. Sed contra: Quum juxta Molinistas in nostra potestate semper sit gratiam acceptam reddere efficacem, inaniter Ecclesia Deum oraret ut gratiam efficacem concedat; « nam quid stultius, *ait S. Augustinus*, quam orare ut facias quod in » potestate habeas; » *(De Nat. et gr., c. 18. M., 44, c. 256);* et: « quis » autem optat quod in potestate sic habet, ut ad faciendum nullo in» digeat adjumento. » *(De pecc. mer., L. 2, c. 6. M., 44, c. 155).* Quia igitur Ecclesia pro gratiâ efficaci orat, eam expostulat quæ non ex hominis consensu, sed ex propriâ suâ naturâ conjungatur cum effectu.

Probatur III. **Ex auctoritate S. Augustini.**

525. — Innumera pene S. Augustini, Doctoris gratiæ, adferri possent testimonia, quibus ipsum gratiam ab intrinseco, non autem ex consensu voluntatis, efficacem docuisse manifestum est. Plura ejúsdem jam supra allata sunt testimonia; ulteriora quædam addere juvat, quibus mens Doctoris tantæ auctoritatis in materiâ de Gratiâ luculentius appareat.

(De Gratia Chr., c. 24. M., 44, c. 373): « Legant ergo et intelligant » (Pelagiani), intueantur atque fateantur, non lege atque doctrinâ in» sonante forinsecus, sed internâ et occultâ, *mirabili et ineffabili po» testate operari Deum in cordibus hominum*, non solum veras reve» lationes, *sed bonas etiam voluntates.* »

(Ad Bonif., cont. duas Epist. Pelag., L. 1, c. 20. M., 44, c. 568): « Convertit Deus, et transtulit indignationem ejus (regis) in lenitatem. » Jam sequentia commemorare quid opus est, ubi Deum complevisse » quod illa (Esther) rogaverat, divina Scriptura testatur, operando in

» corde regis, quid aliud, quam voluntatem, qua jussit et factum est » quod ab eo regina poposcerat? Quam Deus jam, ut fieret, exau- » dierat, *qui cor regis*, antequam mulieris sermonem poscentis audisset, » *occultissima et efficacissima potestate convertit, et transtulit ab indi-* » *gnatione ad lenitatem.* »

(Loc. cit., L. 2, c. 8. M., 44, c. 583), docet: Deum per gratiam *invito et reluctanti homini inspirare boni cupiditatem, ut jam non sit reluctans, non sit invitus, sed consentiens bono, et volens bonum.* Quæ certe gratia non dici potest efficax a consensu; sed ipsa virtute propriâ consensum operatur.

(De corrept. et gr., c. 14. M., 44, c. 942): « Cui volenti salvum » facere, nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle seu nolle » in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non » impediat, nec superet potestatem. Etiam de his enim qui faciunt » quæ non vult, *facit ipse quod vult*... Non est itaque dubitandum, » voluntati Dei... humanas voluntates non posse resistere, quominus » faciat ipse quod vult: quandoquidem etiam *de ipsis hominum vo-* » *luntatibus, quod vult, cum vult, facit*... Qui tamen hoc non fecit, » nisi per ipsorum hominum voluntates, *sine dubio habens humano-* » *rum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam pote-* » *statem*... Numquid iste posset adversari voluntati Dei, et non po- » tius ejus facere voluntatem, *qui in ejus corde operatus est per Spi-* » *ritum suum* quo indutus est, *ut hoc vellet, diceret, et faceret?* »

(Loc. cit., c. 12. M., 44, c. 940): « Subventum est igitur infirmi- » tati voluntatis humanæ, *ut divinâ gratiâ indeclinabiliter et insu-* » *perabiliter ageretur;* et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, » neque adversitate aliquâ vinceretur... Fortissimo dimisit atque per- » misit facere quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante *invictis-* » *sime quod bonum est vellent, et hoc desercre invictissime nollent.* »

(De Gr. et lib. arb., c. 20. M., 44, c. 905): « Satis me disputasse » arbitror adversus eos qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua » humana voluntas non tollitur, sed *ex mala mutatur in bonam*... » Scriptura divina si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas » hominum voluntates quas ipse facit ex malis, et a se factas bonas » in actus bonos et in æternam dirigit vitam, verum etiam illas quæ » conservant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut *eas quo* » *voluerit, quando voluerit, faciat inclinari.* »

(Loc. cit., c. 21. M., 44, c. 909): « Per Spiritum Sanctum operatur » in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est ut ipsa corda » essent ex malis bona. »

(De prædest. Sanct., c. 8. M., 44, c. 971): « Nimium gratia ista » secreta est: gratiam vero esse quis ambigat? Hæc itaque gratia, » quæ occulte humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, a nullo » duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, *ut cordis duritia pri-* » *mitus auferatur.* »

De diversis quæst., L. 1, q. 2, n. 13. M., 40, c. 118, gratiam vocat *vocationem ita effectricem bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur.*

Jamvero, gratia quæ *mirabili et ineffabili potestate operatur bonas voluntates; quæ occultissimâ et efficacissimâ potestate convertit; quæ reluctanti inspirat boni cupiditatem, et facit ut non amplius sit reluctans sed consentiens; quæ de ipsis hominum voluntatibus facit quod vult; quæ omnipotentissimâ potestate corda inclinat quo vult; quæ operatur ut homo velit et faciat; quæ voluntatem indeclinabiliter et insuperabiliter agit; quæ voluntatem ex malâ facit bonam et ex nolente volentem; quæ cordis duritiam primitus aufert; quæ est bonæ voluntatis ita effectrix ut omnis vocatus sequatur;* hæc gratia, inquam, nequit dici efficax a consensu voluntatis; nec sortitur effectum, quia voluntas ei consentire dignatur; sed ipsa est quæ propriâ suâ energiâ voluntatis consensum operatur, eamque ad actum determinat. Hinc apparet quanto jure S. Alphonsus et Bellarminus Molinæ sententiam a doctrinâ S. Augustini alienam declaraverint.

Probatur IV. **Ex aliorum Patrum testimoniis.**

526. — SS. Patres, qui ante ortam hæresim pelagianam Ecclesiam illustrarunt, pauca tantum nobis de divinâ gratiâ tradiderunt, quia, *ut ait S. Augustinus,* « priusquam ista hæresis oriretur, non habue- » runt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari. » Quod procul dubio facerent si respondere talibus cogerentur. Unde » factum est ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam » scriptorum suorum locis et transeunter attingerent. » *(De præd. Sanct., c. 14. M., 44, c. 980).* Non obscura tamen apud eos, ad eorum sensum de gratiæ efficaciâ cognoscendum, deprehendere est testimonia. Qui verò S. Augustino sunt posteriores, hos cum eo perfecte consentire conspicuum est.

S. Augustinus, *De Dono persev., c. 19; M., 45, c. 1024,* plura de efficaciâ gratiæ refert S. Cypriani et S. Ambrosii testimonia. Imprimis verò notanda sunt verba S. Ambrosii dicentis: Deus *si voluisset, ex indevotis devotos fecisset.*

Ait *Tertullianus:* « Hæc erit vis divinæ gratiæ, potentior utique » naturâ, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potesta- » tem. » *(De Anima, c. 21. M., 2, c. 685).* — *Clemens Rom.:* « Omnes » itaque dilectos suos (Deus) volens pœnitentiæ fieri participes, omni- » potente sua voluntate firmavit. » *(Ep. ad Cor., c. 9. M., 1, c. 227).* — *S. Gregorius Naz.:* « Ita, quoniam velle quoque ipsum a Deo est, » optimo jure totum Deo assignat. » *(Orat. 37, n. 13. M., 36, c. 299).* — *S. Basilius* gratiam appellat « auxilium quod per imperium suæ » potentiæ operatur in nobis; » *(De Spir. Sancto, c. 8. M., 32, c. 99);* et loquitur de « inevitabilibus gratiæ retibus » *(Ep. 161. M., 32, c. 630);* atque orat: « Precor itaque ipsum Dominum, ut sua non enarrabili » potentia tangens cor, cogitationibus bonis cor tuum illustret. » *(Ep. 6. M., 32, c. 243).* — *S. Joan. Chrysost.* gratiam nominat « inexpugnabi- » lem Spiritus Sancti opem. » *(Hom. 74 in Joan., n. 5. M., 59, c. 409).* — Hæ autem Patrum locutiones sensu obvio gratiam non a consensu voluntatis sed ex naturâ suâ efficacem designant. — His merito ad- numerandus est *S. Cyrillus Hier.*, qui sæpius de gratiâ ita loquitur, ut de solâ gratiâ suapte naturâ efficaci queat intelligi, sicut in dis- sertatione tertiâ præambulâ ad ejus opera luculenter demonstratur. *(Apud Migne, P. G., 33, c. 219).*

S. Prosper: « *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxe-* » *rit eum:* (Joan. VI, 44); quod nullatenus diceretur, si cujusquam sine » Dei illuminatione esset credenda conversio; aut ullo modo se vo- » luntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere: qui eum voca- » tum ad Filium trahit; non resistentem invitumque compellit, sed » *ex invito volentem facit,* et quibuslibet modis infidelitatem resistentis » inclinat; ut cor audientis, obediendi in se delectatione generatâ, ibi » surgat, ubi premebatur; ibi discat, ubi ignorabat; inde fidat, unde » diffidebat; *inde velit, unde nolebat.* » *(Cont. Collat., c. 3. M., 51, c. 222).*

S. Fulgentius: « Gratia non ob aliud divinitus datur, nisi ut bo- » nam voluntatem primitus operetur... et hominis voluntatem non » bonam invenit ipsa, sed facit; atque ut eligatur, ipsa prius eligit; » neque suscipitur aut diligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis ope- » retur. » *(De Verit. Præd., L. 1, c. 14 et 15. M., 65, c. 619).*

Petrus Diaconus: « Frustra ergo garriunt qui dicunt: Meum est » velle credere, Dei autem gratiæ est adjuvare; cum etiam ipsum » CREDERE, quod est consensum præbere veritati, nobis a Deo dari » testetur Apostolus... Nos sequentes eumdem Apostolum omnem bo- » narum cogitationum originem, consensionemque earum, et voluntatem

» ex Deo et per Deum, et in Deo dicimus, qui pravas hominum vo-
» luntates, et terrenis actibus implicatas, per infusionem et operatio-
» nem intrinsecus S. Spiritus absolvit et corrigit, sicut scriptum est:
» *Præparatur voluntas a Domino.* » *(De Incarn. et Gr., c. 6 et 8. M., 65, c. 448).*

Hæc testimonia, etsi directe sint contra eos prolata, qui prævenientem gratiam negabant, invicte tamen etiam probant gratiam ab intrinseco esse efficacem. Gratia enim quæ *ex invito facit volentem, efficitque ut voluntas inde velit unde nolebat; quæ operatur in corde ut suscipiatur et diligatur; quæ ipsum velle ipsamque hominis consensionem operatur*, dici nequit efficax quia voluntas consentit, sed quia voluntatem facit consentire.

Probatur V. **Ex auctoritate theologorum.**

527. — Antiquos Scholasticos citare supersedemus; hi de divinæ gratiæ efficaciâ iisdem verbis ac S. Augustinus loquuntur; inde patet ipsos eamdem ac S. Augustinum adprobasse gratiam ab intrinseco efficacem. *(Cf. n. 644 ad 673 passim).*

Ad Thomistas et Augustinianos quod attinet, eorum testimonia afferre supervacaneum est, cum omnibus notum sit, eos ad omnia opera salutaria gratiam ab intrinseco expostulare. — Sorbonicorum auctoritatem hic citare non licet, cum præcise eorum sententiam hic adstruere conemur; quorum tamen testimonia referentur *n. 676 et ss.*

Igitur aliqua tantum antiquiorum Patrum Soc. Jesu attulisse sat erit. Hi enim, SS. Scripturarum ac Patrum auctoritate coacti, gratiam ab intrinseco efficacem saltem verbotenus admittunt, licet aliqui ex eis, in explicandâ ejusdem naturâ, a Veterum sententiâ recedere conentur.

528. — *Toletus*, expendens illud S. Pauli ad Galatas, I, *cum placuit ei... vocavit per gratiam suam*, ait: « Non dicit Paulus, quando
» novit me obediturum, sed quando illi placuit, qui per gratiam me
» vocavit. Non exspectat Deus semper arbitrium nostrum, quia sua
» gratia ipsum excitat, ipsique dat velle et perficere, et qui etiam
» rebelles convertit et compellit voluntates; tunc ergo vocavit, quando
» illi placuit, et si ante vocasset, utique respondisset et obtemperasset.
» Non ergo ratio, aut tempus vocationis hujus, et similium, referri
» debet in hominis arbitrium, sed in Dei beneplacitum, cui sic visum
» est, sicque disposuit. Potest autem intelligi Chrysostomus *(qui hom. 31*
» *in Matth. ait Christum vocasse discipulos, quando obtemperaturos*

» *sciebat)* sic: tunc vocasse discipulos, quando sciebat illos obtempe-» raturos, nimirum per ipsius gratiam; sciebat enim quando ipse ope-» raturus erat in eis, ut obtemperarent vocanti, et tunc vocavit. Nisi » sic intelligas doctrinam, non probo. Nec solum doctrinæ huic Chry-» sostomi in hac parte non consentio, sed contrariam omnino veram » existimo, nimirum tum vocasse discipulos multos, et præsertim Mat-» thæum, quando plus erant impediti, magisque detinebantur ut ve-» nirent. » *(In Luc., cap. 5, annot. 3. P. 490, edit. Veneta, 1600. Cf. etiam In Joan. c. 6, annot. 20 et 21. P. 567 et 575, edit. Coloniæ 1589).* Porro his in verbis Toletus absolute rejicit efficaciam gratiæ propter prævisum consensum aut externam circumstantiarum congruitatem, gratiæque effectum in solam divinam voluntatem et intrinsecam auxilii efficacitatem refert.

529. — *Salmeron:* « Etsi cuique per gratiam communem concedatur » posse perseverare: prædestinatis tamen amplius datur, ut omnino » perseverent: non quidem coacti et inviti, sed magis volentes et cum » majori virtute liberi arbitrii. Est siquidem Deo perfacile ita illustrare » intellectum, et ita caritatis fervore voluntatem incendere, et alia » quæcumque objecta quæ obstare poterant, ita amovere, ut proposito » sibi bono non contingat ejus recusatio, et proposito sibi malo, non » accidat ejus electio: quod non est ab ullo defectu liberi arbitrii, sed » potius ab ejus sanitate et robore. » *(In Ep. ad Rom., disp. 20. Tom. 13, p. 575. Edit. Coloniæ 1604).*

530. — *Benedict. Pererius:* « Verbo *traxerit*, significatur efficacia » divinæ gratiæ, quæ nullo modo frustratur effectu, ad quem dirigitur » a Deo. Hæc infallibilitas nititur tum immutabili decreto Dei volun-» tatis, tum certissima Christi promissione... Sane vocatio Pauli po-» test verissime dici tractio ad Christum; quia per magnam Dei vir-» tutem compulsus quodammodo est venire ad Christum. » *(In c. 6 Joan., disp. 19).*

531. — *Maurus:* « Certum est, quod gratia præveniens facit, ut fa-» ciamus. Ideo Ezech. 27, dicitur: *Faciam, ut in præceptis meis ambu-» letis;* et Augustinus, Lib. de Gr. et lib. arb., docet Deum operari » ut velimus, et dare ipsum velle... Dicendum, quod Deus per pias » cogitationes et sanctas inspirationes facit ut faciamus, operatur ut » velimus, dat ipsum velle, et agit nos ad bene agendum. » *(Opus theol., L. 4, q. 69. T. 2, p. 218).* His certe verbis Maurus gratiam ab intrinseco efficacem inculcat; licet postea, eam explicando, ad Molinistas deflectat.

532. — *Ripalda:* « Supponimus dari quoad actus liberos impossibi-» litatem moralem conjunctam cum possibilitate physica, subortamque » ex nimia difficultate eventûs. Quærimus autem, an ea intercedat ex » vi impulsus gratiæ quoad dissensum ipsius?

» Communis theologorum sententia affirmat, quin noverim unum, » qui negat. Quod stabilire promptum est ex sacris litteris, Ecclesiæ » Patribus, theologicisque rationibus. Primo: quia ad moralem Dei » providentiam et potentiam spectat, ita subdere sibi arbitrium crea-» tum, ut possit ab eo certò certitudine objectiva tenente se ex parte » gratiæ obtinere consensum quando et quomodo Deus voluerit. At » id Deus non posset, si motio gratiæ non posset reddere dissensum » moraliter impossibilem. Consequentia est optima. Minor constat, quia » consensus liber arbitrii non potest esse Deo infallibilis et certus, » quando et quomodo ipse voluerit, nisi in vi et energia motionum » gratiæ, sub qua nunquam prævideatur reipsa futurus dissensus. » *(Disp. 109, sect. 2; p. 465).* Quam suam assertionem deinde probat ex SS. Scripturis et Patribus; et refutat eos qui docent istam potestatem convenire gratiæ *non ex vi intrinsecâ gratiæ, sed ex certitudine extrinsecâ scientiæ conditionatæ.* Et sectionem istam absolvit dicendo: « Porro vis intrinseca gratiæ reddens moraliter impossibilem dissen-» sum potest in multa capita referri. » Et pluribus capitibus enume-» ratis, ait: « Denique, quod maximi momenti est, in vehementem et » ingentem affectionem, et delectationem voluntatis in objectum et con-» sensum honestum, quam Deus sine fine potest augere. » *(Pag. 467).*

Probatur VI. Ex Ratione theologica.

533. — Modus explicandi efficacitatem gratiæ tum ex simplici voluntatis consensu, tum ex congruitate extrinsecâ, divinæ omnipotentiæ derogare eamque labefactare videtur. Si enim gratia ex eo solum supponatur efficax, vel quia voluntas ei consentiat, vel quia gratia in circumstantiis congruis detur, atque hominis ingenio et affectibus sit attemperata, prout hæc omnia subjacent scientiæ mediæ, Deus hominem absolute nolentem vel certò et efficaciter ad se convertere non posset, vel eum saltem non posset quovis tempore et loco infallibiliter convertere, vel saltem eum non posset independenter a suo consensu aut a circumstantiis certò convertere. Atqui hoc divinæ omnipotentiæ derogat.

Minor ex ideâ omnipotentiæ clare colligitur. Deus, utpote omnipotens, et supremus Dominus cujuslibet voluntatis, hoc dominium, hanc

potestatem in voluntatem creatam habere debet, ut eam in quacumque circumstantiâ, et independenter a quacumque circumstantiâ, ad bonum infallibiliter inclinare, imò et eam semper et ubique ex nolente facere possit volentem. (Prov. XXI, 1): *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* — « Sine dubio habens (Deus), » *ait S. August.*, humanorum cordium quo placeret inclinandorum » omnipotentissimam potestatem. » *(De corrept. et gr., c. 14. M., 44, c. 943);* et: « Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas ho- » minum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in » bonum non posse convertere? » *(Enchir., c. 98. M., 40, c. 277).* Cf. *Testimonium Ripaldæ, n. 532 citatum.*

534. — Hujus argumenti vim frangere conantur Molinistæ et Congruistæ dicendo: Deum in thesauris suæ omnipotentiæ innumeros habere modos vocandi, ita ut, si quem efficaciter voluerit convertere, hic divinæ vocationi infallibiliter semper consensurus sit; et sic perfecte salvari supremum Dei dominium in corda hominum. *Sed contra:* juxtà Molinistas et Congruistas effectus gratiæ semper dependet a prævisione liberi consensûs, ac proinde gratia semper præsupponit hominem jam consentire volentem. Sed juxta SS. Patres, talis admittenda est gratia, non quæ consensum præsupponit, sed quæ ipsum operetur, et hominem ex nolente faciat volentem, et ex reluctante consentientem: quod apud Molinistas et Congruistas minime verificatur. Quare, licet Deo non desint media convertendi quos velit, quia tamen gratiæ effectus dependet a prævisione consensûs, Deus non posset independenter a prævisione liberi consensûs hominem convertere; et supposito quod aliquis absolute nollet ulli gratiæ consentire, Deo nullum superesset medium illum reddendi consentientem: quod divinæ omnipotentiæ certe reluctatur.

§ 2. *De natura motionis gratiæ efficacis.*

535. — Gratiam efficacem virtute suâ intrinsecâ voluntatem ad bonum salutare præmovere, atque ad opus applicare, et cum suo effectu conjungi infallibili connexione causalitatis independenter a scientiâ mediâ, unanimis est Thomistarum et Augustinianorum sententia. Cum verò creatura intellectualis possit ad opus determinari sive motione physicâ, quæ prævie, active et physice voluntatem inclinat; sive motione morali, quæ consiliis, suasionibus, delectatione, etc., in voluntatem agit ut ipsa se ad opus determinet, quæritur: cujusnam generis

motione gratia efficax agat in voluntatem, physicâ nempe, an solâ motione morali.

Docent Thomistæ, sicut jam suprà dictum est, *n. 404*, gratiam non solum motione morali, sed etiam et præsertim præmotione seu prædeterminatione physicâ voluntatem ad opus applicare. Augustiniani verò prædictam motionem physicam tanquam libertati contrariam rejiciunt, et solam moralem admittunt.

Sed et ipsa motio moralis multiplici viâ perfici potest, velut, v. gr., delectatione, suasione, exhortatione, timore, comminatione, et similibus. Exinde altera oritur quæstio inter ipsos Augustinianos domestica, utrum scilicet gratia operetur tantummodò delectatione; an aliis etiam quandoque motivis hominem a malo retrahat et ad bonum salutare inclinet.

Quid his in quæstionibus videtur probabilius, duplici enuntiabitur propositione.

Propositio I.

Gratia efficax, ad voluntatis consensum operandum, in eam agit non præmotione physicâ, sed motione tantum morali.

536. — PROB. Quæ ordinis sunt supernaturalis, cujusmodi est divina operatio in animam humanam mediante gratiâ actuali, ea non solâ ratione philosophicâ, sed imprimis ex SS. Scripturis et Traditione sunt dijudicanda. Atqui, sive Scripturas Sacras, sive Traditionem Patrum inspiciamus, non aliam nisi solam motionem moralem reperimus, quâ Deus in corda hominum agit. Ergo gratiæ efficaci non alia nisi sola motio moralis est adscribenda.

PROB. MINOR.

537. — I. **Ex Scriptura Sacra.** 1° Legimus (Rom. VIII, 14): *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* His verbis gratiam efficacem manifestari, suprà jam innuimus *(n. 520)*, et Thomistæ ultrà concedunt. Porrò in eis de solâ agitur motione morali, non autem de præmotione physicâ. Etenim:

a) Quis sit ille Spiritus, quo aguntur filii Dei, declarat ipse Apostolus, statim subjungens, (v. 15): *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Quibus subnectit, (v. 28): *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Demum concludit, (v. 35): *Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an*

angustia? etc. Quibus manifeste ostendit Apostolus Spiritum, quo filii Dei ad bonum peragendum aguntur, Deoque ita insuperabiliter et indeclinabiliter adhærent, ut nullâ tentatione ab eo separari possint, esse ardentissimam caritatem, ferventemque et efficacem dilectionis affectum. Sed caritas et dilectionis affectus sunt motio moralis, non autem physica.

b) Eamdem Dei actionem Sancti Patres intelligunt peragi dilectione et illuminatione; teste S. Augustino: « Quia, *inquit in prædicta » verba,* cum Spiritu Dei aguntur, caritate aguntur. » *(Sermo 156, n. 14. M., 38, c. 857);* et: « *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi » filii sunt Dei:* non litterâ, sed Spiritu; non lege præcipiente, mi» nante, promittente; sed Spiritu exhortante, illuminante, adjuvante. » *(Loc. cit., n. 11; c. 856).* Et: « Intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Dei » se agi... Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant; et ad » hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut » agendum est, id est, cum dilectione et delectatione justitiæ, suavi» tatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, » accepisse se gaudeant. » *(De corrept. et gr., c. 2. M., 44, c. 918).*

Item, *Episcopi Afri* in suâ Epist. ad Zosimum Papam: « Quo» niam præparatur voluntas a Domino, *aiunt,* et ut boni aliquid agant, » paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum: *Quotquot » enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.* « *(M., 51, c. 228).*

Porro, agere caritate, exhortatione, illuminatione, suavitate, paternis inspirationibus corda tangere, idem est ac agere motione morali, non autem motione physice prædeterminante.

538. — 2° (Joan. VI, 44): *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Hic agitur de tractione per gratiam efficacem, sicut fatentur ipsimet Thomistæ. Porrò, illam tractionem fieri motione morali, constat Scripturâ, Patrum testimonio, et theologorum auctoritate. Et quidem:

a) *Ex Scriptura Sacra.* Ex locis parallelis constat, tractionem animæ in Scripturis nunquam intelligi per physicum quemdam impulsum, sed per moralem attractionem, puta, suasionem, amorem, blanditias, et similia. Legimus, (Osee, XI, 4): *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis.* — (Cant. I, 3): *Trahe me; post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* — (Joan. XII, 32): *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* — Et de lapsu Angelorum dicitur, (Apocal. XII, 4): *Cauda ejus* (draconis) *trahebat tertiam partem stellarum.* — (Prov. VII, 21): *Irretivit eum* (meretrix) *multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam*

sequitur... ignorans quod ad vincula stultus trahatur. Jamverò his in textibus de solâ tractione morali, minime verò de physicâ aliquâ motione, sermo est. Ergo a pari, tractio Patris, de quâ Christus locutus est, solâ morali motione peragitur.

539. — *b*) SS. Patres eamdem Patris tractionem de solâ morali, non autem de physicâ impulsione intelligunt.

S. Augustinus, suprà allata Christi verba explicans, ait: « Non » dixit: Duxerit, sed *traxerit.* Ista violentia cordi fit, non carni. Quid » ergo miraris? Crede, et venis; ama, et traheris. Ne arbitreris istam » asperam molestamque violentiam: dulcis est, suavis est; *ipsa sua-* » *vitas te trahit.* Nonne ovis trahitur, cum esurienti herba monstra- » tur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. » Sic et tu veni ad Christum. » *(Sermo 131, n. 2. M., 38, c. 730).* — Et *(Tr. 26 in Joan., n. 4. M., 35, c. 1608)*, iisdem de verbis agens, ait: « Noli te cogitare invitum trahi: trahitur animus et amore... Dicatur » nobis: Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico: parum est » voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? *De-* » *lectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*, (Prov. XXXVI, 4). » Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro, » si poetæ dicere licuit « trahit sua quemque voluptas » *(Virg. Eclog. 2);* » non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: quanto » fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui dele- » ctatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur » sempiterna vita... Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, » non necessitatem imponendo. »

S. Cyrillus Alex.: « Ad ipsum neminem posse pervenire ait (Chri- » stus), nisi Patris admonitionibus pertractum. » *(In Joan. L. 4, c. 1. M., 73, c. 551).*

S. Prosper: « Veritas dicit: *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit* » *me, traxerit eum.* Si ergo nemo venit, nisi tractus, omnes qui quo- » cumque modo veniunt, attrahuntur. Trahit itaque ad Deum contem- » platio elementorum... Trahunt rerum gestarum relatores... Trahit » timor... trahit lætitia... trahit desiderium, etc. » *(Cont. Coll., c. 7. M., 51, c. 230).*

Petrus Diaconus: « Non hoc caro et sanguis, sed Pater cœlestis » revelat cui voluerit, ad veram attrahens libertatem, non violenta » necessitate, sed infundendo suavitatem per Spiritum Sanctum. » *(De Incarn. et Grat., c. 6. M., 65, c. 448).*

S. Bernardus: « Trahe me post te, quia satius mihi est ut me » trahas, ut scilicet vim qualemcumque mihi, aut terrendo minis, aut

» exercendo flagellis inferas, quam parcens in meo me torpore male se-
» curam relinquas... Trahimur, cum tentationibus et tribulationibus
» exercemur. Currimus cum, internis consolationibus et inspirationibus
» visitati, tanquam in suaveolentibus unguentis respiramus. » *(In Cantic., s. 21, n. 9 et 11. M., 183, c. 876).*

Similia habent alii Patres; nec unum reperies, qui divinam tractionem physicâ motione explicet.

540. — *c) S. Thomas*, explicans verba: *Nisi Pater traxerit eum*, scribit: « Multipliciter Pater trahit ad Filium, secundum multiplicem
» modum trahendi absque violentia in hominibus. Nam aliquis homo
» trahit aliquem persuadendo ratione; et hoc modo Pater trahit ho-
» mines ad Filium, demonstrando eum esse Filium suum... Item, ali-
» quis trahit alium alliciendo. Et hoc modo illi qui attendunt ad
» Jesum propter auctoritatem paternæ majestatis, trahuntur a Patre...
» Sic ergo trahuntur a Patre, sua majestate allecti; sed trahuntur etiam
» a Filio, admirabili delectatione et amore veritatis, quæ est ipse Filius
» Dei... Sed quia non solum revelatio exterior, vel objectum, virtutem
» attrahendi habet, sed etiam interior instinctus impellens et movens
» ad credendum; ideo trahit multos Pater ad Filium per instinctum di-
» vinæ operationis moventis interius cor hominis ad credendum. » *(In Joan., c. 6, lect. 5).* Sed persuasio, allectatio, interior instinctus moralem tantum constituunt motionem, non physicam.

S. Bonaventura eodem sensu divinam tractionem intelligit. Deus, *inquit*, trahit « immittendo affectiones varias. » *(2 Sent., D. 25, P. 2, a. 1, q. 5, ad 3);* et: « per internam inspirationem. » *(De septem itin., Dist. 5).* Et: « Est trahi per inductionem et sublevationem, et sic trahit
» (Deus), quia inducit; et etiam sublevat hominem ad illud, ad quod
» per se non potest pertingere. » *(4 Sent., D. 17, P. 1, a. 1, q. 3, ad 2).*

541. — 3° Demum, quoties in SS. Scripturis de operatione Dei in cor hominis, quæ fit per gratiam, agitur, talibus hæc divina operatio exprimitur verbis, quæ non aliam nisi solam moralem designare valent motionem. Vocatur enim: *auditio, lux, illuminatio, benedictio dulcedinis, interna cordis inclinatio, tractio.* Legimus, (Joan. VI, 45): *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* — (II Cor. IV, 16): *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* — (Apoc. III, 20): *Ecce sto ad ostium, et pulso.* — (Ps. XX, 4): *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Hæc autem omnia gratiam efficacem designant, et motionem physicam excludunt.

542. -- Prob. II. **Ex Conciliis.** In Conciliis gratia semper vocatur *illuminatio, inspiratio, suavitas, tactus cordis, inspirationis afflatus, commonitio:* quæ omnia moralem tantum indigitant motionem. Legimus in *Arausic. II, can. 7:* « Si quis per naturæ vigorem... evange» licæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione » et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in con» sentiendo et credendo veritati, hæretico fallitur spiritu. » *(Labbe, IV, p. 1668).* Et *can. 6,* idem Concilium gratiam vocat *inspirationem Spiritus Sancti.*

Tridentinum, Sess. VI, cap. 5, gratiam excitantem et adjuvantem describit: « ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illu» minationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam » recipiens; quippe qui illam et abjicere potest. » — Item, *can. 3,* gratiam prævenientem vocat *Spiritus Sancti inspirationem.*

Conc. *Senonense* gratiam describit *interiorem quemdam et occultum secretioris inspirationis afflatum; (cf. n. 330).* Et *Coloniense* ait: « Nemo » hic excusationem prætexat, quod non trahatur: quod ille (Pater) » semper stet ad ostium pulsans, nimirum per internum et externum » verbum *commonens.* » *(Cf. n. 330).*

543. — Prob. III. **Ex Traditione.** Circa modum, quo gratia operatur, quænam sit mens Patrum, ex dictis jam constat. Cum verò in præsenti quæstione dirimendâ plurimum valeat SS. Patrum auctoritas, alia quædam eorumdem testimonia addere juvat.

S. Augustinus auxiliantem gratiam semper vocat *vocationem altam et secretam, suasionem, adhortationem, delectationem victricem, caritatem,* etc. « Visorum suasionibus, *inquit,* agit Deus, ut velimus, et » ut credamus. » *(De Spir. et litt., c. 34. M., 44, c. 240).* — « Inspi» ratâ gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum faciat (Deus) plus de» lectare quod præcipit, quam delectat quod impedit. » *(Loc. cit., c. 29. M., 44, c. 233).* — « Quæ est alta et secreta vocatio ita suadens, ut persuadeat; ita agens sensum, ut legi accommodet assensum. » *(Epist. 217, n. 5. M., 33, c. 980).*

S. Prosper: « Gratia quidem Dei illa in omni justificatione prin» cipaliter præeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, » terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando » consilium, cor ipsum illuminando et fidei affectionibus imbuendo: » sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur, quæ » ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut divino in se cooperetur » operi, et incipiat exercere ad meritum, quod de superno semine con» cepit ad studium. » *(De Voc. Gent., L. 2, c. 26. M., 51, c. 711).*

S. Fulgentius: « Ipsa gratia infantes neque volentes neque no- » lentes redimit, quæ majores illuminando volentes ex nolentibus facit.» *(De Incarn. et grat., c. 30. M., 65, c. 489).*

S. Gregorius, ad verba, (Job. XXV, 3), *Super quem non surget lumen illius,* ait: « Lumen Dei est gratia prævenions. Quæ si in nostro » corde nequaquam gratuitò consurgeret, profectò mens nostra in pec- » catorum suorum tenebris obscura remaneret. » *(Moral., L. 17, c. 14. M., 76, c. 21).*

S. Ephrem: « Gratia... cor nostrum dulcedine luminis sui pulsat, » ut resipiscat... ut sic lucis dulcedine allectus homo ipsam inquirat; » nequit enim penitus nos gratia deserere. » *(Serm. 1 de Compunctione. Edit. Caillau, T. 6, p. 157).*

Similia occurrunt apud alios Patres: omnes ei moralem in intellectum et voluntatem attribuunt actionem; physicam verò nullus. — *Cf. etiam citationes in sequenti prop. allatas.*

544. — Prob. IV. **Ex Ratione.** Cum Scripturis et Traditione perfecte concordat ratio ad solam motionem moralem gratiæ vindicandam.

1° Deus, sapientissimus rerum Ordinator et Gubernator, quodlibet ens juxtà ejus naturam ad finem movet. Atqui natura creaturæ intellectualis expostulat, ut ipsa non velut ens irrationale a causâ extrinsecà physice ad opus applicetur; sed per motiva moralia, puta illuminationem, suasionem, etc., ita determinetur, ut se ipsa ad opus libere determinet. Jamverò, gratia naturam non destruit, sed salvat et perficit. Necesse est igitur ut gratia voluntatem non motione physicâ, sed morali tantum, ad opus applicet.

545. — 2° Ejusmodi in gratiâ efficaci requiritur prævia motio in voluntatem, quæ et cum effectu infallibili connexione causalitatis conjungatur, et libertatem simul sub motione hujus determinatæ gratiæ intactam conservet. Porro, talis motio potest esse sola motio moralis, non verò physica.

Gratia physice præmovens connectitur quidem infallibiliter cum effectu, ut per se constat. Hæc eadem connexio in gratiâ moraliter movente etiam invenitur, cum, ut supra satis declaratum est, ipsa voluntatis consensum operetur indeclinabiliter, faciatque ut faciamus. — Ad liberum verò arbitrium quod spectat, non apparet quonam modo salvetur sub præmotione physicâ. Juxtà Tridentinum, homo cuilibet gratiæ, etiam efficaci, potest resistere, potest eam abjicere eique dissentire. *(Sess. VI, cap. 5 et can. 4).* Jamverò, fatentibus Thomistis, positâ gratiâ efficaci physice præmovente, impossibile est ut homo eam abjiciat, eique in sensu composito dissentiat. Quonam igitur modo

salvetur libertas a Tridentino requisita, nullatenus apparet. *(Cf. n. 416 et ss.)*. Hanc autem libertatem sub gratiâ moraliter movente perfecte salvari, mox explicabitur et probabitur. *(Cf. n. 576 et ss.)*. Sola igitur motio moralis admitti potest in gratiâ efficaci.

Propositio II.

Gratia efficax voluntatem plerumque delectatione, persæpe tamen aliis etiam motivis ad bonum salutare determinat.

546. — « Dicimus quoque, *ait S. Alphonsus*, eam gratiam efficacem ut plurimum et operari et ad operandum nos perducere per » victricem delectationem; nonnumquam tamen nos ad operandum determinare aliis quoque rationibus, ut spei, timoris, etc., quod quidem docet S. Augustinus, quum dicit, innumeris mirisque modis » Deum efficaciter ad Se trahere homines. » *(App.. n. 141; p. 528)*.

Duo in propositione occurrunt probanda: I. Gratiam efficacem plerumque movere delectatione. II. Ipsam aliquoties aliis etiam motivis determinare voluntatem.

Prob. I[a] Pars: *Plerumque movet delectatione.*

Hæc prima pars probatione vix indiget, cum ab omnibus, nullo, ne Augustiniano quidem, contradicente, admittatur. Breviter igitur, præsertim ad suavitatem divinæ providentiæ manifestandam, probatur.

547. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Homines a Deo dulcedine et delectatione, bonique cupiditate moveri et attrahi, disertis verbis SS. Scripturæ frequenter testantur. Legimus, (Ps. XX, 13): *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* In quæ verba scribit S. Augustinus: « Cupiditas boni non homini a Domino esset, si bonum non esset: si » autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summe atque incommutabiliter bonus est. Quid est enim boni cupiditas, nisi caritas?... Ipse est cui fideliter veraciterque cantatur: *Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis*... Benedictio dulcedinis est » gratia Dei, qua fit in nobis ut nos delectet et cupiamus, hoc est, » amemus quod præcipit nobis. » *(Ad Bonif. L. 2, c. 9. M., 44, c. 586)*.

(Ps. LXXXIV, 13): *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* « Quisque nostrum, *inquit S. Augustinus*, bonum » opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini » muneris esse vel quod scit, vel quod delectatur: ac sic ab elationis

» vanitate sanetur, et sciat quam vere non de terra ista, sed spiri- » tualiter dictum sit: *Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit » fructum suum.* Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto » magis diligitur Deus... Ut autem diligatur Deus, *caritas ejus dif- » fusa est in cordibus nostris.*» *(De Pecc. mer., L. 2, c. 17. M., 44, c. 168).*

(Ps. CXVIII, 32): *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* « Cordis dilatatio, *ait S. August. in prædicta verba,* » justitiæ est delectatio. Hæc munus est Dei, ut in præceptis ejus » non timore pœnæ angustemur, sed dilectione, et delectatione justi- » tiæ dilatemur. » *(M., 37, c. 1527).*

548. — Prob. II. **Ex S. Augustino.** S. Augustinus gratiam frequenter vocat *dulcedinem, suavitatem, delectationem.* « Aguntur enim, » *inquit,* ut agant... ut quando id agunt sicut agendum est, id est, » cum dilectione et delectatione justitiæ, *suavitatem,* quam dedit Do- » minus ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant. » *(De corrept. et gr., c. 2. M., 44, c. 918).* — « Per fidem (anima) con- » fugiat ad misericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inspiratâ » gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum faciat plus delectare quod » præcipit, quam delectat quod impedit. » *(De Spir. et litt., c. 19. M., 44, c. 233).* — « Nolunt homines facere quod justum est, sive » quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque » vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque » delectamur ardentius... Ut autem innotescat quod latebat, et suave » fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat » voluntates. » *(De peccat. merit., c. 17. M., 44, c. 167).* — « Intel- » ligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis » suis alicujus operis justi aliquando non tribuere vel certam scien- » tiam, vel *victricem delectationem,* ut cognoscant non a seipsis, sed » ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, et *suavi- » tatem* qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius » adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, » quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave fiat » quod non delectabat? » *(De peccat. merit., c. 19. M., 44, c. 170).*

549. — Prob. III. **Ex Ratione.** Talis est hominis natura, ut amore et delectatione ad operandum plerumque moveatur. Quâ de causâ, omnia peccata, teste S. Augustino, ex pravâ cupiditate oriuntur. « Hoc » enim (Apostolus) peccati nomine appellat, *inquit,* unde oriuntur » cuncta peccata, id est, ex carnali concupiscentiâ. Quidquid enim » est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriun-

» tur nisi ex mala cupiditate, non exoriuntur nisi ex illicita delecta-» tione. » *(Serm. 155, c. 1. M., 38, c. 841).* Conveniens igitur est Deum, qui omnia movet secundum eorum naturam, hominem etiam ad bonum supernaturale per cœlestem delectationem movere; ita ut, qui ad illicita attrahitur suavitate terrenâ et malâ, cœlesti suavitate a malo retrahatur. « Contra suavitatem noxiam, *ait S. August.*, qua vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam. » *(De Continent., c. 3. M., 40, c. 354).*

550. — Prob. II[a] Pars: *Gratia efficax per alios etiam affectus voluntatem aliquoties determinat.*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Homines non solâ delectatione, sed persæpe timore, spe, pudore, similibusve affectibus moveri ad bonum, vel retrahi a malo, SS. Scripturæ manifeste testantur. Legimus, (Jerem. XXXII, 40): *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.* — (Ps. CXVIII, 120): *Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui.* — (Ibid., 112): *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Sed auxilium ad non recedendum a Deo, vel incitamentum ad faciendas justificationes, inter gratias computantur.

551. — Prob. II. **Ex Traditione.** Ait *S. Augustinus:* « Quare isti » sic, illi aliter, atque alii aliter, diversis et innumerabilibus modis » vocentur, ut reformentur? absit ut dicamus judicium luti esse de-» bere, sed figuli. » *(De corr. et gr., c. 5. M., 44, c. 920).* Et: « Trahi-» tur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis homi-» num cordibus operari. » *(Ad Bonif., Cont. duas Ep. Pelag., L. 1, c. 19. M., 44, c. 568).* — Quibus ostendit S. Doctor non unam esse Dei vocationem, quâ homines efficaciter ad se trahit; sed diversis, miris, et innumerabilibus modis resonare vocem Dei in corde hominum.

Istam divinorum auxiliorum diversitatem, quibus Deus homines vel a malo retrahit, vel ad bonum incitat, perbelle describunt SS. Patres.

Scribit *Clemens Alex.:* « Omnibus ergo viribus, humanæ naturæ » pædagogus, divinum nostrum Verbum, utens omnibus sapientiæ ma-» chinis, infantes conservare aggressus est, admonens, reprehendens, » increpans, arguens, minans, sanans, promittens, gratificans, multis » quibusdam quasi frenis a ratione alienas humanæ naturæ appeti-» tiones alligans. Ut ergo paucis dicam, in nos ita se gerit Deus, ut » nos in nostros filios. » *(Pædagog., L. 1, c. 9. M., 8, c. 339).*

S. Cyrillus Alex.: « Optimus maximus universitatis Deus omnes » homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Hinc

» eos qui infirmi erant, commonefaciens, et qui animas suas nihili » fecerunt, in rectam et planam semitam revocans, omnes vias omnem- » que orationem admovet: nunc enim suppliciorum minis ac iræ ter- » roribus concutiens, ad melius reducit, nunc autem bonorum pollici- » tationibus inescat, attrahitque ad utile. » *(In Isaiam, L. 3, c. 28, v. 20. M., 70, c. 635).*

S. Prosper: « Trahit ad Deum contemplatio elementorum... Trahit » timor: *Principium* enim *sapientiæ timor Domini.* (Prov. I, 7). Trahit » lætitia, quoniam: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum » Domini ibimus.* (Ps. CXXI, 1). Trahit desiderium, quoniam: *Con- » cupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* (Ps. CXXXIII, 3). » Trahunt delectationes... Et quis perspicere aut enarrare possit, per » quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugie- » bat, sequatur; quæ oderat, diligat; quæ fastidiebat, esuriat; ac su- » bito commutatione mirabili, quæ clausa ei fuerant, fiant aperta; quæ » onerosa, sint levia; quæ amara, sint dulcia; quæ obscura, sint lucida? » *(Cont. Coll., c. 7.M., 51, c. 231).*

552. — Prob. III. **Ex experientia.** « Interdum quoque accidit, *in- » quit S. Alphonsus*, ut homo utrâque et peccati et justitiæ delecta- » tione attrahatur; sed accedente porro aliâ planeque diversâ ratione, » alterutram partem eligit: quocirca dici nequit, hominem propter » unam delectationem operari. » *(App., n. 128; p. 524).* Sed quodlibet motivum, propter quod ad bonum supernaturale voluntas se determinat, inter gratias computatur. Et sic experientiâ, constat gratiam non solâ delectatione, sed aliis etiam motivis, in voluntatem agere.

§ 3. *In quo formaliter consistit vis gratiæ efficacis.*

553. — Principia ad hujus quæstionis solutionem in superiori paragrapho sunt jam posita. Vidimus juxtà mentem SS. Patrum, non unam eamdemque esse divinæ gratiæ motionem; sed ipsam mirifice diversificari, ita ut Deus hunc delectatione attrahat, illum timore pulset; istum spe et desiderio erigat, illum pudore impellat; alios demum miris, diversis et ineffabilibus modis a malo retrahat et ad se convertat. Exinde perspicere licet virtutem ac energiam gratiæ efficacis, quâ fit ut effectum semper infallibiliter sortiatur, *formaliter* consistere in ejus contemperatione ad voluntatem humanam, seu in ejus adaptatione ad voluntatem juxtà præsentes affectiones, quas voluntas habet pro tempore et loco aliisque circumstantiis, in quibus versatur.

554. — Res notissima est inter homines, eadem motiva unum persuadere, alium verò non; imò eadem motiva eumdem hominem nunc persuadere, nunc autem non persuadere, prout voluntas aliter et aliter affecta est, aut in his vel illis versatur circumstantiis. Quapropter, qui aliquid ardui ab amico suasione velit obtinere, præsentes ejus dispositiones observat, et pro varietate dispositionum et circumstantiarum, motiva, quæ proponit, diversificat, eaque, quantum potest, attemperat et adaptat amici animo juxtà præsentes ejus affectiones. Et quò perfectius cognoverit tum amici dispositiones, tum intrinsecam motivorum vim in amicum, eò certius ab eo, quod voluerit, obtinebit.

Imò et ipse diabolus, quò hominem certius tentatione superet, suasiones malas ejus voluntati attemperat; de his tentat in quæ illum sciverit procliviorem; tempora et loca observat, ex quibus homo majorem minoremve propensionem ad aliquid peragendum nanciscitur.

Eam agendi rationem quam homo, quam diabolus servat ad voluntatem, efficacissimo quo potuerint modo, suasione, delectatione, metu, etc., fortiter simul et suaviter inclinandam, eam ipsam servat et Deus, quando per gratiam efficacem hominem ad bonum supernaturale peragendum infallibiliter vult determinare.

555. — Deus scientiâ visionis et simplicis intelligentiæ comprehensive cognoscit, tum omnes affectiones et dispositiones cujuslibet voluntatis, et quidem pro omni differentiâ temporis et loci aliarumque circumstantiarum, in quibus illa unquam versari potest; tum cujuslibet motionis moralis vim et efficaciam respectu cujuslibet voluntatis quomodocumque dispositæ; proinde cognoscit eadem scientiâ simplicis intelligentiæ, quæ et quanta motio requiratur, ut voluntatem, quomodocumque dispositam, infallibiliter et insuperabiliter ad libere consentiendum inclinet. V. gr., scientiâ simplicis intelligentiæ cognoscit, delectationem in tali gradu hodie habere energiam infallibiliter inducendi Petrum ad conversionem, sed non crastinâ die, ob mutatas circumstantias; aut delectationem hujus gradûs inducere Petrum ad consensum, non autem Paulum; metum verò ejusdem intensionis infallibiliter trahere Paulum, non Petrum, ob diversitatem eorumdem indolis.

Quandò igitur Deus aliquem efficaciter vult convertere, tale ei seligit medium, quod scientiâ simplicis intelligentiæ cognoscit adeò ejus voluntati adaptatum et contemperatum, ac proinde adeò potens et efficax in voluntatem, ut eam infallibiliter moveat, eamque ad consentiendum indeclinabiliter et insuperabiliter adducat, atque ex nolente faciat volentem.

Propositio.

Infallibilis vis gratiæ efficacis consistit
in perfectâ ejus adaptatione et contemperatione ad voluntatem ejus,
cui conceditur.

556. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Propositio ex Scripturis apodictice non potest quidem probari; non obscure tamen in eis innuitur. Legimus, (Hebr. XIII, 20, 21): *Deus autem pacis... aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se.* Agi hoc in textu de gratiâ efficaci, manifeste indicatur verbis *ut faciatis voluntatem ejus: faciens in vobis*, etc. Et cum Apostolus dicat *Deus aptet vos*, satis clare indicat auxilium, quo Deus eos adjuvat, ipsis esse perfecte aptatum et contemperatum.

557. — Prob. II. **Ex S. Augustino.** Gratiæ adaptationem et contemperationem ad voluntatem ejus, qui efficaciter vocatur, perbelle commendat S. Augustinus.

In *Libro I ad Simplicianum, q. 2, n. 13, (M., 40, c. 118)*, scribit S. Doctor: « An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, pos- » sent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut et illud » verum sit, *Multi vocati, pauci electi;* ut quamvis multi uno modo » vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli » sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei; et illud » non minus verum sit: *Igitur non volentis neque currentis, sed mise-* » *rentis est Dei*, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui » secuti sunt vocationem? Ad alios autem vocatio quidem pervenit; » sed quia talis fuit qua moveri non possent, nec eam capere apti » essent, vocati quidem dici potuerunt sed non electi..; si vellet (Deus) » etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, » ut et moverentur et intelligerent et sequerentur. Verum est ergo, » *Multi vocati, pauci electi.* Illi enim electi, qui congruenter vocati; » illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, » non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est, *Non* » *volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei;* quia etiamsi multos » vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari » aptum est, ut sequantur. Falsum est autem si quis dicit: Igitur non » miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia nul- » lius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat, » quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. »

Hæc S. Augustini verba sunt decretoria pro nostrâ propositione. In ea scribit Ysambertus: « Quo loco hæ particulæ sunt observandæ » in probationem nostræ propositionis: *quia non omnes uno modo af-* » *fecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiun-* » *tur idonei;* hæc enim postrema verba juncta iis præcedentibus, *quia* » *non omnes uno modo affecti sunt*, declarant hanc specialem effica- » ciam gratiæ operantis seu vocantis consistere in prædicta coapta- » tione et contemperatione ad voluntatem ejus, qui vocatur.

» Deinde et hæc alia sequens particula debet observari, *qui hoc* » *modo vocati, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem;* » hæc enim verba exprimunt etiam hanc efficaciam hujus singularis » gratiæ consistere in tali coaptatione.

» Tertio observari debet hæc ultima pars, quâ causam cur omnes » vocati non fuerint electi, refundit in illud, *quod non essent apti ad* » *capiendam talem motionem*, seu vocationem, quod ibidem paulo post » repetit sic scribendo: *Quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset* » *et vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur et sequerentur;* » et paulo post: *illi electi qui congruentur vocati, illi autem qui non* » *congruebant et contemperabantur vocationi, non electi;* et iterum paulo » post: *cujus autem miseretur*, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, » ut vocantem non respuat. » *(In Q. 111, Disp. 8, a. 1;pag. 430).*

Post verba supra recitata, *S. Augustinus*, statim addit: « Hic dicet » aliquis: Cur ergo Esau non sic est vocatus, ut vellet obedire? Vi- » demus enim alios aliter iisdem rebus demonstratis vel significatis » ad credendum moveri. » — Et, adductis pluribus exemplis pro diversitate efficacis Dei vocationis, concludit: « Cum ergo alius sic, alius » autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta » moveat, alio modo dicta non moveat; aliumque moveat, alium non » moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam » Esau ad eam fidem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua » Jacob justificatus est? »

Et *Lib. De Dono persev., c. 14, n. 35. M., 45, c. 1014*, ait: « Habere » quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, » quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant » verba, vel signa conspiciant. » — Et *Epist. 217, n. 5, M., 33, c. 980*, gratiam efficacem vocat *vocationem altam et secretam quæ sic agit sensum, ut legi atque doctrinæ accommodet assensum.* — Et, *De Corrept. et Gr., c. 5; M., 44, c. 920*, gratiam vocat *occultissimam et potentissimam medicinam;* proinde sicut medicina ægrotanti, ita et gratia voluntati adaptari et accommodari debet.

Ex his autem iterum patet, vocationem Dei efficacem, juxta S. Doctorem, eam esse quæ ita attemperatur homini, ut hujus assensum reverà obtineat. Infallibilitas igitur divinæ gratiæ efficacis desumenda est ex ejus intrinsecâ congruitate cum hominis voluntate et ingenio.

558. — Prob. III. **Ex Ratione.** 1° Quando aliquid alicui applicatur tanquam medium ad finem infallibiliter obtinendum, illud subjecto, cui applicatur, debet perfecte adaptari et contemperari: ad rationem enim medii pertinet, ut subjecto perfecte adaptetur; sicut, v. gr., medicina, quæ assumitur ad morbum depellendum, variari debet pro morborum diversitate, et debet præsertim aptari et accommodari ad præsentes ægroti dispositiones. Atqui gratia efficax est medium, quod voluntati applicatur ad ejus consensum infallibiliter obtinendum. Ipsa ergo debet aptari voluntati juxtà hujus præsentes dispositiones.

Confirmatur hæc ratio. Voluntas, utpote libera, nequit ad aliquid ab alio determinari, nisi motione morali. Jamverò constat experientiâ, omnes homines iisdem motivis æqualiter non moveri; imò et eumdem hominem nunc ab aliquo motivo efficaciter moveri, quod eumdem aliter dispositum aut aliis in circumstantiis efficaciter non movisset. Deus autem, quia fortiter simul et suaviter fines suos attingit, et cujus gratia naturam non destruit, sed adjuvat et perficit, modo naturæ consentaneo semper operatur; ac proinde suas motiones voluntati ita adaptat et contemperat, eaque contemperatione in voluntatem tam fortiter et suaviter agit, ut ipsa voluntas gratiæ vocanti consensum semper infallibiliter tribuat.

559. — 2° « Præfatum efficaciæ modum, *ait Joseph ab Exspectatione*, » in congruitate et contemperatione gratiæ ad cujusque animi indolem, » et affectus constitutum itidem comprobat diuturna experientia. Ad » conversionem infidelium, quia mysteria fidei, et sanæ doctrinæ leges » non erant satis exhibita, ut intus supernæ illustrationes et adfectus » ipsorum corda penetrarent, opportune et provide adhibita fuerunt » miracula. Quia peccatores fideles timore magis æterni supplicii ac » pœnæ, quam amore justitiæ moveri solent, cum primum convertendi » sunt, repetitis timoris ictibus concutiuntur; dein in spem veniæ eri- » guntur, et postea aliquali amore adficiuntur; quem ordinem exponit » Tridentina Synodus, Sess. VI de Justif., cap. 6. Recentes conversi » plerumque delectationum ubertate perfunduntur, ut earum illecebris » capti mundanas voluptates fastidiant; postquam vero in pietate pro- » grediuntur, delectationum loco succedunt intus forisque amaritudines, » quibus tamen non franguntur, immo Deo flagellanti amore plurimo, » majorique constantia adhærescunt. Hæc utique minime quadrare

» possunt oppositis nostræ theologorum sententiis. » *(Systema theol., De grat. eff., art. 3; p. 339).*

560. — Prob. IV. **Ex Auctoritate** [1]. Confirmatur hæc nostra sententia de ratione formali gratiæ ab intrinseco efficacis, auctoritate maximorum theologorum scholæ Augustinianæ, et præsertim scholæ Sorbonicæ, cujus doctrinam hac de quæstione perlucide refert *Is. Habertus.* « Sententiam igitur, *inquit,* in cathedrâ Sorbonicâ semper au- » ditam propugnamus. His autem fere verbis scholasticis apud docto- » res nostros comprehenditur: Non trahitur voluntas physicâ aliquâ » præmotione aut qualitate antecedente, sed congrua et accommodata » vocatione seu inspiratione, quæ indoli, ingenio, inclinationi naturali » et propriis affectibus uniuscujusque sit apta et consentanea, simpli- » citer hic et nunc, aliquando etiam loco et tempori conveniens: Deus » enim novit certissime quid unusquisque homo acturus sit, posita hac » aut illa rerum peristasi; an consensum daturus necne, et quis modus » suasionis idoneus, ut non tantum suadeatur homo, sed etiam per- » suadeatur; aliter enim constat moveri ambitiosum ad pœnitentiam, » aliter avarum; aliter timidum quam audacem, divitem quam pau- » perem: imo unus idemque homo diversis diebus, horis, momentis » alius a seipso est, nunc ira nunc odio, nunc tristitia nunc gaudio » afficitur; adeo verum illud quod aiunt philosophi: omne quod re- » cipitur ad modum recipientis recipi, nec omnia nobis eadem semper » apparere, sed prout quisque affectus est, talem ei finem videri: » Scriptura quoque solet Deum vocare adjutorem in opportunitatibus, » in necessitatibus, in tempore opportuno; et quamvis opportunitas » illa extendatur etiam aliquo modo ad gratiam congruentem, habet » tamen latitudinis gradus; magisque ac minus recipit: nec proinde » tanta est in gratia sufficiente quanta in efficaci; in qua scilicet » omnia concurrunt, talisque rerum ac circumstantiarum est dispositio, » ut assensus hominis infallibiliter sequatur, nec possit moraliter lo- » quendo non sequi, quamvis physice simpliciter impediri possit. » *(Theol. Patr. Græc., L. 2, c. 18, § 1; p. 208).*

[1] Cf. *Mascarenhas,* De Gr., Disp. 3, P. 4; p. 256. - *Puteanus,* In q. 111, a. 1, dub. ult., concl. 2; p. 531. - *Panger,* Q. 5, ass. 1; p. 491. - *Gibbon,* Tom. 1, disp. 38, dub. ult.; p. 445; et Tom. 3, disp. 34, Appendix; p. 443. - *Ysamb.,* In q. 111, disp. 8; p. 430. - *Gamach.,* In q. 111, cap. 6, concl. 2; p. 385. - *Tournely,* Comp., q. 5, a. 3, § 6. - *Petrus a S. Jos.,* De Grat., Disp. 7, sect. 9, n. 66; p. 398.

561. — **Scholium.** *De differentia Congruismi Suaresii atque doctorum Augustinianorum et Sorbonicorum.*

Dicet aliquis: Si infallibilis gratiæ efficacia ab ejusdem congruitate desumenda est, ergo Sorbonicorum systema a Congruismo proprie dicto nullatenus differt. — *Respondetur:* Differre omnibus modis. Duplex enim datur congruitas, interna scilicet et externa. Nos intrinsecam, Congruistæ verò solam tuentur extrinsecam.

Juxta Congruistas, nihil in ipsâ vocatione reperitur, quo vocatio congrua seu efficax differt ab incongruâ seu inefficaci; sed tota differentia desumitur ab extrinseco, scilicet a circumstantiis loci, temporis, et subjectivarum hominis dispositionum. Deus, eorum sententiâ, gratiam intrinsece non accommodat ad hominis dispositiones; sed eadem omninò gratia modò est congrua, modò incongrua, pro diversitate circumstantiarum, ob quas voluntas gratiæ consentit vel non consentit; et sic congruitas a voluntate aut a tempore redundat in gratiam. Inde sequitur infallibilem effectum gratiæ dependere non ab ejus vi intrinsecâ, sed vel a voluntatis consensu, vel a circumstantiis in quibus homo versatur; Deumque effectum gratiæ infallibiliter cognoscere non posse, nisi ope scientiæ mediæ prius exploraverit an voluntas, in his aut illis circumstantiis posita, gratiæ sit consensura, necne.

562. — Nos verò dicimus, congruitatem esse gratiæ intrinsecam, ab ipso Deo gratiæ inditam, atque consistere, non in entitate aliquâ absolutâ gratiæ superadditâ, sed in speciali modo divinæ vocationis, in ipsius scilicet perfectâ contemperatione cum voluntate vocati, quâ fit ut vocatio illa adeò potenter ac suaviter voluntatem alliciat, ut ejus assensum infallibiliter semper exprimat. Quare juxtà nos, congruitas ex gratiâ redundat in voluntatem; et Deus, ut gratiæ effectum cognoscat, scientiâ mediâ nullatenus indiget.

563. — Utramque congruitatem earumque differentiam dilucide exponit *Ysambertus.* « In congruitate gratiæ, seu contemperatione ad » voluntatem, *inquit,* duo posse distingui. Primum est dispositio volun- » tatis creatæ; alterum est accommodatio, adaptatio et contemperatio » gratiæ excitantis ad dispositionem creatæ voluntatis, et consequenter » gratia *efficax* potest duobus modis concipi consistere in congruitate, » seu contemperatione ad voluntatem, ad ingenium et ad disposi- » tionem vocati. Primò, ita ut ista adaptatio et contemperatio teneat » se effective et quasi formaliter ex parte voluntatis creatæ et dispo- » sitionum ejus, Deus offerat quidem gratiam excitantem, non tamen » illam accommodando ad voluntatem creatam et dispositionem ejus,

» sed ad quam voluntas creata sic seipsam disponendo se accommodat; juxta quem modum efficacia talis gratiæ est a voluntate creata, sicut et ejus dispositio, sumptaque formaliter consistit in tali compositione, ut gratia vocans reperiatur ei accommodata. Deinde, alio modo efficacia gratiæ potest concipi consistere in congruitate, adaptatione et contemperatione talis gratiæ ad voluntatem creatam et ejus dispositiones, ita ut talis adaptatio et contemperatio teneat se effective ex parte Dei, ex parte vero creatæ voluntatis et dispositionum ejus teneat se tantum in genere causæ materialis, quatenus creata voluntas et ejus dispositio est id, ad quod Deus accommodat speciali modo suam gratiam excitantem, quo modo efficacia talis gratiæ sumpta formaliter nihil erit aliùd quam ipsamet coaptatio, contemperatio et accommodatio gratiæ excitantis ad voluntatem et dispositiones vocati, prout talis coaptatio in genere causæ efficientis sese tenet ex parte Dei, et ex parte voluntatis creatæ et dispositionum ejus in genere tantum causæ materialis seu subjecti, circa quod Deus agit per talem gratiam. » *(In Q. 111, disp. 8, a. 4, p. 433).*

564. — Porrò, in gratiâ efficaci intrinsecam admittendam esse congruitatem, ex S. Augustino apprime constat. « Augustinus, *inquit Mascarenhas,* in ipsâ gratiâ efficaci agnoscit aliquam perfectionem peculiarem, secundum quam voluntati congruat, et propterea illam appellat *altam* et *secretam;* propterea etiam dicit, ita Deum *per illam agere sensum, ut ei accommodet assensum;* propterea item cap. 10 de dono persev. non dixit: *Si congruo tempore verba audiant, vel signa conspiciant,* verum, *congrua appellavit verba, et signa: si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Denique nunquam Augustinus, ex quo ista congruitas accepta est, indicavit se de temporis congruitate, sed de congruitate ipsius vocationis loqui. » *(De Gr., Disp. 3, P. 4, n. 3; p. 258).*

565. — Hujus intrinsecæ congruitatis necessitas exemplo medicinæ commendari et illustrari potest. « Hæc coaptatio, *ait Ysambertus,* sese habet in gratiâ efficaci eo modo, quo in potentissimâ corporali medicinâ sese habet ejus coaptatio ad morbum ægroti, humores et complexionem ejus, quia S. August., cap. 5, L. de corr. et gr., vocat hanc gratiam *occultissimam et potentissimam medicinam.* At in potentissimâ corporali medicinâ coaptatio ejus ad morbum, humores ejus et complexionem est ipsa qualitatum in rebus, ex quibus hæc medicina componitur ad certos gradus, ad certam quantitatem, seu pondus, commixtio, quæ huic medicinæ, tanquam toti composito,

» intrinseca est. Ergo pari jure hæc coaptatio, in gratiâ efficaci sumpta, » adæquate erunt singulares quædam entitates miro et potenti modo » inter se dispositæ a Deo, et in ipsâ internâ gratiâ quidam gradus » tali modo coordinati accommodate ad voluntatem ejus, quem Deus » vocat.

» Unde, quando hæc gratia dicitur *congrue et coaptate ad tempus*, » et alia id genus, sensus non est, quod talis congruitas teneat se ex » parte temporis et aliorum id genus, quasi tempus et id genus cæ- » tera sint istud, quod formaliter facit istam coaptationem: hoc enim » ex dictis patet esse falsum; sed sensus est tantum iste, quod hæc » coaptatio se tenens formaliter et subjective ex parte gratiæ effi- » cacis, sit in ordine ad voluntatem vocati, dispositiones ejus, et id » genus alia, tanquam ad terminum et objectum, quem talis coa- » ptatio respicit per talem habitudinem. » *(In Q. 111, disp. 9, art. 2, p. 440).*

Corollaria. Ex dictis utilissima quædam ad gratiæ efficacis commendationem vividioremque ejus intelligentiam effluunt corollaria.

566. — *Sequitur I:* Gratiæ efficaciam *efficienter* esse a solo Deo, qui ad hominis ingenium et dispositiones auxilium suum accommodando, talem ac tantam eidem confert intrinsecam agendi energiam, atque alliciendi ac persuadendi virtutem, ut homo, licet divinæ vocationi posset resistere, eidem tamen infallibiliter et insuperabiliter semper consentiat. Non secus ac potentissima medicina a peritissimo medico præparata, licet habeat in se formaliter virtutem sanandi, eam tamen efficienter habet a solo medico, qui diversa ejusdem elementa debitâ quantitate commiscendo, atque ægroti dispositionibus adaptando, eidem contulit virtutem ægrotum infallibiliter sanitati restituendi.

Gratia igitur ab intrinseco efficax apte vocari potest et debet *instrumentum divinæ omnipotentiæ*, quo Deus corda vertit quò voluerit; semperque ex absoluto effectûs proposito conceditur, vi scilicet divini decreti effectum absolute prædefinientis. « Deus, *ait S. Al-* » *phonsus*, decreto suo efficit, ut nostra opera illum habeant effectum, » quem revera habent. » Et: « Negari nequit, Deum omnipotentiâ suâ » ita movere posse hominum corda, ut ea, quæ Ipse vult, libere ve- » lint. » *(App., n. 116, p. 521; et n. 157; p. 535).*

567. — *Sequitur II:* Deum ad effectum gratiæ ab intrinseco efficacis certò et infallibiliter cognoscendum, non indigere scientiâ mediâ.

Deus scientiâ simplicis intelligentiæ intime cognoscit cujusque voluntatis dispositiones et affectiones pro omni temporis aut loci differentiâ; cognoscit perfecte cujusvis gratiæ vim et energiam, et quænam gratia cuilibet voluntati ita sit proportionata, ut eam semper infallibiliter et indeclinabiliter faciat libere consentire. Quandò igitur Deus decernit alicui concedere gratiam, quam cognoscit taliter ad ejus voluntatem accommodatam, ut virtute suâ intrinsecâ ipsam infallibiliter persuadeat, in ipso decreto, quo Deus statuit talem conferre gratiam, jam cognoscit effectum gratiæ et voluntatis consensum; nec ullâ ratione indiget ut scientiâ mediâ prius exploret, an voluntas hujusmodi gratiæ velit consentire. Non secus ac in ordine naturali, qui ponit causam cum effectu infallibili connexione conjunctam, in ipso efficaci proposito ponendi causam jam certò prænoscit effectum.

568. — *Sequitur III:* Intimam efficaciam gratiæ non esse absolutam in ordine ad omne subjectum, sed esse relativam ad unum præ alio. Cum enim gratia operetur suasionibus, timore, metu, etc.; optime fieri potest, ut eadem entitative vocatio, propter perfectam suam congruitatem ad unum hominem, sit efficax in eo, et tamen in alio sit inefficax, quia huic non est adeò perfecte attemperata. Quod apprime confirmatur verbis Domini dicentis, (Matth. XI, 21): *Væ tibi, Corozain; væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* Eadem igitur gratia, quæ in Tyriis et Sidoniis consensum obtinuisset, si data fuisset, in Bethsaidiis et Corozainis non obtinuit, sed remansit pure sufficiens.

569. — Ex dictis in hoc corollario deduces solutionem tritæ illius quæstionis, scilicet: *An ex duobus hominibus æquali gratiâ vocatis, unus possit consentire, alter resistere?* Respondetur, quod si gratia consideratur quoad suam entitatem physicam, fieri posse ut ex duobus æquali gratiâ prævenţis, unus consentiat, alter dissentiat; quia eadem physice gratia uni potest esse perfecte attemperata, alteri verò non. Imò fieri potest, unum majori gratiâ præventum, eidem resistere, dum alter minori præventus, efficaciter trahatur. Id idem obtingit in humanis: una eademque physice suasio unum hominem efficaciter flectit, alterum verò aliter dispositum non persuadet; imò motivum in se minus fortè unum quandoque efficaciter persuadet, dum magis forte alterum pejus dispositum non trahat.

Si verò gratia consideratur in ratione beneficii et doni, cum sic considerata supponatur data a Deo ex efficaci proposito effectûs, ac

proinde utrique perfecte accommodata et attemperata, fieri nequit ut unus consentiat, alter dissentiat; sed gratia utraque, quia utrique perfecte congrua, utrumque adeò blande et fortiter simul allicit, ut neuter, licet posset resistere, tamen de facto resistat.

In systemate autem Thomistarum, si æqualis gratia datur duobus hominibus, etiam inæqualiter dispositis, impossibile est ut unus agat, alter verò secus; sed ambo æqualiter consentient. Juxta ipsos enim gratia agit præmotione physica, quâ positâ, impossibile est ut effectus non sequatur; proinde positâ æquali motione, ambo æqualiter agent.

570. — *Sequitur IV:* Gratiam ab intrinseco efficacem non semper entitative differre a sufficienti; sed differre ab ea secundum majorem minoremve congruitatem cum voluntate ejus, cui ambæ conceduntur. *(Cf. n. 82).* Duplex enim distingui debet congruitas, *specialis* scilicet, et *communis*. Specialis ea est, quam suprà gratiæ efficaci adscripsimus, consistitque in omnimodâ et perfectâ gratiæ coaptatione ad voluntatem vocati. Communis sufficienti competit, estque ejus naturæ ut homo vocationi, si velit, possit respondere, quin tamen a vocatione infallibiliter ad consensum inclinetur. Hujus congruitatis communis exemplum cernere est etiam in humanis. Quando apud aliquem adhibetur suasio ad aliquid ab eo obtinendum, quæ ipsius ingenio et dispositionibus non perfecte respondeat, hic licet tali suasione infallibiliter non moveatur, ita tamen movetur, ut si velit, possit præstare quod ab eo petitur.

Cum igitur, ut in superiori corollario notatum est, intrinseca gratiæ efficacia non sit absoluta in ordine ad omnes, sed respectiva ad unum præ alio, fieri potest et sæpissime reapse fit, ut eadem entitative gratia unum moveat adeò efficaciter, ut eum ad consensum infallibiliter adducat; alterum verò sufficienter tantum, ita ut hic, si velit, possit consentire de facto, aut pro libito resistere. Ejusmodi fuit gratia Bethsaidiis concessa; movit eos sufficienter ut converti potuissent, si voluissent; remansit tamen inefficax; in Tyriis verò fuisset efficax, et quidem ab intrinseco, cum hi pœnitentiam egissent: ad conversionem enim, utpote rem difficilem, juxta S. Augustinum requiritur gratia suâpte naturâ efficax.

571. — *Sequitur V:* Inter efficaciam gratiæ in actu primo et effectum, adesse connexionem causalitatis omninò certam et infallibilem; quia ipsa gratia facit facere, et voluntatis consensum vi suâ intrin-

secâ operatur, atque datur a Deo ex efficaci et absoluto proposito effectûs; hanc tamen connexionem non esse metaphysicam: motioni enim morali non competit connexio metaphysica cum effectu; præterea metaphysica destrueret libertatem, quia, ut ait *S. Alphonsus, (Cont. hær., Sess. VI, app., n. 6; p. 518),* quod dependet a determinatione voluntatis alterius habetque cum illâ determinatione connexionem metaphysice certam, nostram libertatem destruere videtur; *(cf. n. 416 et ss.);* sed esse tantum connexionem moralem, sed summam, quæ metaphysicæ æquivaleat. Licet igitur non absolute repugnet gratiam suo effectu posse frustrari, eo tamen de facto nunquam frustratur, non quidem ob consensum voluntatis ope scientiæ mediæ prævisum, sed ob ineluctabilem virtutem ipsi gratiæ intrinsecam, quæ effectum infallibiliter semper operatur. Quapropter, quamvis modus, quo gratia voluntatem determinat, in motione morali tantum consistat, et gratia habeat cum effectu moralem tantum connexionem, infallibilitas tamen effectûs est absoluta et absolute certa; Deusque infallibiliter et omnimodâ certitudine effectum cognoscit in ipso decreto dandi talem gratiam.

§ 4. *De Concordia humanæ libertatis cum gratia.*

572. — Nihil, ut *n. 388* monuimus, est in theologiâ difficilius, quam componere usum expeditum libertatis cum motione gratiæ suum effectum infallibiliter producentis. Fide tenemus quidem, hominem sub motione gratiæ remanere perfecte liberum; fide etiam tenemus Deum gratiâ suâ corda hominum indeclinabiliter et insuperabiliter, eò quò voluerit, inclinare posse: quonam verò modo hæ duæ veritates inter se concilientur, Deus non est elocutus: duos igitur ejusdem catenæ annulos videmus; quomodo verò inter se connectantur, densâ tegitur caligine.

Est ergò humanæ libertatis concordia cum infallibili motione gratiæ altum mysterium, quod nobis in patriâ tantum, ubi videbimus quod nunc credimus, perfecte manifestabitur. Satius igitur foret in tam abstrusâ materiâ profundissimam Dei sapientiam silentio venerari, quam ejus agendi modum ad trutinam revocare. Quia tamen theologorum partes agimus, quibus apprime arridet scrutari inscrutabilia, istam etiam quæstionem pertractare necesse est, ne, quod defendimus, systema mancum videatur. Lectorem tamen monemus, in hac quæstione scholasticâ nihil absolute certum proferri posse; et unum systema cæteris hoc uno præstare, quod scilicet paucioribus

objiciatur difficultatibus, perfectiusque salvare videatur cum perfectam hominis libertatem, tum indeclinabilem gratiæ efficacitatem.

573. — Molinistæ, sicut ex eorum systematis expositione patet, libertatem perfecte salvare videntur; cum verò tollant gratiam ab intrinseco efficacem, efficaciam divinæ motionis plus æquo minuunt, supremum Dei dominium in corda hominum labefactant, Scripturis Sacris et doctrinæ S. Augustini adversantur; quibus de causis, ducibus S. Alphonso et Bellarmino, eorum systema tanquam a veritatis tramite aberrans rejecimus.

574. — Thomistæ supremum Dei dominium in corda hominum ut par est, extollunt; commendant perfecte indeclinabilem, insuperabilem et omnimode infallibilem gratiæ efficacitatem. Verùm, quomodo salva maneat humana libertas sub motione gratiæ physice prædeterminantis et cum effectu connexione causalitatis metaphysicâ conjunctæ, nec satis explicant, nec satis explicare valent. Quocirca nec horum systema admittendum esse putavimus.

575. — Affirmamus igitur cum Scholâ Augustinianâ et Sorbonicâ, in systemate de gratiâ efficaci voluntatem moraliter determinante, perfectius explicari quam in cæteris systematibus, quomodo sub infallibili et insuperabili motione gratiæ stet plena et perfecta voluntatis libertas.

Gratiam moraliter moventem habere infallibilem efficacitatem, abunde jam expositum est; jam illud igitur solum superest ut demonstretur, libertatem sub motione talis gratiæ perfecte salvari.

Propositio.

Humana libertas sub influxu gratiæ ab intrinseco efficacis moraliter moventis integra et illæsa subsistit.

576. — Prob. I. **Ex natura libertatis.** Libertas est facultas eligendi sub ductu rationis; seu, est facultas quâ, positis omnibus ad agendum requisitis, voluntas potest agere vel non agere, agere hoc aut ejus oppositum. Jamverò, ut auferatur a voluntate facultas eligendi, unum ex duobus requiritur, scilicet, vel ut tollatur indifferentia judicii, vel ut voluntas antecedenter ita ad unum determinetur, ut potestatem sese ad oppositum determinandi amplius non habeat. Atqui moralis motio gratiæ, quantumvis sit efficax, nec aufert judicii indifferentiam, nec voluntatem ad unum sic determinat, ut potentiam amittat sese ad oppositum determinandi. Ergo sub motione gratiæ moraliter moventis libertas perfecte remanet.

Prob. minor per partes.

577. — 1° Voluntas est facultas cæca, atque ductu rationis indiget, ut objectum aliquod tanquam sibi bonum valeat appetere; quare, etsi libertas formaliter in voluntate resideat, radicem tamen habet in intellectu, cujus est voluntati ejus objectum proponere, atque judicare utrum voluntas debeat hic et nunc illud amplecti, an non. Quando igitur intellectus in aliquo objecto solam rationem boni, nullam verò rationem mali et disconvenientis deprehendit, non potest aliter judicare nisi objectum esse undequaque bonum et conveniens, et qua tale amplectendum: quo in casu aufertur ex parte intellectûs indifferentia judicii; et intellectus necessitatur ad suum judicium practicum proferendum. Verùm, cum voluntas sequatur ultimum judicium practicum intellectûs, ipsa etiam necessitatur ad illud bonum amplectendum, nec conservat potentiam sese ad oppositum ferendi. Sic, v. gr., quia visione beatificâ intellectus apprehendit Deum ut bonum perfectum, in quo nullam cernere est rationem mali, necessariò judicat Deum esse amandum; et voluntas necessariò adhæret Deo, nec est in ejus potestate sese ab ipso avertere. Porrò, per gratiam efficacem nunquam intellectui proponitur bonum per essentiam, saltem cognitum ut tale, in quo nulla possit ratio mali et disconvenientis deprehendi; sed semper proponitur bonum particulare, in quo intellectus rationem tam boni quam mali possit perspicere. Proinde sub motione morali gratiæ efficacis non tollitur indifferentia judicii.

578. — Ad perfectius verò intelligendum, quomodo remaneat indifferentia judicii, ac proinde libera voluntatis electio, sub efficaci motione gratiæ ad bonum salutare, recolendum est: *a)* In quocumque bono particulari duo semper posse ab intellectu deprehendi, rationem scilicet delectabilis et convenientis, ratione cujus voluntas objectum propositum potest amplecti; et rationem alicujus defectûs, ac proinde mali et disconvenientis, ratione cujus voluntas illud potest abjicere: nam utpote finitum, quodlibet bonum particulare aliquem defectum, qui rationem mali possidet, sibi habet conjunctum.

b) In intellectu, in ordine ad boni particularis electionem, duo solere judicia voluntatis determinationem præcedere: Unum quasi speculativum, quo intellectus in objecto proposito rationem tam boni quam mali indifferenter perspicit, et illud ut tale voluntati proponit. Ratione hujus judicii seu apprehensionis, voluntas objectum appetere vel respuere potest, prout maluerit. Huic judicio correspondet in voluntate *potentia eligendi* unum præ alio.

Alterum judicium est practicum, quo intellectus determinate dictat, utra pars hic et nunc sit eligenda. Hoc judicio, quod vocatur ultimum

judicium practicum, voluntas de potentiâ reducitur ad actum, et constituitur in actuali exercitio libertatis, eligendo hic et nunc unum præ alio. Huic judicio in voluntate correspondet actualis applicatio ad unam partem, ad quam ipsa libere sese determinat, cum potuisset ad oppositam se applicare: proinde sub tali determinatione perfecte remanet potentia ad oppositum. Jamverò, illud judicium practicum ab ipsâ voluntate aliquo modo jam pendet. Proposito enim voluntati per primum judicium objecto sub ratione tam mali quam boni, ad voluntatem jam aliquo modo pertinet intellectum inclinare, ut in objecto proposito consideret sive solam rationem boni sive solam rationem mali, alterâ parte neglectâ, atque juxta illam considerationem ultimum judicium ferat.

Nunc verò, quando conceditur gratia efficax, vel intellectus circa rationem boni in objecto adeò fortiter a Deo illuminatur, ut de eâ solum cogitet, neglectâ totaliter ratione mali, quæ debiliter tantum movet; vel ipsa voluntas, propter supernam delectationem divinitus immissam, adeò efficaciter intellectum inclinat, ut negligendo rationem mali in objecto, ad solam rationem boni et convenientis attendat. Quibus evenit ut intellectus, quamvis potentiam integram conservet aliter considerandi et aliter judicandi, in ingenti difficultate et morali quadam impossibilitate constituatur aliter judicandi; sed infallibiliter judicet bonum, ad quod movet gratia, esse eligendum; voluntas verò, ductum rationis sequens, quamvis physicam conservet potentiam contrarium eligendi, similiter in ingenti difficultate et morali quadam impotentiâ constituatur contrarium eligendi, atque infallibiliter id, ad quod gratia movet, semper eligat. Et ita voluntas, licet infallibiliter sit mota a gratiâ efficaci, et infallibiliter consentiat divinæ vocationi, plenam tamen conservat potentiam ad dissensum, quem, absolute loquendo, potuisset ponere; et hac de causâ sub efficaci motione morali libera semper remanet, et libere semper gratiæ consentit.

579. — 2° Aliud, quod libertatem aufert, est talis determinatio voluntatis ad unum, ut ipsa potentiam non retineat sese ad oppositum determinandi. Porro, moralis determinatio gratiæ voluntatem antecedenter ad ejus consensum non ita ad unum determinat, ut hæc potestatem ad oppositum sese determinandi non amplius habeat.

Et re quidem vera, possibilitas seu potentia sese ad oppositum determinandi, a voluntate, antecedenter ad suam electionem, solum per hoc aufertur, quod ab aliquo agente extrinseco efficienter physice, seu per modum causæ physicæ, ineluctabiliter ad opus applicetur. Porro, motio moralis, quantumvis supponatur magna et efficax,

efficienter physice voluntatem ad unum non applicat, sed solum efficienter moraliter; id est, motio moralis suadendo, delectando, alliciendo, terrendo, etc., voluntatem ita adducit, ut ipsa intellectui imperet quale ultimum judicium practicum ferat; et ipsa ultimatim ad bonum propositum eligendum sese determinet, ut supra dictum est, Quæ motio, ut vidimus, physicam voluntatis potentiam ad oppositum intactam relinquit, solamque inducit impotentiam moralem, ingentem scilicet difficultatem, ad omittendum id ad quod vocatur per gratiam. Voluntas igitur, quia a gratiâ physice non applicatur ad consensum, et physicam proinde potentiam ad dissensum conservat, posset, absolute loquendo, gratiæ non consentire, et oppositum eligere; sed a gratiâ ita apte et suaviter adducitur, ut ipsa se ad consentiendum semper determinet, et infallibiliter velit propriâ electione id, quod a gratiâ proponitur.

Hac explicatione aliquo saltem modo intelligitur, et quomodo gratia ab intrinseco efficax suum effectum infallibiliter semper obtineat, et quomodo voluntas, juxta verba Tridentini, posset dissentire, si vellet, non solum in sensu diviso, sicut aiunt Thomistæ, sed etiam in sensu composito; quia, juxta nostrum modum concipiendi, positâ gratiâ ab intrinseco efficaci, voluntas conservat potentiam dissentiendi gratiæ hic et nunc datæ, licet de facto nunquam dissentiat.

580. — Prob. II. **Ex Analogia.** Omnes concedunt, hominem gravi impetitum tentatione, et speciali gratiæ auxilio carentem, versari in morali impotentiâ ad resistendum, et infallibiliter peccare: in nostro enim statu naturæ lapsæ inter gravem tentationem et peccatum, absente speciali gratiâ, antecedens et infallibilis existit connexio. Certum est tamen hominem, non obstante hac antecedente et infallibili connexione, tentationi libere consentire et libere peccare: si enim resistendi potentiam non haberet, et dissentire non posset, non peccaret tentationi cedendo, quia nemo culpandus est de eo quod vitare non potest.

Si autem diabolus adeò potens est, ut motione morali, quæ sola in tentatione adest, hominem ad peccatum infallibiliter trahat, illæsâ tamen remanente ejus libertate, a fortiori concedendum est, Deum motione morali hominem ita in bonum inclinare posse, ut effectus infallibiliter simul et omninò libere sequatur.

581. — Prob. III. **Ex Auctoritate.** Ad probandum, moralem gratiæ ab intrinseco efficacis motionem non destruere libertatem voluntatis, nec Thomistarum auctoritatem afferre juvat: hi enim cum sub physicâ gratiæ motione libertatem salvari doceant, a fortiori docent eam-

dem sub motione morali salvam subsistere; nec Augustinianorum aut Sorbonicorum testimonia afferre licet, ne eos judices in suâ causâ constituamus. Sola igitur eorum afferemus testimonia, qui gratiam ab intrinseco efficacem rejicientes, nihilominus docent istius gratiæ moralem et infallibilem motionem cum voluntatis libertate perfecte conciliari.

582. — *Tanner, S. J.:* « Dici potest gratia vocans voluntatem effi» caciter determinare ad consensum ob ipsam per se intrinsecam vim » et efficacitatem.., quia ob ipsam magnitudinem et vehementiam, » etiam in ratione entis, adeo potens est, ut quamvis absolute ac phy» sice ei resisti possit, moraliter tamen impossibile sit eidem resistere... » At vero quamvis hæc sententia libertatem arbitrii ipsiusque con» sensûs in prævium Dei vocationem utcumque tueretur,... etc. » *(Q. 2, dub. 4, n. 57; pag. 1156). Cf. etiam Q. 1, Dub. 3, n. 39 et 41; pag. 1124).*

583. — *Mœratius, S. J.:* « Duo hic concedo:... Secundum est, non » repugnare dari gratiam excitantem moraliter ad consensum prædeterminantem: si enim aliquo ex capite repugnaret, certe ex nostræ » libertatis quæ violari videretur; at, ut ante vidimus, tota, etiam ex » hypothesi hujus prædeterminationis, servatur libertas tam quoad » speciem quam quoad exercitium, quia prædeterminatio hæc relin» quit voluntatem simpliciter et physice potentem, ut hoc agat, vel » contrarium; ut agat, vel non agat. » *(De Grat., Disp. 6, sect. 15, p. 101, n. 5; cf. etiam p. 100, n. 5).*

584. — *Platel, S. J.:* « Nonnulli eam (infallibilem gratiæ efficaciam) collocant in quadam vi voluntatem ita alliciendi, aut impel» lendi, ut moraliter eam prædeterminet et velut necessitet... Verum » licet hujusmodi gratiæ efficacia, libertati amica, sit possibilis, et » talis quandoque detur, ut probabiliter concessa fuit S. Paulo in » ejus adeo subita et mira conversione, non videtur tamen ordinarie » dari. » *(De Gr., c. 6, § 5, n. 288; p. 419).*

585. — *Jungmann*, sententiam Doctorum Sorbonicorum de gratiâ efficaci referens, ait: « Ab auctoribus his gratia ex indole suâ efficax, » quam ad opera difficiliora dari statuunt, explicari videtur ita, ut » sit gratia valde magna et robusta, quæ ex naturâ suâ sic afficiat » voluntatem eamque inclinet, ut morali infallibilitate adducat assen» sum ejus, quamvis liberum. Jam vero tales gratias *interdum* dari, » nec nos inficiamur, nec unquam id fuit negatum. » *(De Gr., n. 204).*

586. — *Lessius, S. J.:* « Hæc gratia et excitatio in aliis est multo » potentior quam in aliis, v. gr., in Paulo et Magdalena vocatio et » excitatio ita magna fuit, ut difficile eis fuisset resistere, et mora-

» liter certum erat eos secuturos. Unde cum dico, forte in Paulo et » Magdalena fuisse talem excitationem et vocationem, quæ illos in- » fallibiliter determinaret, loquor de infallibilitate morali, qua mora- » liter certum erat et infallibile, consideratâ potentiâ talis vocationis, » quod qui tam potenter vocaretur, obtemperaret. » *(Resp. ad censuram 10^m Lovan. pag. 52)*. His verbis Lessius gratiam agnoscit suapte naturâ et infallibiliter efficacem, saltem in providentia Dei extraordinariâ. Gratia verò in nullo casu, etiam modo extraordinario concessa, destruit libertatem. Possibilem ergo judicat gratiam ab intrinseco efficacem amicam creatæ libertatis.

587. — *Ripalda, S. J.:* « Supponimus dari quoad actus liberos im- » possibilitatem moralem conjunctam cum possibilitate physica subor- » tamque ex nimiâ difficultate eventûs. Quærimus autem, an ea in- » tercedat ex vi impulsûs gratiæ quoad dissensum ipsius? — Com- » munis theologorum sententia affirmat, quin noverim unum, qui ne- » gat. » *(L. 5, disp. 109, sect. 2, p. 465)*.

Porro, ex citatis testimoniis constat, tam Congruistas quam Molinistas fateri, libertatem creatam perfecte salvari sub infallibili motione morali gratiæ suapte vi efficacis.

588. — **Corollarium I.** Ex dictis intelligi potest, quomodo voluntas sub morali motione gratiæ efficacis non solum maneat perfecte libera, sed etiam quomodo eò perfectior evadat libertas, quò validior homini concedatur gratia. Voluntas enim nihil eligere potest nisi præeunte intellectûs dictamine; quò major autem et accuratior est objecti cognitio, eò facilius etiam intellectus suum judicium practicum proferre, eoque igitur facilius voluntas quoque suas electiones pro nutu suo elicere valet. Porrò, gratiæ efficacis munus est intellectum superno lumine perfundere, quo objecti propositi bonitas aut malitia intimius cognoscitur; quod lumen eò est plenius, quò validior est gratia; et proinde quò validior est gratia, eò facilius etiam intellectus judicare valet quid sit faciendum aut omittendum; et ipsa voluntas sequens ductum intellectûs, eò facilius etiam suas electiones pro arbitrio potest elicere.

Præterea, gratia non solum intellectum illuminat, sed insuper etiam voluntati efficacissimas tribuit vires ad bonum prosequendum et malum fugiendum, eamque contra carnalem concupiscentiam insuperabili induit fortitudine. Inde fit ut voluntas, contra noxias illecebras per gratiam munita et roborata, majori cum deliberatione et facilitate tum bonum supernaturale libere eligere, tum a malo eidem

opposito libere valeat declinare. Et sic per gratiam non solum non tollitur, sed etiam statuitur et perficitur vera libertas, quia *ubi Spiritus Domini, ubi libertas.* (II Cor. III, 17).

Apposite *S. Augustinus:* « Liberum ergo arbitrium, *inquit,* evacua» mus per gratiam? Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus. » Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non » evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur nisi libero arbi» trio: sed per legem cognitio peccati; per gratiam sanatio animæ a » vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum ar» bitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio. Ac » per hoc, sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides » impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non » evacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, » qua justitia libere diligatur. » *(De Spir. et litt., c. 30. M., 44, c. 233. Cf. ejusdem Epist. 157, n. 8 et seq. M., 33, c. 676).*

589. — **Corollarium II**[1]. Efficacia gratiæ ab intrinseco efficacis habet in actu primo infallibilem connexionem causalitatis cum effectu; ejusdem etiam efficacia in actu secundo, seu actualis ejus efficientia, primariò et principaliter pendet a Deo, qui suo decreto futuram positionem hujus actus salutaris absolute prædefinivit. His tamen non obstantibus, dicendum est, hujus gratiæ efficaciam in actu secundo pendere etiam aliquo modo a libero hominis arbitrio. Etenim gratiæ efficacia in actu secundo est ipsamet salutaris operatio, aut peccatoris conversio ad Deum. Sed salutaris operatio et conversio ad Deum sunt actus vitales a voluntate libere positi, et quos voluntas potuisset non ponere, cum, juxta Tridentinum, *Sess. VI, can. 4,* gratiæ potuisset resistere. Si igitur gratia suum effectum obtinet, illum obtinet primariò ex se et per se, sed etiam quia voluntas, quæ absolute loquendo resistere potuisset, vocationi libere consentit, et unà cum gratiâ opus exsequitur. Salutaris igitur effectus ita procedit a gratiâ, ut simul etiam procedat a libero arbitrio, non quidem tanquam a duabus causis partialibus, sed tanquam ab unicâ causâ totali, ut supra jam notatum est, *n. 182.* Hæc tamen dependentia efficaciæ in actu secundo a libero consensu non debet dici dependentia proprie et stricte dicta, quia gratia consensum voluntatis non exspectat, sed ipsum operatur; eum tamen sic operatur, ut et voluntas ipsum libere ponat, cum absolute loquendo potuisset eum non ponere.

[1] Cf. *Ysamb.,* In q. 111, Disp. ult., art. 1; p. 446. - *Petrus a S. Jos.,* De Gr., Disp. 7, sect. 9, n. 62; p. 394.

§ 5. *Solvuntur Objectiones.*

I. *Contra fundamentum systematis, id est, contra distinctionem operum in faciliora et difficiliora.*

590. — Objicitur. Distinctio gratiæ excitantis in efficacem ab intrinseco et sufficientem nititur in distinctione operum in faciliora et difficiliora. Atqui hæc distinctio operum vana est et fictitia. Ergo et gratiæ distinctio in efficacem et sufficientem.

Prob. minor. « Ficta et commentitia est, *inquit Schneemann*, in » gratia efficaci faciliorum et difficiliorum operum distinctio, ut ex » ipsis Scripturæ locis, quos hujus doctrinæ defensores afferre solent, » ut gratiam *ab intrinseco efficacem* probent, satis intelligitur. » — Et adductis quibusdam Scripturæ locis, subdit: « Hi enim loci *uni-* » *versim* de *omnibus* actibus supernaturalibus dicti sunt: quibus si » probatur gratia *ab intrinseco efficax*, probatur de actibus facilio- » ribus et difficilioribus. At alterum falsum esse existimant; ergo » neutrum demonstrant. Nec ex sententia e SS. Patribus, maxime » Augustino, eruitur. Ex hoc quæ afferunt, nihil ostendunt (quemad- » modum Billuart contra Tournely, quem cæteri sequuntur, scripserat) » nisi hoc: non omnem gratiam sufficientem ad omnem actum proxime » sufficere, orando autem uberiorem gratiam impetrari posse, quod » quidem, ut ait Lessius, nemo theologus negat. Sed idem Augustinus » a gratiæ efficacia distinctionem facilium et difficilium actuum omnino » removet. *Quia omnia bona*, inquit, *et magna et media et minima,* » *ex Deo sunt, sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ vo-* » *luntatis.* L. 1, Retract., c. 9.» *(Controv. de div. Grat., n. 16; p. 323)* [1].

591. — Resp. In citato testimonio, P. Schneemann plura affirmat, quibus, claritatis causâ, seorsum est respondendum.

1° Affirmat textus Scripturæ allegatos pro omnibus operibus indiscriminatim valere.

2° Affirmat nec S. Augustinum opera distinguere in facilia et difficilia.

3° Affirmat argumenta a defensoribus nostri systematis allata, solum probare omnem gratiam sufficientem pro quolibet opere non sufficere, sed sæpius requiri gratiam sufficientem validiorem.

4° Insinuare videtur Tournelium fuisse hujus systematis antesignanum, quem cæteri sequuntur.

[1] Ita etiam *Alvarez*, De Auxil., Disp. 91; p. 608.

592. — **Ad 1m**: Ultrò profitemur textus Scripturæ, quos allegat Schneemann, pro operibus supernaturalibus *in genere* valere; et si alii Scripturæ textus præstò non forent, manus daremus Thomistis aut Augustinianis. Sed, sicuti in sequenti articulo dicetur ubi sermo erit de gratiâ sufficienti, permulta exstant Scripturæ testimonia, quibus invicte probatur gratiam orandi ita esse in omnium potestate, ut omnes, *si velint*, possint actu orare. Exinde legitime et invicte deducemus, aliam in Scripturis assignari gratiam pro operibus legis completis et perfectis, relate ad quæ Deus exhibetur tanquam faciens nos facere; atque aliam pro oratione, quæ ita libero arbitrio commissa demonstratur, ut ab ipso homine dependeat gratiâ uti, vel non uti, actu orare, vel ab oratione abstinere.

593. — **Ad 2m**: Negamus absolute S. Augustinum opera facilia a difficilioribus non distinxisse.

a) Ex omnibus S. Augustini operibus, prout in citato art. sequenti fuse dicetur, constat, S. Doctorem orationem ab impletione legis sedulò semper distinxisse, et aliam gratiam pro oratione, aliam verò pro legis impletione expostulasse.

b) S. Augustinus opera facilia a difficilibus sermone explicito secernit, dicens: « Admonemur in facilibus quid agamus, in diffici» libus quid petamus. » *(De Nat. et Gr., c. 69. M., 44, c. 289).* Eadem aliis verbis repetit, (loc. cit., c. 43): « Deus impossibilia non jubet; » sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, » et adjuvat ut possis. » Quæ S. Augustini verba sua fecit Concilium Tridentinum, *Sess. VI, c. 11.* Mirum sane, P. Schneemann hæc illustria testimonia nunquam vidisse!

c) Verba S. Augustini, *cap. 9, Lib. I Retract.*, ad rem non pertinent, et unice probant a P. Schneemann S. Augustinum aut lectum non fuisse, aut non intellectum.

Loco citato, S. Augustinus, plura excerpta ex suo libro *De Libero Arbitrio* affert, et addit: « Ecce tam longe antequam pelagiana hæ» resis exstitisset, sic disputavimus, velut jam contra illos disputa» remus. Cum enim omnia bona dicerentur ex Deo, id est magna, et » media et minima: in mediis quidem bonis invenitur liberum arbi» trium, quia et male illo uti possumus; sed tamen tale est, ut sine » illo recte vivere nequeamus. Bonus autem usus ejus jam virtus est, » quæ in magnis reperitur bonis, quibus male uti nullus potest. Et » quia omnia bona, sicut dictum est, et magna, et media, et minima » ex Deo sunt; sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ volun» tatis. » *(Retract., L. 1, c. 9, n. 6. M., 32, c. 598).*

His in verbis S. Doctor inter opera non distinguit, nec erat distinctionis locus. Agit enim contra Pelagianos, qui quædam opera, et imprimis bonum usum liberæ voluntatis, subtrahebant gratiæ, ut illa naturalibus viribus liberi arbitrii tribuerent; ideoque probandum erat omnia nostra opera supernaturalia, et magna et parva, esse producta sub influxu divinæ gratiæ. Sed exinde, quid contra nostram sententiam? Affirmamus cum S. Augustino omnia nostra opera bona, et magna et parva, esse a Deo per gratiam. Hoc est totum, quod S. Doctor in citatis verbis intendit; sed quod hic non dicit, hoc alibi sæpius affirmat, scilicet aliam requiri gratiam ad legis mandata implenda, atque aliam ad orandum.

594. — **Ad 3^{m}:** In textibus SS. Scripturæ et S. Augustini, quibus patroni nostri systematis gratiam ab intrinseco efficacem probant, Molinistæ nihil aliud vident, nisi gratiam sufficientem validiorem. Quod autem ipsi non vident, hoc alii viderunt, et quidem non solum patroni istius systematis, ut *S. Alphonsus, Ysambertus, Gamachæus, Tournely*, etc.; sed etiam extranei, nec solum Thomistæ atque Augustiniani, verum et Patres S. J., imprimis Bellarminus et Tanner, qui Molinæ sententiam adversari existimant SS. Scripturis et doctrinæ S. Augustini, eò quod non aliam nisi gratiam versatilem, libero hominis arbitrio commissam, agnoscant, sicuti supra vidimus. *(Cf. n. 469).*

595. — **Ad 4^{m}:** Insinuando Tournelium fuisse hujus systematis antesignanum, Schneemann litteraturæ theologicæ non parum se ignarum ostendit. Priusquam enim nasceretur Tournelius, magni nominis theologi, hujus systematis defensores, sua opera in lucem jam ediderant; alii verò, priusquam Tournelius suam theologiam typis mandaret, sua scripta in favorem nostri systematis jam evulgaverant.

Juxta Hurter, *(Nomenclator litterarius)*, natus est *Tournelius* anno 1658, suamque theologiam evulgavit anno 1725. Alii verò sua scripta typis mandaverunt: *Gamachæus*, an. 1634; *Duvallius*, an. 1636; *Is. Habertus*, an. 1647; *Ysambertus*, an. 1648; *Alph. Le Moyne*, an. 1650; *Bedianus Morange*, an. 1670; *Frassen*, an. 1672; *Thomassinus*, an. 1682; *Duhamel*, an. 1690; *Norisius*, versus an. 1690; *Duplessis d'Argentré*, an. 1712; *Boucat*, an. 1718. Peto igitur, qua ratione potuerunt hi omnes Tournelium sequi, atque ab eo sua argumenta in favorem nostri systematis mutuari?

596. — **NB.** Dum haec res cum Schneemann agitur, unum adhuc animadvertere licet. Schneemann S. Alphonsum in castra Molinistarum trahere conatur. Scribit, *(pag. 4):* « Nuperrime Ecclesia duos » viros sanctos inter Doctores retulit, qui in præcipuis libertatis pa-

» tronis numerandi sunt, quorum doctrinam ad Molinistarum de gratia » sententiam accedere recte dixeris. Id enim S. Franciscus Salesius » profitetur... Item S. Alphonsus Liguorius... Quod si duo Doctores » novissimi molinisticæ de gratia et libertate doctrinæ favent, nos » eamdem defendere conantes a Sanctorum vestigiis non declina- » bimus. »

Quid de hac assertione tenendum sit, judicabit ipse lector qui S. Alphonsi opera vel obiter legerit, ipsumque viderit systema Molinæ acriter impugnantem tanquam SS. Scripturis, et S. Augustini atque S. Thomæ doctrinæ contrarium, ac pro stabiliendâ gratiâ ab intrinseco efficaci ad opera difficiliora implenda strenue certantem.

II. *Contra 1^m et 4^m paragraphum.*

597. — **Objicitur I.** Quod voluntatem movet infallibiliter et insuperabiliter, eam movet necessariò. Atqui gratia ab intrinseco efficax movet infallibiliter et insuperabiliter. Ergo movet necessariò. Sed cum de fide sit, gratiam non movere necessario, sequitur gratiam ab intrinseco efficacem non posse admitti.

Resp. *Quoad maj.:* Quod movet infallibiliter et insuperabiliter, movet necessariò, *dist.:* quod movet motione physica, *transeat;* quod movet motione tantum morali, *nego.* — Porro, ut § 2 diximus, gratia efficax movet solâ motione morali, quâ scilicet voluntas eò adducitur, ut ipsa sub influxu gratiæ sese libere ad agendum determinet, cum, absolute loquendo, potuisset gratiæ resistere et non agere. Aliud igitur est agere *necessariò*, et aliud agere *infallibiliter* ac *insuperabiliter.* Voluntas dicitur agere *necessariò*, quandò non retinet potentiam ad contrarium; agit verò *infallibiliter* et *insuperabiliter*, quandò, licet potentiam physicam retineat ad contrarium, et hoc posset absolute loquendo eligere, certò tamen semper id facit, ad quod vocatur per gratiam.

598. — **Insto.** Gratia efficax etiam moraliter movens, habet antecedenter ad liberam voluntatis determinationem, infallibilem connexionem causalitatis cum consensu. Atqui quod est sic antecedenter connexum cum consensu, libertatem tollit. Ergo etiam gratia moraliter movens tollit libertatem.

Resp. *Quoad maj.:* Gratia habet infallibilem connexionem cum effectu, *dist.:* connexionem metaphysicam aut physicam, *nego;* connexionem moralem, *conc.* — *Quoad min.:* Atqui, quod sic connectitur cum consensu, tollit libertatem, *dist.:* quod cum eo connectitur connexione metaphysicâ aut physicâ, *conc.;* quia undequaque repugnat

talem causam non conjungi effective cum suo effectu; quod connectitur solâ connexione morali, *nego;* quia sub causâ sic connexâ, voluntas absolutam suam potentiam conservat ad oppositum.

599. — **Objicitur II.** Quidquid tollit voluntatis indifferentiam, libertatem tollit. Atqui gratia efficax tollit voluntatis indifferentiam. Ergo et ejus libertatem.

Resp. *Quoad maj.:* Quidquid tollit indifferentiam voluntatis, tollit libertatem, *dist.:* indifferentiam passivam, *nego;* — activam, *conc.* — Atqui gratia tollit indifferentiam passivam, *conc.;* activam, *nego.* — Duplex in voluntate distinguenda est indifferentia, passiva scilicet et activa. *Passiva,* quæ vocatur etiam negativa, privativa, suspensiva, consistit in suspensione ab omni actu. Hæc ad essentiam libertatis non pertinet; estque potius quædam libertatis imperfectio, quam perfectio. Hanc per gratiam auferri, manifestum est; quia, positâ gratiâ, absolute necesse est hominem vel gratiæ consentire vel dissentire. — *Activa,* seu electiva, est ipsa vis eligendi unam partem præ aliâ, pro nutu liberi arbitrii. Hæc ad essentiam libertatis pertinet. Hanc indifferentiam gratia moraliter movens non aufert, quia voluntatem ad unam partem non cogit, sed allicit tantum et excitat, ut ipsa sese ad unam partem determinet, cum absolute loquendo potuisset contrarium eligere.

600. — **Objicitur III.** Positâ gratiâ ab intrinseco efficaci, vel possumus resistere, vel non possumus. Si non possumus, actum est de libertate; si possumus, actum est de gratiâ efficaci, quippe quod ad essentiam gratiæ ab intrinseco efficacis pertinet, ut consensum infallibiliter exprimat.

Resp. I. Argumentum motum a Molinistis contra gratiam ab intrinseco efficacem, contra ipsos retorqueri potest, scilicet: Concessâ gratiâ efficaci sub prævisione futuri effectûs per scientiam mediam, vel resistere possumus, vel non. Si non possumus, actum est de nostrâ libertate; si possumus, frustrari potest Dei prævisio.

Resp. II. *Quoad min.* Si non possumus gratiæ resistere, actum est de libertate, *dist.:* si non possumus, nec potentiâ conjungendâ realiter cum actu, nec potentiâ conjungibili cum actu, *conc.;* si possumus potentiâ conjungibili, non autem conjungendâ, *nego. Item:* Si possumus resistere, potentiâ conjungendâ realiter cum actu, actum est de gratiâ efficaci, *conc.;* potentiâ conjungibili, *nego.*

In ordine ad aliquam actionem duplex distinguenda est potentia, potentia scilicet *conjungibilis cum actu*, quæ in homine veram dicit possibilitatem physicam ad aliquid faciendum, quam, si absolute vellet, posset in actum reducere; et potentia *conjungenda cum actu*, quæ non solam dicit physicam possibilitatem, sed etiam actuale potentiæ exercitium et positionem actûs, relate ad quem homo dicitur physice potens. Quæ duæ potentiæ non sunt confundendæ, nam aliud est posse aliquid facere, et aliud, realiter facere; sicut etiam aliud est posse dissentire, et aliud, actu dissentire gratiæ; primum ad libertatem requiritur et sufficit; alterum non requiritur, secus non foret libertas nisi relate ad ea, quæ realiter facimus. Experientia testatur, nos multa physice facere posse, quæ tamen nunquam facimus. Sic, v. gr., mendicus, cui a divite offertur nummus aureus, potest recusare, nunquam tamen recusabit; episcopus habet physicam potentiam in foro cum pueris ludendi, nunquam tamen faciet; homo potest cuilibet gravi tentationi resistere, et tamen absque speciali gratiâ nunquam resistet. Imò, ipse Deus multa potest facere, v. gr., plures alios mundos creare, quæ tamen nunquam faciet, quia non vult.

Gratia igitur moraliter movens intactam in homine relinquit physicam potentiam contrarium eligendi; quare, si homo vellet, posset, absolute loquendo, gratiæ dissentire et contrarium eligere; et si eligit id, ad quod gratia impellit, eligit quia vult; et sic salvatur libertas. Attamen, cum gratia sit homini perfecte attemperata, ipsum ita allicit ut in morali quadam constituatur impossibilitate contrarium eligendi, sicque effectus semper infallibiliter sequatur, et nunquam contingat gratiam suo effectu frustrari. Quæ infallibilitas actûs excludit solam negationem actûs, non autem negationem potentiæ ad actum. Et ita, licet homo potentiâ conjungibili cum actu posset gratiæ resistere, si vellet, non potest tamen potentiâ conjungendâ cum actu eidem resistere, quia, remanente potentiâ ad contrarium, gratia certò hominem adducit ad libere volendum illud, ad quod impellit.

601. — **Objicitur IV.** Quod est essentiale gratiæ, illud necessariò debet evenire. Atqui essentiale est gratiæ exprimere consensum. Ergo consensus est necessarius.

Resp. *Quoad maj.:* Quod est essentiale gratiæ, illud necessariò debet evenire, *dist.:* necessitate sive antecedente, sive consequente, *conc.;* necessitate semper antecedente, *nego.* Atqui essentiale est gratiæ exprimere consensum, *dist.:* exprimere consensum, nude in se spectatum, *nego;* exprimere consensum unà cum ejus modo, id est, libere

ponendum, *conc.;* gratia enim efficax non solum attingit consensum, sed etiam modum consensûs, id est, ita agit in voluntatem ut ejus consensum infallibiliter exprimat, et hæc tamen libere consentiat. Et in hoc præcise consistit mirabilis gratiæ operatio, ut suo effectu nunquam careat, et tamen voluntas libere consentiat. *Quoad concl.:* Ergo consensus est necessarius, *dist.:* necessitate antecedente, qua voluntas ita ad unum determinatur, ut ipsa potestatem amplius non habeat ad aliud sese determinandi, *nego;* quia gratia, cum nec judicii indifferentiam tollat, nec voluntatem physice ad unum applicet, in voluntate physicam potentiam ad oppositum relinquit. Est necessarius necessitate consequente, *conc.;* non est enim possibile ut, consensu semel posito, ipse non sit positus. Porro, hæc necessitas consequens dependet a liberâ voluntatis determinatione, quæ unum præ alio elegit; quare hæc necessitas non officit libertati, sed ejus exercitium sequitur.

III. *Contra 2^m^ paragraphum.*

Gratiam motione morali operantem non sufficere, sed omninò requiri gratiam moventem per prædeterminationem physicam, multis argumentis demonstrare conantur Thomistæ, inter quos eminet Billuart, qui aliorum argumenta compendiose refert.

602. — Objicitur I. « Pelagius, *ait Billuart*, etiam admisit ex » parte Dei motiones morales ad bonum, et tamen eas ut insufficientes » rejicit *S. Aug.*, Lib. *De Grat. Christi*, cap. 7, 10, 11, requirens gra- » tiam quæ per subministrationem Spiritus et virtutis in ipsa volun- » tate ageret eam immutando, et non solum objective movendo et » alliciendo. » *(Tr. De Deo, Diss. 8, art. 3. T. 1, p. 313).* Ergo juxta S. Augustinum non sufficit gratia moraliter movens, sed requiritur gratia physice prædeterminans. *(Ita etiam Lemos*, Panoplia, *L. 4, P. 2, Tr. 4, c. 15, p. 134).*

Resp. Pelagius admisit ex parte Dei motiones morales ad bonum, *dist.:* motiones tenentes se ex parte legis atque doctrinæ a Deo revelatæ, *concedo.* Agens enim de motionibus a Pelagio admissis, ait S. Augustinus: « Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege atque do- » ctrinâ. » *(De Gr. Chr., c. 7. M., 44, c. 364).* Et, relatis Pelagii verbis, addit, *(cap. 10):* « Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam, » qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem » atque doctrinam. » — Admisit Pelagius tanquam absolute necessarias, motiones internas, a Deo immediate in intellectu et voluntate productas, quibus homo interius a Deo ad credendum et amandum inclinatur, *nego.* Ait enim *S. Augustinus (citato cap. 10):* « Sed nos

» eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ » magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur et speratur; » nec solum revelatur sapientia, verum et amatur; nec solum suadetur » omne quod bonum est, verum et persuadetur... Quorum autem sit » fides, et quibus persuadetur ut ad eum veniant, satis ipse (Dominus) » demonstravit, ubi ait: *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me,* » *traxerit eum:* et paulo post, cum de non credentibus loqueretur, » *Dixi*, inquit, *vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei* » *datum a Patre meo.* (Joan. VI, 44, 66). Hanc debet Pelagius gratiam » confiteri, si vult non solum vocari, verum etiam esse christianus.»

Porro, nos motionem externam, tenentem se ex parte legis atque doctrinæ, non dicimus sufficientem ad gratiam efficacem constituendam, sed internam requirimus Spiritûs Sancti illuminationem ex parte intellectûs et inspirationem ex parte voluntatis, quas Deus immediate in nobis operatur, et quibus voluntatem intrinsece immutat atque ad bonum operandum inclinat.

Unde *quoad concl.:* Ergo juxta S. Augustinum non sufficit motio moralis, *dist.:* motio moralis in sensu Pelagii, *conc.;* in sensu Augustinianorum, *nego.* — Sed admittenda est gratia physice prædeterminans, *nego:* quia hæc conclusio latius patet quam præmissæ; imo et contra præmissas statuitur. Dicendo enim *nec solum suadetur bonum, verum et persuadetur*, S. Augustinus manifeste indicat se in gratiâ solam motionem moralem agnoscere, quippe quâ solâ bonum suadetur et persuadetur; quæ suasio in motione physicâ non obtinet.

603. — **Objicitur II.** « Deus est causa consensûs nostri in bonum » potiori titulo quam Angelus et homo; sed Angelus et homo concur- » runt ad consensum nostrum in bonum per motiones morales. Ergo » hae non sufficiunt in Deo. » *(Billuart, loc. cit.) (Ita etiam Alvarez,* De Aux., *Disp. 23, n. 18; p. 185).*

Resp. *Majori concessâ, dist. min.:* Angelus et homo concurrunt ad consensum nostrum in bonum per motiones morales, quæ scilicet sunt ejusdem naturæ ac motiones a Deo productæ, *nego;* quæ sunt alterius prorsus naturæ, *conc.* Angelus enim et homo, ut docet S. Thomas, *(P. 1, q. 106, a. 2; q. 111, a. 2. De Malo, q. 3, a. 3 et 4)*, non possunt voluntatem alterius aliter movere nisi exterius, per modum scilicet proponentis objectum atque suadentis; interius autem nec intellectum illuminare, nec voluntatem valent immutare. Deus verò, concedendo gratiam, non solum proponit objectum bonum aut exterius suadet, sed intellectum interius illuminat, immittendo immediate

cogitationes sanctas, quibus bonum, quod latebat, innotescat menti; atque voluntatem interius immutat, infundendo scilicet ei immediate internam inclinationem ad bonum propositum, ipsamque perfundendo sanctâ delectatione, quâ ei suave fiat, quod non delectabat, ut ait S. Augustinus.

Ad gratiam igitur efficacem constituendam utique non sufficiunt motiones morales, quales fieri possunt ab Angelo vel homine; omninò vero sufficiunt, quales producuntur ab ipso Deo.

NB. Cum moralis motio gratiæ non solum se teneat ex parte objecti, sicut motio quâ homo vel angelus alterius voluntatem moveat, sed se teneat etiam ex parte subjecti, et facultatem intrinsece, immediate et physice immutet, ideò hæc gratiæ motio, etsi voluntatem moraliter tantum ad actum determinat, est tamen aliquo modo etiam vere physica, quare ab aliquibus apte vocatur modò motio *moralis*, modò *physica* aut *quasi physica*, sicut eam vocavit Gonzalez supra citatus *(n. 434 ss.)*. Quae tamen motio physica toto cœlo differt ab ea motione seu præmotione physica, quam communiter adstruunt Thomistæ.

604. — **Objicitur III.** « Deus est primus motor et prima causa » efficiens, cui omnes causæ secundæ et omnia moventia creata imme» diate subordinantur in agendo et movendo. Atqui, seclusa præmo» tione physica, non salvatur in Deo primatus causæ nec subordinatio » causarum secundarum in agendo. Ergo. *Major* est principium con» stans in D. Thoma... *Prob. min.* Subordinatio causarum in agendo » in hoc sita est, quod prima moveat et applicet secundas ad agen» dum, et secundæ non agant nisi motæ a prima. » *(Bill., De Gr., Diss. 5, art. 7; T. 3, p. 158).*

Resp. *Conc. maj.; quoad min.:* Atqui seclusâ præmotione physicâ, salvatur in Deo nec primatus causæ nec subordinatio causarum secundarum, *dist.:* si sermo est de agentibus, quæ libertate carent, *conc.;* si sermo est de agentibus liberis, *nego.*

Quoad prob. min.: Subordinatio causarum in hoc sita est, quod prima moveat et applicet secundas ad agendum, *dist.:* ut moveat et applicet secundas *omnes* eodem modo, *nego;* ut quamlibet causam secundam moveat et applicet juxta modum suæ naturæ, *conc.* Jamverò, modus naturæ liberæ consentaneus non est ut physico impulsu ad singulos actus applicetur, sed ut motionibus moralibus eò adducatur, ut ipsa se ad actus singulares libere determinet. « Deus, *inquit S. Th.*, » movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale

» objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione » homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat » se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens » bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad ali- » quid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet » per gratiam. » *(1. 2, q. 9, a. 6, ad 3).*

Porrò, contendimus in gratiâ moraliter movente omnia inveniri, quæ a S. Thoma ad primatum causæ in Deo, et ad subordinationem causarum secundarum in homine requiruntur. Ait S. Doctor: « Deus » est causa actionis cujuslibet in quantum dat virtutem agendi, et in » quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quan- » tum ejus virtute omnis alia virtus agit. » *(De Pot., q. 3, a. 7).* Per gratiam moraliter moventem, Deus dat homini potentiam supernaturaliter agendi, eamque, quamdiu gratia manet, conservat; voluntatem in actu primo physice potentem effectam, per gratiam ad agendum movet modo suæ naturæ consentaneo, id est, alliciendo et suadendo, et ipsa voluntas supernaturaliter nihil agit, nec agere potest, nisi virtute a Deo acceptâ per gratiam. In gratiâ igitur moraliter movente perfecte salvatur in Deo ratio primæ causæ.

605. — **Objicitur IV.** Causa ex se indifferens ad agendum vel non agendum, non potest se determinare ad unum, nam nihil reducit se de potentiâ ad actum; sed indiget moveri ab alio agente. Atqui voluntas est ex se indifferens ad agendum vel non agendum: et motio moralis gratiæ, cum non moveat nisi objective, nec immutet intrinsece voluntatem, non sufficit ad voluntatis indifferentiam tollendam. Ergo requiritur gratia physice movens. *(Bill. loc. cit., p. 161).*

Resp. *Conc. maj.* — *Quoad min.:* Atqui motio moralis gratiæ non sufficit ad tollendam indifferentiam voluntatis, *dist.:* ad tollendam indifferentiam passivam, *transeat;* indifferentiam activam, *nego.* — *Quoad concl.:* Ergo requiritur motio physica gratiæ, *dist.:* ad tollendam indifferentiam passivam, *transeat;* ad activam tollendam, *nego.*

Certe, nulla potentia transit in actum nisi moveatur ab aliquo agente, ut docet S. Thomas, 1. 2, q. 9, a. 4; nulla etiam tollitur voluntatis indifferentia, sive passiva, sive activa, nisi motione alicujus agentis; sed dicimus, illam motionem deberi proportionari naturæ voluntatis.

Quapropter dicimus cum S. Thoma, 1. 2, q. 9, a. 6, ad 3, quod in ordine naturali voluntas debet physice præmoveri a Deo ad bonum in genere; et voluntas sic actuata seipsam determinat per judicium rationis ad hoc vel illud bonum particulare.

Similiter in ordine supernaturali, ut voluntas possit exire de potentiâ ad actum, seu ut possit tolli ejus indifferentia passiva vel suspensiva, indiget physice moveri a Deo; quæ motio fit a Deo dum physice, active, et proprie imprimit intrinsece in animam supernas illuminationes atque sanctas suasiones et affectiones, in quibus consistit ipsa gratia excitans, saltem per modum termini. Harum affectionum physicâ impressione intrinsece immutatur voluntas, ejus indifferentia passiva tollitur, ipsaque jam constituitur in aliquo actu relate ad actionem supernaturalem. — Voluntas ita actuata est adhuc indifferens indifferentiâ activâ ad bonum supernaturale, a gratiâ propositum, amplectendum vel respuendum. Sed ad hanc indifferentiam tollendam requiritur sola motio moralis gratiæ, sub quâ voluntas ipsa libere sese determinat. Si enim ad hanc activam indifferentiam tollendam requireretur motio physica, sub quâ ipsa voluntas sese non determinaret, sed determinaretur ad unam partem præ aliâ, non amplius apparet quomodo voluntas remaneret libera. Libertas enim est facultas, quâ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, voluntas potest agere vel non agere. Positâ autem præmotione physicâ, facultas non agendi non remanet in voluntate.

606. — **Insto.** Ex dictis sequitur voluntatem a gratiâ non determinari, sed ipsam se determinare; attamen de essentiâ gratiæ ab intrinseco efficacis est, ut ipsa voluntatem determinet. « Gratia moralis, » *inquit Billuart*, proprie loquendo non determinat voluntatem, sed » eam allicit duntaxat ut ipsa se determinet, ita ut posita quacum- » que gratia morali, voluntas remaneat semper indifferens et indeter- » minata, quia, ut jam dixi, non agit intra voluntatem, eam immu- » tando et faciendo de nolente volentem, sed ipsi duntaxat proponit » objectum alliciens ad amandum; nullum vero objectum præter Deum » clare visum infallibiliter rapit et determinat voluntatem nostram, » quia, cum nullum objectum præter Deum clare visum proponatur » ut ex omni parte bonum, remanet semper indifferentia judicii ex » parte intellectûs, et consequenter indeterminatio ex parte voluntatis: » quæ ideo aliunde determinari indiget. » *(De Deo, Diss. 8, a. 3, § 4; p. 313).*

Resp. *Quoad antec.:* Voluntas a gratiâ non determinatur, *dist.:* physice, *conc.;* moraliter, *nego.* Et: De essentiâ gratiæ efficacis est ut voluntatem determinet, *dist.:* physice, *nego;* moraliter, *conc.* — Quapropter dicimus, et voluntatem sese libere determinare, et voluntatem simul a gratiâ determinari. Si ipsa enim sese non determinaret, non foret libera; si a gratiâ non determinaretur, gratia non foret efficax

ab intrinseco. Et in hoc præcise consistit mirabilis gratiæ operatio, quod ipsa scilicet voluntatem infallibiliter et insuperabiliter determinet, et voluntas tamen sub influxu gratiæ seipsam libere determinet. Quod quomodo fiat, supra explicatum est (n. 576 et ss.).

607. — Ad verba Billuarti quod attinet, plura continent quæ fallaciam redolent. *Gratia moralis*, inquit, *non determinat voluntatem, dist.:* non determinat præmotione physicâ, quæ cum libertate non cohæret, *conc.;* non determinat motione morali, quæ infallibiliter simul et libere voluntatis consensum exprimit, *nego.* — *Sed allicit duntaxat ut ipsa se determinet*, sed tantâ allicit energiâ, ut, licet voluntas physice posset resistere, resistere tamen nequeat moraliter. — *Ita ut positâ quacumque gratiâ morali, voluntas remaneat semper indifferens et indeterminata: dist.:* voluntas remanet indifferens, indifferentiâ passivâ, *nego;* indifferentiâ activâ, *subdist.:* physice, *conc.;* moraliter, *nego.* — *Quia gratia non agit intra voluntatem eam immutando, sed ipsi duntaxat proponit objectum alliciens:* quibus verbis Billuart consultò, ut antea jam fecerat, motionem moralem, quæ in gratiâ reperitur, perperam exponit. Ut enim jam supra dictum est *(n. 603)*, Deus non tantum movet sicut homo aut Angelus, proponendo scilicet tantummodo objectum et exterius suadendo et alliciendo, sed intime illabitur in ipsam animam, et intrinsecus agit in voluntate, producendo scilicet immediate in eâ supernaturalem delectationem aliasve affectiones sanctas, quibus voluntas intrinsece immutatur, intrinsece inclinatur ad bonum prosequendum, et ex nolente fit volens. — *Quia, cum nullum objectum proponatur, ut ex omni parte bonum, remanet semper indifferentia judicii et indeterminatio voluntatis, dist.:* physica, *conc.*, et hac de causâ salva remanet voluntatis libertas; moralis, *nego;* gratia enim intellectum quandoque tanto lumine circa bonum propositum illustrat, ut licet physice posset rationem defectûs et mali in objecto considerare, moraliter tamen impossibile sit, ut in eo aliud nisi bonum consideret, et consequenter moraliter impossibile sit, ut practice aliter judicet ac juxta illuminationem gratiæ. Item, propter suam omnimodam contemperationem ad dispositiones hominis, gratia voluntatem tam fortiter allicit et inclinat, ut licet voluntas conservet physicam resistendi potentiam, moraliter tamen loquendo non possit dissentire, sed certò et infallibiliter gratiam vocantem semper sequatur. Quapropter necesse non est ut voluntas aliunde determinari indigeat; sed ipsa voluntas, jam actuata per ipsam collationem gratiæ prævenientis, sufficienter movetur motione morali gratiæ, ut ipsa sese sub

influxu ejusdem gratiæ ad bonum prosequendum determinare possit, sicut in præcedenti responsione dictum est.

608. — **Objicitur V.** Omne ens reale debet physice a Deo produci. Atqui consensus noster est ens reale. Ergo debet a Deo physice produci. Ergo non sufficit motio moralis, quæ physice non influit; sed requiritur motio physica.

Resp. *Quoad maj.:* Omne ens reale debet physice a Deo produci, *dist.:* in hoc sensu quod causa secunda non agat nisi virtute causæ primæ, et causa prima concursu simultaneo physice concurrat cum causâ secundâ ad positionem actûs, *conc.;* in hoc sensu quod Deus motione physicâ prævià causam secundam præmoveat ad omnes et singulos actus, *subdist.:* si sermo est de causis secundis necessariis, *conc.;* si sermo est de causis secundis liberis, *nego.* — *Conc. min.* — *Quoad concl.* Ergo debet consensus a Deo physice produci, *dist.:* motione physicâ prævià in voluntatem, *nego;* concursu simultaneo per gratiam cooperantem, quâ Deus unà cum voluntate physice influit ad productionem consensûs, *conc.*

Cum igitur unà cum gratiâ excitante necessariam dicimus gratiam adjuvantem seu cooperantem, quâ Deus simul cum voluntate ad positionem consensûs concurrit, luculenter apparet consensum, quatenus est ens reale, produci non a solâ voluntate, sed etiam a Deo in ejus productionem physice influente. Hunc verò concursum simultaneum sufficere, ut Deo tribuatur entitas consensûs, diserte docet Cajetanus. « Non oportet, *inquit*, cum aliquis vult aliquid, ceu, cum sol illumi» nat, primam causam prævia motione cooperari; sed sufficit, et exi» gitur eam intrinsece cooperari tali electioni vel illuminationi, et hoc, » quia cooperatio in unoquoque est secundum naturam uniuscujusque, » sic enim disponit omnia suaviter. » Et paulo infra, explicans axioma: *Causa secunda nihil agit, nisi in virtute primæ*, ait: « Non est sen» sus, quod causa secunda nullam virtutem habeat, nisi primæ, sed, » quod ipsa secunda nullum effectum producit, nisi virtute primæ » concurrente, et conjungente virtutem secundæ suo effectui, quoniam » prima omnia attingit immediatione virtutis. » *(P. 1, q. 19, a. 8; T. 1, p. 259).*

609. — **Objicitur VI.** « Illud auxilium, cum quo non potest simul » stare in libero arbitrio dissensus, physice prædeterminat liberum » arbitrium ad consensum. Sed cum auxilio efficaci præoperantis gra» tiæ non potest simul stare dissensus arbitrii. Ergo ejusmodi auxi-

» lium physice prædeterminat liberum arbitrium ad consensum. » *(Alvarez, Disp. 91; p. 607).*

Resp. *Quoad maj.:* Auxilium, cum quo non potest stare dissensus, physice prædeterminat, *dist.:* cum quo in libero arbitrio non potest stare nec actualis dissensus, nec possibilitas seu potentia physica ad dissensum, physice prædeterminat, *conc.;* cum quo non potest stare actualis dissensus, bene verò potentia physica ad dissensum, physice prædeterminat, *nego.* — *Quoad min.:* Sed cum auxilio efficaci non potest stare dissensus, *dist.:* actualis dissensus, *conc.;* possibilitas dissensûs, seu potentia physica ad dissensum, *nego.*

Concedimus quidem actualem arbitrii dissensum non posse stare cum gratiâ efficaci, quia ad naturam gratiæ efficacis pertinet, ut consensum infallibiliter exprimat; sed, ut vidimus n. 556 et ss., gratia moraliter movens satis potens est, ut arbitrii consensum semper infallibiliter exprimat. Sed addimus cum Tridentino gratiam efficacem ita suum effectum obtinere, ut voluntas potuisset ei resistere, si voluisset; proinde, positâ etiam gratiâ, necessariò admitti debet in voluntate vera potentia ad dissensum; quæ nisi admittatur, non amplius apparet quomodo sub motione gratiæ voluntas remaneat libera. Et idcirco, quia sub gratiâ physice præmovente hæc possibilitas ad dissensum non remanet in voluntate, ideo dicimus gratiam non posse agere illâ præmotione physicâ.

610. — **Objicitur VII.** Gratia efficax debet ita conjungi cum effectu, ut omninò repugnet ipsam posse deficere: secus enim ejus effectus non foret certus omnimodâ certitudine, nec objective in se, nec subjective in scientiâ Dei; nec proinde divina providentia posset esse omninò certa et infallibilis. Atqui omnis motio moralis est defectibilis, et ut talis non potest omnimodam præbere certitudinem. Ergo motio moralis in gratiâ non sufficit, sed requiritur motio physica. *(Alvarez, Disp. 91, p. 607).*

Resp. *Quoad maj.:* Gratia efficax ita debet conjungi cum effectu, ut omninò repugnet ipsam posse deficere, *dist.:* ut repugnet metaphysice, *nego;* ut repugnet moraliter, *conc.* — *Quoad confirmationem majoris:* secus effectus non foret certus omnimodâ certitudine, *dist.:* omnimodâ certitudine metaphysicâ, *conc.;* omnimodâ certitudine morali, *nego.* — *Quoad min.:* Atqui omnis motio moralis est defectibilis, *dist.:* absolute loquendo, *conc.;* moraliter, *nego;* — et ut talis non potest omnimodam certitudinem præbere, *dist.:* metaphysicam, *conc.;*

moralem summam, quæ æque invicta et infallibilis est ac metaphysica, et metaphysicæ æquivaleat, *nego*. — Unde *nego conseq.*

Concedimus quidem, inter gratiam efficacem moralem et voluntatis consensum non adesse metaphysicam connexionem, cui repugnat absolute ut deficiat; imò dicimus talem connexionem non posse admitti. Cum enim connexio metaphysica sit inter extrema ex naturâ suâ inseparabilia, si inter gratiam et consensum adesset connexio metaphysica, non amplius apparet, ut ait S. Alphonsus, *(Appendix De Gr., n. 106)*, quomodo sub motione gratiæ voluntas adhuc remaneret libera. Solam igitur admittimus moralem connexionem, quæ solam certitudinem moralem, sed summam, atque certitudini metaphysicæ æquivalentem suppeditat. Connexio enim moralis non semper distinguitur a metaphysicâ ob certitudinem et indeficientiam, quia moralis ad perfectam infallibilitatem, non secus ac metaphysica, quandoque pertingere potest, ut patet in gravi tentatione. Inter gravem tentationem et consensum sola adest connexio moralis; et tamen, fatentibus omnibus theologis, si homini sic tentato non conceditur specialis gratia, censensus in tentationem est omninò certus et infallibilis, perinde ac si foret connexio metaphysica.

Igitur, inter gratiam efficacem et consensum adest sola connexio moralis, et tamen consensus est in se omninò certus et infallibilis, et ut talis a Deo cognitus. Deus enim, sicut jam supra explicatum est, n. 555, suâ scientiâ simplicis intelligentiæ infinite cognoscit tum omnes voluntatis humanæ dispositiones et affectiones pro qualibet temporis differentiâ, tum cujuslibet auxilii vim et efficaciam; infinite cognoscit, v. gr., quod si Petro det auxilium *B*, istud auxilium propter suam perfectam attemperationem ad præsentes Petri dispositiones, tantâ energiâ ejus voluntatem mulcebit et alliciet, ut Petrus, quamvis conservet physicam potentiam resistendi, et posset, absolute loquendo, resistere, de facto tamen nunquam resistat, sed certò et infallibiliter gratiæ semper consentiat. Hujusmodi igitur auxilio concesso, consensus Petri est infallibilis et certus objective omnimodâ certitudine; et Deus ipsum infallibiliter et omnimodâ certitudine subjectivâ cognoscit in decreto, quo statuit talem concedere gratiam. Quamvis igitur motio gratiæ sit tantum moralis, consensus tamen est omninò certus et infallibilis tam objective quam subjective: quod ad divinæ providentiæ infallibilitatem salvandam certe sufficit.

611. — Objicitur VIII. Constituere gratiam in delectatione victrici voluntatem infallibiliter et insuperabiliter ad consensum determinante,

nihil est aliud nisi ipsummet systema Jansenii pluries ab Ecclesiâ damnatum, restaurare. Nequit ergo efficacia gratiæ desumi ex delectatione victrici.

Resp. *Quoad maj.:* Constituere gratiæ efficaciam in delectatione victrici, est systema Jansenii, *dist.:* in delectatione relative victrici, quæ per graduum superioritatem operatur, *conc.;* in delectatione absolute victrici, prout scilicet in se consideratur, *negò.*

Delectatio relative victrix, quam ponunt Jansenistæ, cum per graduum superioritatem agat in voluntatem destitutam omni energiâ et activitate propriâ, non tantum tollit indifferentiam suspensionis, sed etiam indifferentiam electionis, atque voluntatem in eam partem, pro quâ stat major delectatio, necessariò trahit. Contrà, juxtà Augustinianos, delectatio absolute victrix, cum consideretur juxta se, et concedatur voluntati propriâ activitate donatæ, solam tollit indifferentiam suspensionis, non autem electionis, nec voluntatem in unam partem præ aliâ necessitat, sed tantum allicit; quare, licet quandoque delectatio carnalis sit gradibus multò major quam delectatio cœlestis, potest tamen voluntas minorem delectationem gratiæ propriâ electione sequi, non quidem ad majorem delectationem carnalem semper immediate superandam, sed saltem ad orandum, et ad impetrandum majus illud auxilium ad tentationem vincendam immediate ordinatum.

Proinde, quando Augustiniani et Jansenistæ dicunt hominem per gratiam efficacem *insuperabiliter* agi, hæc vox *insuperabiliter* apud utrosque alium prorsus sensum præ se fert. Apud Jansenistas idem sonat ac *necessariò*, omnimodâ necessitate tam physicâ quam morali, ita ut voluntas ne physicam quidem resistendi facultatem habeat, nec possit, ne absolute quidem, gratiæ resistere. Apud Augustinianos verò solum significat, gratiam efficacem tanto robore ac suavitate hominem allicere, ut, quamvis physicam resistendi facultatem retineat, et posset, absolute loquendo, resistere, de facto tamen nunquam resistat, imò nec possit, moraliter loquendo, gratiæ resistere, aut malis mundi illecebris superari et ad malum pertrahi.

612. — **Objicitur IX.** « Omnis actio, *ait S. Thomas, 1. 2, q. 28, a. 6, ad 2,* procedit ex amore, sicut ex primâ causâ. » Præterea, voluntas nihil appetit nisi sub ratione boni. Sed appetere aliquid sub ratione boni, est agere ex complacentiâ seu delectatione boni. Quia igitur gratia agit in voluntatem ut ipsam trahat ad bonum, debet semper in eam delectatione victrici agere. Non potest igitur gratia

aliis motivis agere, quam delectatione. *(Ita Lud. Habert., c. 5, § 7; p. 339; Scholliner, de Gr., n. 361, p. 378).*

Resp. Omnis actio procedit ex amore, sicut ex primâ causâ, *dist:* sicut a causâ proximâ vel remotâ, *conc.;* semper sicut a causâ proximâ, *nego.* — Item, voluntas nihil appetit nisi sub ratione boni, *dist.:* nihil appetit nisi objectum bonum, *conc.;* non appetit bonum ob aliud motivum nisi propter objecti bonitatem, *subdist.:* ob aliud motivum remotum, *conc.;* ob aliud motivum proximum et immediatum, *nego.*

Non diffitemur, primam radicem omnium actionum atque motuum voluntatis esse amorem quemdam; nisi enim homo aliquid amaret, illud nec desideraret, nec ejus amissionem timeret aut de eâ tristaretur. Attamen hi motus voluntatis, licet procedant ex amore, sunt tamen motus ab amore formaliter diversi, et qua tales possunt in homine esse motiva proxima agendi et tendendi in bonum. Et ideò possunt iidem motus, quatenus procedunt a supernaturali Spiritûs Sancti operatione in animam, esse motiva proxima efficacia supernaturaliter agendi.

ARTICULUS II.

DE GRATIA SUFFICIENTI.

613. — Sicut in superiori articulo contra Molinistas, omnem gratiam ab intrinseco efficacem respuentes, præsertim actum est, ita in hoc altero agendum est contra Thomistas et Augustinianos, censentes hominem cum solâ gratiâ sufficienti, nisi ei prius accesserit validior gratia suâpte naturâ efficax, nullum opus bonum quantumvis leve, imò nec actum orationis, realiter elicere posse. Quæ verò contrà Thomistas atque Augustinianos proferuntur, eadem contrà Congruistas militant, ob eorum scilicet gratiam incongruam, quæ a Deo in iis confertur circumstantiis, in quibus non profutura prævidetur.

Medium autem Sorbonicorum atque S. Alphonsi systema, ita pro difficilioribus operibus expostulat gratiam ab intrinseco efficacem, ut tamen pro facilioribus, et præsertim pro oratione, sufficientem adeò sufficere contendat, ut illius ope quilibet homo, urgente præcepto, vere et realiter possit orare, si velit, et mediante oratione uberiores illas obtinere gratias, quibus ad legem implendam indiget.

Præsentem articulum in tres dividemus paragraphos; in § 1. de naturâ gratiæ sufficientis dicetur; in § 2. de relatione gratiæ sufficientis cum efficaci agetur; in § 3. quædam solventur difficultates, quæ gratiæ nostræ sufficienti opponi solent.

§ 1. *De natura gratiæ sufficientis.*

614. — Definitio. — Gratia sufficiens definitur: *Auxilium, quod tribuit homini potestatem undequaque completam et expeditam, ut opera faciliora patrare, et in primis orare possit, si velit.*

De naturâ gratiæ sufficientis seu communis, pluribus in locis suam mentem exponit *S. Alphonsus*, sed præsertim in opere cui titulus: *De Magno orationis medio, (Gran mezzo della preghiera).*

« Asseveramus, *inquit*, omnibus concessam esse gratiam, quâ, nullâ » aliâ accedente, actu orare possint, et orando reliqua omnia sibi » acquirere auxilia ad implendam legem et salutem consequendam. » — Attamen hæc verba *nullâ aliâ accedente* nequaquam significant, » hoc efficere gratiam communem, ut oremus sine gratiæ adjuvantis » auxilio; ad quemlibet enim pietatis actum, præter gratiam exci- » tantem, sine ullâ dubitatione requiritur gratia adjuvans sive coo- » perans; sed his verbis intelligitur, gratiam communem in singulis » efficere, ut actu orare possint sine novâ gratiâ præveniente, quæ » ad orationem actu exsequendam hominis voluntatem vel physice » vel moraliter determinet. » *(P. 2, c. 4, n. 1. T. 2, p. 707).*

615. — S. Alphonsus cæterique hujus systematis patroni fere omnes, etsi gratiam sufficientem tum ad orationem tum ad alia quædam opera faciliora extendant, orationem seu postulationem tamen assignant tanquam actum principalissimum, ad quem ordinatur gratia sufficiens. Quocircà in præsenti disputatione de gratiâ orandi quasi unice agemus. Si enim adversarii nobis concedant, hominem cum solâ gratiâ sufficienti, non exspectato alio auxilio præveniente, actu orare posse, stat nostrum systema, et tunc pro aliis operibus facilioribus nobis non erit certandi animus.

NB. — Sicuti patet, hic agimus præsertim de oratione *formali* et *explicitâ*, quæ est « quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum, ut eam impleat », sicut ait S. Thomas. *(P. 3, q. 21, a. 1).* Quæ oratio est ordinarie opus inter opera faciliora facillimum; unde et de eâ in locis adducendis præcipue agit S. Alphonsus. — Non excludimus tamen orationem *interpretativam* et *implicitam:* quia, sicut infrà dicetur, *(n. 974)*, quælibet actio bona supernaturalis est quædam postulatio implicita et tacita. Unde si quis gratiâ sufficienti præmotus, aliquod opus exiguum ponit, in eo opere, præter rationem meriti saltem de congruo, adest etiam vis quædam precationis, ratione cujus Deus ad uberiorem gratiam concedendam movetur. *(Cf. n. 384 et 974).*

616. — Munera. — Gratiæ sufficientis seu communis plura enumerantur munera.

Primum munus in eo situm est, ut facultates, si habitibus infusis careant, in ordinem supernaturalem transeunter elevet, voluntatique vires tribuat, quibus in actu primo constituatur principium efficax in ordine ad leviores pietatis actus peragendos, et præsertim ad orandum. Quo in munere cum gratiâ efficaci concordat.

Alterum ejus munus est auferre indifferentiam passivam seu suspensivam tam intellectûs quam voluntatis, easque facultates aliquo modo actuare, ita ut voluntas, accedente motione morali, sese libere ad orandum determinare valeat. Quo in munere cum gratiâ efficaci etiam concordat.

Tertium ejus munus in eo positum est, quod prævià motione morali, mediis scilicet sanctis cogitationibus indeliberatis atque inspirationibus et suasionibus, voluntatem ad orandum sollicitet ac moveat. Quo in munere cum gratiâ efficaci partim concordat, partim ab ea secernitur.

Cum eâ concordat quoad *genus* motionis: utrobique enim ponitur motio tantum moralis, quâ voluntas ad libere consentiendum invitatur. Ab eâ verò secernitur quoad *speciem* motionis: in gratiâ efficaci motio moralis habet ex divino decreto infallibilem connexionem causalitatis cum consensu; proinde voluntatem ad consentiendum ita allicit, ut ipsam infallibiliter et insuperabiliter ad libere consentiendum semper adducat. In gratiâ verò sufficienti, motio moralis non habet ex divino decreto infallibilem connexionem causalitatis cum effectu, sed fallibilem tantum et contingentem; quare nec ipsa gratia in actu primo habet infallibilem connexionem cum effectu, sed fallibilem, et dependenter a consensu seu determinatione voluntatis. Cum tamen hæc gratia in actu primo seu in se satis virium contineat, quibus homo, si velit, orare possit, inde evenit, ut gratia sufficiens quandoque fiat efficax in actu secundo, seu obtineat effectum dependenter a consensu voluntatis, seu a determinatione voluntatis, vel ut aiunt Molinistæ, *ab extrinseco*. Quâ de causâ gratia sufficiens quandoque suum obtinet effectum, quandoque non obtinet, prout voluntas pro suo arbitrio gratiæ consentit vel ei resistit; si consentit, gratia fit efficax seu efficiens; si non consentit, redditur inefficax seu pure sufficiens.

Ultimum gratiæ sufficientis munus, de quo in sequenti paragrapho specialius dicetur, in eo consistit, quod cuilibet homini medium suppeditat gratiam ab intrinseco efficacem certò et infallibiliter obtinendi.

Quocircà, respectu orationis, gratia hæc communis est *immediate* semper sufficiens; respectu verò operis difficilioris, cujusmodi est mandatorum observatio, vel perfecta cordis conversio, est *mediate* tantum sufficiens.

Propositio.

Gratia sufficiens, quæ, urgente præcepto, omnibus communiter conceditur, ita est immediate et proxime ad orandum sufficiens, ut quilibet homo, si velit, possit cum eâ actu orare, et per orationem uberiora auxilia, quibus ad difficiliora peragenda et ad salutem consequendam indiget, obtinere.

617. — **NB.** — Dicitur in propositione: *a) Urgente præcepto*, non quia unice tunc hæc gratia conceditur; sed quia tunc certò et infallibiliter conceditur. Deus utique gratiam precandi, quando vult, dare potest, ipsamque sæpissime concedit etiam quando nullum urget præceptum; at, quando urget præceptum, Deus eam certo semper concedit. — *b) Gratia sufficiens, quæ omnibus communiter conceditur*, de quâ gratiarum distributione late actum est supra, Sectione II, cap. 2 et 3. — *c) Immediate et proxime sufficiens*, ad excludendam gratiam efficacem, quam Thomistæ et Augustiniani necessariam dicunt per modum auxilii prævenientis, ut potentia data a gratiâ sufficienti transeat in actum. — *d) Ad orandum*, ut enim jam supra notavimus, licet alia opera faciliora non excludamus, de oratione tamen specialissime agimus. — *e) Ut quilibet homo, si velit, possit cum ea actu orare*, ad indicandum hanc gratiam homini omnia necessaria tribuere ad orandum; eam tamen esse hominis arbitrio ita commissam, ut ab ejus determinatione pendeat, quod gratia effectum, ad quem datur, de facto producat. — *f) Et per orationem ulteriora auxilia obtinere*, quæ verba nexum, qui inter sufficientem gratiam et efficacem existit, denotant.

618. — Præsens propositio, cum doctrinâ in sequenti paragrapho tradendâ, a S. Alphonso tenetur tanquam una ex principalioribus totius theologiæ, et omnium veritatum speculativo-practicarum populo christiano utilissima et maxime necessaria; quare, ad eam stabiliendam permulta conscripsit opera[1]; eam omnibus prædicat, atque in eâ instat

[1] Cf. Magnum orat. med. per totum, speciatim P. 2, c. 4, p. 707. - Brevis dissert. de necessitate orationis, (Marietti, 2, p. 610). - Cont. hær., Sess. VI, App., n. 142 et seq., T. 1, p. 528. - Ver. fidei, P. 2, c. 17, n. 15 et seq., T. 1, p. 228. - Hist. hæret., Confut. 6, § 2, n. 8 et 9; T. 2, p. 363. - Vera sponsa, c. 20. - Præparatio ad mortem, Consid. 30ª. - Concio 39ª. - Praxis amoris, c. 4, § 2. - Selva, Appendix, punct. 3, (Marietti, 3, p. 391).

opportune, importune, morem gerens Apostolo Timotheum adhortanti: *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia.* (II Tim., IV, 2). Quâ de causâ, S. Patris nostri vestigia prementes, præsentem propositionem consueto fusius ex SS. Scripturis, ex Conc. Tridentino, Traditione Patrum, rationibus theologicis, et theologorum auctoritate asseremus.

I. Probatur ex S. Scriptura.

619. — 1° Ex SS. Scripturis, *suprà n. 312 et ss.*, fuse et invicte probavimus omnibus hominibus, urgente præcepto, conferri gratiam vere et relative sufficientem, quâ legem valeant implere; secus enim dicendum esset, vel legis transgressionem homini ut peccatum imputari non posse, vel Deum ipsum jussisse impossibilia. Et in hujus veritatis confirmationem plura attulimus Scripturæ testimonia, imprimis: (I Cor. X, 13): *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* — (Deuter. XXX, 11): *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* — (I Joan. V, 3): *Mandata ejus gravia non sunt.*

Unde sic: Juxta Scripturas, Deus, urgente præcepto, dat omnibus gratiam vere et relative sufficientem. Porrò, gratia vere et relative sufficiens ad mandatum servandum, est divinum auxilium quo homo, si velit, possit vel legem immediate implere, quod fit per gratiam efficacem; vel saltem vere et realiter a Deo efflagitare uberiorem illam gratiam necessariam ad legis impletionem. Si enim ad actualiter orandum, non sufficeret illa gratia omnibus communiter concessa, sed requireretur gratia efficax omnibus communiter non impertita, illis qui non acciperent gratiam efficacem, non adesset auxilium vere et relative sufficiens, et Deus eos sineret tentari supra id quod possunt, atque mandata forent supra præsentes eorum vires, nec ipsi haberent in suâ potestate unde possibilia fierent. Ejusmodi igitur ad præceptorum observationem concedenda est gratia sufficiens, quâ, non exspectato alio auxilio prævio, quilibet possit, si velit, vel mandatum immediate implere, vel saltem immediate uberius auxilium a Deo per orationem efflagitare.

620. — 2° In SS. Scripturis, Spiritus Sanctus adhortatur peccatores ut resipiscant, oneratos ut veniant ad Christum, fideles ut diabolo fortiter resistant; peccatoribus verò, qui gratiis resistunt, suam duritiam et nequitiam exprobrat.

Jamvero, inquit *S. Alphonsus:* « Si non admittatur gratia illa ordi-» naria, quâ unusquisque possit saltem orare (atque ita, ut nulla alia » specialis requiratur, non omnibus communis gratia), et orando im-» petrare majus ad legem observandam auxilium; nescio equidem, » quomodo intelligi possint tot sacrorum Librorum loci, quibus admo-» nentur animæ, ut ad Deum redeant, tentationes superent, Deique » respondeant invitationibus: (Is. XLVI, 8): *Redite, prævaricatores ad » cor.* — (Ezech. XVIII, 32): *Revertimini et vivite.* — (Ibid., 30): *Con-» vertimini et agite pœnitentiam.* — (Is. LII, 2): *Solve vincula colli » tui.* — (Matth. XI, 28): *Venite ad me, omnes, qui laboratis et one-» rati estis.* — (I Petr. V, 9): *Resistite fortes in fide.* — (Joan. XII, » 35): *Ambulate, dum lucem habetis.* Si verum esset, non omnibus » concessam esse gratiam precandi et precando validius obtinendi » auxilium ad salutem consequendam, nescio, inquam, quomodo in-» telligi possent illa Scripturarum testimonia; et quo pacto similiter » sacri oratores tam strenue universos omnes possent exhortari, ut se » convertant, adversariis animæ resistant, per viam salutis incedant, et » ad ea omnia obtinenda orent cum fiduciâ et perseverantiâ, si recte » operandi aut saltem orandi gratia non esset concessa omnibus, sed » iis tantum, quibus datur efficax gratia. Nec video, quâ justâ ratione » item in universum omnes reprehendi possent peccatores, quod gra-» tiæ resistant et divinam vocem pro nihilo habeant, (Act. VII, 51): » *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* — (Prov. I, 24): *Quia vocavi » et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexi-» stis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* Si » etiam defuisset remota, sed ea efficax, orationis gratia, quam ad-» versarii ad actu orandum necessariam esse existimant, quomodo » talia peccatoribus objici possint, nescio. » *(Magn. orat. med., P. 2, c. 4, n. 39; T. 2, p. 721. Cf. Cont. hær., App. n. 158; T. 1, p. 535).*

II. Probatur ex Concilio Tridentino.

621. — « Secundo, *ait S. Alphonsus,* perspicue probatur ex verbis » Tridentinæ Synodi, *(Sess. VI, cap. 11).* Lectorem precor, ut hoc » argumentum, ex Tridentina Synodo desumptum, quod (nisi fallor) » evidens videtur, attento animo perpendat. — Asserebant novatores, » quum Adami peccato liberum arbitrium homini esset ademptum, in » præsenti ejus voluntatem nihil in bonis operibus efficere, sed ad ea » passive a Deo recipienda induci, nec quidquam producere; unde » colligebant, præceptorum observantiam iis esse impossibilem, qui

» non efficaciter moveantur nec prædeterminentur a gratiâ ad vitan-
» dum malum bonumque operandum. Contra quem errorem Concilium
» hanc ex S. Augustino desumptam pronuntiavit sententiam: *Deus im-*
» *possibilia non jubet; sed jubendo monet et facere quod possis, et*
» *petere quod non possis, et adjuvat ut possis.*» (De Nat. et grat., cap. 43, n. 50).

« Concilium igitur, ut contra hæreticos probaret, divina præcepta
» nemini esse impossibilia, definivit, singulos homines habere auxi-
» lium ad bonum operandum, aut saltem gratiam precationis, quâ
» sibi impetrent majus auxilium, ut recte operentur. Quod quidem
» significat, unumquemque cum gratiâ communi præstare posse faci-
» lia (ut est, precari), nullâ aliâ gratiâ extraordinariâ superadditâ;
» et precando vires sibi impetrare ad difficilia perficienda, juxta S. Au-
» gustini doctrinam suprà commemoratam: *Eo quippe ipso, quo id*
» *firmissime creditur, Deum justum et bonum impossibilia non po-*
» *tuisse præcipere, hinc admonemur et in facilibus, quid agamus, et*
» *in difficilibus, quid petamus.* (L. c., cap. 69, n. 83). Itaque, Concilii
» judicio, omnibus possibilia sunt divina præcepta, saltem orationis
» ope, quâ majus ad ea servanda auxilium obtinetur. Si ergo Deus
» sua præcepta omnibus imposuit, eorumque custodiam omnibus red-
» didit possibilem, saltem mediate seu orationis ope, necessario con-
» cludi debet, precandi gratiam omnibus esse concessam; cui enim
» deesset illa gratia, præcepta non essent possibilia...

» Quo posito, dici nequit, ea verba: *Monet* (Deus) *facere, quod*
» *possis, et petere, quod non possis*, intelligi de solâ precandi poten-
» tiâ, non autem de actuali precatione. Si enim (respondemus) gratia
» communis et ordinaria solum daret *precari posse*, non autem *actu*
» *precari*, non dixisset Concilium: *Monet facere, quod possis, et petere,*
» *quod non possis;* sed: *monet posse facere, et posse petere.* Præterea,
» si Concilium hoc solum definire voluisset, unumquemque præcepta
» servare posse, vel posse precari, ut gratiam impetret ad ea obser-
» vanda, nec voluisset loqui de actuali gratiâ, non dixisset: *Monet*
» *facere, quod possis.* Etenim vox *monet* proprie refertur ad actualem
» operationem, nec denotat mentis instructionem, sed motionem volun-
» tatis ad illud bonum efficiendum, quod actu jam facere potest. His
» verbis igitur: *Monet facere, quod possis, et petere quod non possis,*
» luce clarius non solum *operari posse* et *posse precari* sed etiam
» actualem operationem et precationem actualem significavit. Quan-
» doquidem si homo ad actu operandum actuque precandum aliâ in-
» digeret gratiâ extraordinariâ, quâ destitutus est, cur Dominus eum

» moneret facere vel petere illud, quod actu nec facere nec petere » possit sine gratiâ efficaci?

» Quâ de re sapienter Fortunatus a Brixia: Si actualis orandi gra- » tia, inquit, non omnibus esset concessa, sed ad orandum gratia effi- » cax, quæ non est omnibus communis, requireretur, oratio multis, » utpote eâ gratiâ efficaci destitutis, esset impossibilis; quare non recte » de Deo diceretur: *Monet petere, quod non possis;* moneret enim, ut » illud perficeremus, ad quod perficiendum deest actuale auxilium, » sine quo perfici nequit. Ergo quum ad operandum et orandum exhor- » tatur, divina ejus admonitio intelligi debet de operatione et ora- » tione in actu, quæ non aliam, eamque extraordinariam, requirunt » gratiam...

» Paucis totum argumentum complectamur. Præcepta impossibilia » Deum non imponere ait Concilium, quia aut præbet auxilium ad » ea servanda, aut gratiam precandi concedit, ad obtinendum illud » auxilium, quod precanti donat. Si autem verum esset, Deum non » omnibus concedere gratiam, saltem mediatam, i. e. orationis, ad » omnia præcepta actu servanda, verum dixisset Jansenius, etiam » homini justo deesse gratiam, quâ nonnulla præcepta actu custodiat.

» Reverà nescio, quomodo intelligi et explicari possent ea Triden- » tini verba, si gratia sufficiens non daret omnibus, ut actu precari » possint sine gratiâ efficaci, quam adversarii necessariam esse existi- » mant ad quodlibet opus pium actu efficiendum. — Atque insuper » tali cum adversariis admissâ necessitate novæ alicujus gratiæ ad » actu precandum, intelligere nequeo, quomodo locum habeat hoc » aliud ejusdem Concilii documentum: *Deus... suâ gratiâ semel justi-* » *ficatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. (Loc. cit.).* Sic enim » argumentor: Si etiam ad actualem precationem satis non esset gra- » tia sufficiens et ordinaria, sed requireretur efficax neque omnibus » communis; sequeretur, ut justus, tentatus ad primum peccatum mor- » tale committendum, neque a Deo adjutus gratiâ efficaci (saltem » orandi, ut vires ad resistendum impetraret), quum tentationi non » resisteret, a Deo potius desereretur, priusquam eum deseruisset: » defuisset quippe gratia efficax ad resistendum necessaria. » *(Magn. orat. med., P. 2, c. 4, n. 15 ss. T. 2, p. 712. — Cf. etiam Cont. hær., App., n. 153, T. 1, p. 532).*

III. Probatur ex Traditione Patrum.

622. — Quicumque scripta pervolverit S. Augustini, S. Prosperi et S. Fulgentii, eorum scilicet Patrum, qui contra Pelagianos et Semipelagianos doctrinam catholicam de divinâ gratiâ propugnaverunt, ipsi compertum erit, hoc omninò docere Alphonsum, quod ipsi docuerunt. Comperiet imprimis, illud eisdem Doctoribus persuasum esse, videlicet: homini, urgente præcepto, non semper, imò nec ordinarie, tribui gratiam, quæ immediate et proxime sufficiat ad implendam legem, vel ad instantem tentationem superandam; semper tamen præsto adesse minoris virtutis gratiam, quâ solâ adjutus homo, etsi non possit præceptum implere, valeat tamen, dummodo velit, majus quoddam atque uberius auxilium, ad legem perfecte servandam necessarium, vere et reapse implorare atque obtinere.

Aliam proinde ad orandum, atque aliam ad legem servandam prædicti Patres expostulant gratiam: uberiorem quidem et specialem ad legem implendam, quam supra probavimus esse efficacem ab intrinseco; minorem verò et omnibus communem ad orandum, ita tamen semper sufficientem ut ad orandum actu non aliâ indigeat homo gratiâ quæ sit efficax ab intrinseco, quam vellent Augustiniani et Thomistæ ad ipsum orationis actum esse necessariam.

Cum in materiâ de gratiâ maxima sit Patrum auctoritas, plura congeremus eorumdem testimonia, tum quò manifestius appareat SS. Patres non aliam agnovisse gratiam communem seu sufficientem, præter eam quacum homo quilibet actu possit orare, si velit, quin aliâ indigeat gratiâ uberiori; et mediante oratione validiora auxilia ad legem actu servandam vere et realiter implorare atque obtinere; penitus verò ignorasse eam sufficientem gratiam, quam Thomistæ recentiores atque Augustiniani rigidiores invexerunt; — tum ut S. Alphonsi atque Sorbonicorum systema a notâ novitatis, quam adversarii ob duplicem ejus gratiam, efficacem scilicet ab intrinseco pro difficilioribus, et sufficientem pro facilioribus actu peragendis, eidem inurere satagunt, luculentius vindicetur.

I. Testimonia ex S. Augustino deprompta.

623. — *De Natura et Gr., c. 43. M., 44, c. 271:* « Non igitur Deus » impossibilia jubet; sed jubendo admonet, et facere quod possis, et » petere quod non possis. » — Et, *cap. 69, col. 289:* « Valde bona » sunt præcepta, si legitime his utimur. Eo quippe ipso quo firmis-

» sime creditur, Deum justum et bonum impossibilia non potuisse » præcipere, hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in dif- » ficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia caritati... Se- » cundum hoc dictum est: *Et præcepta ejus gravia non sunt*, (I Joan. » V, 3), ut cui gravia sunt, consideret non potuisse divinitus dici » *gravia non sunt*, nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non » sunt, et petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur. »

Jamvero, dicendo: *facere quod possis, et petere quod non possis, — in facilibus quid agamus, in difficilibus quid petamus; — petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur,* manifeste declarat S. Doctor hominem cum gratiâ illâ ordinariâ, quæ urgente præcepto omnibus communiter conceditur, quædam leviora et faciliora facere posse, quacum non potest difficiliora; posse tamen ad difficiliora peragenda uberius auxilium actu efflagitare, si velit. Juxta S. Augustinum igitur homini occurrunt et quædam faciliora, ad quæ realiter peragenda sufficit ea gratia minor, quæ omnibus est communis; et quædam difficiliora, ad quæ facienda major expostulatur gratia specialis: quod ipsissimum est S. Alphonsi systema.

624. — *De Perfectione justitiæ hominis, c. 3. M., 44, col. 295:* « Consultissime homini præcipi ut rectis passibus ambulet, ut cum » se non posse perspexerit, medicinam requirat, quæ interioris ho- » minis, ad sanandam peccati claudicationem, gratia Dei est per Jesum » Christum. »

Ibid., cap. 5; col. 297: « Ad hoc enim lex ista præcipit, ut cum in » his implendis homo defecerit, non se extollat superbiâ tumidus, sed » ad gratiam confugiat fatigatus. »

Ibid., cap. 10; col. 302: « Non aliam ob causam Scriptura comme- » morat non esse gravia divina mandata, nisi ut anima quæ illa » gravia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint » præcepta Domini qualia commendantur, levia scilicet atque suavia, » et oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis. Qui enim » dicit: *Fiat cor meum immaculatum*... et: *ne nos inferas in tenta-* » *tionem*, et cætera hujusmodi, hoc utique orat, ut præcepta Dei fa- » ciat: quæ ut fierent, nec juberetur, si nihil ibi nostra voluntas » ageret; nec oraretur, si sola sufficeret. Commendantur ergo non esse » gravia, ut cui gravia sunt, intelligat nondum se accepisse donum, » quo gravia non sint... Nec tamen, cum ea gravia sentit, despe- » rando frangatur; sed ad quærendum, petendum, pulsandumque co- » gatur. »

De Gratia et lib. arb., cap. 15. M., 44, col. 900: « Per hanc (gra-» tiam) etiam fit ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, » et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, » cum valde perfecteque voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum » est: *Si volueris, servabis mandata,* (Eccli. XV), ut homo qui voluerit » et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, et oret ut habeat » tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe » adjuvatur, ut faciat quod jubetur. »

Ibid., cap. 16; col. 900: « Magnum aliquid Pelagiani se scire pu-» tant, quando dicunt: *Non juberet Deus, quod sciret non posse ab* » *homine fieri.* Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quæ non pos-» sumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa enim est » fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat... Certum est nos » mandata servare, si volumus: sed quia præparatur voluntas a Do-» mino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit, » ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus: sed ille » facit ut velimus bonum, de quo dictum est: *Præparatur voluntas* » *a Domino,* (Prov. VIII). Certum est nos facere, cum facimus; sed » ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. »

625. — Absque præjudicato animo hæc testimonia ponderanti luce clarius manifestatur, eam esse S. Augustini sententiam, scilicet: hominem, urgente præcepto, non semper, imò nec ordinarie accipere vires ad legem immediate implendam, ac proinde victoriam tentationis et legis observantiam esse ei impossibiles ex præsentibus, quas habet, viribus; posse tamen quemlibet cum gratiâ communi, quæ ordini supernaturali est annexa et nemini unquam denegatur, et absque ulteriori gratiâ præveniente ex se efficaci, *medicinam requirere, ad gratiam uberiorem confugere, gemitu voluntatis orare ut impetret donum facilitatis, petere ut tantum velit, quantum sufficit ut volendo faciat, accipiendo a Deo vires efficacissimas; orare ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.* Proinde, si homo legem non servat, hoc ipsi uni est adscribendum, quia gratiam petendi, quærendi, pulsandi, quam ad vires efficacissimas comparandas acceperat, despexit.

Oratio igitur a S. Doctore ab ipsâ legis impletione sedulò semper distinguitur; ac alia et ea quidem validior gratia ab ipso expostulatur ad perfectam legis observantiam, alia verò et ea quidem debilior ad actualem orationem, ex cujus bono usu homo sibi eas gratias validiores, quibus ad legem implendam indiget, semper comparare potest, dummodò velit. Et hæc est ipsissima doctrina, quam S. Al-

phonsus in suo systemate de modo, quo gratia operatur, evolvendam et probandam suscepit.

626. — Sed alia adhuc et non minus perspicua præsto sunt S. Augustini testimonia, quibus eamdem suam sententiam aperit.

De Grat. et lib. arb., cap. 4; M., 44, col. 887: « *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.* (Matth. XXVI, 41). Ergo unusquisque » contra suam concupiscentiam dimicans oret, ne intret in tentationem, » id est, ne sit ab illa abstractus et illectus. Non autem intrat in » tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. Nec » tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi a Domino victoria » concedatur oranti, ne intret in tentationem. Quid vero evidentius » quam Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur? »

Ibid., cap. 14, col. 897: « Fides et non petita conceditur, ut ei » petenti alia concedantur. *Quomodo enim invocabunt,* inquit (Apo- » stolus), *in quem non crediderunt?* (Rom. X, 14). Ergo spiritus gratiæ » facit ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut pos- » simus facere quæ jubemur. Ideo ipse Apostolus assidue legi præ- » ponit fidem; quoniam quod lex jubet, facere non valemus, nisi per » fidem rogando impetremus, ut facere valeamus. »

Ibid., cap. 18; col. 901: « Præcepto admonitum est liberum arbi- » trium, ut quæreret Dei donum. Quod quidem sine suo fructu prorsus » admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi » quæreret unde quod jubebatur impleret. »

De libero arb., L. 3, cap. 19. M., 32, col. 1297: « Non tibi depu- » tatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere » quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed » quod volentem sanare contemnis: ista tua propria peccata sunt. » Nulli enim homini ablatum est scire utiliter quærere quod inutiliter » ignoratur, et humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti » et confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat. »

Ibid., cap. 22; col. 1302: « Non enim quod naturaliter nescit et » naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum; sed quod » scire non studuit, et quod dignam facilitati comparandæ ad recte » faciendum operam non dedit... Quod ergo ignorat quid sibi agen- » dum sit, ex eo est quod nondum accepit: sed hoc quoque accipiet, » si hoc quod accepit, bene usa fuerit. Accepit autem ut pie et dili- » genter quærat, si volet. »

Contra Maximinum, L. 2, c. 14, n. 9. M., 42, col. 776: « Quis nesciat » aliud esse præceptum, aliud potestatem? Hoc enim habemus in po-

» testate, quod cum volumus possumus. Præceptum vero id nobiscum » agit, ut quod jam est in potestate faciamus: si autem nondum est » in potestate, oremus nobis potestatem dari, ut quod præceptum est » impleamus. »

De Corr. et Gr., cap. 2. M., 44, col. 918: « Aguntur enim ut agant, » non ut ipsi nihil agant, et ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, » ut quando id agunt sicut agendum est, id est cum dilectione et de- » lectatione justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum » daret fructum suum, accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, » sive omnino non faciendo, sive non ex caritate faciendo, orent, ut » quod nondum habent accipiant.»

De Bono viduitatis, cap. 17. M., 40, col. 443: « Si nostræ tantum- » modo potestatis est ne tentatione superemur, utquid oramus ne in- » tremus vel inferamur in eam?... Utquid peto a Domino, quod in » mea posuit potestate?... Proinde petamus ut det, quod ut habeamus » jubet. Ad hoc enim quod nondum habemus jubet ut habeamus, ut » admoneat quid petamus; et cum nos quod jusserit, posse inveneri- » mus, etiam hoc unde acceperimus intelligamus; ne inflati et elati » hujus mundi spiritu, nesciamus quæ a Deo donata sunt nobis... » Jubet nobis Deus ut et sapientes et continentes simus. Sed oremus » ut det quod jubet adjuvando et inspirando, qui commonuit quid » velle debeamus præcipiendo et vocando. Quidquid hinc dedit, ut » conservet oremus; quod autem nondum dedit, ut suppleat oremus.»

Opus imperf. contra Julian., L. 3, c. 96. M., 45, col. 1297: « Hæc » imperat Deus, quæ fieri possunt: sed ipse dedit ut faciant, eis qui » facere possunt et faciunt; et eos qui non possunt, imperando ad- » monet a se poscere ut possint. » *Cf. etiam Epist. ad Hilarium, M., 33, col. 674).*

627. — Ut ex citatis testimoniis patet, nihil solemnius est apud S. Augustinum, quam constitutum esse a Deo ut homo quilibet, urgente præcepto, oratione impetret auxilium, quo ad præcepti impletionem indiget. Porro, si quilibet orare tenetur, quilibet etiam gratiam orandi accipit. Hæc autem orandi potestas, S. Doctoris sententiâ, adeò est proxima et expedita ad actu orandum, ut quilibet, si velit, actu possit orare, quin eâ uberiori indigeat gratiâ, quam Thomistæ et Augustiniani necessariam dicunt, ut gratia sufficiens transeat ad actum. Si enim gratia communis non sufficeret ad actu orandum, sed requireretur validior gratia quæ omnibus non datur (secus enim omnes orarent, cum hæc validior gratia sit efficax ab intrinseco), quomodo omnes, quibus datum est præceptum, indiscriminatim ad orationem

adhortari potuisset; quomodo affirmare potuisset, Deum, dando præceptum, admonere omnes ut confugiant ad orationem et quærant auxilium, cum multis impossibile foret actu orare, et actu quærere?

Quod verò dicitur de S. Augustini testimoniis, id idem de aliorum Patrum testimoniis, quorum verba mox referentur, dicendum est.

II. Testimonia S. Fulgentii.

628. — *De Veritate prædest., L. 2, cap. 3. M., 65, col. 630:* « Cognitione mandati, *inquit*, ad bene operandum hominis liberum arbitrium convenitur: non quia voluntate tantum, vel virtute tantum sua potest homo implere quod ei lex jubet, sed ut per mandati notitiam infirmitatis suæ sibi conscius fiat, et adjutorium gratiæ medicinalis exposcat. Qua percepta, potest et diligere quod jubetur, et facere, et agnoscere vel quid possit, vel quid non possit, et ut possit exposcere, et sibi suæ infirmitatis imputare miseriam, et sanitatis gratiam beneficiis medicinalibus assignare. »

Quibus in verbis aperte declarat S. Doctor, hominem, urgente præcepto, non habere quidem gratiam illi servando immediate proportionatam; habere verò semper gratiam exposcendi uberius adjutorium gratiæ medicinalis, quâ perceptâ, potest et diligere et facere, quod eum lex jubet. Quæ quidem exposcendi gratia est utique ad actu orandum immediate et proxime sufficiens.

Ibid., cap. 4; col. 630: « Cum Apostolus dicit quia *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate*, (Philipp. II, 13), ostendit utique ipsam hominis voluntatem, et ad bene volendum non nisi divino munere dirigi, et ad bene operandum divinitus adjuvari. Dum ergo præcipitur nobis ut velimus, ostenditur quid habere debeamus; sed quia id ex nobis habere non possumus, admonemur ut a quo nobis datur præceptum, ab ipso petatur auxilium. »

Ibid., cap. 16; col. 641: « Maximum est divinæ gratiæ adjutorium atque beneficium, ut illuminata mens hominis semper cogitet, et præventam se gratuita gratia, et indesinenter adjuvandam virtute divina. Atque ita fiet ut Deo, largitori bonorum omnium atque custodi, seipsum homo competenter humilians, et gratias incessanter agat, et orare non desistat. Gratias agat, quia præventus est ut converteretur aversus, ut illuminaretur cæcus, ut acciperet fidem incredulus; oret autem, ut sanetur languidus, et adjutorio gratiæ confortetur infirmus. Ex tota igitur voluntate petat, ut accipiat; quærat, ut inveniat; pulset, ut aperiatur ei. »

Ibid., cap. 17; col. 642: « Sed voluntas ipsa... tunc in homine bona » justaque perseverat, si eam custodiens gratia divina non deserat. » Sicut enim nihil potest in se habere bonæ cogitationis, nisi subve- » niente gratia fiat bona, sic ad custodienda quæ accipit, nullatenus » potest sua virtute sufficere, nisi ille qui eam gratis bonam facit, gra- » tiæ suæ opitulatione servaverit. Ille vero certus est bonæ volun- » tatis profectus, si ea quæ accipit a Deo ita vigilanter solliciteque » custodiat, ut custodiæ divinæ adjutorium frequentia orationis et » studio bonæ operationis exposcat. Ita fiet ut dum oranti auxilium » tribuitur, laborans retributione boni operis non privetur. » *(Cf. etiam Epist. 3m, n. 37; et Epist. 4m, cap. 2 et 5. M., 65, col. 339).*

629. — Ex his testimoniis manifestatur, quantâ necessitate oratio a S. Fulgentio exigatur, ut et dominica mandata possint servari, et voluntas in bono queat perseverare; et hoc quidem, quia adjutorium gratiæ ad legem servandam, ad tentationem vincendam, et ad perseverandum in bono proposito homini non conceditur, nisi supplici oratione illud continuò exposcat. Igitur, juxta S. Fulgentium, urgente præcepto, homo non habet semper gratiam mandatum immediate exsequendi; habet tamen semper gratiam ita orandi, ut uberiorem gratiam actu efflagitare et reapse obtinere valeat. Porro, sicuti intuenti patet, hæc doctrina non est nisi ea, quam S. Alphonsus in suo systemate evolvit et probat.

III. Aliorum Patrum testimonia.

630. — *Episcopi quinque Africæ, in sua Epistola ad Innocentium I, cap. 2, M., 56, col. 474,* aiunt: « Sive enim (Pelagius) dixerit gratiam » esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, » sive gratiam esse legis præceptum; nihil eorum dicit, quæ per sum- » ministrationem Spiritus Sancti pertinent ad concupiscentiam tentatio- » nesque vincendas... Hinc enim oramus, ut peccatorum tentationem » superare possimus; ut spiritus Dei, unde pignus accepimus, adjuvet » infirmitatem nostram. Qui autem orat et dicit: *Ne nos inferas in* » *tentationem*... orat ut non peccet... Unde satis apparet quod ad non » peccandum, id est ad non male faciendum, quamvis esse non du- » bitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficiat, nisi » adjuvetur infirmitas. Ipsa igitur oratio clarissima est gratiæ testi- » ficatio... Lex jubere novit, gratia juvare. Nec lex juberet, nisi esset » voluntas; nec gratia juvaret, si sat esset voluntas... Jubetur ut non » faciamus malum, et tamen oratur ut non faciamus malum. Jubetur » ut faciamus bonum, et tamen oratur ut faciamus bonum, etc. »

Quibus verbis aperte declaratur hominem, instante tentatione aut urgente præcepto, habere expeditam orandi facultatem, quâ efficacius adjutorium ad legem implendam necessarium possit implorare.

631. — *S. Basilius:* « Si permittatur quispiam incidere in tentationem, exitum ut sustinere possit, utque Dei voluntas fiat, precibus exposcendum est. » *(Moralia, Regul. 62, c. 2. M., 31, c. 799).*

632. — *S. Leo M.:* « Gratiæ Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat: ac si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad jubentem recurrat: qui ideo dat præceptum, ut excitet desiderium, et præstet auxilium. » *(Serm. 43, cap. 1. M., 54, c. 281).* — Et: « Ut itaque malignitas frementis inimici nullos habeat sui livoris effectus, ad exsequenda divina mandata diligentior est assumenda devotio: ut tempus, in quo omnia divinæ misericordiæ sacramenta concurrunt, cum præparatione et animorum suscipiamus et corporum, implorantes regimen et adjutorium Dei, ut sine quo nihil possumus facere, per ipsum omnia valeamus implere. Ideo enim datur præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium. Nec se quisquam per occasionem infirmitatis excuset, cum qui præstitit velle, donet et posse. » *(Serm. 49, c. 4. M., 54, c. 303).*

633. — *S. Cyrillus Alex.:* « Studium atque vigilia, quamvis proba et laudabilis sit, non sufficit tamen ad perfectæ operationem virtutis: sed salutem quidem vigilantes attendentesque diligenter acquirimus. Non sufficit autem id nobis, quum divinâ gratiâ, quæ difficilia facilia faciat, et arduam justitiæ viam, planam nobis reddat, necessario indigeamus. Nostra enim vis, nisi divinitus sustinetur, nulla penitus est... Quare necesse est, ut jugiter magnoque animo ad acquirendam salutem studeamus, et opem Dei, qua protegamur orando petamus. Cujus auxilio facile diaboli vires superabimus. » *(In Joan., L. 11, c. 21, in fine).*

634. — *S. Bernardus:* « Qui sumus nos? aut quæ fortitudo nostra? hoc quærebat Deus, ut videntes defectum nostrum, et quod non est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam tota humilitate curramus. » *(In quadrag., Serm. 5. M., 183, c. 180).* Et: « Sciens quoniam in oratione datur bona voluntas, cum videris quæ agenda sunt, ut convalescas ad agenda quæ videris, ascende tu ad orationem: ora instanter, ora perseveranter, sicut ille (Christus) pernoctabat in oratione, et dabit Pater bonus spiritum bonum petenti se. » *(In festo Ascens., serm. 4, n. 11. M., 183, c. 315).*

Jamverò, his in testimoniis asseritur, omnibus, urgente præcepto, concedi gratiam orationis expeditam, quâ omnes, si velint, actu possint orare, atque majora obtinere adjutoria divina.

IV. Probatur rationibus theologicis.

635. — Omnia fere argumenta, quæ contra gratiam sufficientem in sensu Thomistarum militant, militant pro gratiâ sufficienti, quam adstruimus. Quare, ne jam acta iterum tractanda suscipiamus, rationes theologicas breviter memorasse sufficit.

Prima ratio ducitur ex naturâ auxilii sufficientis: Illud solum auxilium potest dici vere sufficiens ad aliquid agendum, cui nihil deest ut homo, si velit, reapse possit illud præstare, respectu cujus dicitur sufficiens. Ergo ea sola gratia est vere sufficiens, quacum homo possit, si velit, illud operari actu, respectu cujus dicitur sufficiens, quin ad hoc alio indigeat auxilio præveniente.

« Non potest intelligi, *inquit Duvallius*, aliquam formam, utpote » gratiam supernaturalem, dare homini potestatem ad agendum, et » non posse dare ei, ut de facto agat: dare enim alicui subjecto posse » operari, nihil aliud est, quam ipsum subjectum in genere causæ » efficientis ordinare ad actum sibi proprium et correspondentem, ut » constat inductione facta per quaslibet potentias; sic enim potentia » visiva ordinat ipsum oculum, ut eliciat de facto visionem; potestas » audiendi, ut sonum de facto percipiat: ergo cum ex sententia Tho- » mistarum auxilium sufficiens conferat homini potestatem ad agen- » dum, debet illi etiam conferre, ut de facto possit agere. Respondet » Zumellius conferre tantum potestatem inadæquatam et incomple- » tam, ideoque mirum non esse si non conferat voluntati, ut de facto » agat.

» Contra; et hæc est secunda ratio: quod tantum habet principium » agendi inadæquatum et incompletum censetur omnino insufficiens, » cum ex illo ut sic, actio sequi non possit: ergo auxilium sufficiens, » juxta explicationem Zumellii, erit omnino insufficiens, quod apertam » contradictionem involvit. ». *(De Gr., Q. 5, a. 2; pag. 107). Cf. n. 108 et ss.*

636. — *Secunda ratio desumitur ex peccatorum imputabilitate.* Si cum auxilio sufficienti homo nequit quidquam actu operari, nequidem actu orare ad uberiores gratias efflagitandas, sequitur, eos qui solam accipiunt gratiam sufficientem, non posse actu legem servare, nec

posse actu orare, ut a Deo expostulent auxilia ad legis observationem necessaria. Actualis igitur mandatorum impletio est istis impossibilis. Quare dicendum: vel istiusmodi homines, quando legem non observant, peccatum non committere; vel ipsos necessariò peccare: quorum utrumque repugnat. *Cf. n. 415 et ss.*

637. — *Tertia ratio hauritur ex seriâ voluntate Dei salvandi omnes homines.* Qui vult finem, vult media. Atqui Deus vult omnes homines salvos fieri. Ergo omnibus debet dare sufficientes gratias, quibus omnes, si velint, possint actu salvari. Gratia igitur omnibus concessa ejus debet esse naturæ, ut quilibet homo, dummodo velit, possit, saltem mediâ oratione, legem actu servare et salvari. Porro, ejusmodi gratia sufficiens non est gratia sufficiens Thomistarum et Augustinianorum, sed sola gratia quam statuunt Sorbonici. *Cf. n. 423.*

638. — *Quarta ratio eruitur ex spe christianâ.* Si gratia sufficiens non sufficit ut homo possit actu legem implere, aut saltem actu orare, sed ad orandum requiritur uberior gratia omnibus communiter non concessa, actum est de spe christiana, ut supra satis superque probatum est. *Cf. n. 425.* Sed omnes tenentur sub mortali sperare salutem. Ergo et omnibus conceditur talis gratia sufficiens, quacum omnes possint, si velint, saltem actu orare ad implorandum a Deo ea uberiora auxilia, quibus ad salutem actu consequendam indigent.

639. — *Huc accedit tum communis fidelium sensus, tum universalis praxis pastorum. a)* Fideles, præsertim sanctiores, seipsos torporis et negligentiæ accusare solent, quando gratiis acceptis male usi sunt, et in tentationibus orare neglexerunt. Persuasum ergo sibi habent, se illis gratiis consentire potuisse, si voluissent, quibus tamen restiterunt. Si igitur bonus usus gratiæ sufficientis non dependeret a liberâ acceptatione voluntatis, sed ad quodlibet opus salutare, imò et ad orationem, requireretur gratia ab intrinseco efficax, cui nunquam resistitur, omnes, quotquot sunt fideles et præsertim sanctiores, in errore versarentur: quod certe dici nefas est.

Neque verò illud quisquam dicat: eorum resistentiam gratiæ sufficienti fuisse in causâ, cur efficacem non reciperent, ideoque istos merito de suâ negligentiâ se accusare. Contra: nullus sanæ mentis homo, se ejus rei reum æstimat, quam absolute non potuit vitare. Sed, juxtà Thomistas, absente gratiâ efficaci, homo absolute non potest gratiæ sufficienti non resistere, quia ad non resistendum jam præ-

requiritur gratia efficax. Si igitur fideles se culpabiles æstimant, eò quod gratiæ sufficienti restiterint, sibi persuasum habent se potuisse non resistere, et tamen libere ex suâ culpâ restitisse.

b) Sacri concionatores quotidie adhortantur fideles, tum ut gratiis receptis bene utantur, tum ut uberioris auxilii causa ad orationem confugiant. Sed si ad quemlibet actum salutarem requiritur gratia ab intrinseco efficax, quæ indeclinabiliter operatur, et omnibus communiter non conceditur, « intelligere nequeo, *ait S. Alphonsus,* quo» modo sacri oratores ad conversionem adhortari possint populum; si » enim nonnullis etiam orandi gratia denegaretur, populus respondere » posset: « Quæ nobis dicitis, dicite Deo, ut Ipse ea faciat; nobis enim » nec præsto est immediata gratia efficax, quâ actu convertamur, nec » gratia sufficiens mediata, quâ orationis ope, gratiam efficacem im» petremus. » *(App., n. 158; p. 535).*

V. Probatur auctoritate theologorum.

640. — In disputationibus de naturâ gratiæ actualis, et de modo, quo operatur, magna est theologorum auctoritas. Cum enim ea, quæ ad istas quæstiones pertinent, Ecclesiæ definitionibus non sint stabilita, sed liberis relinquantur scholasticorum disputationibus, ad veritatis inquisitionem permultum juvat probe nosse quid eâ de re senserint theologi, maxime verò illi qui ante ortas controversias de Auxiliis scripserunt.

Ut nostram igitur thesim de verâ sufficientiâ gratiæ sufficientis ad actu orandum vel ad quædam faciliora actu peragenda stabiliamus, theologorum testimonia in tres classes dividimus. Prima classis eorum comprehendit testimonia, qui ante ortas controversias de Auxiliis floruêre; altera verò eorum, qui nostrum systema ex integro et explicite docuerunt; tertia demum testimonia continet adversariorum, qui veritate coacti, verbis saltem nostram sententiam mire confirmant.

Animus utique nobis non est eorum omnium, qui nostræ sententiæ faverint, verba referre: opus enim nimis protractum susciperemus; paucorum protulisse testimonia sat erit, quot scilicet sufficiunt ad demonstrandum, doctrinam Alphonsianam de gratiâ sufficienti orationis novitate non laborare, sed in scholis semper viguisse.

A. ANTIQUIORUM SCHOLASTICORUM TESTIMONIA.

641. — Etsi vocabula *gratia sufficiens*, *gratia ad efficaciter volendum*, et similia, antiquioribus Scholasticis non fuerint penitus ignota, ipsi tamen gratiam actualem in efficacem et sufficientem, tanquam in membra sibi opposita, sicut a recentioribus fieri assolet, nunquam diviserunt; sed, teste Henrico a Gorichem, sæculo decimo quinto in scholis invaluit prædicta divisio. *(Cf. n. 76).*

Neque systemata de modo, quo gratia operatur, methodice concinnata tradiderunt: hæc enim occasione præsertim controversiarum de Auxiliis in scholis vigere cœperunt. Incassum igitur aliquis apud antiquiores quæreret systemata, qualia nunc proponuntur. Cum tamen dogmata, quæ sive ad gratiæ actualis naturam, sive ad ejus operandi modum spectant, Ecclesiam nunquam latere potuerint, apud antiquiores scholasticos, non secus ac apud SS. Patres, illustria deprehendere est documenta, quæ eorum sensum his de quæstionibus nobis mire manifestant.

642. — Ut verò antiquiorum scholasticorum, sicut et plurium Patrum[1] testimonia rite valeant intelligi, recolendum est, antiquiores theologos præter gratiam gratum facientem, et gratiam actualem quæ operatur perfectam cordis conversionem, (quam nunc gratiam efficacem vocamus), aliud genus auxiliorum supernaturalium agnovisse, quod quandoque etiam vocant gratiam, quod tamen magis ordinarie nominant *auxilium commune*, *motionem communem*, *influentiam generalem*. Hoc genus auxiliorum, eorum sententiâ, cuilibet homini ratione ejus elevationis in finem supernaturalem pro tempore et loco conceditur, et cuique satis virium tribuit, ut possit ad salutem pervenire: quod auxilium veram constituit gratiam sufficientem.

643. — Quod igitur antiquiores theologi de auxilio generali ordinis supernaturalis dicunt, hoc de gratiâ sufficienti omnibus concessâ tenendum est. Porrò, manifesta sententia antiquiorum est: quemlibet hominem posse, dummodò velit, cum solo auxilio generali aliquid actu facere; et facienti quod est in se cum illo generali auxilio, Deum non denegare gratiam uberiorem et salutem. Quæ doctrina nihil aliud est, quam doctrina alphonsiana de gratiâ orandi. Illius autem auxilii, quocum, si solum datur, homo nihil unquam operatur nec operari potest, nusquam mentionem fecerunt. « Veterum theologorum, *ait Tho-*

[1] Cf. *Petavius*, Dogm. theol., L. 9, c. 4; p. 352; et L. 10, c. 20; p. 444.

» *massinus*, nemo attigit sufficientia illa auxilia, quorum effectus nun-» quam est ullus...; omnibus ea placuere sufficientia auxilia, quibus » assentitur quandoque voluntas, quandoque non assentitur. » *(Theol. dogm., T. 3. Consensus Scholæ, P. 2; pag. 499)* [1].

644. — Hugo de S. Victore, *(an. 1125)*. — Juxta Hugonem gratia est: « Inspiratio divina, scilicet operatio Dei, ex quâ movetur animus » ad diligendum Deum et proximum. » *(In I Ep. Corinth., q. 3. M., 175, c. 514)*. Voluntas humana sine adjutorio gratiæ nullum bonum salutare operari valet. « Apostolus, *inquit*, demonstrat hominem ex se » quidem nil posse, sed tantum ex gratia superveniente: oportet enim » hominem gratia præveniri: deinde liberum arbitrium a gratia præ-» ventum ipsi gratiæ cooperari debet: cujus natura talis est ut relu-» cere et cooperari possit, sicut radio solis oculus tactus videre potest. » Quod ergo homo operatur, ex gratia est cui cooperatur. Quædam » enim gratia *(scil. operans seu præveniens)* operatur sine adjutorio » hominis, quia compungit mentem, et excitat; homo verò sine gratia, » nec consentire potest gratiæ, nec aliud quidquam efficere, sed gratiæ » trahenti et ducenti innititur, et sic gratia adjutus promeretur. » *(Loc. cit., q. 130. M., 175, c. 539)*.

Gratiam seu vocationem duplicem distinguit, communem scilicet et specialem: « Vocatio alia est communis, quæ fit prædicatione exte-» rius, et etiam quandoque interius per inspirationem: alia est spe-» cialis, quæ fit secundum propositum, secundum quam nullus vocatur » nisi electus et prædestinatus. Secundum autem communem vocatio-» nem dictum est: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* » *(In Ep. ad Rom., q. 225. M., 175, c. 487)*.

Gratia communis omnibus hominibus conceditur: « Potest dici quod » gratia Dei æque bono et malo, id est, prædestinato et reprobo pro-» ponitur, quam tamen unusquisque non apprehendit vel trahentem » sequitur; imò ille, cui gratiæ radius infunditur, oculos claudit; et » sic radium quo tangitur repellit, unde et ipsi merito gratia subtra-» hitur, quia ipse se subtrahit; etc. » *(In Ep. ad Rom., q. 238. M., 175, c. 491)*.

Hæc autem gratia omnibus concessa ejus est naturæ, ut omnes cum ea valeant actû operari, si velint, non secus ac oculus radio solis perfusus, potest videre, si velit. « Est enim in gratia quemad-» modum in solis radio, qui se oculo ingerit, quo oculus tactus visum

[1] Cf. *Duplessis d'Arg.*, De multipl. gen. grat., art. 1, § 23; p. 30.

» exercet. » *(Ad Rom., q. 130)*. Quare, quærendo quid sit deesse gratiæ Dei, ait: « Gratiæ oblatæ oculos mentis claudere, et gratiam » respuere, quemadmodum radio solis oculis meis apertis eos clau- » dere; vel apertos tenere, pro libitu possum, quod est ex libero ar- » bitrio; et sic gratia non excludit liberum arbitrium, nec ipsum ar- » bitrium excludit gratiam. » *(In Ep. ad Hebr., q. 106. M., 175, c. 631)*.

Ergo, juxta Hugonem, sicut quilibet potest ex voluntatis arbitrio, sine alio adjutorio, cum radio solis oculos aperire et videre, vel claudere; ita et quilibet potest pro libitu gratiæ communi vel resistere, vel eam acceptare et bonum agere, quin aliâ indigeat gratiâ per se efficaci. Ejus ergo sententiâ, cum solâ gratiâ communi seu sufficiente homo aliquid agere valet, si velit. Unde quærenti: *De duobus æqualiter in peccato jacentibus, quibus gratia Dei æqualiter proponitur, et offertur: unde fit quod alter ei consentiat, et ab altero respuatur?* non respondet quod unus acceperit gratiam efficacem et alter non acceperit; sed respondet quia unus voluit, alter noluit. « Utrisque » data est gratia, *inquit*, quâ potuit consentire; alterius tamen mens » mota est et consentit... Alter cum posset, non consensit; sed gra- » tiam oblatam sponte rejecit, ut apparet in solis radio, et in duobus » in foveam lapsis. Qui oculos aperit videt, non sine solis claritate. » Qui oculos claudit, non videt. Sic qui manum meam apprehendit, » extrahitur a me de fovea; qui autem negligit nec nititur cum au- » xilio sibi exhibito, non exit. » *(Alleg. in Nov. Test., L. 6. M., 175, c. 893)*.

645. — Robertus Pullus, Cardinalis et doctor Parisiensis, *(an. 1130)*. Robertus Pullus, etsi systema Sorbonicum de modo operandi gratiæ methodice concinnatum non tradiderit, illud tamen fere jam integrum exponit.

Ad perfectam cordis conversionem gratiam requirit validissimam, invictissimam, quæ, quoties voluerit, voluntatem etiam pessimam in bonam immutat. « Quamvis gratia, *inquit*, revocet errantem, perducat » obedientem, trahit tamen voluntarium, nec cogit invitum; adeo va- » lens, adeoque vigens, ut quamlibet perversi voluntatem, vitamque » in quantumlibet emendationis gradum, absque omni difficultate et » coactione, quoties libuerit, immutet. » *(Sent., Pars 6, cap. 50; p. 205)*.

« Voluntas quæ ex gratia Dei inspiratur, tantæ virtutis est, ut » nunquam absque effectu sit, nisi cum ipse homo gratiæ defuerit. » De hac voluntate sic ait Apostolus: *Deus enim qui operatur in nobis*

» *velle et perficere pro bona voluntate.* Quisquis autem hujusmodi vo-
» luntate præditum se sentit, dono Dei adgratuletur, obnixe gratias
» agens, promoveri petens. » *(Loc. cit., c. 49; p. 204).*

Præter hanc gratiam validissimam, aliam agnoscit remissiorem, quæ ad conversionem peragendam non sufficit quidem immediate; est tamen immediate sufficiens ad orandum, et ad uberiorem illam gratiam impetrandam. « Qui inquinatam degit vitam, *inquit*, sed ra-
» tione consultâ, anxiatur ex sorde, desiderat bene facere, consueti
» tamen dulcedine mali revocatus, quod bene cupit, implere nequit...
» In hujus enim mente sibi invicem repugnant voluntates, bona una,
» mala altera; sed mala vincit et bona gemit: clamet ergo ad illum
» qui solus exaudit in abscondito tempestatis. Ad Dominum, cum tri-
» buletur, clamet et exaudietur; dicat: *Miserere mei Domine, quo-*
» *niam infirmus sum, sana me Domine.* Sententia Salvatoris est:
» *Omnis qui petit, accipit.* Petat ergo assidue, petat devote, ad opera
» misericordiæ refugiat, disciplinam apprehendat, et qui dedit ut exire
» ardeat, dabit tandem ut exeat. Homo ergo malus, sed volens fieri
» bonus, propter quædam sua, immo et Dei bona, recipitur a Deo et
» liberatur a malo; Deus enim bona hoc in sæculo largitur, aut ter-
» rena quæ abundantius contingunt perditis; aut altera, inter quæ
» est timor gehennæ, quibus peccator commutatur a via sua prava;
» aut tertia, quibus vir jam justus dignus fiat corona. Prima dantur
» ut inde in terra vivatur; secunda, supplicationes et quædam via
» sunt, ut ad illa quæ remunerabilia sunt pertingatur. Hujusmodi
» ergo bona quodammodo vigent vivuntque, quamvis enim nondum
» bonus sit is a quo fiunt, tamen ideo fecit ut per minora, bonis
» majoribus atque retribuendis locus præparetur, et sic bonus fiat...
» Quare si in malitia degens adhuc, bene velle saltem desi-
» deret, bene velle petat. Si autem jam bene vult, ad effectum pro-
» perans de malitia exire contendat. » *(Loc. cit., c. 49; p. 203).*

His in verbis Robertus manifeste commendat eam gratiam orationis, quam Sorbonici sæculi XVII et S. Alphonsus tantopere defendunt, quâ mediante homo potest uberiora auxilia ad conversionem necessaria obtinere. Unde et hanc debiliorem gratiam explicite vocat *supplicationes et viam ut ad illa quæ remunerabilia sunt pertingatur;* quod idem et iisdem fere verbis expressit Is. Habertus, dicens: « Ar-
» bitramur proinde et dicimus gratiam sufficientem esse gratiam dis-
» positionis supernaturalis ad gratiam efficacem, utpote ex cujus bono
» usu et effectu incompleto Deus postea gratiam completi effectus certo

» productivam seu effectivam, creatæ voluntati concedat. » *(Theol. Patr. Græc., L. 2, c. 15, n. 2; p. 289).*

Hanc autem gratiam ejus esse naturæ, ut quilibet, si velit, bonum aliquod facere possit, saltem orare, absque alterâ gratiâ per se efficaci, manifeste indicat Robertus, tam in verbis supra citatis, quam in iis quæ, *cap. 50*, addit: « Gratia, *ait*, id in homine agit, ut qui » per se nullius est potens boni, jam id libere efficere possit, nisi » deesse gratiæ ipse malit. Quippe quoties gratiæ id placet, ut se » cuipiam offerat, is utrumlibet aut gratiæ cooperans agit, aut eâ spretâ, » male agere non desistit. Cum autem gratiâ susceptâ bene vivitur; » alius felici in proposito perseverat, alius pravitate consuetâ resor- » ptus, pedem revocat. Sed quod iste recidit, ideo fit quod gratiæ sine » qua nunquam bene vivitur, non consentit; quod autem ille in bono » perseverat, gratia operatur, cum qua concordat... Facultatis nostræ » est ut præventi gratia per ipsam bene agamus; subsecuti eam, a » bono nequaquam desistamus. »

646. — Richardus a S. Victore, *(an. 1140)*, gratiam sufficientem explicite nominat, et quidem in sensu Sociorum Sorbonicorum. « Tan- » tum possumus, *inquit*, quantum posse accepimus. Quid enim habes » quod non accepisti; nihil enim aliud est habere hujusmodi potestatem » et fortitudinem, quam habere gratiam cooperantem. Potestas tua coo- » peratrix gratia. Quantum habes gratiæ, tantum habes et potentiæ... » Nemo ad omnia bona accipit potestatem... Multum est autem per » omnem modum cum ad illa accipit potestatem, quæ sibi sufficiunt ad » salutem. Quid autem cum et illa suppetunt quæ sufficiunt ad perfe- » ctionem. » *(De Erudit. interioris hom., c. 30. M., 196, c. 1281).* Ergo juxta Richardum, aliqui, imò omnes, (quia ut ait: *Charitas offertur omni, aufertur nulli, ut nullus nisi suo vitio illa careat, (De gradib. caritatis, c. 4)*, accipiunt sufficientia ad salutem, et quidam insuper sufficientia ad perfectionem. Porro, per verba *sufficiens ad salutem, sufficiens ad perfectionem*, intelligi auxilium quocum homo vere possit, si velit, salutem consequi, saltem mediate, ex iis patet quæ alibi docet, *(De statu inter. hom., c. 31. M., 196, col. 1139)*. Agens enim de impossibilitate, in quâ homo viator versatur vitandi omnia et singula venialia, dicit ipsum habere quidem gratiam præsentem, *non tamen sufficientem;* quo in loco per gratiam *non sufficientem* intelligit eam, quacum actu vitare nequit omnia venialia; ergo a pari, dicendo *sufficientia ad salutem*, ea intelligit quibus actu, saltem mediante oratione, salutem valeat assequi.

Monet insuper, in rebus dubiis et adversis ad Dominum esse recurrendum, ut auxilium imploremus. « Quis autem nesciat, *ait*, veræ devotionis esse sub omni necessitatis articulo, ad divina præsidia confugere, et tam in ambiguis quam adversis hinc consilium, illinc auxilium petere, et efficaciter impetrare. » *(De erudit. inter. hom., cap. 7. M., 196, c. 1243).* Supponit ergo, urgente præcepto, quemlibet cum gratiâ, quam accepit, posse oratione ad Deum confugere, et uberiora auxilia efficaciter obtinere.

647. — Innocentius III, *(an. 1200).* Docet Innocentius III quemlibet peccatorem posse aliquid facere, ut Deus cor illius ad pœnitentiam illustret, eique gratiam gratum facientem conferat. « Si ergo, fratres, aliquis vestrum præoccupatus est in aliquo delicto, nullo modo desperet, sed interim faciat quidquid boni potest, ut Deus cor ejus illustret ad pœnitentiam; aperiat oculos, ut solis lucem aspiciat; mollificet ceram, ut impressionem sigilli recipiat; reddat se habilem, ut ei Deus formam suæ similitudinis imprimat et gratiæ suæ virtutem imponat. » *(Serm. 2, in conversione S. Pauli. M., 217, c. 498).*

Hanc verò agendi potestatem in ordine ad justificationem non esse a naturâ, sed a gratiâ excitante, paulo supra indicavit Innocentius III, dicendo: « Sine gratiâ operante peccator converti non potest. » *(col. 497);* quam excitantem gratiam omnibus peccatoribus exhiberi, ibidem etiam docet: « Deus enim semper tenet manus expansas ut recipiat peccatores; quia non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. » *(col. 496).* Et: « Quis enim dubitet, quin Deus misereri velit illius, quem talem et tantum fecit creando, quem talem et tantum fecit etiam redimendo? » *(Serm. 1 in conv. S. Pauli, col. 491).*

Præterea *in sermone diei Parasceves, col. 529,* peccatorem adulterum his alloquitur: « Noli dicere quod soles: Vellem, videlicet abstinere, si possem; imo dic: possem, si vellem. Corrige voluntatem, et dilige castitatem, et continendi accipies potestatem. Si autem te profiteris infirmum, quare non curris ad medicum? si pateris infirmitatem, cur non amplecteris sanitatem? si te conspicis impotentem, quare non suscipis Omnipotentem? » Sententiâ igitur Innocentii III, peccator cum gratiâ excitante, quæ omnibus peccatoribus confertur, potest, si vult, absque gratiâ efficaci ab intrinseco quæ omnibus non confertur, potest, inquam, aliquid actu præstare in ordine ad suam conversionem; saltem potest actu per orationem ad medicum currere et ad Omnipotentem respicere, ut ab eo fortitudinem et sanitatem obtineat.

648. — Guillelmus Altissiodorensis, *(an. 1200)*. Ponit tanquam principium, quemlibet hominem accipere gratiam actualem. « Nobis » videtur, *inquit*, quod nullus est vel rarus qui non habeat gratiam » aliquam, fidem informem, vel timorem servilem, vel aliquid tale.» *(Summa, L. 2, tr. 26, cap. 1. Fol. 92, col. 2).*

Hoc divino auxilio munitus, quilibet habet in se potestatem aliquid faciendi, ut gratiam sanctificantem accipiat; et quicumque facit quidquid est in se, eam reapse accipit. « Quæritur, utrum hæc argumen- » tatio sit necessaria: Iste facit quicquid in se est, ergo Deus dat ei » gratiam? » — Et positis objectionibus, respondet: « Contra: dicit Do- » minus: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* et impossibile » est Deum mentiri. Ergo necessarium est quod si aliquis convertitur » ad Dominum, quod Deus convertatur ad ipsum; sed homo conver- » titur ad Dominum faciendo quod in se est; Deus convertitur ad » hominem conferendo gratiam. Ergo necessarium est quod si homo » faciat quod in se est, quod Deus conferat ei gratiam... Item in » Apoc. dicit Dominus: *Si quis mihi aperuerit, intrabo et cœnabo cum* » *eo.* Sed iste aperit faciendo quod in se est; ergo Deus intrat confe- » rendo gratiam; ergo si aliquis facit quod in se est, Deus dat ei gra- » tiam... Item, super illud ad Roman.: *Fide justificati sumus*, dicit » August., quod Deus recepit confugientes ad se, aliter esset iniquitas » in eo. Sed impossibile est quod iniquitas sit in eo. Ergo necessarium » est quod recipiat confugientes ad se; ergo necessarium est quod det » ei gratiam qui facit quicquid in se est. » *(L. 3, tr. 2, q. 5; fol. 136, col. 3).*

Et comparationem instituendo inter cæcum corporaliter et cæcum spiritualiter, qui scilicet fidem non habet, ait: « Hæc argumentatio » non valet: cæcus corporaliter non potest videre; ergo cæcus spiri- » tualiter non potest videre; quia aliud est de cæco corporali, aliud » de cæco spirituali; quia cæcus corporalis non potest facere aliquid » quo facto videat, nec potest se illuminare. Cæcus autem spiritualis » licet non possit illuminare se, tamen potest facere aliquid, quo facto, » sequatur quod ipse illuminetur; sicut iste non potest illuminare do- » mum, tamen potest aliquid facere, quo facto domus illuminabitur, » ut aperire fenestram. Similiter si iste aperiat ostium liberi arbitrii, » id est, faciat quod in se est, statim subintrabit lux vera et illumi- » nabit spiritualiter. » *(L. 2, Tr. 26, cap. 2; fol. 92, col. 3).*

Igitur, juxta Altissiodorensem, cum solo auxilio communi potest homo aliquid facere, quo facto et infallibiliter illuminatur, et gratiam justificantem accipit. Quare etiam docet, hominem, qui gratiam gra-

tum facientem non accepit, eam non accepisse, non quia Deus noluit dare, sed quia homo oblatam noluit accipere. « Nunquam est verum, » *inquit*, quod quia Deus non dat, homo non accipit vel non habet » gratiam sive perseverantiam; sed quia homo non accipit, ideo Deus » non dat; quia Deus semper paratus est dare... quare ideo non dat, » quia homo non præparat se, vel quia renuit. » *(L. 2, Tr. 2, c. 4, fol. 42, col. 1).* Porro, si cum solo auxilio communi seu sufficienti homo se non posset ad gratiam præparare, sed indigeret auxilio speciali omnibus communiter non concesso, ille, cui Deus daret solum auxilium commune, ideò gratiam non acciperet quia Deus non vult ei dare, et non ideò Deus non daret ei, quia ipse se non præparat.

649. — Guillelmus Alvernus, Parisiensis, *(an. 1223).* In tractatu *de Virtutibus, cap. 11,* descripto luctamine carnis contra spiritum, addit: « Ut spiritualitas prævaleat in nobis contra carnalitatem no- » stram, necesse igitur est nobis dari ad hoc adjutorium quod sufficiat » spirituale nostrum defendere, servare, et carnale nostrum subjicere, » calcare, jugiterque mortificare; et hoc est quod nos vocamus gratiam, » videlicet gratuitum creatoris donum, quod naturalibus nostris appo- » nitur, ut per ipsum spiritualitas animalitatem nostram vincat et su- » peret, captivet, atque mortificet: vides igitur necessitatem quæ cogit » nos ponere gratiam. » Quibus verbis manifeste declarat Guillelmus, homini conferri auxilium taliter sufficiens, quo non solum possit vincere, sed reverà, si velit, vincat et superet carnis concupiscentias.

Docet præterea, bene utenti auxiliis communibus, uberiorem non deesse divinæ misericordiæ largitatem. « Largitas misericordiæ, *inquit,* » nullo modo se denegat ad illam redire conantibus, qui conatus abs- » que ejus adjutorio revera nihil est... Qui etiam conatus gratiæ Dei » prævenientis dona sunt; quando et ipsum desiderare gratiam, gratis » est; desiderare autem gratiam munus est. » *(De Sacr. Pœnit., cap. 1; pag. 436).*

Demum orationem ejusque efficacitatem commendat, supponitque omnes actu posse orare. « Prima ergo atque potentissima repugnatio » nostra contra tentationes est invocatio piissimi ac promptissimi auxi- » liatoris Dei, ut nos adjuvet et in tentationem non inducat, i. e., in- » duci non permittat. » *(De tentationibus, cap. 4; pag. 294).* — « Qui » orat Deum, ut remittat sibi peccata, quod suum est vel potest, lu- » gendo, dolendo, pœnitendo, lacrimando, congruit divinæ bonitati ut » misereatur ipsius, congruit etiam cordi sic parato ut respiciatur a » Deo, eique gratiam suam infundat. » *(De Meritis; pag. 310).*

650. — Alexander Ales, *(an. 1230)*. Respondens objectioni, quod scilicet initium bonæ voluntatis est in nobis, ait: « Ad illud quod dicit » Hieronymus, quod initia bonæ voluntatis in nobis sunt, dicendum » quod Glossa non dicit, quod sunt a nobis, sed in nobis, licet a Deo. » Unde quando homo aperit os cordis, obediendo gratiæ excitanti, Do- » minus gratiam infundit efficaciter volendi. » *(Summa, P. 4, q. 13, M. 2. T. 4, fol. 253)*. Sed, Dominum infundere gratiam efficaciter volendi ei, qui aperit os cordis obediendo gratiæ excitanti, quâ datur initium bonæ voluntatis, est manifeste confiteri hominem posse cum debili gratiâ excitante aliquid actu agere, quo validiorem recipiat gratiam.

Et respondens objectioni Pelagianorum, quod scilicet Deus non juberet, nisi homo facere posset, ait cum S. Augustino: « Non jube- » retur, si nihil ibi nostra voluntas ageret; non oraretur, si sola suffi- » ceret. Non igitur frustra est præceptum, vel prohibitio: quia præ- » ceptum indicat, quod nostra voluntas ibi est necessaria; et oramus, » quia sufficiens non est, ut nobis detur gratia ad implendum præ- » ceptum: quia in voluntate est illud implere cum gratiâ. » *(P. 3, » q. 61, M. 1. fol. 252, col. 1)*. — Et paulo post addit: « Ad aliud Deu- » teron., dicendum quod hoc (quod mandatum non est supra, nec longe » positum, etc.) non dicitur quia homo ipsum possit facere de se; sed » quia Deus semper nobis præsto est, offerens nobis gratiam, quâ pos- » sumus ipsum implere. » *(Loc. cit.)*. Ergo, juxta Alensem, urgente præcepto, quia voluntas de se non est sufficiens ad illud implendum, Deus semper præstò est dans ei vel gratiam immediate sufficientem ad illud implendum, vel saltem gratiam mediate sufficientem, scilicet gratiam orandi. Si qui verò cum hac gratia communi non possent actu orare, sed indigerent prætereà gratiâ per se efficaci, qui solam accipiunt communem, absque suâ culpâ forent in impotentiâ implendi legem; et sic, juxta eumdem Alensem, legis transgressio non posset eis imputari in peccatum. « Est quædam impotentia, *inquit*, prove- » niens ex culpâ; quædam non. Prima impotentia non excusat pec- » catum, quia est effectus peccati; unde imputatur peccatum, quia » peccatum non excusat peccatum. Alia impotentia excusat peccatum » et facit quod non imputetur peccatum. » *(Loc. cit.)*.

651. — S. Bonaventura, *(an. 1275)*. Docet, gratiam actualem, quam vocat gratis datam, omnibus hominibus communiter conferri. « Vix » aut nunquam, *inquit*, liberum arbitrium destituitur omni *gratia gratis* » *data;* quoniam nomine *gratiæ gratis datæ* non solummodo intelligi-

» mus illa quæ enumerat Apostolus, I Cor. XII: *Alii datur per Spi-* » *ritum*, etc.; sed etiam vocatur hic *gratia gratis data*, quidquid illud » sit, quod superadditum est naturalibus, adjuvans aliquo modo et » præparans voluntatem ad habitum vel usum gratiæ, sive illud gratis » datum sit habitus, sicut timor servilis, vel pietas aliquorum visce- » ribus inserta ab infantia, sive sit etiam aliquis actus, sicut aliqua » vocatio vel locutio, qua Deus excitat animam hominis, ut se requirat. » Sine hac quidem gratiâ gratis datâ vix aut nunquam aliquis ha- » bens usum liberi arbitrii reperitur. » *(2 Sent., D. 28, a. 2, q. 1; pag. 682).* Et *(loco cit., q. 2; p. 685):* « Liberum arbitrium nunquam » destituitur omni gratiâ gratis datâ. »

Hæc autem gratia communis et nemini denegata, quam recentiores sufficientem nominant, ejus est naturæ, ut quilibet cum eâ aliquid facere possit in ordine ad gratiæ habitualis receptionem. Relatis enim verbis supradictis, addit S. Doctor: « Tenendum est, quod liberum ar- » bitrium, si excitetur per aliquod donum gratiæ gratis datæ, potest » ad gratiam gratum facientem se de congruo disponere; si autem » omni tali munere contingat ipsum destitui, nunquam posset ad illam » disponi. » *(Loc. cit.).*

Et in responsione ad primam objectionem ejusdem quæstionis, ait: « Liberum arbitrium lapsum nunquam ad Deum converteretur, nisi » aliquo munere gratiæ excitaretur; quod quia præsto est, ideo dicit » Dominus: *Convertimini ad me.* Hoc enim ipso, quod invitat et vocat, » exhibet homini aliquod donum gratuitum, per quod excitetur, et » excitatus aliqualiter ad ipsum convertatur, et conversus per gra- » tiam gratum facientem a Deo acceptetur; et ex hoc dicitur Deus » *converti ad ipsum.* — Unde si quis velit attendere ordinem liberi » arbitrii et gratiæ divinæ, expresse insinuat Augustinus in libro de » Ecclesiasticis Dogmatibus, ponens quatuor gradus, inter quos gratia » prævenit liberum arbitrium. Ait enim sic: *Initium salutis nostræ* » *Deo miserante habemus; ut acquiescamus salutari inspirationi, no-* » *stræ potestatis est; ut adipiscamur quod acquirendum admonitione* » *cognovimus, divini est muneris; ut non labamur, jam adepto salutis* » *munere, sollicitudinis nostræ est et cœlestis pariter adjutorii.* In hoc » ergo verbo, si quis diligenter inspiciat, insinuatur valde clare, quan- » tum possit liberum arbitrium respectu gratiæ. Nam cum sint in » salutis opere ista quatuor, videlicet: *invitare, acquiescere, juvare*, et » *permanere*, primum est inspirationis Dei, secundum libertatis ar- » bitrii, tertium muneris divini, quartum sollicitudinis nostræ, et di- » vini pariter adjutorii. » *(Loc. cit.).*

His verbis patet, juxta S. Bonaventuram, quemlibet posse cum gratiâ communi ad gratiam habitualem se disponere, atque in nostrâ potestate esse salutari inspirationi acquiescere, quin aliâ indigeamus prævia gratiâ per se efficaci. Quare etiam docet, neminem, nisi propriâ culpâ, gratiâ gratum faciente carere. « Gratia (gratum faciens) » præsto est unicuique; nec aliquis caret gratiâ, quia gratia desit sibi, » sed quia ipse deest gratiæ. » *(2 S., D. 28, a. 1, q. 3; pag. 680).*

Agens de mandatorum impletione, atque explanans illud S. Augustini axioma: *Nemo peccat in eo quod non potest vitare*, ait: « *Posse* » *aliquid facere, vel vitare* dupliciter alicui potest attribui. Uno modo » dicitur aliquis aliquid posse, quia *per se* ipsum sine aliquo alieno » suffragio potest illud, sicut aliquis potest comedere, cum est sanus » et habet cibum. Alio modo dicitur aliquis aliquid posse, non solum » quia potest illud *per se* et *in se*, sed quia potest *cum alio*, quod » sibi præsto est; et hoc modo accipiendo *posse*, omne quod Deus » præcipit, in nostra potestate est, quia ipse qui præcipit, præsto est » præbere gratiam adjuvantem, per quam possumus perficere; alio » modo accipiendo *posse*, non omne quod præcipit est in nostra po- » testate. Nec tamen ex hoc excusatur aliquis: sicut si præciperet » dominus servo, quod daret sibi ad bibendum, et ipse non haberet » aquam, si posset eam acquirere, non excusaretur; sic et in propo- » sito intelligendum est, etc. » *(Dist. 28, a. 2, dub. 3; pag. 691).*

Ergo, teste S. Bonaventura, quando urget præceptum, homo quilibet vel accipit quidquid est necessarium ut præceptum perficiat, si velit; vel saltem quidquid est necessarium ut sibi validius auxilium, quo ad legis impletionem indiget, possit acquirere. Sed hoc quid aliud est, nisi manifeste declarare, gratiam omnibus exhibitam ita esse sufficientem, ut quilibet absque alio auxilio communiter non concesso, possit, si velit, saltem uberiorem gratiam a Domino expostulare, quam etiam, si expostulat, recipiet? Et sic optime intelligitur eum, qui legem non implet, a peccato non posse excusari.

652. — Richardus de Mediavilla, *(an. 1290).* Docet, *(2 Sent., D. 28, a. 1, q. 2, pag. 356),* hominem absque supernaturali auxilio non posse se ad gratiam gratum facientem directe et propinque disponere; et in q. 3 ejusdem art., docet hominem lapsum quædam præcepta naturalia, non autem omnia, absque gratia actuali implere posse quoad substantiam, nullum verò præceptum absque gratiâ gratum faciente implere posse quantum ad intentionem præcipientis, ut scilicet opus

fiat ex caritate. Et quæstionem concludit respondendo objectionibus, scilicet, *(pag. 358)*: « Ad tertium dicendum quod mandata Dei dicun» tur non esse supra hominem, quia omni volenti se disponere, Deus » dat gratiam gratum facientem, per quam illa mandata potest implere.

» Ad quartum dicendum, quod ideò non observantes mandata Dei » rei peccati tenentur: quia cum divino adjutorio possent, si vellent, se » ad gratiam gratum facientem disponere: si enim se disposuissent, » Deus eis gratiam gratum facientem contulisset, per quam mandata » sua virtuose possent implere. »

His autem verbis *Mediavilla* manifeste supponit, in potestate arbitrii cujuslibet hominis situm esse, ut cum gratiâ communi, quam reapse accipit, ad gratiam gratum facientem sese directe possit disponere, si velit, eamque a Deo reapse accipere, quin ad eam dispositionem indigeat alterâ gratiâ, quæ non datur omnibus communiter: *nam omni volenti se disponere, Deus dat gratiam gratum facientem; et cum divino adjutorio omnes possent, si vellent, ad gratiam gratum facientem se disponere.* Non enim dici potest, sicut dicunt quidam Thomistæ, hominem posse mandata servare vel se ad gratiam disponere, si velit; sed *ut velit*, præter gratiam communem seu sufficientem requiri gratiam ex se efficacem. Istis enim opponi debet quod de hujusmodi dixit *Aguirre*, ubi agit de verbis S. Augustini, *(L. I Retr., cap. 10)*: *Verum enim est, omnes homines hoc posse* (scil. servare mandata), *si velint. Sed præparatur voluntas a Domino.* « Nugantur vero » adversarii, *inquit*, dum respondent, Augustinum equidem dicere, » *omnes homines posse, si velint*, servare divina præcepta; non tamen » dicere, quod omnes homines velle possint. Nugantur, inquam. Nam » addit S. Doctor, ut vidimus, adversus Pelagianos immediate: *Sed* » *præparatur voluntas a Domino.* Quibus verbis palam testatur, omnes » homines ex vi præparationis divinæ posse velle; non autem ex » viribus arbitrii, ut hæretici illi comminiscebantur. Deinde ipsa pro» positio Augustini esset nugatoria et ridicula, quod omnes homines » possint, *si velint*, nisi præterea velle possint; quemadmodum inanis » et supervacanua esset propositio affirmans, omnes homines posse » volare, *si habeant* alas, nisi præterea alas habere possint. Et sane » tam impossibile est velle sine potestate proxima ad volendum, quam » volare sine proxima potestate ad volandum, quæ præstatur ab alis. » *(Disp. 126, sect. 2, n. 20; p. 518).*

653. — Godefridus de Fontibus, Socius Sorbonicus, *(an. 1290)*. Citatur a pluribus tanquam patronus gratiæ sufficientis in sensu Sor-

bonicorum. Admittit influentiam generalem ordinis supernaturalis omnibus concessam, quam multi pro innatâ suâ libertate repellunt, alii verò sequuntur atque ad gratiam gratum facientem se disponunt, quam ideò consequuntur. — Sed hujus auctoris scriptum, cui titulus *Quodlibeta*, nullibi reperire potui: quare et ejus testimonia afferre supersedeo. *De eo cf. Duplessis d'Argentré, (inter opera Grandin, T. 6, p. 162).*

654.—Henricus Goethals a Gandavo, Socius Sorbonicus, *(an. 1290)*. Docet, Deum gratiam actualem omnibus adultis concedere; qui istâ gratiâ bene utitur, ulteriores accipit gratias, quibus ad justificationem disponitur et ipsam salutem consequitur; qui verò eâ bene non utitur, aliis privatur gratiis. « Quia iste, *inquit*, per liberum arbitrium bene » se habet ad primam gratiam, Deus dat ei secundam; et similiter, » quia se bene habet ad secundam, dat ei tertiam; et sic deinceps » usque ad gloriam... De processu autem gratiæ in adulto ante ba- » ptismum, vel post baptismum in statu peccati mortalis actualis » tenendum est, quod Deus peccatorem gratiâ gratis datâ prævenit » statim, cum venit ad usum liberi arbitrii, ut per deliberationem » aliquid agere possit. Quod si per liberum arbitrium bene se erga » eam habeat, de congruo disponitur, ut Deus ei gratiam justifican- » tem tribuat... Et offertur ista admonitio æqualiter omnibus, ut di- » ctum est. Quam qui a se repellit, reddit se indignum ut amplius » juvetur, sed in peccato suo amplius per hoc induratur juste. Pie » tamen credendum est, quod etiam post peccatum liberi arbitrii prima » gratia pluries visitat, aliter nullus ab illo resurgeret, licet forte » aliquos multum obstinatos de cætero non visitat. Qui verò eam non » repellit, sed sistit, redditur idoneus, ut de congruo juvetur amplius... » Et sicut post primam admonitionem, qua Dominus omninò prævenit » peccatorem, usus bonus liberi arbitrii saltem negative est ratio con- » ferendi primam gratiam gratis datam, et bonus usus circa illam est » ratio conferendi gratiam gratificantem, sic bonus usus circa ipsam » in cooperando est ratio augmentandi ipsam, et bonus usus circa » augmentatam est ratio perficiendi ipsam, et bonus usus circa per- » fectam, ipsam finaliter custodiendo, est ratio gloriam pro gratiâ » conferendi. Et sicut particularis usus liberi arbitrii est ratio partis, » sic totus usus per totam vitam est ratio totius, et finaliter electionis » æternæ. » *(Quodl. 8, q. 5; fol. 307 et 308).*

Et, *Quodl. 4, q. 19, fol. 134*, postquam docuit Deum gratiam gratum facientem omnibus offerre, eamque iis reapse conferre qui adju-

torio gratiæ gratis datæ bene utuntur, rem exemplo illustrat Gandavensis. « Exemplum tamen, *inquit*, sit nobis circa habentes usum » liberi arbitrii: puta sint duo peccatores, vel infideles, quorum corda » (Deus) aliquo motu gratiæ prævenientis stimulet ad aliquod bonum » spirituale credendum, et unus respuat, recalcitret statim et contra- » dicat, alter verò sistat, nec contradicat, non dico quod aliquem mo- » tum in bonum eliciat. Non est congruum quod contradicenti et non » contradicenti æquale fiat; immo contradicens forte mortaliter peccat, » et meretur damnationem... Alter verò nihil meretur omninò, quia » adjutorium gratiæ gratum facientis non habet adhuc. Congruum » tamen est, ut divina liberalitas provideat ei super adjutorio gratiæ » gratum facientis et condonantis peccata, quâ possit salutem suam » promereri; super quo non est æque congruum provideri alteri, eo » quod voluntarie a parato liberaliter conferre gratiam se avertit, alter » vero non. »

Igitur, juxta Gandavensem, infideles omnes, quando ad usum rationis perveniunt, et sæpius etiam postea, necnon et peccatores fideles, accipiunt a Deo prævenientem gratiam, quâ, saltem remote, ad justificationem vocantur. Hæc autem gratia communis, ut ex citatis verbis constat, adeò est complete et proxime sufficiens, ut absque alterius gratiæ auxilio, quilibet possit eâ bene uti, si velit, et ope illius boni usûs, uberiorem accipere gratiam actualem, quacum justificationem consequitur. Hæc autem præveniens gratia, ut patet, est ipsissima gratia sufficiens, quam S. Alphonsus et Sorbonici adstruunt.

655. — Ægidius Columna, Romanus, *(an. 1290)*. Duplicem admittit divinam motionem seu gratiam, communem unam, alteram specialem. *Communis* est, quâ Deus nos prævenit et excitat, ut ad ipsum convertamur, quæque nobis dat potestatem sequendi divinam vocationem, si velimus; se solâ tamen non sufficit ad nostram conversionem actu peragendam, sed ejus bonus usus nos disponit ad ulteriorem gratiam accipiendam, quâ ad conversionem indigemus. *Specialis* est, quâ proxime ad justificationem disponimur; hæc datur iis omnibus et solis, qui gratiâ communi bene utentes, volunt se ad Deum convertere. Sententiâ igitur Ægidii, bonus usus gratiæ communis seu sufficientis est dispositio et via ad gratiam specialem nobis procurandam, sicut docent Sorbonici.

« Dicimus ergo, *inquit*, quod sicut non introducitur forma natu- » ralis, nisi agens naturale primò moveat et disponat materiam ad » ipsam; sic quia gratia (id est, sanctificans) est quid supernaturale,

» nunquam infunditur animæ, nisi agens supernaturale, quod est Deus, » moveat et impellat animam ad susceptionem gratiæ. Iste autem im- » pulsus et iste motus divinus ad gratiam, sunt compunctiones et bonæ » cogitationes quas immittit Deus peccatori non converso, ut conver- » tatur ad ipsum, et quas immittit converso, ut magis convertatur ad » eum. Immissiones autem istæ dici possunt divina pulsatio et divina » statio ad ostium cordis pulsans, ut homo convertatur ad ipsum, et » aperiat sibi januam, ut Deus intret in ipsum, et infundat sibi gra- » tiam: vel istæ immissiones bonarum cogitationum dici possunt di- » vina vocatio, quâ Deus vocat nos intrinsecus, ut sequamur ipsam, » et recipiamus gratiam... Idèo quando Deus sic immittit nobis cogi- » tationes bonas, et sic vocat nos per eas, in potestate nostra est velle » sequi ipsum, vel non sequi. Et si sequamur ipsum, infunditur in » nobis gratia; si non, excludimur ab eâ. Ergo ad infusionem gratiæ » primò præcedit divina vocatio, vel divinarum cogitationum immissio; » postea sequitur liberi arbitrii ad Deum conversio, et postea gratiæ » infusio. » *(2 Sent., D. 28, q. 1, a. 3).*

Et in fine art. 4, ejusdem quæstionis, agens de motione speciali, ait: « Dicimus ergo, quod postquam Deus immisit nobis bonas cogi- » tationes,... dato quod volumus sequi hanc vocationem ut consequa- » mur gratiam, tamen non possumus nisi Deus nos ulterius moveat » ad ipsum. Ita quod post bonas inspirationes, quæ a Deo fiunt, quæ » omnes possunt vocari quædam divina gratia, ut per eas moveamur » ad bonum supra naturam, dato quod per liberum arbitrium velimus » illas bonas inspirationes sequi, et ex hoc adipisci gratiam, non pos- » sumus sine speciali ulteriori motione divina. Habemus enim nos in » consecutione gratiæ ad Deum, sicut se habet puer nesciens scribere » ad scriptorem. Nam puero nescienti scribere non sufficit quod detur » sibi penna et atramentum ad scribendum, sed oportet quod scriptor » capiat manum pueri et ducat eam, ad hoc quod bene scribat. Sic » non sufficit quod Deus inspiret nobis bonas cogitationes, et quod » liberum arbitrium vel voluntas secundum illas bonas cogitationes » velit habere gratiam, sed oportet quod Deus moveat liberum arbi- » trium nostrum supra naturam suam, ut possit consequi gratiam, » quod est bonum supernaturale...

» Quare si volumus hanc similitudinem de puero nesciente scribere » adaptare ad hominem supernaturaliter recipientem gratiam, dice- » mus quod in hoc puero hæc quatuor se habent per ordinem: quia » primo datur puero penna. Secundo ipse accipit et acceptat hanc pen- » nam. Tertio accipit manum pueri et movet eam ut scribat. Ultimo

» omnibus his sic se habentibus, puer scribit etiam nesciens scribere. » Sic est in proposito. Prius immittuntur nobis cogitationes bonæ... » Secundo acceptamus hujusmodi cogitationes et consentimus secun- » dum eas incedere, sed non sufficimus, nisi tota Trinitas et appro- » priate Spiritus Sanctus nos moveat ad suscipiendam gratiam... Tria » ergo præcedunt infusionem gratiæ: bonarum cogitationum divini- » tus inspiratio; bonarum cogitationum meditatio, liberi arbitrii con- » sensus et acceptatio; divina motio, quæ mentem movet ad susci- » piendam gratiam. Ad quæ tria sequitur quartum, videlicet gratiæ » infusio ».

Cum ergo vocatio communis, quâ omnes vocantur, ejus sit naturæ, ut omnes in suâ potestate habeant ei consentire, si velint, specialisque motio detur omnibus qui communi consentiunt, exinde docet Ægidius, neminem excusari posse, si gratiam gratum facientem non accipiat. « Nam licet habentes gratiam habeant eam per divinam misericor- » diam, non habentes autem carent ea per suam culpam; dum tamen » sunt adulti, si semper fecissent, quod in se est, et non restitissent » divinæ motioni et divinæ vocationi, habuissent divinam gratiam, » quam nisi volentes nunquam perdidissent. » *(Loc. cit., a. 3, ad 4).*

656. — Scotus, *(an. 1300).* « Deus, *inquit*, vult omnes homines sal- » vare et salvos fieri, quantum scilicet est ex parte sui, et voluntate » sua antecedente; pro quanto dedit eis dona naturalia, et leges rectas, » et adjutoria communia sufficientia ad salutem... Ita dico quod, etsi » Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad istum salvandum, tamen » vult isti illa adjutoria communia antecedentia ad salutem omnium, » quibus iste etiam potest sufficienter bene vivere et salvari, propter » quæ dici potest, quod quantum est ex parte sui, vult omnes salvos » fieri. » *(I Sent., Dist. 46; pag. 309).* Igitur, juxta Scotum, omnes a Deo recipiunt adjutoria *communia, sufficientia*, quibus omnes suf- ficienter bene vivere possunt. Sed auxilium, quo homo sufficienter bene vivere potest, est auxilium quocum homo actu aliquid boni peragere potest. Quod eò magis etiam inde patet, quod tempore Scoti vocabulum *auxilium sufficiens* in suo sensu obvio et naturali, pro auxilio scilicet præter quod nihil aliud requiritur ad agendum, ab omnibus theologis fuerit acceptum, penitusque ignota fuerit ea coar- ctata significatio, quam posteriores Thomistæ ei affixerunt.

Unde docet Scotus quemlibet adultum posse cum illo auxilio com- muni ad gratiam gratum facientem se disponere. « Deus, *inquit*, ex » liberalitate dabit sibi gratiam, si disponat se quantum in eo est...

» Ideo semper paratus est ad dandam gratiam, et si homo eam re-
» pellat, resistit Spiritui Sancto... Ad aliud concedo, quod illud non
» est peccatum in eo, quod nullo modo vitari potest. Nunc autem licet
» existens in peccato mortali, non possit sufficienter ex se vitare omne
» peccatum, tamen potest se disponere, et tunc Deus dabit sibi gra-
» tiam unde possit. » *(Reportata in II Sent., Dist. 28; p. 223).*

657. — Raynerius de Pisis, *(an. 1301).* Quadruplicem distinguit divinam vocationem, inter quas unam generalissimam ponit, quæ omnibus exhibetur, atque omnibus confert potestatem orandi et salutem desiderandi. « Quarto, *inquit*, Deus vocat naturaliter, quia hominibus
» dedit velle quo velint vocari et salvari. Sicut enim omnibus dedit
» spiritum clamantem *Abba*, *Pater*, quia omnes facit clamare, ita
» omnes universaliter facit velle; tamen quia pauci sunt libero arbi-
» trio in bono utentes, et secundum S. Aug.: *Qui creavit te sine te,*
» *non justificabit te sine te;* concludendum est quod longe satis plures
» erunt vocati quam electi, et damnati, quam salvati. » *(De Electione, cap. 6, T. 1, pag. 735).* Dicendo autem *Deus vocat naturaliter*, dicere non intendit Raynerius quod illa vocatio sit ordinis naturalis; sed dicitur *naturaliter*, quia exhibetur omnibus communiter ratione suæ elevationis in statum supernaturalem. Ipse enim explicite docet, quod « homo per liberum arbitrium, sine gratiâ non potest se ad gratiam
» habendam præparare vel disponere. » *(De lib. arbitrio, cap. 4, T. 2, p. 152);* et « Quæcumque præparatio in homine est, ex Dei auxilio
» est prævenienté, et movente animum ad bonum. » *(De Gratia, cap. 2; T. 1, p. 995).*

Præter generalissimam illam vocationem, specialiorem indicat vocationem, quæ non omnibus datur, quam tamen homo quilibet oratione impetrare potest. « Primo Deus vocat liberaliter. Sicut enim
» nullus illuminatur nisi ipse illuminare velit, ita nullus vocatur, nisi
» ipse vocare velit. Rogandus est ergo Deus ut velit vocare. Sed quia
» pauci ejus vocationi et voluntati obediunt, juxta illud quod dicitur,
» Prov.: *Vocavi et renuistis;* quamvis autem ipse quantum in se est
» omnes vocet, pauci tamen salvantur. » *(De Electione, cap. 6, p. 734).* Et *(De Cruce, cap. 7, T. 1, p. 547)* monet eum qui non trahitur, ut oret ut trahatur: « Et ideo si non traheris, roga ut traharis. »

Docet etiam, quemlibet hominem, si facit quod est in se cum generali divino auxilio, accipere gratiam gratum facientem. « Quamvis
» homo non potest gratiam, qua facit opera meritoria, ex libero arbi-
» trio acquirere, potest tamen se ad gratiam habendam præparare,

» quæ ei a Deo non negabitur, si quod in se est fecerit. Ideo in po-
» testate liberi arbitrii est opera meritoria facere, quamvis potestas
» liberi arbitrii ad hoc per se non sufficiat... Unde ad habendum
» gratiam necesse habet homo facere quod in se est, et ad Deum con-
» verti; quod si fecerit, recipit gratiam; sicut habens oculum capacem
» luminis, si lumen recipere debet, necesse habet se convertere ad
» lumen, si ipse oculus aversus est ab eodem; nec plus requiritur ad
» gratiæ receptionem. » *(De Gratia, cap. 3. T. 1, p. 996).* — « Cum
» quis seipsum ad gratiam præparat, vel disponit, tunc Deus de con-
» gruo illi concedet gratiam. Licet enim aliquis sua virtute non possit
» causare gratiam, quia hoc est solius Dei, tamen potest aliquis fa-
» cere quantum est in se: quo facto, Deus de congruo sibi infundet
» gratiam. » *(De Prædestinatione, cap. 2. T. 2, p. 676).*

Quocirca etiam docet, hominem qui non trahitur, suâ culpâ non trahi: « Unde si homo non trahitur et levatur, non est defectus ex
» parte trahentis, qui quantum in se est, nulli deficit, sed propter
» impedimentum ejus, qui non trahitur. » *(De Cruce, cap. 7. T. 2, p. 547).*

Ex allatis testimoniis manifeste constat, gratiam communem seu sufficientem omnibus generaliter concessam, ex sententiâ Raynerii ejus esse naturæ, ut homo quilibet cum eâ aliquid reapse præstare possit, saltem rogare ut trahatur et vocetur specialiori vocatione, et ut quilibet possit se cum eâ ad gratiam gratum facientem saltem remote disponere.

658. — Nicolaus de Lyra, *(an. 1340).* In verba (Jacob. IV, 8): *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis*, scribit: « Sicut Deus in-
» fluxu generali convertit omnia ad se ipsum, sicut ad finem ultimum
» secundum esse naturæ, sic influxu sapientiali convertit humanam
» naturam ad se, sicut ad finem supernaturalem; et hic influxus spe-
» cialis non est aliqua gratia habitualis, sed est motio divina sive
» instinctus, quâ movet naturam humanam ad bonum meritorium, nec
» denegatur alicui quamdiu est in hac vitâ præsenti. Sed homines
» diversimode ad hunc instinctum se habent: quia aliqui acquiescunt
» et sequuntur, et sic ad gratiam habitualem de congruo disponuntur:
» quibus dispositis Deus dat gratiam habitualem, per quam meritorie
» operantur. Alii vero resistunt instinctui divino, et sic merito eis ha-
» bitualis gratia denegatur. » *(Edit. Veneta, 1588, T. 6, fol. 215).*

Ut patet, juxta Lyranum, omnibus conceditur gratia quædam præveniens, quæ omnes indiscriminatim ad bonum meritorium et ad sa-

lutem invitat; nec aliam Lyranus agnoscit causam cur unus præ alio gratiam habitualem accipiat, nisi quia unus ex determinatione liberi arbitrii, gratiâ hac communi bene utitur, alius verò non. Gratia igitur communis seu sufficiens immediate per se omnibus dat necessaria, ut omnes possint se ad gratiam habitualem saltem remote disponere, eamque reapse acquirere.

659. — Thomas ab Argentina, *(an. 1345)*. « Secundo dico, *inquit*, » quod existens sine gratiâ (id est habituali) potest mereri gratiam » de congruo: quia congruum esse videtur, quod misericors pater pro- » digum et vagabundum filium, quamvis abierit in regionem longin- » quam variis se involvens generibus peccatorum, redeuntem ad gre- » mium paterni domicilii cum pietate suscipiat, et errata volenti cor- » rigere gratiam largiatur. Sed ipse Deus est misericors pater.., pec- » cator verò, qui quantum ad vitæ suæ correctionem facit totum, quod » in se est, assimilatur prædicto filio prodigo dicenti in Evangelio: » *Surgam et vadam ad patrem meum*, etc.... Unde si faceret totum, » quod in se est, etiam si paganus existeret, Deus nunquam dimit- » teret, quin veritatem suæ fidei sibi panderet, et infunderet gratiam... » Modus autem redeundi, seu gratiam consequendi, quamvis in præ- » dicta parabola satis sit expressus: potest tamen dici, quod primo » per gratiam prævenientem ipse Deus admonet per aliquos impetus » spirituales ipsum peccatorem, quorum perceptione ipse peccator in- » cipit reatum suum cognoscere, et aliqualem habere displicentiam » peccatorum; talibus enim admonitionibus Deus stat ad ostium et » pulsat, et petit a nobis nostram conversionem: et quia ex nobis ipsis » converti non possumus, igitur ad ipsum clamare debemus illud: » Converte nos Domine ad te, et convertemur. Ad quod respondet Do- » minus illud: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, id est, » sequimini admonitionem meam, et facite quod in vobis est, et ego » convertar ad vos communicando vobis gratiam meam. » *(II Sent., D. 26 et 27, a. 3, concl. 2; fol. 179, col. 4)*.

Docet ergo Argentinensis, peccatores, etiam paganos, a Deo prævenientem gratiam recipere, quâ quilibet proximam accipit potestatem aliquid actu faciendi in ordine ad suam conversionem, saltem potestatem actu clamandi ad Dominum ut ab eo convertatur; et qui cum eâ gratiâ facit totum quod potest, justificationem consequetur. Igitur, juxta Argentinensem, gratia communis, seu sufficiens, se solâ sufficit ad aliquid actu peragendum, saltem ad orandum.

660. — Petrus Alliacensis, *(an. 1395).* « Secundum Scotum, *in-* » *quit*, Deus dicitur velle antecedenter omnes homines salvos fieri, » quia omnibus dedit dona naturalia et leges rectas et etiam adju- » toria communia sufficientia ad salutem. Et ista vocatur voluntas » antecedens; consequens autem est, qua vult alicui propter sua me- » rita beatitudinem. Sed secundum Ocham et satis conformiter modo » prædicto voluntas Dei antecedens est, quâ dat alicui naturalia vel » antecedentia, quibus potest aliquid consequi, cui etiam paratus est » coagere si ille velit, nec sibi contrarium manifestabit cum præcepto » vel consilio exsequendi... Et ideo dicitur Deus velle antecedenter » omnes homines salvos fieri, quia dat omnibus antecedentia quibus » possunt consequi salutem cum præcepto vel consilio exsequendi, et » nunquam præcipiet eis contrarium et eis erit paratus coagere ad » consequendum salutem. » *(I Sent., q. 14, a. 1, § E).*

His verbis, Alliacensis, non secus ac Scotus, veram pro omnibus agnoscit gratiam sufficientem, quacum omnes possunt, si volunt, actu aliquid facere, et saltem mediate salutem consequi. Ex eo enim quod dicit, Deum omnibus dare antecedentia ut possint operari, et jubere ut operentur, et esse paratum ad coagendum, concursu scilicet simultaneo, si ipsi agere velint, manifeste ostendit ex parte principii nihil aliud desiderari ad actionis positionem, nisi voluntatis consensum auxilio excitanti præstandum.

661. — Dionysius Carthusianus, *(an. 1450).* In II Sent., D. 28, q. 2; T. 2, p. 478, docet cum S. Bonaventura vix ullum reperiri, qui a Deo non accipiat gratiam gratis datam, seu actualem, qua se possit ad gratiam gratum facientem disponere. Deinde, cum eodem S. Bonaventura atque S. Thoma pro certo ponit, neminem absque gratiâ gratis datâ posse se ad gratiam gratum facientem disponere. Deinde, quærens causam cur unus se præparet, alter non, addit: « Dicimus quod » ad gratiam gratum facientem habendam homo ex solo libero arbi- » trio præparare se valet. Faciendo namque quod est in se, gratiam » a Deo consequitur: hoc autem solum in nobis est, quod in potestate » constitutum est nostri liberi arbitrii. Nec his obviat, quod homo non » potest se ad gratiam præparare, nec aliquid boni facere sine Dei » auxilio, propterea exorandus est Deus, ut nos ipsos, et alios ad se » dignetur convertere. Attamen non oportet, quod illud auxilium sem- » per sit per habitum infusum, sed potest esse per multa, quæ exte- » rius occasio sunt salutis, atque per interiorem actum, quem Deus » causat in nobis. »

Igitur juxta Carthusianum, illa gratia quæ omnibus ad salutem communiter conceditur, ita est sufficiens ut per eam in potestate liberi nostri arbitrii constitutum sit, nos ad gratiam habitualem præparare, si velimus, saltem Deum exorando ut nos ad se convertat.

662. — Nicolaus de Orbellis, *(an. 1456)*. Docet, hominem posse gratiam gratum facientem de congruo mereri. « Non habens gratiam, » dicitur eam mereri, cum facit quod in se est: quia ex divina libe- » ralitate ei confertur gratia, quæ magis proprie dicitur dari, quam » ex operibus reddi. » *(II Sent., D. 27)*. Neminem tamen sic posse mereri gratiam habitualem, nisi gratiâ aliquâ actuali præveniatur, quæ omnibus conceditur: « Liberum arbitrium non potest se dispo- » nere ad gratiam gratum facientem, nisi per aliquam gratiam gratis » datam... Ad hoc enim non sufficit generalis motio primi moventis » quam supponit quælibet actio creaturæ. Unde (Joan. VI), dicit Sal- » vator: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit* » *eum*. Sine autem gratiâ aliquo modorum prædictorum acceptâ vix » aut nunquam aliquis habens usum liberi arbitrii reperitur. » *(II Sent., D. 28, fol. 26)*.

Unde docet, præparationem ex libero hominis arbitrio pendere: « Ad primum dico, quod pro tanto dicitur quod hominis est præpa- » rare animam, quia illam præparationem facere potest per liberum » arbitrium, supernaturaliter tamen adjutum. » *(Loc. cit.)*.

663. — Henricus a Gorichem, Doctor Sorbonicus, et Vicecancellarius Universitatis Coloniensis, *(an. 1460)*. Plura conscripsit opera, speciatim *Tractatus consultatorios contra errores Bohemorum*. Quod opus, foliis 85 constans, Coloniæ in officina Quentel, an. 1503, editum, rarissime jam invenitur.

Hic auctor primus est, in cujus scriptis, in tractatu scilicet *De Prædestinatione, (inter Consultatorios)*, explicite invenitur divisio gratiæ actualis in *sufficientem* et *efficacem, (cf. n. 76)*; proinde ex ipso cognosci potest quid doctores, qui istam distinctionem introduxerunt, per gratiam sufficientem et efficacem, intellexerint. Per motionem efficacem eam intelligunt, quæ ex voluntate Dei cum effectu semper conjungitur; per sufficientem verò intelligunt adjutorium efficax in actu primo, quo quilibet potest, si vult, actu operari, et quandoque reapse operatur; et quo, si vult, potest non operari: seu est adjutorium cujus effectus dependet a liberâ voluntatis determinatione.

Scribit: « Deus vult Esau non movere motione gratuitâ efficaci, » ideò non vult dare gratiam gratum facientem: hæc enim connexio » pium interpretem efflagitat. Reminisci igitur oportet quod doctrina » scholæ theologicæ distinguere consuevit duplicem gratuitam motio- » nem divinam, quarum unam vocat motionem efficacem, aliam verò » sufficientem. Sed motionem esse efficacem potest accipi dupliciter: » posset enim per motionem efficacem intelligi quoddam genus mo- » tionis, quo specialiter moventur prædestinati, quæ respersa quodam » suavitatis odore intima viscera animæ fœcundando deiformat et in » cœleste desiderium transformat. Alio modo per motionem efficacem » possumus intelligere talem motionem, quæ assequitur voluntatem » hominis actu ad ejus consensum. Si igitur hoc secundo modo loqua- » mur de motione efficaci, tunc quicumque movetur motione efficaci, » consentit motioni, et vera est hæc connexio: Deus vult Esau non » movere motione gratuita efficaci, ideo non vult dare gratiam. Nam » oppositum consequentis, scilicet Deus vult dare gratiam, non se » compatitur cum antecedente. Si enim vult dare gratiam, vult mo- » vere motione gratuita efficaci. Si vero per motionem efficacem intel- » ligamus motionem divinam altioris ordinis specialiter prædestinatis » appropriatam: considerandum est, quod Deus movet unumquodque » secundum conditionem suæ naturæ. Verisimile igitur est plerumque » contingere nonnullos acquiescere motioni solum sufficienti et non » efficaci. Deus enim nemini motionem sufficientem denegat. Voluntas » autem ex suæ libertatis facultate tali motioni acquiescens gratiam » recipit. Unde multi reprobati multoties diu vivunt in gratia gratum » faciente, a qua tamen finaliter excidunt. Similiter e converso multi » prædestinati diu pulsantur tali motione efficaci et non statim acquie- » scunt; sicut legimus de B. Augustino et pluribus aliis sanctis, qui » diu renitebantur divinæ inspirationi quam ad fidem converterentur. » Talis enim motio licet quadam spirituali suavitate recreat vires » animæ, voluntas tamen ex sua libertate potest consensum suum sus- » pendere. » *(De Prædest., cap. 15; fol. 24).*

His constat, auctores sæculi XV nomine gratiæ sufficientis intellexisse, non auxilium ad sensum Thomistarum, cujus nullus unquam sit effectus deliberatus, nisi insuper data fuerit gratia per se efficax; sed auxilium, quocum homo sæpius bonum aliquod reapse operatur, et quo, saltem mediate, posset si vellet, salutem consequi. Quod idem Henricus, *cap. 9, fol. 22*, jam notaverat: « Jacob prædestinatus, *inquit*, » gratuitâ motione movebatur ad Deum ut consentiret infusioni gratiæ. » Hujusmodi tamen motio nihil subtraxit libertati arbitrii sui; potuis-

» set enim non consensisse. Similiter Esau movebatur gratuitâ mo-
» tione ad consentiendum simul infusioni gratiæ, qui ex libertate
» arbitrii non consentiens, si voluisset, consensisset et gratiam acce-
» pisset, quâ si voluisset bene usus fuisset, et in eadem secundum
» facultatem liberi arbitrii ad finem usque perseverasset, ac per hoc
» æternam gloriam possedisset. Quinimo non irrationabiliter dici pot-
» est quod aliquis reprobatus intensiori motione ad Deum movetur,
» nec tamen consentit. Alius vero prædestinatus, remissiori motione
» divinitus motus, acquiescit motioni et gratiam recipit. Quo non ob-
» stante, posset Deus reprobatos introrsus taliter movere, quod in odorem
» illius motionis currerent et ad æternam patriam tanquam prædesti-
» nati festinarent. Ad quod designandum dici consuevit quod ad ea
» quæ prædestinationis sunt, Deus movet omnes sufficienter, tum solos
» prædestinatos movet efficaciter. »

664. — Gabriel Biel, *(an. 1490)*. Descriptâ voluntatis humanæ infirmitate, ait: « Propter quod, ut dicit S. Bonaventura, vix enim
» aut nunquam liberum arbitrium destituitur omni gratiâ gratis datâ.
» Et ideò licet (voluntas) libera sit ad volendum ac nolendum quod-
» libet sibi præsentatum, rarò tamen bonum vellet, rarò se ad Deum
» converteret, rarò se a delectationibus carnis et mentis inordinatis
» abstraheret, rarò se supra se in finem ultimum elevaret; multò magis
» ad se recurvata suum commodum quæreret, seque finem suum in
» omnibus constitueret, tot difficultatibus et laqueis convoluta, nisi
» specialiter Dei fideli auxilio sustentata... Orandus igitur est Deus
» in omnibus operibus nostris, ut rationem illuminet, ne erret; volun-
» tatem refrenet, ne rationi dissentiat... Nemo quippe suâ industriâ
» tot corporis pericula evaderet, quantò minus animæ. Ideoque ab
» oratione cessandum non est, nec a gratiarum actione pro continuis
» beneficiis Dei, quibus misericorditer nos respicit, fovet, et custodit. »
(II Sent. D. 28, a. 3, fol. 147).

Duplicem gratiam hìc agnoscit Biel, communem quæ nemini denegatur, et specialem. Communis, etsi voluntati de se conferat, ut velle aut nolle sit potens, inspectâ tamen ejus infirmitate, non sufficit proxime ad salutariter operandum aut ad resistendum tentationibus; sufficit verò proxime et immediate ad orandum et ad specialem gratiam, quâ indigemus, petendam. Quare, et ab oratione nunquam cessandum esse docet idem auctor, ut nunquam speciali illâ gratiâ destituamur. Hæc autem doctrina est ipsissima S. Alphonsi doctrina.

665. — Hadrianus VI, *(an. 1500)*. Hic auctor secundus existit, in cujus scriptis gratia communis vocatur *sufficiens*. Sufficientem verò eam intelligit esse, quâ homo, si totis viribus suis vellet laborare, salutem posset reapse consequi. Talem proinde admittit gratiam sufficientem, quacum homo, absque aliâ gratiâ per se efficaci, actu operari potest, si velit.

« Sicut damnatis, *inquit*, nulla est facultas per pœnitentiam reverten-» di ad Dominum, ita peccatoribus in via perditæ vitæ merito adi-» mitur sæpe facultas, sine quâ non sint convertendi. Dico notanter » restricte sine qua non convertentur, non sine quâ converti non po-» terunt, quia eam misericordiam (ut probabiliter teneo) viatoribus » exhibet Deus, quæ sufficienter eis assistit et suam gratiam offert, » quâ, pro extremo saltem virium laborando, possent peccati indulgen-» tiam promereri...

» Quia regulariter homines onus intensi et profundi cogitatûs re-» fugiunt, et a pondere gravi humeros subtrahunt, leve autem libenter » subeunt, paucos invenies, qui ad extremum virium aliquid faciunt. » Ideo si debeant ad Deum carnalia (i. e. peccatores) corda converti, » opus est plusquam sufficienti gratiâ seu divinâ assistentiâ, sed abun-» danti et quæ onus in parte magna alleviat; hanc scilicet gratiam » abundantem ob hominum mala merita quasi indignis sæpe retrahit.» *(In 4^m Sent., De Sacr. Pœnit., fol. 102, verso, et fol. 103).*

666. — Joannes Major, Socius Sorbonicus, *(an. 1508)*. Auxilium Dei speciale duplex distinguit, commune scilicet seu sufficiens, et efficacius. « De Tyriis et Sidoniis dicitur, *inquit:* etiam habebant auxi-» lium Dei speciale, sed non tot sicut illi de Corozaim et Bethsaida. » Si tot habuissent, credidissent. Cuilibet bene utenti naturalibus auxi-» lium sufficiens Deus dat. Non tamen omnes efficaciter trahit, quem-» admodum Paulum cui dixit: *Durum est tibi contra stimulum re-» calcitrare.* Propterea arguitur malitia eorum de Corozaim et Beth-» saida, non quod dicam voluntatem bene posse uti naturalibus ad » actum moraliter bonum et complete circumstantionatum antequam » a Deo specialiter moveantur; sed prius natura a Deo movetur spe-» ciali gratiâ ad bonum quem Deus non deserit..; sed aliquos parum » trahit, alios verò magis. Aliqui verò resistunt, sicut Stephanus di-» cebat Judæis, Act. VII: *Spiritui Sancto semper resistitis.*» *(II Sent., D. 28, q. 1; fol. 124, col. 2).*

Docet bonum usum gratiæ præcedentis esse rationem; cur Deus postea uberiores gratias concedat. Respondens enim objectioni ex

S. Joan. Chrysostomo desumptæ, quod scilicet homo se a se ad gratiam potest præparare, ait: « Chrysostomus intelligit quod Deus non est » causa totalis actus; sed oportet hominem cooperari ad suum actum; » etiam Deus primò dat gratiam ad eliciendum actum, et si homo » bene utatur illa, majorem gratiam dat et priorem auget. Semper per » gratiam in proposito auxilium Dei speciale intelligitur. » *(Loc. cit., ad 23^m, fol. 124, col. 4).*

Docet divinum auxilium esse petendum, præsertim instante tentatione. Respondens objectioni, quod scilicet homo ex se potest tentationi resistere, ait: « Licet homo tentationi possit resistere, non tamen » sine gratiâ. Potest vincere tentationem eliciendo actum contrarium » illius ad quem tentatio inclinabat; resistere est nullum actum habere. Tanta tamen potest esse tentatio quod homo non adjutus non » potest resistere. Sed crescente tentatione implorandum est auxilium » Dei. Non permittit nos tentari ultra id quod possumus (I Cor. X), » et cum hoc dabit victoriam. » *(Loc. cit., ad 24^m, fol. 124, col. 4).* — Hancque primam quæstionem absolvit duas tradendo regulas: « Has » duas accipe receptas, quarum prior est: Roga Deum bono corde, ut » præveniat te dando hoc auxilium, dicendo: Deus in adjutorium meum » intende, etc. » *(fol. 125, col. 1).*

Ut ex allatis testimoniis manifeste patet, Majoris sententia hæc est: Hominem cum solâ gratiâ communi seu sufficienti non posse tentationi semper resistere; posse tamen semper, si velit, ad Deum oratione recurrere ut majus auxilium impetret: quod si facit, certò obtinebit.

Duplex igitur auxilium speciale, seu gratiam actualem, agnoscit, efficaciorem scilicet, et minus efficacem. Ut verò fortius adhuc inculcet, in auxilio minus efficaci seu sufficienti nihil deesse necessariorum ad actu agendum, saltem ad orandum, hominemque qui pereat, non perire propter inopiam sufficientis auxilii, sed unice propter suam pravam voluntatem, rem exemplo illustrat. « Communiter multum, » *inquit*, imo communissime datur auxilium speciale Dei ad bene ope» randum. Et si Deus aliquibus auxilium speciale dat efficacius et » majus quam aliis, nulli facit injuriam nec apparentem quocumque » humano judicio, dummodo cuilibet det illud auxilium ad recte judi» candum et bene operandum, nisi defectus proveniat ex aliquo non » bene utenti; et licet peccet crebrius, adhuc dat ei auxilium ad recte » judicandum de bono et malo et ad pœnitendum.

» Exemplum in simili imaginemur. Nemo potest ire ab urbe Par» rhisiis ad montes hyperboreos vel paradisum terrestrem sine duce

» rectore Sorte. Sortes aliquos multum juvat, et stimulat eos si aber-
» rant, ut ad rectum iter redeant. Omnibus sic pandit iter ut facile
» ipsum tenere valeant; et ipsos visitat de stadio in stadium, ponens
» eos si aberrant, in rectum iter. Et semper Sortes est satis itineranti
» propinquus in recto itinere ad præstandam opem si quæratur. Sed
» aliqui temulentiâ, alii amentiâ, alii gratiâ alicujus voluptatis po-
» tiundæ, iter relinquunt, in Hercyniam silvam, recto itinere relicto, se
» includunt, et ab ursis et bestiis immanibus devorantur. Est-ne istud
» attribuendum negligentiæ vel imperitiæ Sortis, qui sæpe, imò cre-
» briter eos ab errore ad regium iter, quod erat facile pertransitu,
» reduxit. Sic et recte de Domino Deo. Paulum, Magdalenam, et si-
» miles aberrantes a regio itinere in viâ morum, reduxit efficaciter
» ut ad viam regiam redirent, et eis in agendis astitit, qui optime
» usi sunt naturalibus; propterea digni inventi sunt quatenus eis assi-
» steret, etsi non fuissent digniores aliis sibi relictis; tamen eos sti-
» mulavit suo auxilio speciali quatenus in recto itinere incederent.
» Nulli fecit injuriam, sed istis gratiam, reliquis omnibus crebrò, imò
» creberrime dedit auxilium speciale suum et eos ab errore revocavit
» et posuit in rectum iter; et aliqui ad rectum iter auxilio toties præ-
» stito redire noluerunt. » *(Dist. 28, q. 1, fol. 124, col. 1).*

667. — Hieronymus ab Hangesto, Socius Sorbonicus, *(an. 1520).* Gratiam actualem duplicem distinguit, communem scilicet, quam et stimulantem vocat, quæ omnibus hominibus conceditur; et efficacem, quam et necessitantem nominat, (necessitate scilicet quadam morali), quæ omnibus communiter non conceditur. Consensus communi gratiæ præstitus dependet a voluntatis determinatione, non autem ab influxu altioris gratiæ per se efficacis.

« Discas, *inquit*, geminam esse Dei præventionem, quam sacer
» codex edocet: altera est stimulans, necessitans altera. Illi acquie-
» scere aut absentire, liberum est homini; de cujusmodi ait Dominus
» (Apoc. III): *Ecce sto ad ostium et pulso; si quis mihi aperuerit,*
» *intrabo ad illum.* Itaque illius excitationis sono pulsatur a Domino,
» et aperitur ab homine voluntate et consensu. » *(De lib. arbitrio, fol. 68).*

« Quia absque speciali Dei ope nequit viator bonum agere et a
» malo declinare, cur absolute enuntiabitur id esse impossibile, præ-
» sertim cum hujusmodi speciale Dei suffragium ad manum sit ac
» paratum et obvium: imputandumque sit soli peccatori qui suopte
» torpore eo uti negligit: velut qui oblatum amici auxilium recusaret;

» longe enim paratior est ea specialis opitulatio ad agendum bonum » et declinandum a malo necessaria; proinde nequaquam hic locum » habet impossibilitatis nomen. » *(De possibili præceptorum impletione, fol. 8).*

Quod auxilium omnibus datur: « Illud primum specialis auxilii » genus est omnibus viatoribus commune, et quantum est in se æqua- » liter cunctis obvium atque paratum. Aliud autem non sic, sed dis- » pariter a Domino, quibus vult, distribuuntur hujusmodi specialia » dona. » *(Loc. cit., fol. 9).*

Unde et omnes habent veram et expeditam possibilitatem legem servandi et salutem consequendi.

668. — Joannes Driedo a Turnhout, *(an. 1520).* Tria genera distinguit auxilii sufficientis: auxilium scilicet absolute et proxime sufficiens ad conversionem; auxilium proxime et absolute sufficiens ad perseverandum. Hæc duo genera auxiliorum non esse omnibus communiter concessa, docet *cap. 5°, tractatûs 5i, De Captivitate et Redemptione generis humani.* Tertium auxilium sufficiens, quod omnibus hominibus, etiam paganis et obduratis, pro tempore et loco communiter conceditur, mensurâ licet inæquali, non est proxime sufficiens ad perseverandum aut ad bene vivendum; est tamen proxime et immediate se solo sufficiens ad orandum et ad petendum a Deo auxilia illa specialiora, quibus peccator ad conversionem, justus verò ad perseverantiam indiget.

Citatum enim tractatum quintum, in quo multa de gratiâ actuali edisseruit, his verbis absolvit, *(fol. 138, verso):* « Ex superioribus » liquidum est, nos aliud significare cum dicimus hominem habere » sufficiens auxilium quo continenter vivat, et perseveret in eo quod » cœpit: aliud verò cum dicimus hominem jam per gratuitum aliquod » donum posse habere sufficiens auxilium. Quemadmodum aliud est » hominem languidum habere baculum quo sustentetur, aliud est eum » nondum habere, sed posse habere baculum. Potest languidus inter- » dum, qui non habet, implorare adjutorem, qui rogatus sit paratus » aut ducere languidum, aut dare baculum. Sic Deus electis suis ro- » gantibus ipsum paratus est inter tot et tales tentationes dare suffi- » ciens adjutorium, quo valeant omnibus tentationibus resistere, non » succumbere unquam. Rogari ab ipsis vult Deus, qui certe benefacit » bonis et rectis corde, prope quoque est omnibus non otiosis, non » segniter agentibus, non de suis viribus præsumentibus, sed invocan- » tibus eum, et fugientibus ad illum. Proinde si non habeas tantum

» præsidii, ut valeas in eo quod cœpisti perseverare, habes tamen » tale auxilium, quo potes ad id quod nondum habes ascendere; et » ideo si non habeas quo valeas perseverare, ex totis præcordiis ad- » eas Dominum Deum, et ora ut habeas. *Si quis vestrum indiget sa-* » *pientia*, inquit Jacobus, *postulet in fide*, sapientiam appellans, qua » pudice, continenter et recte vivitur. Et secundum hunc modum in- » telligendum est quod solemus dicere de facere quantum in se est, » ut homo ex his quæ in se habet a Deo, faciat quantum potest, ut » ascendat et accipiat cætera quæ nondum habet. Hæc est doctrina » Salvatoris, qui docuit discipulos orare, vigilare semper, et orare ut » non succumbant irruentibus ex improviso tentationum impulsibus. » Ad jam credentes Christus loquitur: Vigilate et orate, pulsate et » aperietur vobis, et id genus aliæ Scripturæ, quibus significatur, quod » homo jam illustratus fidei dono, habeat auxilium quo valeat orare, » et impetrare continentiæ et perseverantiæ dona. Et idcirco, quamvis » nemo possit neque perseverare in fide et caritate, neque continenter » vivere, nisi Deus dederit, tamen imputatur illi si non perseveret, si » non continenter vivat, quia ex fide jam accepta valet vigilare, orare, » et accedere ad thronum gratiæ, ut inveniat auxilium quo adjuvetur, » atque sic dirigatur a Deo, ut perseveranter ac continenter vivat; etc.»

Eamdem doctrinam de gratiâ orandi multis in locis repetit Driedo, ut, v. gr., fol. 126, 127, 137. Porro ex citatis verbis manifestum est, sententiâ Driedonis, gratiam sufficientem omnibus fidelibus etiam peccatoribus (fol. 130), imò et derelictis (fol. 131 et 132), concessam, esse gratiam orationis, quâ solâ, absque alterius gratiæ per se efficacis juvamine, quilibet a Deo uberiores gratias implorare possit et obtinere, sicuti in suo systemate docet S. Alphonsus.

Nec ipsos infideles ab influxu gratiæ sufficientis supernaturalis excludit Driedo, sed docet omnibus conferri quoddam supernaturale auxilium, quo possint facere aliquid, quod si reapse faciunt, ad fidem a Deo trahuntur, *(fol. 130 et 126)*.

669. — Franciscus de Sylvestris, Ferrariensis, *(an. 1528)*. Dilucidans quæstionem S. Thomæ, quod scilicet *rationabiliter imputatur homini si ad Deum non convertatur*, docet omnibus conferri gratiam sufficientem ad sui conversionem peragendam; rationemque cur unus sufficienti consentiat et convertatur, alter verò non, desumit unice ex determinatione voluntatis humanæ; de gratiâ verò ab intrinseco efficaci, quam recentiores Thomistæ necessariam dicunt, ut homo sufficienti valeat bene uti, omninò tacet. Juxta Ferrariensem ergò quilibet

potest, si vult, gratiæ sufficienti consentire absque ope alterius gratiæ prævenientis per se efficacis.

« Ad hujus evidentiam considerandum est, *inquit*, quod cum duplex » sit auxilium quo ad beatitudinis consecutionem indigemus, scilicet » habitualis gratia, et divina motio tam intrinsece quam extrinsece » facta quâ ad bonum dirigimur, et ad gratiæ præparationem exci- » tamur: primum auxilium Deus non omnibus dat, absolute loquendo, » postquam peccaverunt, sed bene omnibus se ad ipsum præparan- » tibus ex divina motione concedit; secundum autem auxilium omnibus » impendit: et nulli quantum ad hoc est absens Deus, cum nullus sit » qui ab eo non moveatur ad bonum et ad gratiæ præparationem, » juxta illud Apoc. III. *Ecce sto ad ostium et pulso.* Sed quia divina » providentia unumquodque secundum naturæ suæ conditionem gu- » bernat et movet, homo autem est liberi arbitrii, potestque divinam » motionem sequi, et non sequi, inde est quod aliqui divinam hanc » motionem sequentes, se ad gratiam præparant; aliqui vero eam non » sequentes, non se præparant ad gratiam, sed magis illi impedimen- » tum præstant peccando. Dicitur ergo Deus paratus esse, quantum » in se est, omnibus gratiam habitualem dare, quia eam omnibus se » ad illam præparantibus vult dare, nullique deest auxilium suum, » ipsum quandoque movens et instigans ad hoc ut se ad gratiam præ- » paret; et ideo bene hìc dicitur, quod meritò homini imputatur si » gratiam et virtutes eam concomitantes non accipiat. » *(Cont. Gentes, L. 3, c. 159; pag. 600).*

670. — Jodocus Clichtoveus, Socius Sorbonicus, *(an. 1529)*. Docet auxilium Dei sufficiens nemini deesse, et quemlibet posse a Deo, si vult, uberiora impetrare auxilia. *(Cf. Duplessis, p. 224).* Et agens contra Lutherum de possibilitate servandi castitatem, ait: « Omninò » negandum est votum castitatis impossibile fieri posse, fatendumque » ingenue, nunquam infirmitatem carnis tantum posse succrescere, ut » quantamcumque adhibuerimus diligentiam illi reluctandi, cogamur » tamen ei demum succumbere, et tandem sævæ libidini manus dare » victas. Nempe si quis ad implorandam opem divinam studiose con- » fugiat; quod non possit homo esse continens nisi Deus dederit, si » etiam sibi ipsi non desit: arma spiritualia ad tutamen castitatis, » sobrietatem, abstinentiam et reliqua id genus munimenta assumens: » tandem lasciviam carnis, adjutore Deo, devincet. » *(Antilutherus, cap. 24, fol. 161).*

Et, *(cap. 27, fol. 167)*, addit: « Non solum illa in nostra dicuntur » esse potestate, quæ nos ipsi ex nobis et naturæ adminiculo facere » possumus, qualia sunt ambulatio, statio, etc.; sed et ea quæ, virtute » Dei adjuvante infirmitatem nostram et suam nobis elargiente gra- » tiam, possumus assequi, quia illa adjutrix hominum Dei gratia, » omnibus eam petentibus et quod in se est pro virili præstantibus, » sit paratissima. Siquidem divinum auxilium nulli illud enixius po- » stulanti denegatur unquam. Castitatis autem donum, etsi solis naturæ » viribus obtineri non possit a nobis.., divino tamen adjutorio, quod » postulantibus semper adest, neque iis refutatur qui toto corde illud » implorant, potest ab omnibus acquiri illibatumque servari. »

Igitur, teste Clichtoveo, gratia sufficiens quæ, instante tentatione, omnibus conceditur, etsi non sufficiat proxime ad ipsam tentationem vincendam, se solâ tamen sufficit ad divinum auxilium implorandum.

671. — Andreas Vega, *(an. 1549)*. In *L. 13, cap. 13, De Justificatione, pag. 523*, admittit auxilia suapte naturâ efficacia, *quibus Deus peculiariter et immediate nostras rebelles ad se convertit voluntates*, et quæ *neque unquam frustrantur aut frustrari possunt a nobis*. Hæc auxilia necessaria sunt ad conversionem.

Præter hæc auxilia omnibus non concessa, alia dantur auxilia omnibus, etiam derelictis, pro tempore et loco concessa, quæ *a plerisque vocantur inefficacia auxilia, quia non semper habent suum effectum, sed plerumque a peccatoribus, propter suæ obstinationem mentis frustrantur*. Auxilia igitur communia et ad conversionem remote sufficientia a theologis ineuntis sæculi XVI vocantur *inefficacia*, non quia nunquam consensum voluntatis obtinent, sed quia plerumque peccatores eisdem uti renuunt. Quandoque tamen suum obtinent effectum, et disponunt ad auxilia efficacia obtinenda. Quare, ut ait Vega, *quicumque peccator potest, cum voluerit, habere auxilium Dei efficax ad resurgendum.*

Juxta Vegam igitur bonus usus auxilii sufficientis dependet a consensu voluntatis, non verò ab alterâ gratiâ præveniente per se efficaci; estque aptissimum medium ad gratiam efficacem obtinendam.

672. — Hieronymus Osorius, Algarbiensis Episcopus, *(an. 1560)*. Agens de prædestinatione, et causam investigans cur gratiæ sufficienti, quæ omnibus confertur, unus consentiat et salvetur, alter verò non consentiat et pereat, respondet, hoc provenire ex liberâ determinatione hominum, quia scilicet unus prævenienti gratiæ ex liberâ suâ

electione respondet, alter verò non. Deinde referens quorumdam opinionem, qui tunc temporis jam cœperant istam differentiam explicare per hoc quod Deus uni præter gratiam sufficientem concedat efficacem ab intrinseco, quæ eum facit consentire sufficienti, alteri verò efficacem non concedat, sine quâ consentire nequit sufficienti, in eos acerrime invehitur.

« Urgent quidam, *inquit*, et nihil remittunt. Id enim ipsum, quod » asserimus, nempe esse cuivis liberum, vel divinis monitis assentiri, » vel non assentiri, non homini, sed Deo tantum esse tribuendum... » Itaque distinctionem miram adhibent. Asserunt enim, aliis quidem » auxilium a Deo sufficiens illud quidem, sed minime efficax afferri, » alios autem efficaciter adjuvari. Ea igitur de causa fieri, ut electi » quidem, divino impulsu commoti, pietatem colant, improbati vero » in impietate persistant. Quamvis enim improbi sufficiens auxilium » habuerint, ita ut, si vellent, absque ullo dubio salvarentur; tamen » vim illam efficacem auxilio divino defuisse; quæ si affuisset, plane » divinæ vocationi assentirentur, atque ita justitiam obtinerent. Vocari » igitur illos ad salutem, non negant; efficaciter vocari, id plane ne- » gant. Itaque concludunt, hoc totum, quod quidam Deo assentiatur, » alius vero minime assentiatur, a Deo effici, qui alium voluit efficaci » ope stabilire, alium vero ope illa efficaci destituit. Quo quid dici » potest absurdius? Primum enim, si non possum assentiri Deo, nisi » Deus ipse, ut assentiar efficiat; tota mihi ad eligendum libertas eri- » pitur. Aut enim hoc mihi liberum est, aut nihil omnino est. Deinde, » quid appellent sufficiens auxilium, non prorsus intelligunt. Nam, si, » quod unus divinæ vocationi assentiatur, alius non assentiatur, hoc » nullo modo ex cujusque electione provenit, sed a Deo tantum, qui » efficit, ut hic vellet assentiri, alius vero nollet, fateantur, necesse » est, neminem assentiri posse, animumque ad obedientiam inducere, » nisi Deus illius voluntatem omnino impellat, atque obedire cogat. » Ergo, nisi mens mea ad assentiendum efficaciter fuerit impulsa, auxi- » lium mihi allatum sufficiens non erit. Ridicule igitur appellant auxi- » lium sufficiens id, quo juvari nullo modo possum. Si velis, inquiunt, » juvabit. Quid refert? Velle enim non possum, nisi Deus, ut velim, » efficiat. Si igitur non facit, ut velim, cum ego sine ope illius velle » non possim, auxilium illud nullo modo sufficiens est. Quorsum igitur » attinet a Deo vocari, qui Deum non potest audire sine illius ope, » eademque omnino ope destituitur? Hoc enim non esset miseros ho- » mines ad salutem vocare, sed eorum miseriis illudere. » *(De Justitia, L. 9. — Opera, T. 2, col. 406).*

673. — Mathias Felisius, Ord. Min., *(an. 1573)*. Gratiam sufficientem omnibus dari docet, et addit: « Homines nihilominus diver» simode se ad istum habent instinctum: aliqui namque illi acquie» scunt, sicque ad gratiam habitualem de congruo disponuntur: quia » facientibus quod in se est, non defore creditur, secundum Augusti» num... Idem dicit: *Si non traheris, ora ut traharis.* Profectò, qui» cumque destitutus est gratia et caritate, non trahitur; si autem per » orationem impetrare liceat, ut trahatur, in confesso est, quod per » orationem homo utique se disponere possit ad gratiam; etc. » *(Institutiones christ., Dist. 26, cap. 20, pag. 388).*

Quilibet igitur cum gratiâ sufficienti saltem orare potest, ut gratiam habitualem de congruo mereatur accipere.

674. — Ludovicus Granatensis, Ord. Præd., (an. 1589). Is inter alia opera *Conciones* edidit *de præcipuis Sanctorum festis*, Antverpiæ anno 1580 editis. Ibi conspicuum reperitur testimonium de mente theologorum sæculi XVI circa gratiam efficacem et sufficientem. Scribit enim:

« Duo auxiliorum genera theologi statuunt, quibus Deus homines » ad se vocare solet: quorum alterum *sufficiens* appellant, alterum » *superabundans*, quodque omnem superat duritiam. Et quidem priori » illo auxilio excitati homines aliquando convertuntur, aliquando con» verti renuunt; hoc autem posteriori, quoniam majoris gratiæ et virtutis » est, nemo non convertitur... Utriusque vero auxilii vim atque natu» ram vobis apertissimo exemplo commonstrabo. Monet Angelus Domini » justum Lot ut e Sodomis egrediatur, secumque filias et generos educat, » quod Dominus civitatem illam demoliri statuerat. Hoc ille nuntium » ad generos detulit, qui tamen visus est eis quasi ludens loqui, et » ideo ab eis contemptus atque neglectus fuit. Cum autem Angeli insta» rent atque urgerent, isque ut generos servaret moram faceret, appre» hensum Angeli foras eduxerunt, et ut seipsum in monte salvum faceret, » moverunt... Ad hunc ergo modum Dominus omnes homines a gehennæ » incendiis et peccati morte liberare volens, quosdam quidem sufficienti » auxilio vocat, quo possent a peccato surgere, si vellent: quorum » tamen multi (ut isti generi Lot) surgere nolunt; alios tamen secun» dum voluntatis suæ beneplacitum majoribus auxiliis vehementio» rique impulsu vocat, qui sic a divina gratia prævenți et potenter » excitati, semper vocanti Domino parent. Et quidem prius illud auxi» lium ad omnes homines quam latissime patere theologi definiunt: » nec id quidem temere faciunt, ut quidam immerito reprehendunt. » Quid enim aliud, illa Salomonis verba indicant: *Sapientia foris*

» *prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat,* » *in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens: Usque quo* » *parvuli diligitis infantiam?* etc. Quibus verbis aperte indicatur, non » minus a divino lumine collustrari animas, quam a radiis solis illumi- » nari corpora. Nec enim minus patet lux Solis justitiæ, qui illuminat » omnem hominem venientem in hunc mundum, quam hujus corporei » solis lumen, qui flammis suis omnia terrarum opera lustrat.

» Ceterum posterius hoc auxilium ad pauciores spectat, ad illos » videlicet, quos divinæ gratiæ liberalitas hoc tanto munere donare » dignatur; quæ cum nemini ad salutem desit, nullique injuriam faciat » qui nihil cuiquam debet, salva integritate justitiæ quosdam illo, » quosdam hoc ad se auxilio vocans, nec illis accusandæ ipsius justitiæ » ansam præbet, et istis amplissimam prædicandæ ejus misericordiæ » materiam tribuit. Hoc igitur superabundanti auxilio et Matthæus » Evangelista et cæteri Apostoli a Domino vocati sunt ». *(Conc. in festum S. Matthæi. Edit. Romæ 1587, vol. II, pag. 256 et 257).*

Hocce testimonio apodictice constat theologos sæculi XVI, qui ante exortas controversias de Auxiliis floruerunt, duplicis generis gratiam excitantem communiter agnovisse: alteram *efficacissimam*, quæ a nullo vel durissimo corde respuatur, sed, propter energiam sibi intrinsecam, cordis duritiam invictissime superet hominesque convertat; alteram *sufficientem* omnibus hominibus abunde concessam, quæ quidem non invictissime corda ad Deum convertat, sed modo convertat, modo non, prout homo ex suæ voluntatis arbitrio eidem consentire voluerit aut noluerit. Gratia igitur sufficiens, juxta communem theologorum sæculi XVI sententiam, ea est, quæ suum effectum quandoque reapse obtinet, cum nempe homo ei libere consentit; et quandoque eo caret, cum nempe homo eidem non consentit. Quod quid aliud est, nisi ipsissima Sorbonicorum et S. Alphonsi doctrina?

674.bis — Multa aliorum antiquiorum theologorum testimonia veram sufficientiam gratiæ communis commendantia videsis apud Thomassinum, *Consensus Scholæ de Gratia*, et apud Duplessis d'Argentré, *Opera Grandin, T. VI.*

Quæ verò suprà retulimus excerpta, ea invicte ostendunt antiquiores scholasticos, præsertim doctores Parisienses, a sæculo XII usque sub finem sæculi XVI non aliam agnovisse gratiam communem seu sufficientem præter illam, cui homo, absque alterius auxilii prævenientis atque per se efficacis adjutorio, possit pro libitu consentire aut non consentire, seque illius bono usu ad uberioris gratiæ receptionem dispo-

nere. Exinde tritum axioma: *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam,* quod antiquiores theologi universaliter de omnibus omninò hominibus intelligunt, quodque in systemate Thomistarum atque Augustinianorum verificari nunquam potest.

B. THEOLOGORUM TESTIMONIA, QUI SYSTEMA ALPHONSIANUM EXPLICITE TRADUNT.

675. — Essentia Alphonsiani systematis in eo consistit, quod duplicem admittat gratiam, ab intrinsecò scilicet efficacem, et sufficientem quâ quilibet, si vult, potest saltem actu orare, atque mediante oratione gratiam efficacem obtinere. Duplex illud divinum præsidium multi docent theologi, ii præsertim qui in almâ Universitate Parisiensi floruere. A sæculo XII doctores istius Scholæ duplicem memoratam gratiam agnoverunt; unde nemini mirandum, si ejusdem Scholæ doctores celeberrimi post exortas controversias de Auxiliis a prædecessorum suorum tramite non aberrantes, nec Thomistis manus dederint nec Molinistis, sed antiquiorum doctrinas sedulò sectantes, gratiam ab intrinsecò efficacem cum gratiâ vere sufficienti amice in suo systemate consociare conati sint.

675.bis — Gonzalez de Albelda, Ord. Præd., *(an. 1621).* Compluti typis mandavit Commentarios in I.^m^ Partem D. Thomæ, qui Neapoli post auctoris mortem an. 1637 denuo fuerunt editi. Cum systemate S. Alphonsi perfecte concordat ejus doctrina, ut supra *n. 428 ss.*, ex ejus testimoniis fuse probatum est.

676. — Philippus Gamachæus, *doctor Sorbonicus.* De *Gratia efficaci* duas ponit et fuse probat assertiones, nimirum: *Assert. I:* « Quam» vis gratia efficax, partialiter inadæquate imperfecte sumpta rejici » possit ab homine, tamen completa et perfecta essentialiter omnibus» que numeris absoluta repudiari omnino non potest, sed simul cum » libero arbitrio elicit certum et infallibiliter assensum. — *Assert. II:* » Efficacia gratiæ primario præcipue consistit in tali congruitate, oppor» tunitate, attemperatione divinæ vocationis cum libero arbitrio, cum » ingenio et sensibus nostris accommodata, ut hac vocatione semel » positâ, sequatur certus et infallibilis hominis consensus, nec possit » moraliter non sequi, spectatis omnibus circumstantiis.» *(In q. 111, cap. 6; p. 380).*

De gratia sufficienti tres ponit conclusiones, quarum prima est: « Gratia sufficiens proprie stricte sumpta in eo consistit, ut homo actu

» habeat non quidem omnia dona et auxilia, quæ ad meritoriam actio-
» nem tanquam ejus principia requiruntur, sed ut potius aliqua ex
» iis actu habeat, quibus excitatus et vocatus cætera omnia favente
» Deo adipisci possit. » — Et probatâ primâ parte assertionis, probat alteram, dicendo: « Posterior etiam probatur, nisi enim hoc dicamus,
» et homo aliquod saltem auxilium habeat, cujus ope cætera Dei dona
» acquirere possit, nulla jam superest ratio cur talis gratia appelletur
» sufficiens, siquidem habere gratiam sufficientem est posse bene agere,
» at non dicitur posse, qui nil omninò habet potentiæ vel facultatis,
» nullam omninò virtutem cujus beneficio cætera ad agendum neces-
» saria consequantur; etc. » *(In q. 111, cap. 5, p. 376).*

Igitur, ope gratiæ sufficientis homo potest cætera adjutoria ad operandum necessaria adipisci. Quare cum communi doctorum sententiâ gratiam sufficientem definit: « Gratia sufficiens ea solum a Scholasticis
» vocatur, quæ vel reipsa caret ac privatur effectu, quamvis habere
» possit, vel certe non semper nec infallibiliter. » *(Loc. cit., cap. 4, pag. 375).* Ergo, si non semper, saltem aliquoties.

677. — Andreas Duvallius, doctor Sorbonicus. Agens de gratiâ efficaci, sic loquitur: «Cum gratia efficax duobus modis spectari possit:
» in *actu primo*, quatenus est quid antecedens suum effectum, et in
» *actu secundo*, quatenus effectum ipsum actu concomitatur, et cum
» eo reipsà conjungitur: ideò duæ traduntur definitiones gratiæ effi-
» cacis, secundum utramque considerationem. Et quidem in actu primo
» definitur: *motio quædam supernaturalis, quæ vim peculiarem et sin-
» gularem inducendi voluntatem hominis ad consentiendum Deo habet.*
» Dicitur 1° motio, quia est species gratiæ excitantis, operantis seu
» prævenientis. 2° Supernaturalis, quia sic cum aliis gratiis actualibus
» convenit, necnon cum ipsa sufficiente. 3° Habens vim peculiarem et
» singularem inducendi voluntatem ad consensum: quo pacto distin-
» guitur a sufficiente, quia etsi sufficiens habeat vim inducendi volun-
» tatem, alias enim esset insufficiens, non tamen peculiariter et sin-
» gulariter; et hinc est quod aliquando privetur suo effectu, ubi efficax
» semper cum eo conjungitur. Utimur verò verbo *inducendi*, quia etsi
» hæc gratia efficax infallibiliter cum suo effectu conjungatur, ipsa
» tamen non cogit, aut necessitat, sed inducit tantum voluntatem ad
» consentiendum, etc. » *(De Gratia, q. 7, a. 1, p. 426).*

In quæstione verò 5ª, gratiam sufficientem eam dicit, quæ quandoque suum obtinet effectum; atque eam gratiam sufficientem, quam ponunt Thomistæ, acriter refutat. Unde et inter gratiam efficacem et

sufficientem non aliam nisi ratione doni et beneficii agnoscit differentiam. « Verior et probabilior sententia est, *inquit*, has duas gratiæ » species distingui tantum ratione doni, et beneficii supernaturalis, » quod videlicet gratia efficax, etiamsi sit eadem entitas cum suffi- » ciente, est tamen beneficium majus et alterius generis, quam sit » gratia sufficiens, cum semper et ubique effectum conversionis attin- » gat, quem tamen non semper attingit sufficiens. » *(Q. 7, a. 2; p. 428).*

678. — Nicolaus Ysambertus, *doctor Sorbonicus.* Gratiæ ab intrinsecò efficacis acerrimus est defensor. *Cf. in q. 111, disp. 5, a. 2, p. 411.* — De gratiâ sufficiente sequentem tradit propositionem: « Gratia » sufficiens consistit in eo, quod det ipsi homini posse bene operari, » et ut bene operetur, si voluntas consentiat, ita ut quod illa non in- » ducat actum supernaturalem, non proveniat ex aliquo defectu vir- » tutis, sed ex negligentiâ voluntatis. » *(In q. 111, disp. 5, art. 1; p. 410).* Quâ probatâ propositione, gratiam sufficientem in sensu Thomistarum impugnat. « Nam sic desinit, *inquit*, esse proprie gratia » sufficiens; tum quia sic non facit proportionem virtutis inter prin- » cipium et effectum; tum etiam quia illud, quod est sufficiens, sum- » ptum præcise ut sic, importat negationem necessitatis alicujus al- » terius rei ex parte principii respectu ejus, ad quod dicitur sufficiens; » alias enim esset potius insufficiens; tum etiam quia gratia sufficiens » eo fine datur nobis a Deo, ut possimus exequi et de facto exequa- » mur præcepta Dei; at ipsum posse non præcipitur nobis, sed ipsum » agere; tum denique quia videtur esse implicatio gratiam sufficien- » tem dare homini potestatem ad agendum, nec tamen ei dare ut agat, » si velit; quia dare subjecto potestatem ad agendum nil aliud est, » quam ordinare illud in genere causæ efficientis ad eum terminum, » quem respicit ut sibi proprium in ratione potentiæ, quemadmodum » constat inductione facta per quaslibet naturales potentias. E contra » non dare suo ipsi subjecto potestatem ad agendum, nec vim ut agat, » est illud non ordinare in genere causæ efficientis ad eum actum, » quem aliàs ipsa potentia potest respicere tanquam sibi proprium; » igitur cum ordinare sic subjectum, et non sic ordinare illud, sint » contradictoria, implicat gratiam esse sufficientem, nec dare suo sub- » jecto ut agat, si consensus voluntatis accedat. » *(Loc. cit.).*

679. — Alphonsus Le Moyne, *doctor Sorbonicus.* Opera salutaria ab oratione seu petitione distinguit. Ad omnia et singula opera salutaria gratiam requirit ab intrinsecò efficacem; ad orandum verò suffi-

cere docet gratiam communem seu sufficientem. Ejus igitur sententiâ, gratia sufficiens omnibus ad salutem concessa, est gratia orandi, quâ oratione quilibet omnes alias gratias ad salutem necessarias sibi certò potest comparare. In hujus suæ doctrinæ defensionem contra Arnaldum, integrum scripsit librum *De Dono orandi*, Parisiis, an. 1650 typis mandatum.

« Duplex vocationis genus, *inquit*, diligenter distinguendum est. » Unum, quo quis eruditur et vocatur, ut proxime credat in Christum: » et qui audit hoc vocationis genere, is discit, credit et venit, secun- » dum perpetuam S. Augustini mentem. » En gratia ab intrinseco efficax, necessaria ad perfectam cordis conversionem, et ad alia opera salutaria.

« Alterum verò genus gratiæ est, per quod homo sollicitatur ad » orandum, et ad quærendum illud singulare et ineffabile donum » gratiæ emollientis cor, dum non conceditur. Istius posterioris gratiæ » mentionem facit S. Augustinus innumeris in locis, sed expressissime » Tract. 26 in Joan., VI: Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui » misit me, traxerit eum, sic disserit: *Magna gratiæ commendatio,* » *nemo venit nisi tractus; quem trahat, et quem non trahat, quare* » *illum trahat, et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis* » *errare. Semel accipe et intellige: non traheris, ora ut traharis...* » Ubi homini qui non trahitur consulit, ut oret ut trahatur. Supponit » enim ei gratiam ad orandum inesse: alias perinde causari posset » is qui non trahitur, sibi deesse gratiam quâ possit orare, ut deest » gratia per quam trahatur ad Patrem: sicque nullo modo conscientiæ » angor ei leniretur. » *(De dono orandi, cap. 1, § 21, pag. 87 et 89).* En gratia sufficiens. — Tanquam suæ doctrinæ patronos allegat Duvallium, Gamachæum atque Ysambertum. *(Introd., pag. 4).*

680. — Isaac Habertus, *doctor Sorbonicus et episcopus Vabrensis* Gratiam efficacem admittit, sicut Gamachæus aliique supra citati. *(Cf. Theol. Patrum Græc., L. 2, cap. 16, p. 296).*

Gratiam sufficientem definit: « Gratiam dispositionis supernaturalis » ad gratiam efficacem, utpote ex cujus bono usu et effectu incom- » pleto Deus postea gratiam, completi effectûs certò productivam, creatæ » voluntati concedat. » *(Loc. cit., cap. 15, p. 289).*

« Gratiam itaque sufficientem, *inquit*, optime describit Schola Sor- » bonica apud Philippum Gamachæum regium theologiæ professorem: » Auxilium gratiæ, ex cujus ope et bono usu homo a Deo excitatus » gratiam efficacem consequi potest. Quod præclare ostendit ex do-

» ctrinâ Tridentinæ Synodi... Auxilia igitur gratiæ sufficientis sunt » dispositiva ad efficacem, et ipsa quoque secundum se spectata pos- » sunt dici efficacia, non simpliciter effectus completi ad justificationem » vel ad meritum, sed efficacia secundum quid, effectûs videlicet in- » completi, inchoati, dispositivi et præparantis, impetrantis, primo re- » mote, propius ac tandem proxime, qualis est actus fidei, actus spei, » actus timoris, servilis primum, deinde filialis, imperfecti primum » dein paulatim perfectioris, atque inter hæc omnia, orationis. Unde » theologiæ celeberrimus professor Alphonsus Lemoïnus, doctor Sor- » bonicus, gratiam illam sufficientem docuit esse gratiam petendi, seu » gratiam orationis, de quâ toties B. Augustinus.... Nos autem, ut » prioribus insistamus vestigiis, ut gratiam ad illa bona opera gratiæ » efficacis auxilium attrahentia actum fidei, spei, timoris, patientiæ, » cujuscumque virtutis simul cum statu orationis perseverantis uno » verbo complectamur, vocamus gratiam illam sufficientem, gratiam » *piæ dispositionis:* cujus sibi succedentibus variis motibus respon- » dendo, iisque bene utendo, quod a nostrâ voluntate post eam con- » cessam pendet, gratiam efficacem comparatum iri Deo favente spe- » ramus et credimus. Sic autem se rem habere præsertim ex præcipuo » et frequentiori ipsius effectu ad quem maxime inclinat, nimirum ex » oratione et precatione, tam secundum B. Augustini quam Græcorum » Patrum hactenus inexploratam mentem, tradituri ac explanaturi » sumus. » *(Loc. cit., § 3; p. 290).*

681. — Bedianus Morange, *doctor Sorbonicus.* In sua *Summa universæ theologiæ, Tom. 2,* gratiam sufficientem definit: « Ea, quæ vires » sufficientes homini præbet ad bene operandum, ita ut tamen non » semper operetur, quia ipsi resistere possumus. » Gratiam verò effi- cacem: « Ea, cum quâ ita potest homo bene operari, ut reipsâ semper » atque infallibiliter bene operetur. » *(Pag. 205).*

Deinde utramque gratiam fusius explicans docet, gratiam suffi- cientem non esse semper gratiam bene operandi, sed esse persæpe tantum gratiam postulandi et pie orandi, quæ est saltem remote suf- ficiens ad salutem, quia petentibus Deus concedit uberiora auxilia; *(pag. 214).* Gratiam verò efficacem describit: « Est illustratio intel- » lectûs, et pia motio voluntatis divinitus immissa, per quam fit infal- » libiliter et invincibiliter ut creata voluntas velit, et operetur bonum. » *(pag. 224).*

682. — Du Hamel, *doctor Sorbonicus.* Expositâ distinctione gratiæ in auxilium sufficiens et efficax, addit: « Utrumque genus auxiliorum

» agnoscimus, simul et fatemur per gratiam sufficientem nobis poten- » tiam proximam et expeditam sic tribui, ut ejus ope persæpe ope- » remur. » *(Theol., De Gr., L. 4, cap. 4; p. 667).*

Sæpius etiam testatur hominem cum gratiâ sufficienti orare posse, si velit. « Quod si interdum evenit ut vires nostræ sint imbecilliores » quam ut tentationem superemus, nobis præsto est oratio. » *(Loc. cit., cap. 6, concl. 3, p. 691).* Et objectioni cuidam respondens, ait: « Fru- » stra auxilium petentibus promitti, si petendi gratia non conceditur. » *(Loc. cit., p. 692).*

683. — Antonius Boucat, *Ord. S. Francisci de Paula, et doctor Parisiensis.* Multis argumentis probat gratiam esse efficacem ab intrinsecò et per se. *(Theol. Patrum, De Gr., Diss. 3, a. 4, sect. 3, § 1; T. 3, p. 228).* Dum verò de gratia sufficienti quæstionem movet, *(loc. cit., art. 2, sect. 4, p. 140)*, eam admittit quacum, si volumus, quædam leviora reapse facere valemus. Assertum multis etiam probat argumentis, et allegat Duplessis d'Argentré, Gamachæum, Duvallium, Is. Habertum, Le Moyne, Deligny, Norisium, Tournely, quorum etiam dicta hac de re refert.

684. — Honoratus Tournely, *doctor Sorbonicus.* Inquirit: *An gratia sufficiens sine novo Dei auxilio præveniente suum aliquando effectum assequatur? (De Gr., q. 7, art. 4; p. 542).*

Datâ primâ conclusione contra Jansenistas, quatuor alias adjicit conclusiones:

« *Concl. II:* Rejicienda gratia sufficiens ad sensum Molinæ, quæ » nempe sufficit ad singulos pietatis actus immediate exercendos.

» *Concl. III.* Non placet gratia sufficiens, quæ nunquam imme- » diate suum effectum sortitur, defectu gratiæ efficacis physice præde- » terminantis.

» *Concl. IV.* Nec admittenda quoque videtur nobis gratia sufficiens » Congruistarum.

» *Concl. V.* Admittenda est gratia sufficiens, quæ ita immediate » sufficiat, seu ad facilia quædam implenda, seu ad impetrandum per » orationem uberius Dei auxilium, quo difficiliora impleantur, ut ali- » quando suum de facto producat effectum. » Et ultimam hanc conclusionem fuse probat.

685. — Montanius, *ex Soc. S. Sulp., doctor Parisiensis.* Prælectiones Tournelii De Gratia in compendium redegit, ita tamen ut

Magistri doctrinas sæpius adhuc evolveret perfectius. Tournelii sententiam de gratia sufficienti sequitur, *P. II, q. 5, § 7.* Hoc Tournelii compendium de Gratiâ S. Doctor noster Alphonsus magni fecit, eoque, sicut ex ejus scriptis manifeste constat, in materiâ de divinis auxiliis præsertim usus est.

686. — Duplessis d'Argentré, *doctor Sorbonicus et episc. Tullensis.* Opera Martini Grandin edidit, quibus in vol. 6° varias adjecit disputationes, unam speciatim *De multiplici genere divinæ gratiæ,* in quâ duplicem defendit gratiam sicut in systemate S. Alphonsi. Catalogum in eodem volumine exaravit theologorum, qui ab anno 1125 ad annum usque 1700 de gratiâ scripserunt, eorumque testimonia de verâ sufficientiâ gratiæ sufficientis refert.

687. — Claudius Frassen, *Ord. Min., et Doctor Sorbonicus.* Disputationem de gratiæ efficacis naturâ non instituit; gratiam tamen ab intrinsecò efficacem admittit; sufficientem approbat sicut Sorbonici. « Conveniunt gratia sufficiens et efficax, *inquit,* quod utraque » non solum det posse agere, et conferat potestatem ad operandum, » sed etiam ordinentur ad ipsam operationem ex intentione Dei: non » enim probare possum id quod quidam affirmant: nempe gratiam » sufficientem ordinari dumtaxat ad potentiam operandi, non autem » ad operationem ipsam... Enim verò gratia sufficiens in eo convenit » cum efficaci, quod utraque ordinetur ad actum; ab ea verò discre- » pat, quod efficax semper habeat annexum sibi consensum volun- » tatis, sufficiens verò plerumque non sortiatur effectum: quod utique » non provenit ex aliquo defectu virtutis, sed præsertim ex reluctа- » tione et negligentiâ voluntatis. » *(De Gr., disp. 2, a. 3, sect. 4. Scotus Acad., T. 9, p. 235).* Quod suum assertum argumentis roborat.

688. — Henricus Norisius, *Cardinalis.* Ab auctore anonymo insimulatus hæresis jansenianæ, eò quod in suis Vindiciis de doctrinâ S. Augustini docuerat, etiam justis gratiam proxime sufficientem ad tentationem superandam quandoque deesse, in suî defensionem dissertationem conscripsit: *Janseniani erroris calumnia sublata.* (Opera, T. 3, p. 1057).

Duplicem admittit gratiam sufficientem, *proxime* sufficientem, quæ est semper efficax; et *remote* sufficientem, quæ non sufficit ad tentationem immediate superandam, sed quæ sufficit tamen ad divinum auxilium impetrandum. « Auxilium remotum ad illam tentationem vin-

» cendam, *inquit*, est gratia orationis, qua possumus impetrare a Deo » auxilium tantum, quantum necessarium est ad resistendum tenta- » tioni. » *(Loc. cit., c. 2, p. 1067)*. Hanc autem orandi gratiam esse admittendam, fuse et invicte probat.

689. — Ludovicus Thomassinus, *Congr. Orat.* Gratiam ab intrinsecò efficacem admittit; ejusque efficacitatem desumit ex conspiratione multorum auxiliorum tam internorum quam externorum. *(Consensus Scholæ, cap. 20 et seq. — Dogm. theol., T. 3, p. 408)*.

Gratiam communem seu sufficientem agnoscit in sensu Sorbonicorum, longamque texit seriem theologorum, qui a S. Anselmo ad annum usque 1665 claruere, quorum dicta de gratiâ sufficienti examinat, fateturque se nullum reperisse, qui gratiam sufficientem in sensu Thomistarum admittat, sed « omnibus ea placuere sufficientia auxilia, » vere sufficientia, quibus assentitur quandoque voluntas, quandoque » non assentitur. » *(P. 499)*.

690. — Joseph ab Expectatione, *Ord. S. Ben.* Gratiam efficacem admittit et explicat per conspirationem multorum auxiliorum, sicut Thomassinus. *(Systema theologicum. Tr. de Gratiæ efficacitate, art. 3; p. 316)*.

De gratiâ sufficienti sic loquitur: « Gratia ex sese efficax... ne- » cessaria non est ad omnes et singulos pietatis actus, sed ad diffi- » ciliores dumtaxat, uti sunt peccatorum conversio, in bono perseve- » rantia, martyrium, flagrantissimarum tentationum victoria... Præter » gratiam intima sua vi efficacem, datur alia libero hominum arbitrio » commissa, cui et interdum resistunt, et aliquando non resistunt...

» Ipse S. Augustinus passim distinguit inter gratiam orationis et » actionis; inter opera facilia, et difficilia; inter illa, quæ possumus » immediate, et ea, quæ non possumus nisi mediate per orationem » uberius auxilium a Deo impetrando: quorsum igitur hæ distinctio- » nes, si gratiam per se efficacem ad omne pietatis opus sive facile, » sive difficile pariter necessarium existimasset S. Doctor, etc. » *(Loc. cit., a. 1, coroll. 4, p. 290)*.

691. — Gregorius Moretus, *Ord. Min. De Gratiâ Christi, Disp. 5, q. 1, pag. 152*, hanc probat propositionem: « Admittenda est in præ- » senti statu naturæ lapsæ gratia per se et ab intrinsecâ virtute effi- » cax. » — Et *q. 3, art. 3, pag. 227*, hujus gratiæ efficacitatem explicans, ponit propositionem: « Gratiæ efficacia videtur repetenda ex

» speciali quadam congruitate cum hominis voluntate, ipsi gratiæ in-» trinsecâ, quâ fit, ut vim habeat certò et infallibiliter obtinendi con-» sensum ejus: quæ virtus in delectatione quadam cœlesti et victrice » præsertim sita est. »

Perscrutans naturam gratiæ sufficientis, *Disp. 4, q. 2, p. 130*, duas probat propositiones. « I. Gratia sufficiens, ut suum sortiatur effectum, » non indiget gratiâ efficaci physice prædeterminante. — II. Gratia suf-» ficiens ita immediate sufficit, seu ad facilia quædam exequenda, seu » ad impetrandum per orationem uberius Dei auxilium, quo diffici-» liora impleantur, ut aliquando suum producat effectum. » Et in fine probationis hujus secundæ propositionis ait: « Gratia sufficiens est » gratia dispositionis supernaturalis ad gratiam efficacem certò con-» sequendam, pro bono usu gratiæ sufficientis: ergo homo interdum » bene utitur gratiâ sufficiente, non tantum negativè, ipsi non resi-» stendo, sed positivè, operando id, ad quod gratia illa vires pares et » sufficientes suppeditat. » *(Pag. 133)*.

692. — Petrocorenses, seu *Theologia speculativa et dogmatica ad usum seminarii Petrocorensis*, absque auctoris nomine. Hujus libri auctor est *De Serre*, de quo testatur Duplessis, pag. 361: « Ex recen-» tioribus theologis, nemo ad veterum Scholasticorum mentem de na-» turâ tum efficacis tum sufficientis gratiæ, ab efficaci diversæ, pro-» pius accedit, quam doctissimus ille auctor, cui adscribitur *Theolo-» gia speculativa et dogmatica, etc.* »

Lib. 6, cap. 3, q. 1, pag. 439, probat admittendam esse gratiam per se, et ex parte divinæ ordinationis efficacem. — *Q. 2, p. 465*, probat gratiæ efficacitatem desumi ex præmotione physicâ simul et morali. — *Q. 3, p. 485*, docet contra Jansenistas, admittendam esse gratiam sufficientem; deinde, *pag. 489*, inquirens de naturâ hujus gratiæ, ait: « Dico, sufficientem gratiam non solum vim et potentiam ad bene » agendum tribuere, sed etiam effectum suum aliquando consequi. » Quam propositionem fuse probat.

693. — Ex recentioribus theologis, pro nostrâ sententiâ allegari debent: Schwetz, cujus verba supra *(n. 504)* jam retulimus; et qui agens de gratiâ sufficienti, ait: « Admittenda est gratia sufficiens, » quæ ita immediate sufficiat, sive ad faciliora quædam implenda, » sive ad impetrandum per orationem uberius Dei auxilium, quo dif-» ficiliora impleantur, ut aliquando suum revera effectum habeat. » Etenim, etc. » *(De Gr., art. 2, § 108; p. 466)*.

Martinet, De Gr., art. 6, § 4 in fine, T. 4, p. 80.

Knoll, *(Albertus a Bulsano) Ord. Min.*, Theol.; De Gr., Sect. 1, cap. 3, a. 2, § 435.

Dalponte, Compendium theol. dogm., n. 666; pag. 462.

Decalonne, Système de S. Liguori sur la grâce.

Katschthaler, Card., archiep. Salisburgen., expositis diversis systematibus, exponit et systema S. Alphonsi, quod *syncretisticum* vocat, *(Theol., P. 3, P. I, n. 147 et ss.)*. Nullum amplectitur, sed addit *(n. 149)*: « Ego, si necesse esset, uni alterive horum systematum assensum præ» bere, accederem theologis, qui *syncretisticum* systema amplectuntur. »

C. ADVERSARIORUM TESTIMONIA.

694. — Sufficientis gratiæ, quam defendimus, adversarios habemus Thomistas et rigidiores Augustinianos, qui ad omnes et singulos actus salutares expostulant gratiam ab intrinsecò efficacem. Porrò ex horum dictis, si sumantur uti sonant, et nisi sibi ipsi velint contradicere, stricte evincitur, eam esse admittendam gratiam sufficientem, quacum homo, si velit, aliquod bonum facere potest et aliquandò reapse facit.

695. — 1° Thomistæ et Augustiniani, non secus ac alii Scholastici tam antiquiores quam recentiores, admittunt axioma: *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam.* Quod axioma ab omnibus intelligitur non de potentiâ aliquid faciendi: hæc omnibus est communis et nemini denegatur; sed de reali et actuali positione alicujus actûs ex liberâ determinatione voluntatis: secus enim non foret ratio dandi gratiam uni præ alio. Potest igitur quilibet homo aliquid actu facere, quo facto gratia (sive justificans sive uberior actualis, juxta dicta n. 287 et ss.), ei non denegabitur. Si quis enim absolute non posset actu præstare, quod ad gratiam recipiendam necessariò prærequiritur, absque propriâ culpâ gratiâ careret, ejusque perditio soli Deo auxilium deneganti foret adscribenda.

Jamverò, prædictum axioma explicari nequit de faciente quod est in se, ex solius naturæ viribus: sic enim instauraretur Pelagianismus. Nec intelligi potest de solâ gratiâ ab intrinsecò efficaci: hæc non omnibus datur, secus omnes indiscriminatim facerent quod est in se, et salvarentur, cum gratia ab intrinsecò efficax suo nunquam frustretur effectu. Debet ergò necessariò intelligi de faciente quod est in se ex viribus gratiæ sufficientis, quæ omnibus communiter conceditur, et cujusque libero arbitrio committitur. Nisi igitur Thomistæ

et Augustiniani illud axioma omninò rejicere, aut ad sensum absurdum plane ac inauditum detorquere velint, concedant necesse est quemlibet hominem posse cum gratiâ sufficienti aliquid actu facere, quo præstito, gratia ulterior ei non denegabitur. Unde recte ait Barth. Medina: « Qui amplectitur sufficiens auxilium, excitatus a divinâ » gratiâ, et eo recte usus fuerit, habebit auxilium efficax fidei et ca- » ritatis, quo efficaciter convertatur ad Deum: et hunc sensum præ- » tendit D. Thomas, quando dicit, 1. 2, q. 109, a. 6, quod facienti quod » in se est ex divino auxilio, Deus non denegat gratiam, id est, recte » utenti auxilio suffficienti, et divinâ inspiratione, absque dubio da- » bitur auxilium gratiæ efficax. » *(In q. 109, a. 10, in fine; p. 606).*

696. — 2° Thomistæ fere omnes sicut et Augustiniani, quando de gratiâ sufficienti sermonem instituunt, docent quemlibet hominem posse per bonum usum gratiæ sufficientis obtinere gratiam efficacem; quemlibet posse cum gratiâ sufficienti orare, et per orationem a Deo promereri gratiam efficacem et perseverantiam.

697. — Salmanticenses: « In hoc statu (naturæ lapsæ) habemus » gratiam repromissam, quam si postulemus, sicut oportet, et ut possu- » mus per lumen fidei, certò et infallibiliter eam assequemur, quantum » necessarium est ad adimplenda, quæ supra vires naturæ nobis præ- » cipiuntur. Et hoc est quod ait Concilium Tridentinum, Sess. 6, cap. 11: » *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis,* » *et petere quod non possis, et adjuvat, ut possis.* Quod si in hoc » statu dentur aliqui prorsus ignari prædictæ promissionis, omnique » supernaturali auxilio destituti, ita ut non sit in eorum potestate pe- » tere, sicut oportet ad gratiam consequendam, neque Deus eam ultro » largiatur; eo ipso non tenebuntur ad aliquid, quod naturales vires » superexcedat. » *(De Gr., disp. 2, dub. 3, n. 112. T. 9, p. 197).*

698. — Gotti: « In potestate hominis aliquo modo dicitur esse, » quod ipse per Dei gratiam potest habere, et ab eo petere, ac obtinere: » et hoc modo in hominis justi potestate dici potest esse, ut habeat » auxilium ad perseverandum usque in finem necessarium, videlicet, » illud impetrando vigiliis, eleemosynis, orationibus, bonis operibus, » ut docet Tridentinum...

» Quamvis autem etiam ad orandum, etc., ut oportet, requiratur » adjutorium gratiæ Dei; attamen quoniam justus quilibet habet gra- » tiam sufficientem, quâ potest tum orare, tum alia bona facere, gra- » tiam nempe justificantem, ac virtutes ei annexas, frequentesque in- » spirationes, excitationes, motiones: quibus si (ut cum Dei gratia » potest) bene utatur, Deus in eo perficiet quod cœpit, dabitque ulte-

» riora ad perseverandum auxilia: ideo si hæc omittat, et auxilio » ulteriori careat, suo vitio omittit, et suâ culpâ ulteriori illo auxilio » caret. » *(De Gr., q. 1, dub. 13, § 3, n. 20; T. 9, p. 107).*

699. — Billuart: « Auxilium sufficiens remotum est, quo quis non » est quidem proxime potens ad actum, sed tamen potest facere ali- » quid facilius, quod si faciat, perveniet ad actum; v. gr., peccator » non est proxime potens ad superandas graves tentationes, sed po- » test per gratiam orare, quod si faciat, fiet proxime potens ad vin- » cendas tentationes. Hanc differentiam indicat Trid., Sess. 6, cap. 11 » ex S. Aug., cum dicit: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo » monet et facere quod possis, et petere quod non possis.* » *(De Gr., Diss. 5, a. 5; p. 141).*

700. — Gazzaniga: « Si homo primis gratiæ motibus minime re- » sistat, sed pro modulo suo cooperetur, tunc per gratiam fit, ut S. Au- » gustinus ait, *ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, et » tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, quæ voluerit, cum » valde perfecteque voluerit.* Quod si, contra, bonas illas motiones, per » modum dispositionis a gratiâ excitatas, homo sua perversitate re- » tundat atque extinguat, sibi ipsi imputare tunc debet, quod Deus » ab uberioribus et efficacibus gratiis infundendis se juste contineat. » *(De Gr., Diss. 6, cap. 6, n. 221).*

Eadem proferunt multi Thomistæ, et recte quidem, « quia, *ut ait » Zumel*, alias non diceretur esse possibile homini converti ad Deum, » vel pœnitere, etc., si neque haberet præmotionem Dei efficacem, » neque potestatem aut viam ullam habendi eam, quia hoc est ne- » cessarium ut homini attribuatur quod non convertitur, aut quod non » implet supernaturale præceptum. Et juxta hanc doctrinam et ratio- » nem Trid., Sess. 6, cap. 11, ait: præcepta Dei esse possibilia, quia » vel præcipiunt, ut faciat homo quod potest, vel ut petat quod non » potest; et sane Deus quantum in se est semper adjuvat, ut possit, » nec deserit hominem, nisi prius homo deserat ipsum. » *(Variæ disp., Sect. 2, concl. 5, T. 3, p. 68).*

Non absimilia docent plerique Augustiniani rigidiores.

701. — Aguirre, *Disp. 127, pag. 534*, fuse probat hanc propositio- nem: « Omnibus adultis absque exceptione conferri a Deo auxilia » ad salutem sufficientia, saltem remote, quibus impetrare possint » proxima. »

702. — Gibbon: « Non requiri ad rationem auxilii sufficientis » habere proxime et in actu omnia, quæ necessaria sunt ad posse » proxime operari; sed sufficere, si quis illa habeat in potentiâ, ita

» ut in potestate ipsius sit, illa a Deo impetrare, si velit: hoc enim » modo nonnulli, qui de facto non habent nisi auxilium tantum re- » mote sufficiens ad adimplendum præceptum, libere peccant illud » violando, quia habent in suâ potestate impetrare a Deo proximiora » auxilia: idque colligitur ex Trid., Sess. 6, cap. 11, *Deus impossibilia* » *non jubet*... Quibus verbis Concilium supponit, posse contingere, ut » quis non habeat actu, quæ necessaria sunt in actu primo ad ope- » randum; sufficere tamen ad illum obligandum, si sit in ejus pote- » state, illa a Deo petere, et impetrare. » *(De Gr., disp. 34, dub. ult., T. 3, p. 441).*

703. — Grandin, *De Gr., q. 3, sect. 5, obj. 2 et 3*, gratiam orandi valde commendat, eamque nemini denegari sæpius affirmat. *(Pag. 149):* « Adverte, *inquit*, sicut aliæ gratiæ aliis commodiores sunt, suntque » magis idoneæ obtinendo suo effectui, ita præsente gratia sufficiente » aliam postulari gratiam, nec frustra postulari... Adverte 2°: posse » deesse gratiam ad operandum, cum gratia ad petendum et orandum » præsto est; nam petendi gratia quoddam est initium gratiæ etc. »

(Pag. 150): « Aliud est quo possimus, aliud quo poscimus; hoc » orando impetramus, illud nobis, ut oremus, ante omnem orationem » nostram Deus indulget. »

(Pag. 151 et 152), respondens difficultatibus ex S. Augustino allatis, ait, ad 5ᵐ: « Ubi S. Augustinus si desit operandi virtus, saltem petendæ » gratiæ potentiam supponit, dum hortatur ad petendum. » — Ad 6ᵐ: « Solum ostendit non sufficere solam voluntatem ad operandum, sed » non negat adesse gratiam, quâ vis operandi impetretur. »

(Pag. 153): « Deesse potest commodior (gratia), sed non omnis » deest, et si desit operandi gratia, non deest gratia petendi. » Deinde probat nulli deesse gratiam orandi.

704. — Hisce verbis, si sumantur prout sonant in sensu suo obvio et naturali, Thomistæ atque Augustiniani aperte docent, non secus atque S. Alphonsus, hominem posse cum gratiâ sufficienti seu communi ulteriora auxilia, seu gratias efficaces, impetrare, quibus indiget ad legem servandam et salutem consequendam. Unde sic:

Quando talia proferunt Thomistæ et Augustiniani, vel seriò docere intendunt hominem ope solius gratiæ sufficientis posse reapse orare, si velit, quin alterâ indigeat præveniente gratiâ ex se efficaci, atque per illam orationem uberiora auxilia ad salutem necessaria reapse impetrare et obtinere. Vel intendunt loqui de solâ potestate orandi in actu primo, quæ potestas est per se irreductibilis ad actum secun-

dum, nisi supervenerit motio gratiæ per se efficacis, sicut docent ubi in suo systemate naturam gratiæ sufficientis explanant.

Si primum: nobiscum consentiunt, et ablata est disputandi causa. Si enim nobis concedunt, quemlibet hominem, urgente præcepto, posse cum gratiâ sufficienti, quæ tunc omnibus præsto est, reapse orare, atque gratiam operis impetrare et reapse *certò et infallibiliter consequi*, ut dicunt Salmanticenses supra citati, ipsis amice consentimus, et utraque manu eorum sententiæ subscribimus. Sed tunc, quomodo suis systematibus non contradicant, non satis patet.

Si secundum: verbis ludunt, et auditoribus fucum faciunt. Cum enim docent quemlibet ope gratiæ sufficientis orare posse, atque obtinere uberiora auxilia ad salutem necessaria, hæc dicunt tum ut sese SS. Scripturis conforment, in quibus auxilium petentibus promittitur: « Habemus gratiam repromissam, *aiunt Salmanticenses, supra citati*, » quam si postulemus, sicut oportet, certò et infallibiliter assequemur » quantum necessarium est ad implenda quæ præcipiuntur; » tum ut explicare valeant quonam modo homo, qui gratiâ efficaci caret, eâ careat culpâ suâ, et culpâ suâ damnetur, quia, teste Zumel supra citato, qui nec motionem efficacem habet, nec ullum medium eam habendi, is, si legem non implet, nullatenus reus est peccati.

705. — Porro, si gratia sufficiens se solâ non sufficiat ad actu orandum, sed prærequiratur gratia de se efficax, intentum non assequuntur. Gratia enim a Christo repromissa est petentibus, non verò potentibus petere; repromissa est ipsi orationi, non verò possibilitati orandi. Si igitur habentes solum auxilium sufficiens actu orare nequeant, quomodo possunt seriò intelligi exhortationes Christi ad orandum et postulandum, necnon et repromissiones dandi gratiam omnibus qui eam postularint: quandoquidem illi soli actu orare possunt, quos Deus ad orationem efficaciter applicat; cæteri verò qui sic efficaciter non applicantur, actu orare prorsus nequeunt?

Similiter, gratia sufficiens non est via ad efficacem obtinendam, nisi quatenus dat saltem ipsum actum orationis, quo postulemus uberius auxilium; si enim gratia sufficiens, quatenus dat solam potentiam in actu primo, foret via ad efficacem, omnes habentes sufficientem acciperent et efficacem. Si igitur gratia sufficiens se solâ dare nequit actualem orationem, ipsa dici nequit via ad auxilium efficax obtinendum. Proinde homo, qui solam sufficientem absque efficaci accipit, culpandus non est si legem non implet; et ejus perditio non est refundenda in ipsum, sed in Deum qui efficacem denegat et solam sufficientem seu potius vere insufficientem concedit.

Dum igitur Thomistæ atque Augustiniani docent, hominem gratiâ sufficienti præventum, orare posse atque auxilia efficacia impetrare, et ideò gratiâ efficaci juste privari si non orat: nisi concedant hominem ope gratiæ sufficientis vere et reapse orare posse, verbis misere ludunt, miserisque, qui solum habent auxilium sufficiens, in suâ indigentiâ insultant: velatis enim verbis dicunt eis: Potestatem habetis orandi, orare tamen reapse non potestis; attamen ex vestrâ culpâ est quod non oratis, etsi actu orare non possitis; ideoque jure excludemini vitâ æternâ. Perinde ac si esurienti, cibis carenti sed habenti bonum stomachum, dicerent: habes potentiam manducandi, et si vis, manducare potes; quod si non manducas et peris, tua culpa est. Sed interea ei nec cibum ministrant, nec possibilitatem illum sibi procurandi. Nonne crudeliter huic misero illuderetur? Atqui sic se res habet de gratiâ sufficienti, quæ se solâ non sufficiat ad actum.

706. — Demum, loquentes de oratione perinde ac si quilibet homo cum solâ gratiâ sufficienti reapse valeat orare et uberiora auxilia impetrare, nisi seriò hæc dicant, suum systema, de modo quo gratia operatur, vellere alieno tegunt, ut illud absque fidelium scandalo publice valeant proferre. Quis enim inoffensâ aure posset audire, multos a Dei bonitate eas solas accipere gratias, quæ se solis ad opus nec proxime nec remote sufficiant? quibus si solæ dantur, homo libere quidem, necessariò tamen resistat? quæ in se non totum habeant id, quod requiratur ad validiora auxilia petenda? quæ demum ad aliud definitive non inserviant, nisi ut homo demonstretur reus et juste possit damnari? Quis audire posset, Christum omnes hortari ad orationem, et multis eas tantum conferre gratias cum quibus actu nequeant orare, eos tamen ob orationis defectum selectioribus gratiis jure privare ac demum damnare? Hæc sane, quæ tamen in systematibus Thomistarum et Augustinianorum necessariò admitti debent, aures pias juste offendunt, scandalumque pariunt; et ideò de gratiâ orandi loquuntur, perinde ac si homo ope solius gratiæ sufficientis reapse possit orare. Si igitur suum systema vellere alterius systematis obtegere coguntur, ne pias aures offendant, curnam et ipsum systema, cujus speciem præ se ferre satagunt quando cum populo christiano agunt, non amplectantur? Quod enim in sacrâ doctrinâ practicâ scandalum jure parit et pias aures jure offendit, illud nec speculative verum esse potest: in sacrâ doctrinâ, cum hæc data sit in utilitatem fidelium, ad eos scilicet in assequendâ vitâ æternâ adjuvandos, quod est practice utilius, illud etiam speculative putandum est verius.

707. — CONCLUSIO. Sed tempus jam est longissimæ nostræ de naturâ gratiæ sufficientis concertationi finem imponere. Ex disputatis luce clarius liquet, juxta auctoritatem SS. Scripturarum et Concilii Tridentini definitiones, juxta Patrum effata, atque rationis principia, juxta communem et constantem antiquiorum Scholasticorum doctrinam atque Scholæ Sorbonicæ traditionem, imo et juxta adversariorum dicta, non aliam admitti posse gratiam communem, quâ omnes indiscriminatim sufficienter adjuvantur ad salutem, nisi gratiam quæ cuilibet ad faciliora quædam peragenda, saltem ad orandum, proximam et expeditam potestatem ita conferat, ut absque alio auxilio præveniente ex se efficaci, possit, si velit, saltem actu orare, et a divinâ misericordiâ uberiora illa auxilia impetrare et obtinere, quibus ad salutem operandam indiget. Quod proinde divinum adjutorium sufficiens ita est libero hominis arbitrio concessum, ut juxta voluntatis humanæ determinationem, vel producat effectum atque fiat efficax in actu secundo, si voluntas consentit; vel, si voluntas dissentit, careat suo effectu atque remaneat pure seu mere sufficiens.

Quæ gratia si admittitur, optime intelligitur quomodo quilibet homo posset salutem reapse consequi, si vellet: nam, licet quilibet non habeat divinam motionem immediate sufficientem ad salutem, habet tamen expeditum medium motionem efficacem certò ac infallibiliter obtinendi. Optime etiam intelligitur quomodo qui damnatur, solâ suâ culpâ pereat: potuisset enim a Deo auxilia efficacissima impetrare et obtinere; quare, si talia, quibus salvus fuisset factus, non accepit, hoc non evenit quia Deus noluit dare, sed quia homo noluit facere quod in se erat ad ea obtinenda. Optime tandem intelligitur quænam sit relatio gratiæ sufficientis cum efficaci in ordine ad salutem; et quomodo gratia sufficiens sit via et dispositio ad efficacem obtinendam: quâ de quæstione in sequenti paragrapho 2° est agendum.

§ 2. *De gratiæ sufficientis relatione cum efficaci.*

708. — Gratia sufficiens, sicut ex disputatis in superiori paragrapho liquido constat, juxta S. Alphonsi et doctorum Sorbonicorum sententiam, est præcipue gratia orationis, quæ unicuique a Deo hunc in finem conceditur, ut a divinâ largitate auxilia validiora, quibus ad perfectam cordis conversionem et finalem perseverantiam indiget, impetrare et obtinere valeat. Gratia igitur sufficiens recte dicitur via et dispositio ad efficacem, mediumque aptissimum ad selectissima

auxilia sibi comparanda. Relatio igitur sufficientis gratiæ cum efficaci juxta S. Alphonsum in eo consistit, quod sufficiens ordinetur ad efficacem tanquam medium in nostrâ potestate positum ad efficacem nobis procurandam.

Sed in hac generali hujus relationis consideratione non sistit S. Doctor; ultra progressus, ut suo systemati velut fastigium imponat, naturam seu proprietates hujus relationis investigat, atque docet, orationem esse medium *omninò necessarium*, sed simul *omninò infallibile* ad efficaces gratias obtinendas. Et in hoc elucet tum summa S. Doctoris sapientia, tum summa ejus systematis præ aliis systematibus utilitas ad salutem animarum. Ad quid enim nobis inserviret et de efficacis gratiæ existentiâ subtiliter discurrere, et de ejusdem naturâ docte philosophari posse, nisi simul et medium edoceremur tantum donum nobis certò et infallibiliter conciliandi?

Cæterorum systematum patroni de gratiâ sufficienti atque efficaci subtiliter quidem et doctissime disquirunt: atverò Molinistæ orationis necessitatem ad gratias efficaces obtinendas non satis lucide commendant, sicuti vel Thomistæ ipsis exprobrant; unde in sui systematis expositione vel orationem ne nominant quidem, ut Molina in sua *Concordia*, vel vix obiter semel aut bis eam commemorant, ut Lessius in suo Tractatu *De Gratia efficaci*. — Thomistæ verò, Augustiniani et Congruistæ, nisi a suis principiis prorsus discedant, actualis orationis possibilitatem, nisi jam adsit gratia de se efficax, negare coguntur, nec orationem dicere possunt medium in omnium potestate positum ad gratiam efficacem impetrandam.

709. — Deus utique, utpote supremus Dominus, in suorum donorum distributione lege adstringitur nullâ, nisi eâ quam sibi ipse libere præfigere voluit. Quocircà gratias suas efficaces elargiri potest cui vult, quandò vult et quomodò vult; easque sæpe etiam non orantibus misericorditer concedit. Attamen, juxta S. Alphonsum, secundum statum præsentis providentiæ, lege a Deo libere latâ, quæ nobis ex Scripturarum testimoniis atque SS. Patrum traditione innotescit, Deus sua auxilia selectiora ordinarie non concedit nisi orantibus; sed orantibus ea certò et infallibiliter concedit. Sint ergo sequentes propositiones.

Propositio I.

Ad gratias efficaces a Deo obtinendas oratio est medium ordinarium omninò necessarium [1].

710. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Orationis necessitatem ad gratias obtinendas, quibus possimus legem servare, tentationes vincere, in bono ad finem usque perseverare atque salvari, innumeris testimoniis commendant SS. Scripturæ.

Hortatur nos Christus Dominus ut sine intermissione oremus. (Luc. XVIII, 1): *Oportet semper orare et non deficere.* — (Luc. XXII, 40): *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* — (Matth. VII, 7): *Petite et dabitur vobis; quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis.* — (Joan. XVI, 24): *Petite, et accipietis;* etc. — S. Jacobus fideles monet (V. 16): *Orate pro invicem, ut salvemini.* Porro, ut ait *S. Augustinus:* « Quid stultius, quam orare ut facias quod in potestate habeas; » *(De Nat. et Gr., c. 18. M., 44, c. 256);* et *S. Fulgentius:* « Nemo deprecatur et rogat, qui non aliquid se cognoscit minus habere, aut quod habet, sua tantum potest virtute servari. » *(Epist. 3, n. 32. M., 65, c. 337).* Si igitur gratiæ, quibus indigemus, absque petitione nobis concederentur, superfluæ et vanæ fuissent Christi hortamenta ad orandum. — Præterea, dicendo: *Petite et accipietis,* manifeste indicat Dominus eos, qui non petunt, nihil accipere.

Legimus, (Jac. IV, 2): *Non habetis, propter quod non postulatis. Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis.* His constat fideles, quibus scripsit Apostolus, gratiam ad vincendum ideò non habuisse, quia non postulaverunt, aut male postulaverunt.

(Sap. VIII, 21): *Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det..., adii Dominum et deprecatus sum.* Fatetur sapiens, se non aliunde nisi a Deo accipere posse auxilium servandi continentiam, atque illud non accepturum nisi prius postulaverit.

711. — Prob, II. **Ex Traditione.** SS. Patres, ii præsertim qui gratiæ dogmata contra Pelagianos defenderunt, orationis necessitatem ad gratias obtinendas, quibus ad legis impletionem indigemus, miris encomiis extulerunt.

S. Augustinus: « Deus, *inquit,* dare vult, sed non dat nisi petenti, ne det non cupienti. » *(In Ps. 102, n. 10. M., 37, c. 1324).* — « Quod lex jubet, facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus,

[1] Cf. *S. Alph.*, Magn. orat. med., P. 1, c. 1; p. 635. - Vera Sponsa, c. 20.

» ut facere valeamus. » *(De Gr. et lib. arb., c. 14, n. 28. M., 44. c. 898).* Et: « Sunt qui propterea vel non orant, vel frigide orant, quoniam » Domino dicente didicerunt, scire Deum quid nobis necessarium sit, » priusquam petamus ab eo. *(Matth. VI, 8).* Num propter tales hujus » sententiæ veritas deserenda, aut ex Evangelio delenda putabitur? » Imo cum constet alia Deum, danda etiam non orantibus, sicut ini- » tium fidei; alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem » perseverantiam: profecto qui ex se ipso hanc se habere putat, non » orat ut habeat. Cavendum est igitur, ne dum timemus ne tepescat » hortatio, exstinguatur oratio, accendatur elatio. » *(De dono persev., c. 16. M., 45, c. 1017).* In quæ verba scribit *S. Alphonsus:* « Verum » quidem est, primas gratias, quæ nobis sine ullâ nostrâ cooperatione » obveniunt, quales sunt vocatio ad fidem vel pœnitentiam, a Deo, » ut ait S. Augustinus, etiam iis concedi, qui preces non adhibeant; » pro certo tamen habet sanctus Doctor, reliquas gratias, et specia- » liter donum perseverantiæ, non concedi nisi orantibus. » *(Magn. orat. med., P. 1, c. 1, n. 5; p. 636).*

Plurima alia S. Augustini hoc de argumento testimonia vide n. 623 et ss.

S. Prosper: « Cum donatum nobis fuerit bonum velle, non statim » invenimus et facere, nisi petentibus, quærentibus, atque pulsanti- » bus, qui dedit desiderium, præstet effectum. Vox namque illa di- » centis: *Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio,* » (Rom. VIII, 18), vocati est, et jam sub gratia constituti:... et quamvis » acceperit scientiam recte volendi, virtutem tamen in se non invenit » ea quæ optat operandi, donec pro bona voluntate quam sumpsit, » mereatur virtutum facultatem invenire quam quærit. » *(Cont. Collat., c. 4. M., 51, c. 224).* — Et *(cap. 11, col. 243)* ait: « Vult (Cas- » sianus) nos gratiam non ad singulos actus accipere, ac proinde non » pro omni opere bono semper orare. » Si autem pro omni opere bono orandum est, quia ad illud gratiâ indigemus, sequitur, absque ora- tione gratiam ad salutariter operandum non concedi.

S. Fulgentius: « Ut ostenderet (David) adjutorium divinæ gratiæ, » quamvis jam habitum, humiliter esse sine intermissione poscendum, » hoc quoque subnectit: *Ad te, Domine, clamabo et ad Deum meum* » *deprecabor.* (Ps. 29, 9); etc. » *(Epist. 3, n. 32. M., 65, c. 337). Cf. ejusdem testimonia n. 628.*

Innocentius I: « Nisi magnis precibus gratia in nos implorata de- » scendat, nequaquam terrenæ labis et mundani corporis vincere er- » rores conemur, cum pares nos ad resistendum non liberum arbi-

» trium,. sed Dei solum facere possit auxilium. » *(Rescript. ad Concil. Carth., c. 3. M., 56, col. 461).* — « Novæ hæreseos fugiantur auctores. » Quid enim acerbius in Dominum fingere potuerunt, quam cum adju- » toria divina cassarent, causamque quotidianæ precationis auferrent. » *(Epist. ad Conc. Milev., c. 2. M., 56, c. 469).*

712. — Prob. III. **Ex auctoritate theologorum.** Ait S. Thomas: « Oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dis- » positionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam ef- » fectus secundum ordinem a Deo dispositum... Et simile est etiam » de oratione; non enim propter hoc oramus, ut divinam dispositio- » nem immutemus, sed ut id impetremus quod Deus disposuit per ora- » tiones esse implendum; ut scilicet *homines postulando mereantur* » *accipere quod eis Deus omnipotens ante sæcula disposuit donare*, ut » Gregorius dicit, Dial. I, c. 8. » *(2. 2, q. 83, a. 2).* — Et agens de per- severantiâ finali, scribit: « Et ideo postquam aliquis est justificatus » per gratiam, necesse habet a Deo petere prædictum perseverantiæ » donum, ut scilicet custodiatur a malo usque ad finem vitæ. » *(1. 2, q. 109, a. 10).*

Theologi recentiores omnes, quidquid sit de systematum diversi- tate, quibus adhærent, unanimiter docent, adultum nullum de pro- videntiâ ordinariâ posse gratias ad salutem necessarias obtinere, nisi eas fervidis precibus expostulaverit. Unum nobis sufficiat citare *Les- sium*, qui, etsi in sui systematis expositione orationem vix obiter no- minet, ubi tamen de oratione ex professo agit, ejus necessitatem ap- prime commendat. Oratio, inquit, « Est medium ordinarie ad salutem » necessarium. Nam pleraque auxilia ad salutem opportuna per ora- » tionem nobis sunt impetranda: nempe quæ ad superandas tentatio- » nes, et ad perseverandum in finem ordinarie sunt necessaria. Etsi » enim Deus ex sua ineffabili benignitate etiam non orantibus multa » sæpe auxilia præstet, tamen auxilia majora, et singularem illam » protectionem ac directionem, qua quis perseverat in finem, et con- » sequitur salutem, nec promisit, nec ordinarie confert nisi orantibus. » Unde Scriptura sæpe monet ut semper oremus, nimirum quantum » humana conditio patitur, etc. » *(De summo bono, L. 4, c. 1; p. 398).*

713. — Prob. IV. **Ex Ratione.** Ratio, ob quam Deus selectiora sua auxilia solis ea petentibus ordinarie concedat, alia non est assi- gnanda nisi justa simul et sapiens Dei voluntas. Sicut enim primas gratias sufficientes, quibus excitamur ad bonum, absque ullo nostro merito aut desiderio nobis elargitur, ita et gratias efficaces nobis po- tuisset elargiri, non exspectatâ prius nostrâ postulatione, prout de

facto eas quandoque quibusdam specialiter electis concedit, ut B. Paulo in viâ Damasci.

Congruentias tamen, cur Deus legem orationis statuerit, nobis indicant SS. Patres: ut scilicet homo, agnoscens propriam suam indigentiam atque imbecillitatem, profundius radicetur in humilitate; Deum confiteatur omnium suorum bonorum largitorem; Eum, a quo omnia dona se accepisse confitetur, ardentius diligat; et dona gratiæ, quæ nonnisi magnis et fervidis precibus se accepisse cognoscit, pluris æstimet et vehementius desideret. Deus rogari vult, ait S. Augustinus, *ut subveniens ametur. (In Ps. 106, n. 9. M., 37, c. 1423).* Et: « Ad hoc quod nondum habemus jubet ut habeamus, ut admoneat » quid petamus; et cum nos quod jusserit, posse invenerimus, etiam » hoc unde acceperimus intelligamus. » *(De bono viduit., c. 17. M., 40, c. 443).* — « Oratio, *ait S. Joan. Chrysost.*, non parvum vinculum est » dilectionis in Deum, quæ cum eo colloqui assuefacit, et ad sapientiæ » studium nos deducit. » *(In Ps. 4. M., 55, c. 41).* — Et *S. Thomas:* « Quod (Deus) aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter » nostram utilitatem; ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recur- » rendi ad Deum, et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum » auctorem. » *(2. 2, q. 83, a. 2, ad 3).*

714. — **Scholium**. *De necessitate orationis ad salutem.* Cum gratiæ efficaces sint ad salutem omninò necessariæ, eæque de lege ordinariâ iis solis concedantur qui eas precibus expostulant, sequitur, juxta ordinariam Dei providentiam orationem esse omnibus adultis ad salutem absolute necessariam, et quidem, ut docet S. Alphonsus, necessitate tum præcepti tum medii. « Oratio, *inquit S. Doctor*, adultis est » necessaria necessitate præcepti, sicut colligitur ex SS. Scripturis: *Opor-* » *tet semper orare. Orate ut non intretis in tentationem. Petite et ac-* » *cipietis.* Quæ verba *oportet, orate, petite*, ut communiter aiunt docto- » res cum S. Thoma, rigorosum important præceptum obligans sub » gravi. *Ad orationem*, inquit Angelicus, *quilibet tenetur, ex hoc ipso* » *quod tenetur ad bona spiritualia sibi procuranda, quæ procurari non* » *possunt, nisi a Deo petantur.* (IV S., D. 15, q. 4, a. 1)... Sed oratio » est nobis necessaria non solum necessitate præcepti, verum etiam » necessitate medii, prout docent S. Basilius, S. Augustinus, S. Joan. » Chrysostomus, Clemens Alex., et alii; id est, absque oratione nobis » absolute impossibile est ut in gratia perstemus et salvemur, sicut » expresse declarat S. Joan. Chrysost.: *Simpliciter impossibile est,* » *absque precationis præsidio, cum virtute degere.* (De or. Deo, l. 1). Et,

» addit Lessius, hoc tanquam de fide est tenendum: *Fide tenendum* » *est, orationem adultis ad salutem esse necessariam.* (De Just., l. 2, » c. 37, d. 3). Idipsum proclamat Doctor Angelicus: *Post baptismum* » *autem necessaria est homini jugis oratio, ad hoc quod cœlum in-* » *troeat*... Ut hujus veritatis ratio intelligatur, sciendum est 1°: Absque » speciali Dei adjutorio nos non posse per longum tempus in gratiâ » permanere, quin in culpam lethalem incidamus. Tot enim sunt » inimici qui nos perpetuo impugnant, nos vero adeo sumus imbe- » cilles, ut, nisi præter auxilium commune Deus nobis exhibeat spe- » cialia adjutoria, virtutem resistendi non habeamus... Sciendum est » 2° adjutorium illud speciale ad perseverandum a Deo ordinarie non » concedi nisi illis, qui illud implorant. » *(Vera Sponsa, c. 20, n. 3).*

Propositio II.

Oratio debitis conditionibus prædita, est medium omninò infallibile obtinendi gratias ad salutem necessarias [1].

715. — **NB.** Dicitur: *oratio debitis conditionibus prædita*, ut enim oratio certò ac infallibiliter exaudiatur, necesse est ut quasdam habeat conditiones, quarum tres sunt præcipuæ, juxta S. Alphonsum [2]: ut fiat cum humilitate, cum fiduciâ, et cum perseverantiâ. Propositio igitur intelligenda est de iis qui orant *sicut debent*, et *quantum debent;* hi, etsi peccatores sint, dummodo se emendandi habeant desiderium, gratias ad salutem necessarias et ipsam salutem certò ac infallibiliter consequentur.

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Nihil frequentius in SS. Scripturis extollitur quam orationis efficacitas. Ex innumeris testimoniis pauca seligimus. Legimus, (Jer. XXXIII, 3): *Clama ad me, et exaudiam te.* — (Ps. XLIX, 15): *Invoca me in die tribulationis, et eruam te.* — (Matth. VII, 7): *Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis.* — (Luc. XI, 10): *Omnis qui petit, accipit; et qui quærit, invenit.* — (Matth. XVIII, 19): *De omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo.* — (Joan. XIV, 14): *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* — (Joan. XVI, 23): *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabo vobis.* - (Marc. XI, 24): *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.* Jamverò istæ divinæ promis-

[1] Cf. Magn. orat. med., P. 1, c. 2; p. 646. - *Sfondratus,* Nodus prædest. P. 1, § 4, p. 222. — [2] Cf. Magn. orat. med., P. 1, cap. 3; p. 652.

siones sunt absolutæ, et neminem excludunt; nam, testante Domino, *omnis qui petit, accipit.* Ergo et peccatores, quando cum emendationis desiderio petunt necessaria ad salutem, certò ac infallibiliter ea obtinent: divina enim promissio fallere nequit.

716. — Prob. II. **Ex Traditione.** *S. Ambrosius:* « Uberior, *inquit*, » est gratia quam precatio; semper enim Dominus plus tribuit, quam » rogatur. » *(Expos. in Lucam, L. 10, n. 121. M., 15, c. 1834).*

S. Prosper: « Cito obtinentur quæ bono desiderio postulantur: nec » differentur preces, quæ hoc petunt, quod vult ille qui petitur. Velox » itaque exauditio est, cum ipsa primitus exauditur oratio; nec tardat » auxilium, qui dedit votum. » *(In Ps. CI, v. 3. M., 51, c. 279).*

S. Augustinus: « Admonemur a Deo petere sapientiam, *qui dat om-* » *nibus affluenter*, utique his omnibus qui sic petunt et tantum pe- » tunt, quomodo et quantum res tanta petenda est. » *(De Nat. et Gr., c. 17. M., 44, c. 255).*

S. Joan. Chrysostomus: « Deus assidue exspectat num quis se do- » mesticorum advocet, nec unquam ut decet vocatus a nobis, non au- » divit. Ideo ait: *Adhuc te loquente*, non exspectabo donec finieris, sed » statim exaudiam. » *(In Matth., hom. 55. M., 57, c. 539. — Cf. etiam hom. 23, n. 4; c. 312).*

S. Bernardus: « Nemo vestrum, fratres, parvipendat orationem » suam. Dico enim vobis quia ipse ad quem oramus, non parvipendit » eam. Priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi jubet eam in » libro suo. Et unum indubitanter e duobus sperare possumus, quo- » niam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilius. » *(In quadrag., s. 5, n. 5. M., 183, c. 180).*

717. — Prob. III. **Ex Ratione.** Nullus competenter potest orare, nisi ad orandum divinâ gratiâ sit excitatus et adjutus. « Quis enim, *ait* » *S. Fulgentius*, vel orare competenter valeat, nisi medicus ipse ini- » tium desiderii spiritalis infundat? aut quis perseverare in oratione » queat, nisi Deus in nobis hoc quod cœpit augeat, quod seminavit » enutriat? » *(Epist. 4, n. 2. M., 65, c. 340).* Si igitur illis, qui orant sicut debent et quantum debent, auxilia ad salutem necessaria Deus denegaret, ipse sibi contradiceret atque seipsum negaret. Nullus enim, nisi sibi aperte contradicat, potest quemquam ad petendum incitare, adjectâ etiam absolutâ retributionis promissione, et deinde, positâ competente petitione, petitum denegare. Deus autem suis promissis est fidelis, nec sibi ipse contradicere potest. Ergo nec competentem orationem potest abjicere inexauditam. « Neque enim inquisitionem » tuam, *ait S. Fulgentius*, Deus inventionis effectu fraudari ullatenus

» sinet, qui te ad inquirendum spiritualiter inflammavit, cum ipsius » fidele, promissum nullâ ratione cassetur, dicentis: *Petite et accipietis; » quærite et invenietis.* » *(Ad Momin., L. 1, c. 1. M., 65, c. 153).*

718. — **Corollaria.** Ex doctrinâ de orationis necessitate atque ejusdem infallibili efficaciâ, plura fluunt corollaria, quæ ad vitam sancte christianeque degendam et salutem certò impetrandam, maximi sunt momenti.

Corollarium I. Cum bonus usus gratiæ sufficientis orationis sit via ad efficacem, imò sit, secundum leges ordinariæ providentiæ, unicum medium ad eas gratias obtinendas, quibus ad salutem indigemus, omni adulto gravis incumbit orandi obligatio, saltem quotiescumque extraordinario indiget auxilio ad præceptum implendum aut tentationi resistendum. Qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, sine quibus finis consecutio redditur impossibilis. « Posito ex » unâ parte, *inquit S. Alphonsus*, nos sine gratiæ auxilio nihil posse; » et ex alterâ, illud auxilium a Deo ut plurimum non concedi nisi » orantibus, quis non videt, consequens esse, orationem nobis esse ad » salutem prorsus necessariam? » *(Magn. Orat. med., P. 1, c. 1, n. 5; p. 636).* — Et *S. Fulgentius:* « Hujus gratiæ adjutorium semper est » nobis a Deo poscendum; sed ne ipsum quod poscimus nostris viribus » assignemus: neque enim haberi potest ipse saltem orationis affectus, » nisi divinitus fuerit attributus. Ut ergo desideremus adjutorium gra- » tiæ, hoc ipsum quoque opus est gratiæ. Ipsa namque incipit infundi, » ut incipiat posci; ipsa quoque amplius infunditur, cum poscentibus » datur. » *(Epist. 6, cap. 7. M., 65, c. 351).*

719. — *Corollarium II.* Cum in quibusdam præsertim urgentioribus circumstantiis, fervida et perseverans oratio opus evadat arduum atque difficile, ope gratiæ tepidioris orationis, quæ etiam tunc omnibus semper præsto est, petenda est gratia fervidioris orationis, ut eâ mediante gratiam operis consequamur. Et quia, ob innatam suam fragilitatem et mutabilitatem, homo etiam optimæ voluntatis in perpetuo non orandi versatur periculo, quandò gravior urget tentatio, in antecessum a Deo poscendum est speciale auxilium, ut in illis occasionibus ab oratione non deflectamus; poscendum est præsertim donum orationis seu *spiritus gratiæ et precum*, quo semper ad orandum efficaciter impellamur. « Non tantum perseverantiam finalem et gra- » tias ad eam obtinendam necessarias assiduis precibus efflagitemus, » *ait S. Alphonsus;* sed simul in antecessum a Domino semper pe-

» tamus gratiam ab oratione nunquam abstinendi: quod quidem exi-
» mium donum per Prophetam electis suis promisit: *Et effundam super*
» *domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et*
» *precum.* (Zach. XII, 10). Oh quam insignis gratia est spiritus pre-
» cum, quo Deus nempe animæ concedit, ut preces semper adhibeat!
» Ne omittamus igitur hanc assidue a Deo petere gratiam et hunc
» semper precandi spiritum. » *(Magn. orat. med., P. 1, c. 3, n. 41; p. 668).* — Et: « Oremus igitur, gratiamque semper quæramus si salu-
» tem consequi velimus. Sit nobis oratio rerum omnium optatissima;
» sit nobis precatio exercitium totius vitæ. Et dum a Deo gratias parti-
» culares petimus, deprecemur semper gratiam perpetuo orandi in
» posterum: quia si ab oratione cessamus, perditi erimus. » *(Brevis tract. de necess. prec., § 3, Marietti, T. 2, p. 618).*

720. — *Corollarium III.* Opus omnium maxime arduum, at omnium maxime necessarium, est finalis perseverantia, quæ cum salute intime connectitur nobisque januas regni cœlestis reserat. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (Matth. X, 22). Hoc magnum perseverantiæ donum non cadit sub meritum; potest tamen juxta celebrem S. Augustini sententiam *suppliciter emereri.* Proinde quotidie a Deo petenda est finalis perseverantia, ut quotidie obtineatur.

« Salutis gratia, *inquit S. Alphonsus,* non una sola est gratia, sed
» catena gratiarum, quæ omnes tandem cum finalis perseverantiæ
» gratiâ conjunguntur; huic autem catenæ gratiarum alia, ut ita dicam,
» respondere debet nostrarum precum catena; si nostrarum precum
» catenam, non precando, frangamus, item frangetur catena gratiarum,
» quæ ad salutem adipiscendam requiruntur, neque ad eam perve-
» niemus.

» Verum quidem est, non posse finalem perseverantiam a nobis
» promereri... Attamen, inquit S. Augustinus, precibus aliquo modo
» mereri potest. Magnum *hoc... Dei donum suppliciter emereri potest,*
» id est, supplicando impetrari. *(De dono persev., c. 6, n. 10)...* Nec
» satis est, inquit Bellarminus, gratiam perseverantiæ semel vel pau-
» cies efflagitari; usque ad mortem *quotidie petenda est, ut quotidie*
» *detur.* Quo die petitur, eo die obtinetur; si quis postridie eam pe-
» tere omiserit, postridie in peccatum ruet. » *(Magn. orat. med., P. 1, c. 3, § 4, n. 32 ss.; p. 665).*

Et *S. Fulgentius:* « Sicut enim, *ait,* nihil potest (voluntas) in se
» habere bonæ cogitationis, nisi subveniente gratiâ fiat bona, sic ad
» custodienda quæ accipit, nullatenus potest sua virtute sufficere, nisi

» ille qui eam gratis bonam facit, gratiæ suæ opitulatione servaverit. » Ille verò certus est bonæ voluntatis profectus, si ea quæ accipit a » Deo ita vigilanter solliciteque custodiat, ut custodiæ divinæ adju- » torium frequentiâ orationis et studio bonæ operationis exposcat. Ita » fiet ut, dum oranti auxilium tribuitur, laboraus retributione boni » operis non privetur. » *(De Verit. prædest., L. 2, c. 17. M., 65, c. 642).*

721. — *Corollarium IV.* Cum gratiæ efficaces ordinarie non concedantur nisi orantibus, orantibus verò certò ac infallibiliter tribuantur, qui perseverantiam expostulat sicut debet et quantum debet, hic finalem perseverantiam infallibiliter obtinebit et salutem infallibiliter consequetur. Qui verò non orat, aut male orat, et perseverantiam non petit, hic juxta ordinariam Dei providentiam perseverantiâ privabitur et salutem non consequetur. « Qui orat, *ait S. Alphonsus*, certò sal- » vabitur; qui non orat, certò damnabitur. Quotquot salutem conse- » cuti sunt, per orationem salvati sunt; quotquot in geheunam ceci- » derunt, damnati sunt, quia non oraverunt. » *(Præp. Mort., Cons. 30, P. 2).* Oratio igitur recte dici debet *Magnum salutis medium*, quia « quicumque ad salutem perveniunt, (si de adultis sermo est), unico » hoc medio salutem consequi solent. » *(Magn. orat. med. Introd., p. 634).*

722. — *Corollarium V.* Cuique igitur summopere cordi esse debet ut, monitioni Christi Domini obsequens, sine intermissione oret, et frequentiâ orationis et studio bonorum operum certam suam vocationem et salutem faciat. « Vigilandum est igitur in certamine, *inquit S. Ful-* » *gentius*, ut requiescatur in pace; cogitanda est liberi arbitrii sem- » per infirmitas, quam nobis primi hominis generavit iniquitas; et ad » subrogandum virtutis auxilium suppliciter poscenda est divina » majestas, ut laborantibus tribuat virtutem, et victores nos perducat » ad pacem, ubi perfectam et ab omni peccato plenissime liberatam » habeamus arbitrii libertatem. » *(De Verit. prædest., L. 2, c. 16; col. 664).*

Et *S. Joan. Chrysostomus:* « Ostendens Christus, *inquit*, nec orationi » fidendum esse, si ea quæ in nobis sunt negligamus, neque si illa » curemus, nostræ curæ ac diligentiæ tantum fidendum esse, sed su- » pernum esse requirendum auxilium, et nostra simul afferenda esse, » et hoc et illud frequenter apponit. Nam post multa mŏnita modum » orandi docuit, et postquam id docuerat, rursus ad agendum cohor- » tatus est; abhinc iterum monuit orandum esse frequenter, cum dixit,

» *Petite, quærite, pulsate;* sub hæc rursum, virtutis studiosos esse oportere. » *(In Matth., Hom. 23, n. 5. M., 57, c. 313).*

Qui igitur, tanquam Christi cooperatores, curæ animarum incumbunt, magnopere satagere debent, non solum ut fideles virtutes excolant et dominica servent mandata, sed etiam et præsertim ut orationibus instanter dent operam. « Non solum, *ait S. Augustinus,* ad bonas » actiones, verum etiam ad pias orationes eos (christianos) exhortari » meminerimus, atque hac instruere sanitate doctrinæ, ut et illinc » gratias agant, cum instituerint bene vivere, quod aliquid sine dif- » ficultate fecerint; et ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis » et perseverantissimis precibus et misericordiæ promptis operibus fa- » cilitatem a Domino impetrare persistant. » *(De Nat. et Gr., c. 68. M., 44. c. 288).*

Et *S. Alphonsus:* « Ita loquor, *inquit,* quia ex unâ parte absolu- » tam illam video orationis necessitatem, ab omnibus sacris Scripturis » omnibusque SS. Patribus tantopere inculcatam; ex alterâ vero parte » Christianos parum intentos video ad magnum illud salutis suæ me- » dium adhibendum. Et hoc magis doleo, concionatores et confessa- » rios parum curare, ut de eâ ad audientium consessum ac pœnitentes » verbum faciant; itemque libros spirituales, qui hodie per manus » fidelium circumferuntur, non satis de eâ loqui: quum concionatores » omnes et confessarii omnesque libri nihil quam orationem instantius » et enixius insinuare deberent. » *(Magn. orat. med., Introd., p. 633).*

Qui ergo aliorum curam habet, si eos vere velit salvos esse, eis frequenter repetat quæ S. Fulgentius ad Gallam scripsit viduam: « Cum timore et tremore tuam salutem operare. Humiliare in conspectu » Domini, ut exaltet te. Ab illo posce bonæ voluntatis exordium, ab » ipso postula bonæ operationis effectum, et ab ipso perseverantiæ » donum pete; nec aliquando te putes, illius adjutorio desistente, ali- » quid posse boni velle seu facere. Illum roga ut avertat oculos tuos, » ne videant vanitatem; ipsum postula ut demonstret tibi viam in » qua ambules; ipsum obsecra ut gressus tuos dirigat secundum ver- » bum suum, et non dominetur tibi omnis iniquitas; illum ora ut » opera manuum tuarum dirigat super te. » *(Epist. 2, cap. 20. M., 65, c. 323).*

§ 3. *Solvuntur Difficultates.*

723. — Sicut Molinistæ gratiæ ab intrinsecò efficaci multas opponunt difficultates, ita et Thomistæ atque rigidiores Augustiniani contra gratiam sufficientem, quam admittimus speciatim in ordine ad ora-

tionem, multas movent objectiones, quas tamen omnes prudens lector, si Scripturarum et Patrum testimonia sensu obvio et naturali velit intelligere, facili negotio solvet. Præcipuas referemus.

724. — **Objicitur I.** « Si actualis oratio, *ait Lud. Habert., (De Gr.,* » *c. 7, § 2, p. 357)* aliquando tribueretur gratiæ sufficienti, qui sic ad oran- » dum se determinasset, per consensum propriæ voluntatis se discer- » neret ab eo, qui gratiæ orationis non consensisset, non solum in eo » quod orasset, sed etiam in sequentibus operibus, quæ essent fructus » orationis. » Et sic unus præ alio posset in se gloriari. Atqui hæc semi-pelagianismum redolent, adversanturque Apostolo dicenti, (I Cor., IV, 6, 7): *Ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ergo nullus cum solâ gratiâ sufficienti actu orare potest.

Resp. Hæc est palmaris objectio quam nobis (sicut et Molinistis) unanimiter opponunt Thomistæ et Augustiniani; quocirca paululum longius est diluenda. Unde:

725. — **Resp. I.** Hæc eadem difficultas Thomistas premit et Augustinianos. Docent enim, Deum gratiam efficacem iis elargiri, qui sufficienti bene utantur, vel saltem ei non resistant aut impedimentum non apponant. Ergo, qui sufficienti bene utitur vel ei non resistit, sese discernit ab eo qui resistit, atque præ alio gloriari potest.

Si autem cum aliquibus, prædictam difficultatem eludere conantibus, dicatur, denegationem gratiæ efficacis unice provenire a solâ Dei voluntate eam dare nolentis, summæ exsurgunt difficultates, scilicet: quomodo homo privatus efficaci gratiâ et omni medio eam obtinendi, possit esse reus peccati, si legem non observat? quomodo Deus velit seriò omnes salvos fieri? quomodo homo possit teneri ad spem christianam? Quibus difficultatibus nullam solutionem afferre queunt Thomistæ et Augustiniani. *(Cf. n. 415 et ss.).*

726. — **Resp. II,** *directe.* Dicitur in objectione: si actualis oratio aliquando tribueretur gratiæ sufficienti, qui oraret se discerneret ab alio qui non orat; *dist.:* se discerneret propriis suis viribus naturalibus, *nego;* se discerneret viribus a gratiâ præveniente acceptis, *conc.* — Duplex distinguitur discretio, una quæ fit ope solius naturæ, seu ex puris naturalibus, ac proinde fit ab homine ex eo quod a se habet: hanc statuerunt Pelagiani et Semi-Pelagiani docentes, Deum retribuere gratiam pro meritis naturalibus, atque concedere fidem conantibus ex naturæ viribus. Altera, quæ fit viribus a gratiâ præve-

niente acceptis: quæ discretio licet fiat ab homine, non fit tamen ex eo quod a se habet, sed ex eo quod in se habet acceptum a gratiâ; unde, non secus ac quodlibet opus salutare, debet attribui homini et gratiæ, principaliter tamen gratiæ, quæ dedit homini ut posset et gratiæ consentire et salutariter orare. Porro, cum dicimus hominem gratiâ sufficiente præventum posse actu orare, non dicimus, sicut Thomistæ nobis falsò affingunt, nos ex puris nostris naturalibus gratiæ vocanti consentire; sed dicimus nos consentire gratiæ vocanti ope virium, quas ipsa gratia nobis prius tribuit; et hoc Pelagianismum nullatenus sapit.

Jamverò, si fidem habeamus Patribus, priorem discretionem, non verò posteriorem damnat Apostolus. « In omnibus misericordia Dei præ» venit nos, *ait S. August.;* consentire autem vocationi Dei, vel ab » eâ dissentire propriæ voluntatis est. Quæ res non solum non infir» mat quod dictum est: *Quid enim habes quod non accepisti?* verum » etiam confirmat. Accipere quippe et habere anima non potest dona, » de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, et » quid accipiat, Dei est: accipere autem et habere utique accipientis » et habentis est. » *(De Spir. et litt., c. 34. M., 44, c. 240).* Prævenire igitur hominem, ad Dei misericordiam pertinet; vocationi verò consentire vel dissentire, ad liberum arbitrium: et hoc juxtà verba Apostoli, quæ nobis Thomistæ opponunt.

Et Pelagianos refutans, qui gratiam *meritis nostris præcedentibus reddi* arbitrantur, scribit *S. August.:* « Si merita nostra sic intellige» rent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda » ista sententia: quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea » ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissime respondet » Apostolus: *Quis enim te discernit?* etc. » *(De Gr. et lib. arb. c. 6. M., 44, c. 890).* In his autem S. Doctor verba Apostoli de solo merito naturali, non autem de operibus ex gratiâ factis intelligit.

Et *S. Fulgentius:* « Cœlestibus igitur obedientes eloquiis, firmis» sime tenemus, omnium nobis bonorum initium divinâ largitate con» ferri. Nos autem, ut contineamus, ne mala faciamus, et ut bonum » incipiamus velle vel facere, nec initium a nobis habere possumus, » nec profectum... Quisquis igitur in nomine gratiæ non vult falli » vel fallere, audiat Apostolum, tumoris humani superbiam, quæ sibi » nititur assignare bonæ voluntatis initium, sollicite comprimentem, » qui ait: *Quis enim te discernit,* etc.? » *(De Verit. prædest., L. 1, c. 21 et 22. M., 65, c. 625).*

727. — Resp. III. Similiter non omnem gloriationem reprobat Apostolus; sed eam solùm quæ non est in Domino, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur.* (I Cor. I, 31). Sicut enim duplex existit discretio, ita et duplex gloriatio. Una, quâ quis de suis meritis ita gloriatur, quasi ipse ea ex se et a se propriis suæ naturæ viribus acquisivisset. Hæc est quâ gloriabantur Pelagiani; hanc damnat Apostolus, verbis supra citatis: *Quis te discernit*, etc. — et (Eph. II, 8, 9): *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* — Altera, quâ quis de suis meritis gloriatur tanquam a Deo acceptis et a Dei gratiâ dependentibus. Hanc non reprobat Apostolus; nam sic gloriari est gloriari in Domino; et qui sic gloriatur, non tam sua merita quam Dei exaltat munera; merita enim nostra sunt Dei dona, juxta illud S. Augustini: « Cum Deus » coronat merita nostra, nihil aliud coronat quum munera sua. » *(Epist. 194, cap. 5. M., 33, c. 880).* Eâ gloriatione gloriatus est ipse Apostolus dicens (I Cor. XV, 10): *Gratiâ Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Apposite S. Thomas: « *Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non* » *acceperis?* Ille gloriatur quasi non accipiens qui de seipso gloriatur » et non de Deo... Et ad hoc pertinet prima species superbiæ, qua » scilicet aliquis superbiendo, quod habet, dicit a seipso habere... » Ille autem gloriatur quasi accipiens, qui omnia Deo adscribens » gloriatur de ipso, sicut dictum est: *Qui gloriatur, in Domino glo-* » *rietur.* Sic autem gloriari non est superbire, sed humiliari sub Deo, » cui homo dat gloriam. » *(In Epist. I ad Cor., c. 4, lect. 2).*

Et *S. Augustinus:* « *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed* » *sanctificati estis*, (I Cor. IV, 11). Si ergo sanctificatos dicit, dicat et » unusquisque fidelium: *Sanctus sum.* Non est ista superbia elati, sed » confessio non ingrati. Si enim dixeris te ex te esse sanctum, superbus » es; rursus, fidelis in Christo, et membrum Christi, si te dixeris non » esse sanctum, ingratus es. Arguens enim superbiam Apostolus, non » ait: Non habes; sed ait: *Quid enim habes quod non accepisti?* Non » arguebaris, quia dicebas te habere quod non habes; sed quia ex te » tibi volebas esse quod habes. Imo et habere te agnosce, et ex te » nihil habere, ut nec superbus sis, nec ingratus. » *(In Ps. 85, n. 4. M., 37, c. 1084. — Cf. etiam in Ps. 102, n. 7, col. 1321).*

Cum igitur, quando gratiæ sufficienti consentientes actu oramus, oremus non nostris viribus naturalibus, sed viribus a Deo nobis per ipsam gratiam sufficientem subministratis; ideo, ut ait *Alphonsus*

Le Moyne: « Nobis in oratione nostrâ gloriandum non est, tanquam » de solis liberi arbitrii viribus proficiente, *concedo;* tanquam ex di- » vinâ gratiâ præeunte et concomitante elicita, *nego.*» *(De dono orandi, pag. 97).*

728. — **Objicitur II.** Ex systemate S. Alphonsi atque Sorbonicorum sequitur: « Conversionem hominis opus esse non *solius* Dei » miserentis, sed etiam hominis volentis, atque currentis: sed hoc » repugnat Apostolo, dum scribit Rom. IX, 16: *Igitur non volentis,* » *neque currentis, sed miserentis est Dei.* Sequela prob.: Quando inter » duos, æquali gratiâ sufficienti præditos, unus exercet opus facile, aut » orat, et mediante oratione gratiam efficacem pro opere ultimo me- » retur, dici non potest, hanc orationem fuisse opus solius miserentis » Dei... sed est et hominis volentis et currentis, seu orantis. » *(Scholliner, De Gr., n. 232; p. 234).*

Resp. *Ad maj.:* Conversionem hominis opus esse non solius Dei miserentis, sed etiam hominis volentis atque currentis, *dist.:* sed etiam hominis volentis et currentis ope virium, quas gratia subministravit, *conc.;* ope virium mere naturalium, *nego.* — *Ad min.:* Sed hoc repugnat Apostolo, *dist.:* si admittitur hominem ope virium mere naturalium posse velle et currere, et per vires naturales posse aliquid in ordine ad salutem agere, *conc.;* si ejus volitio atque cursus procedunt non a solâ naturâ, sed a viribus per gratiam acceptis, *nego.* Apostolus verbis citatis non excludit ullum conatum nostrum, sed conatum qui gratiam præcedat, et ob quem Deus daret gratiam, sicut docuerunt Pelagiani et Semipelagiani; non excludit autem conatum qui sequitur gratiam et ab eâ procedit; imò B. Petrus nos monet ut multum conemur: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* (II Petr. I, 10). Et S. Augustinus velle nostrum et Deo et nobis attribuit: « Ut velimus enim et suum esse » voluit et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. » *(Ad Simplic., L. 1, q. 2, n. 10. M., 40, c. 117).* Deus enim quum nobis sufficientem elargitur gratiam, per eam vires subministrat ut velle possimus, et nos invitat ut velimus; unde quod homo orat, hoc attribuendum est principaliter Deo, qui misericorditer illi tribuit *posse*, et misericorditer ejus voluntatem invitat ut oret; et ipsi homini, qui volens vocem Domini secutus est, et auxiliis a Deo concessis bene est usus.

Apposite *S. Joan. Chrysostomus:* « Sicut Pharao ex propriâ iniqui- » tate vas iræ factus est, sic et hi vasa misericordiæ ex probitate » suâ. Nam etsi quod plus est, Dei sit, at nos quoque parum quid

» intulimus. Ideo non dixit (Apostolus), vasa recte factorum, neque » vasa fiduciæ; sed: *Vasa misericordiæ*, ostendens totum esse Dei. Nam » illud: *Non est volentis neque currentis*, etsi ad modum objectionis » positum sit; attamen a Paulo dictum, nullam affert dubitationem. » Cum enim dicit, *Non est volentis neque currentis*, non potentiam » tollit; sed ostendit non totum illius esse, sed egere illum supernâ » gratiâ. Oportet enim et velle et currere; confidere autem non pro- » priis laboribus, sed Dei benignitati: id quod et alibi dicebat: *Non* » *ego autem, sed gratia Dei mecum.* » *(Hom. 16 in Ep. ad Rom., n. 9. M., 60, c. 561).*

Et *S. Gregorius Naz.:* « Cum illud audis: *Non est volentis, neque* » *currentis, sed miserentis Dei*, idem tibi existimandum censeo. Quo- » niam enim nonnulli sunt, qui ob recte facta ita animis efferuntur, » ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quidquam Creatori et sapientiæ » eorum auctori, ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, » his verbis eos docet Paulus, quid ipsum etiam recte velle, divino » auxilio indigeat; imo ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa et » electio eorum, quæ recta et cum officio conjuncta sunt, divinum » quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans. Quod » enim salvamur, id et a nobis, et a Deo esse oportet. Idcirco ait: » *Non volentis*, id est, non solum volentis, nec *currentis* solum, *sed* » *etiam miserentis Dei.* Ita, quoniam velle quoque ipsum a Deo est, » optimo jure totum Deo assignavit. Quantumlibet curras, quantum- » libet certes, opus habes eo, qui det coronam. » *(Orat. 37, in Matth., XIX, n. 13. M., 36, c. 298).*

729. — Objicitur III. Si actualis oratio dependeat a liberâ determinatione voluntatis, atque Deus gratias efficaces non concedat nisi orantibus, sequitur 1° Deum ad nostram conversionem peragendam debere nostram voluntatem exspectare, quod est contra Arausicanum II, can. 4: « Si quis ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum » exspectare contendit... resistit Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: » Præparatur voluntas a Domino. » — Sequitur 2° Deum in gratiis efficacibus concedendis dependere a voluntate humanâ.

Resp. I. Sequitur 1° Deum exspectare nostram voluntatem, *dist.:* nostram voluntatem sese determinantem ex viribus solius naturæ, *nego;* sese determinantem ex viribus gratiæ prævenientis, quâ voluntas prius a Deo est præparata, *conc.* Porro Arausicanum nullatenus eos damnare intendit qui docent, Deum, ut hominem ad se per gratiam efficacem convertat, exspectare donec voluntas a gratiâ præveniente jam robo-

rata et excitata, a se validius expostulet auxilium, quo purgetur a peccato et ad Deum perfecte convertatur. Sed unice egit Concilium contra Pelagianos et Semipelagianos, qui docebant Deum, ad gratias suas elargiendas, exspectare donec voluntas ex puris naturalibus eam prius meruerit, aut saltem postulaverit aut desideraverit. De quibus ait *S. Augustinus:* « Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant » esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus: et » hoc esse dicunt, quod gratia præceditur merito nostro, ut sequatur » illa, cum accipimus petentes, et invenimus quærentes, aperiturque » pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, » ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus. » *(De dono persev., c. 23. M., 45, c. 1032).*

730. — **Resp. II.** Sequitur 2° Deum in gratiis efficacibus concedendis a voluntate humanâ dependere, *nego.* Aliud est Deum *non posse* gratias efficaces concedere, nisi voluntas eas prius expostularit orando, quod certe involveret dependentiam a voluntate humanâ; et aliud est *nolle* eas dare, nisi voluntas eas prius expostularit, juxtà legem a Deo libere latam: hoc nullam involvit dependentiam Dei ab homine; contra, maximam innuit hominis dependentiam a Deo, cum ad gratias recipiendas debeat legibus a Deo libere latis sese subjicere. Porro, dum dicimus Deum non dare gratiam efficacem nisi postulantibus, non docemus, Deum non posse, sed Deum non velle eas dare nisi iis qui petant: et in hoc commendatur summa Dei independentia qui etiam in suorum donorum distributione hominem, qui eorum velit esse particeps, certis quibusdam subjicit obligationibus.

731. — **Objicitur IV.** « Tournelius ipse præter gratiam præve- » nientem adhuc necessariam esse docet gratiam adjuvantem... Atqui » hoc ipsum docent Thomistæ, eâ solum differentiâ, quod isti gratiam » ad *actu* operandum appellent *efficacem* et *præmoventem*, Tournelius » verò adjuvantem. » *(Scholliner, De Gr., n. 236; p. 239).* Exinde deducit Scholliner, inania esse quæ docet Tournelius de gratiâ sufficienti orandi.

Resp. Concessâ majori, *ad min. resp.:* Atqui hoc ipsum docent Thomistæ, *dist.:* docent necessariam esse gratiam adjuvantem, *conc.;* docent eamdem gratiam adjuvantem esse necessariam, *nego.* Permagna enim, non solum quoad nomen, sed etiam quoad rem, intercedit differentia inter gratiam adjuvantem Sorbonicorum atque Thomistarum. Juxta Sorbonicos, gratia adjuvans seu cooperans non est influxus prævius in voluntatem, ut eam ad consensum et ad actum moveat,

sed est concursus simultaneus, quo Deus voluntati consentienti gratiæ excitanti adest, ut cum eâ ad actum concurrat; seu, est auxilium quod facit nobiscum velle et agere, sed non facit nos velle et agere. Gratia adjuvans seu cooperans, *inquit Tournelius*, « recte definitur: » Influxus seu concursus supernaturalis quo Deus nobiscum concurrit » ad omnes et singulos pietatis actus supernaturales ac liberos. » *(Comp., Disp. præv., art. 3, p. 29).* Et explicatius *Duval:* « Ipsa (gratia » cooperans) nihil aliud est quam concursus, quo Deus specialiter no- » biscum concurrit, ad eliciendum actum supernaturalem, ad quem » per gratiam operantem et excitantem commoti et excitati fuimus: » quod primum ex ipso nomine patet: cooperans enim aperte signi- » ficat Deum nobiscum agere per suum concursum, et nos unà cum illo, » per assensum liberi arbitrii. » *(De Gr., q. 4, a. 1; p. 397). Cf. n. 72.*

Juxta Thomistas verò, gratia adjuvans non solum facit nobiscum velle et agere, sed facit nos velle et agere; est nimirum auxilium præveniens et applicans voluntatem ad consensum et ad actum. Juxta eos, per gratiam excitantem seu sufficientem voluntas accipit *solum posse* agere; ut autem a posse transeat ad actum, nova requiritur motio præveniens, gratia scilicet efficax seu adjuvans, quâ voluntas physice præmoveatur et ad actum applicetur. Quæ gratia adjuvans toto cœlo differt ab adjuvante in sensu Tournelii. *(Cf. n. 70).*

Hæc gratia adjuvans Thomistarum est ergo præveniens simul et concomitans: præveniens, quia movet ad actum; concomitans, quia quamdiu voluntas operatur, operatur una cum voluntate et concurrit simultanee cum ea ad positionem actus[1]. Juxta Sorbonicos est solum concomitans.

732. — **Objicitur V.** « Illa doctrina, *inquit L. Habertus*, vel eo » solo titulo in religione non est admittenda, quod sit nova, et Scri- » pturam detorqueat ad sensus sanctis Patribus ignotos, ne dicam » contrarios. Atqui talis est doctrina, quæ efficaciam gratiæ repetit » ab eventu et consensu voluntatis. Ergo. Minor constat ex dictis. » Major probatur ex Tertull., Lib. de Præscriptionibus, cap. 13: *Ex » ipso ordine*, inquit, *manifestatur id esse dominicum et verum, quod » sit prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod sit poste- » rius immissum.* » *(De Grat., cap. 6, § 4; p. 333).* Hæc Habertus Molinistis opponit; atque hæc eadem gratiam oppugnant sufficientem, quam Sorbonici ad actualem orationem vere sufficere dicunt.

[1] Cf. *Philipp. a SS. Trin.*, Disp. 3, dub. 5; p. 485.

Resp. I. Concessâ majori, *dist. min.:* Atqui talis est doctrina quæ efficaciam gratiæ repetit ab eventu et consensu voluntatis: quæ scilicet tam in difficilioribus quam in facilioribus gratiæ efficaciam in actu secundo repetit a consensu voluntatis, *conc.;* hanc enim doctrinam etiam nos supra *(n. 469)* tamquam Scripturis et Patribus adversantem rejecimus; — quæ scilicet in difficilioribus efficaciam gratiæ repetit ex intrinsecâ gratiæ virtute et energiâ, atque in solis facilioribus, præsertim in oratione, repetit gratiæ efficaciam ex consensu voluntatis, *nego.* Ex dictis enim *(n. 617 et ss.)* satis superque constat, juxta Scripturarum et Patrum testimonia, præter gratiam ab intrinseco efficacem aliam esse admittendam gratiam, cujus usus ita libero arbitrio sit commissus, ut ab eo pendeat vel eâ bene uti, vel ei resistere.

733. — Resp. II. Si Tertulliani verba ab Haberto in medium prolata pressius vellemus accipere, tanquam falsa rejicienda forent omnia systemata de modo, quo gratia operatur. Etenim, ante sæculum XVI nullus exstat theologus, qui systema ullum rite concinnatum atque coordinatum protulerit: omnia proinde systemata sunt recentiora, et recens in scholis introducta.

Cum tamen doctrina de modo, quo operatur gratia, nec Patres nec antiquiores theologos potuerit latere, ex antiquitate elementorum, quibus constant diversa systemata, de horum veritate aut falsitate judicium possumus proferre.

Jamverò, iis qui Patrum et antiquiorum scholasticorum dicta absque præjudicata opinione expenderint, luce clarius constabit, ipsos expostulasse tum gratiam ab intrinsecò efficacem pro legis impletione, tum gratiam quamdam debiliorem, gratiam scilicet orationis omnibus communiter concessam, quâ omnes, urgente præcepto, a Deo impetrare valeant gratiam operis. Si enim cuipiam deesset tum gratia operis, tum medium eam obtinendi, hic nec peccati reus haberi posset, si legem non implet, nec ejus æterna perditio ipsi, sed Deo auxilium deneganti, adscribenda esset. Nisi autem admittatur hanc sufficientem orationis gratiam ita esse in hominis potestate ut quilibet, si velit, possit cum eâ actu orare et implorare atque obtinere gratiam operis, quin ad orationem indigeat gratiâ ex se efficaci, quæ omnibus non datur, nec gratia communis orationis posset amplius dici medium ad obtinendam gratiam efficacem, nec Patrum dicta possent intelligi in sensu suo obvio et naturali, sed detorqueri deberent ad sensum ab eorum scopo omninò alienum, imò ipsi omninò contrarium. *Cf. n. 622 et ss.*

734. — Thomistæ, Augustiniani rigidiores, et Congruistæ, retentâ gratiâ ab intrinsecò efficaci, non admittunt sufficientem orationis gratiam, qualem expostulant SS. Patres et antiquiores theologi, sed eam solum admittunt gratiam sufficientem, quæ vere non sufficit, nec est medium aptum ad obtinendam efficacem gratiam, et cujus antiquiores nunquam meminerunt. Horum igitur systemata partem doctrinæ a Patribus et antiquis scholasticis traditæ admittunt, et sub hoc respectu sunt verissima; at partem rejiciunt, et sub hoc respectu nova sunt, et juxta sententiam Tertulliani extranea et falsa.

Molinistæ, retentâ gratiâ sufficienti, quam prædicant antiquiores, eam ad omnia opera extendunt, et gratiam ab intrinseco efficacem penitus expungunt. Partem igitur doctrinæ ab antiquis traditæ retinent, et sub hoc respectu eorum systema consonat veritati; partem verò etiam rejiciunt, et sub hoc respectu novum est eorum systema, et eo ipso extraneum et falsum reputandum.

Soli Sorbonici, utramque gratiam, efficacem scilicet ab intrinseco, et sufficientem ex se solâ vere proxime sufficientem ad actu orandum, suo systemate complexi, totam et integram doctrinam antiquitus traditam amplectuntur; unde et horum systema perfecte concordans cum doctrinâ semper in Ecclesiâ tradita, verius est æstimandum.

Igitur, si diversa systemata juxta regulam ab Haberto ex Tertulliano assignatam expenduntur, dicendum est: soli systemati S. Alphonsi tanquam antiquiori, ac proinde etiam tanquam veriori, standum esse; reliqua verò systemata, utpote ab antiquâ traditione ex parte recedentia ac proinde novitatem redolentia, ad minus tanquam suspecta esse habenda.

735. — **Objicitur VI.** Juxta mentem S. Alphonsi, ut oratio sit medium infallibile obtinendi gratiam efficacem, ipsa necessariò debet esse humilis, confidens, et perseverans. Atqui oratio hisce conditionibus vestita, est res difficilis. Ergo ad debitam orationem jam prærequiritur gratia efficax.

Resp. Ejusmodi difficultatem sibi proponit atque solvit *S. Alphonsus.* « Frustra ergo diceretur, *inquit*, orationem, ut gratiam effi» cacem impetret, fervidam esse debere. Quandoquidem idem auctor » (id est Card. Noris) respondet, tepidâ oratione saltem fervidam obti» neri, et eâ deinde gratiam efficacem. *Colligo... ipsammet tepidam* » *orationem fieri a nobis cum adjutorio* SINE QUO NON, *ac ordinario* » *concursu Dei, cum sint actus... debiles, etc.... Eâ tamen tepidâ*

» *oratione impetramus spiritum ferventioris orationis, qui nobis adju-* » *torio* QUO *donatur*[1]. Quod confirmat auctoritate S. Augustini in » Psalm. XVI ita loquentis: *Quoniam, ut hanc habere possem, exau-* » *disti me infirmius orantem.* »[2] *(Ver. fid., P. 2, c. 17, n. 19; p. 229).*

Apposite *Sfondratus:* « Hæc gratia, seu spiritus orandi, *inquit,* » gradus quoque suos, et minorem majoremque perfectionem habet: » nam quoad initia sua, primosque gradus, a Deo non petitur, sed » sponte gratisque datur (alioquin eundum in infinitum esset, et hoc » ipso, quod petis, jam gratiam petendi habes); non ergo petis, ut » detur, sed datur ut petas: sicut rota, non quia volvitur, rotunda est; » sed quia rotunda est, ideo volvitur; sed quoad majorem intensio- » nem, fervorem et perseverantiam, etiam ipsa gratia orandi postu- » latur; sic enim cum Ecclesia precamur: *Actiones nostras, quæsumus* » *Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta no-* » *stra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finia-* » *tur...* His ergo orandi principiis, quæ nemini desunt, et major ac » perseverantior orandi spiritus, et proximum auxilium Dei ad legem » implendam obtineri possunt. Primis ergo illis precibus, quarum fa- » cultas Dei liberalissimo dono omnibus peccatoribus præsto est, duo » petimus: opportunum videlicet auxilium Dei, tum ad omnem ora- » tionem sequentem (quam oportet humilem, fiducialem, ac perseve- » rantem esse), tum ad omnem operationem honestam et salutarem. » *(Nodus prædest., P. 1, § 2, n. 20; pag. 182).*

736. — Objicitur VII. Si bonus usus gratiæ sufficientis orationis dependet a liberâ determinatione voluntatis humanæ, non recurrendum foret ad inscrutabilia Dei judicia. « Facilem dari rationem posse, » cur unus gratiam efficacem pro opere ultimo consequatur, non alter, » *ait Schelliner;* ille enim secundum Tournelium eam consequitur, qui » perfecit opus facile, aut oravit, et orandi gratiam adjuvantem im- » petravit pro opere consummato, quæ alteri non oranti denegata fuit. » Atqui S. Augustinus profundi hujus mysterii nullam potuit assi- » gnare rationem, sed semper confugit ad inscrutabilia Dei judicia. » Ergo systema Tournelianum cum Augustini principiis non satis co- » hærere videtur. » *(De Gr., n. 233; p. 236).*

Resp. Negandum est 1°, S. Augustinum, ut explicet cur unus, ad opus salutare peragendum, gratiam efficacem accipiat, alter verò non,

[1] Jansen. error. cal. subl., c. 4. — [2] In Ps. 16, v, 6. M., 36. c. 146.

ad inscrutabilia Dei judicia semper provocare. Constanter enim docet, quemlibet, urgente præcepto, accipere gratiam quâ valeat auxilium ad legis impletionem necessarium implorare et certò obtinere. *(Cf. n. 623 et ss.)*. Quibus manifeste innuit, illum accipere gratiam operis, qui eam a Deo precibus expostulat; illum verò non accipere, qui petere negligit.

Negandum est 2°, in systemate Tournelii et S. Alphonsi non recurrendum esse ad altissima Dei judicia. Licet enim ratio generalis indicari possit, cur unus gratiam efficacem accipiat, alter verò non accipiat, multa tamen occurrunt quorum nulla ratio assignari possit, nisi profundissima atque sapientissima Dei voluntas. Sic, v. gr., cum gratia sufficiens orationis suos gradus habeat, cur Deus uni majorem et magis congruam, alteri verò minorem et minus congruam concedat? Cur e duobus hominibus, qui primis gratiis æqualiter resistunt, uni Deus elargiatur minores gratias sufficientes, alteri verò vel æquales ac antea, imò et majores? Aut cur e duobus, qui gratiæ orationis æqualiter resistunt, uni nihilominus det gratiam efficacem, alteri deneget? Cur e duobus, qui pariter orare negligunt, uni detur gratia efficax ad orandum, alteri sola sufficiens, cui resistit? Cur e duobus justis unus rapiatur e vitâ priusquam peccet, et salvetur, alter verò in mediis periculis diutius relinquatur, et peccet, ac demum damnetur? In his similibusque casibus exclamandum est cum Apostolo: *O altitudo!*

737. — Objicitur VIII. S. Alphonsus scientiam mediam rejicit. Ait enim in suis litteris ad Remondini, die 9 Dec. 1769: « Scias atque » omnibus dicas, me in meo libro Concilii Tridentini, doctrinis scho» lasticis Patrum Societatis non favere; ipsi enim mordicus defendunt » scientiam mediam; ego vero ipsam ex proposito oppugno. » Atqui S. Alphonsus admittit gratiam sufficientem, cujus effectus, utpote dependens a liberâ determinatione voluntatis creatæ, non aliter nisi ope scientiæ mediæ a Deo cognosci potest. Ergo S. Alphonsus sibi contradicit, dum speculative scientiam mediam rejicit, practice verò in suo systemate admittit.

Resp. Scientiam mediam ad effectum gratiæ sufficientis prænoscendum in systemate S. Alphonsi non requiri, ex ipsâ notione scientiæ mediæ, qualis a Medistis exponitur, manifestum est.

Secundum Molinistas, scientia media illa est, quam Deus habet de futuris conditionatis, independenter ab omni decreto, et antecedenter

ad omne decretum ex parte sui [1]. Et speciatim, quando agitur de gratiâ, scientia media est illa, quâ Deus antecedenter ad omne decretum de dandâ tali vel tali gratiâ, cognoscit quid quilibet homo facturus sit, si hæc vel illa gratia ei concedatur: quâ prælucente notione, Deus decernit dare cuique homini hanc vel illam gratiam, quam antecedenter ad omne decretum cognovit fore efficacem vel inefficacem ob prævisum consensum vel dissensum creatæ voluntatis. Quâ explicatione optime conciliari putant Molinistæ creatam libertatem cum infallibili gratiæ efficaciâ.

Jamverò in nostro systemate Alphonsiano, nullatenus opus est ut admittamus in Deo ante quodcumque decretum illam, quam adstruunt Molinistæ, conditionatorum notitiam. Non dicimus Deum, priusquam ferat decretum de dandâ gratiâ sufficienti, explorare quid voluntas sit actura, si hæc vel illa gratia ei concedatur; nec affirmamus, Deum, in distributione gratiarum sufficientium dirigi scientiâ illâ præviâ, quæ media dicitur. Sed asserimus Deum, ob seriam suam, sed antecedentem voluntatem salvandi omnes homines, decrevisse, ante omnem prævisionem consensûs vel dissensûs ex parte creatæ voluntatis, dare cuique homini, mensurâ tamen inæquali, sed semper sufficiente, satis gratiarum ut salvari possit, dummodò velit; et videre simul, scientiâ visionis consequente decretum, consensum vel dissensum hominis, efficaciam vel inefficaciam gratiæ sufficientis in actu secundo.

Affirmamus utique Deum effectum gratiæ sufficientis prævidere, quia homo ei consentit; sed hæc notio, quippe quæ decretum de dandâ gratiâ consequatur, a Medistarum scientiâ mediâ undequaque discrepat. Nullatenus igitur scientiâ mediâ indigemus ad prævisionem effectûs gratiæ sufficientis. Recte igitur et absque ullâ contradictione S. Alphonsus scientiam mediam rejicit.

738. — **Insto.** Ex dictis sequitur systema S. Alphonsi mancum esse atque nullatenus scientificum. Enimverò: In gratiâ sufficienti S. Alphonsus rejicit decreta prædeterminantia, nec scientiam mediam admittit, nec usquam modum explicat, quo Deus effectum hujus gratiæ cognoscat. Ut autem systema aliquod de gratiâ integrum sit atque scientificum, prorsus necesse est ut explicetur quomodo Deus hunc effectum certò ac infallibiliter cognoscat.

[1] « La différence des Thomistes et des Jésuites à cet égard, *ait P. Daniel S. J.*, consiste en ce que les Thomistes mettent la science des conditionels après le décret, et les Jésuites indépendamment de tout décret. » *(Lettres théologiques au P. Alexandre, lettre 9e. Edit. Cologne, 1698, pag. 216).*

Resp. Non diffitemur, nos hìc summam atque insolubilem offendere difficultatem; nec tamen hanc ob rationem systema Alphonsianum dicendum est magis mancum aut minus scientificum, quam adversariorum systemata. Quæ enim nobis occurrit insolubilis difficultas, eamdem aut insolutam relinquunt alia systemata, aut eam dum solvere conantur, in inextricabiliores adhuc incurrunt difficultates.

Agitur enim in præsenti difficultate de *medio in quo* Deus infallibiliter prænoscit futura contingentia, quæ a liberâ voluntatis humanæ determinatione dependent: et in hoc medio assignando deficiunt omnia systemata.

739. — 1° Docent *Molinistæ* et *Congruistæ*, Deum ope scientiæ mediæ infallibiliter cognoscere quid voluntas creata actura sit, si hæc vel illa gratia ei concedatur. Si autem ab ipsis petis in quonam medio Deus ope scientiæ mediæ futurum consensum prævideat, respondent Molinistæ cum Molina, Deum istum consensum prævidere in ipsâ voluntate humanâ, quam supercomprehendit; respondent Congruistæ cum Suarez, Deum consensum cognoscere per suam essentiam in veritate objectivâ ipsius consensûs. Quia, ut dicunt Congruistæ, essentia divina, in quâ omnium futurorum ideæ præexistunt, ex se determinata est ad cognoscendum omne verum; cum autem actus contingens sit determinate verus, ipse est immediate terminus divinæ cognitionis, non quidem ut causa movens, sed ut conditio divinæ intuitionis.

740. — Sed istæ explicationes rem nullatenus explicant, nec verum *medium in quo* afferunt. *a) Non supercomprehensio voluntatis humanæ.* « Quantumcumque enim, *ait Kleutgen*, et voluntas ipsa et » res adjunctæ omnes comprehendantur, non potest in iis videri, quod » in iis non est. Atqui nec in voluntate nec in rebus cæteris sive sin» gulis sive universis est, quod voluntatem, si quidem vere libera sit, » determinet. Dum autem non cognoscitur id, quod voluntatem deter» minet, nec quam partem sit electura prævidetur. » *(De Deo, L. 1, q. 3, c. 2, a. 17; pag. 324).* Medium igitur a Molinistis assignatum nihil explicat, et modum quo Deus cognoscit futurum nostrum consensum, insolutum relinquit.

b) Non rerum objectiva veritas. Verum quidem est, divinam essentiam omnia repræsentare; sed per se tam possibilia quam reapse futura repræsentat. Porro, in explicatione Suaresii non indicatur quid sit illud, quod divinam essentiam determinat ad repræsentandum futurum, ut realiter exstiturum, et non solum ut

possibile. « Plura, *inquit Kleutgen*, quæ in hac expositione dicuntur, » optime dicerentur, si demonstrandum esset, futura hæc a Deo co- » gnosci; at siquidem quæritur, in quo medio cognoscantur, vereor, » ne satisfaciant. Recte sane argumentamur, quoniam futura, de qui- » bus loquimur, sunt quædam vera, non posse non cognosci a Deo, » cujus virtus cognoscendi infinita est, et cognosci quidem in sua es- » sentia, cujus item virtus repræsentandi fine caret. Sed hoc modo » quæstio nostra de medio hujus divinæ scientiæ non solvitur. Es- » sentia divina, ut est *causa exemplaris* et *ideæ* ipsæ non repræsentant » hæc futura nisi tanquam mere possibilia. Nos igitur hìc quærimus, » *sub qua ratione* considerata essentia divina ea repræsentet, tanquam » quæ actu vel sunt futura, vel posita conditione essent futura. Ad » hanc igitur quæstionem in hac sententia non respondetur. » *(Loc. cit., p. 321)*. Congruistæ igitur modum, quo Deus futurum nostrum consensum prævidet, etiam insolutum relinquunt.

741. — 2° *Augustiniani*, qui pro statu naturæ innocentis solam gratiam versatilem agnoscunt, docent, Deum futurum effectum gratiæ Adamo innocenti concessæ cognovisse, quia effectus ille erat Deo physice præsens in sua æternitate; pro statu verò naturæ lapsæ dicunt Deum futurum nostrum consensum videre in decreto absoluto dandi gratiam ex se efficacem.

Jamvero: *a*) Ultro concedimus omnes res futuras esse ab æterno physice præsentes Deo; intuitus quippe Dei, qui mensuratur æternitate et omnia tempora complectitur, fertur ab æterno in omnia, tanquam sibi præsentia, ut optime explicat S. Thomas, *(P. 1, q. 57, a. 3, et q. 14, a. 13)*. At, quantumvis res ponantur Deo physice præsentes in æternitate, declarandum insuper restat, quænam sit pro divino intellectu ratio attingendi futurum in ejus præsentialitate positum. Hæc ratio nequit esse ipsa præsentia rei, secus Deus suam scientiam acciperet a rebus, quod repugnat; sed debet esse aliquid in ipso Deo, quo determinatur ipsa divina essentia ad repræsentandam rem ut sibi præsentem: hoc autem quid sit, non indicant Augustiniani. Nullum igitur medium assignant, in quo Deus pro statu innocentiæ potuerit ab æterno infallibiliter videre effectum gratiæ versatilis Adamo concessæ.

b) Pro statu naturæ lapsæ, cum Augustiniani non admittant nisi gratiam ab intrinseco efficacem, optime intelligitur quomodo Deus in ipso decreto dandi gratiam efficacem, hujus gratiæ effectum infallibiliter cognoscat.

742. — Permagna tamen superest difficultas, quam nullus Augustinianorum hactenus competenter solvit. Docent plerique ex Augustinianis, Deum gratiam efficacem iis elargiri, qui sufficienti non resistunt; iis verò denegare qui resistunt sufficienti. *(Cf. n. 455).* Quare petitur ab ipsis, in quonam medio Deus cognoscat unum esse sufficienti consensurum, alterum verò non? Non possunt dicere, Deum consensum voluntatis cognoscere in decreto dandi gratiam sufficientem: istud enim decretum non habet cum consensu infallibilem connexionem, ac proinde Deus nequit in eo videre talem consensum modo infallibili. In quo igitur medio Deus futurum hunc consensum videat, non explicant.

Alii dicunt, Deum gratias efficaces elargiri pro suæ voluntatis beneplacito, nullo habito respectu consensûs vel dissensûs gratiæ sufficienti præstiti. Propositam tamen difficultatem nequeunt effugere. Etenim: qui solam accipiunt gratiam sufficientem, vel cum eâ agere possunt, si volunt, non obstante infirmitate ex peccato originali contractâ, vel agere non possunt. Si agere non possunt, actum est de gratiâ vere et relative sufficienti, et urget censura ab Ecclesia contra Jansenistas lata. Si agere possunt, petitur ab eis, in quonam medio videat Deus dissensum eorum voluntatis. Non in infirmitate humanâ, quippe quæ non habet cum dissensu infallibilem connexionem, secus gratia non foret relative sufficiens. Non in voluntate, quippe quæ per gratiam sufficientem non magis determinatur ad consensum quam ad dissensum; et ipsa voluntas sub hac gratiâ potest velle aut non velle; unde Deus in eâ non potest videre quod in eâ determinate non est. Non in divino decreto: si enim Deus decrevisset dare gratiam ut esset inefficax (sicut decrevit dare gratiam efficacem ut producat effectum), Deus sibi contradiceret, hominibusque illuderet, dando nimirum gratiam, quæ ex naturâ suâ ordinatur ad effectum, et decernendo simul ut effectum infallibiliter non producat. In quo igitur medio Deus videre possit illum dissensum, non patet; et Augustiniani nullum indicant.

Augustiniani igitur in propositâ difficultate solvenda deficiunt non secus ac S. Alphonsus; unde et eorum systema pariter mancum dicendum foret.

743. — 3° Docent *Thomistæ*, Deum omnes consensus nostros supernaturales videre in decretis absolutis physice prædeterminantibus.

Non diffitemur decreta ista prædeterminantia præmotione physicâ, si exstant, esse medium aptissimum, in quo Deus videat futuros nostros consensus gratiæ præstandos. Decreta autem physice prædeter-

minantia reverà existere in Deo, nullatenus est compertum, et plerique theologi extrà scholam thomisticam ea prorsus rejiciunt. Demus autem ea reapse exstare, non ideò tamen tollitur proposita difficultas, et qui ex Thomistis eam enodare conantur, in majores adhuc atque inextricabiliores insiliunt difficultates.

Docent communiter Thomistæ, hominem gratiâ sufficienti prævenitum, efficacem ideò non recipere quia sufficienti resistit, vel (quod eodem recidit), quia peccato suo impedimentum ponit ne efficacem recipiat. *(Cf. n. 406).* Hìc autem quæritur a Thomistis in quonam medio Deus videat illum dissensum, vel illud peccatum?

744. — Juxta rigidiores Thomistas, Deus futura peccata et futurum dissensum prævidet in suis decretis absolutis prædeterminantibus ad entitatem physicam actûs, cui ex pravâ hominis voluntate accedit malitia. Ab his petitur: utrum malitia illa accedat entitati physicæ necessariò, an libere ex parte hominis? *Si necessariò,* Deus ipse dicendus est auctor peccati: positâ enim efficaci motione Dei, impossibile est ut homo non agat, ut fatentur ipsimet Thomistæ; et cum homo actui suo physico necessariò addat malitiam, hæc ipsi imputari nequit, sed tota debet attribui Deo moventi ad actum, cum quo malitia est inseparabilis. Et tamen juxta hos auctores, Deus hominem ob hoc peccatum punit: quod certe Dei sanctitati omninò opponitur, et summam in eo denotat crudelitatem. Si verò malitia accedit libere, quia scilicet homo vult eam libere addere, quæritur: in quo medio Deus illam liberam voluntatis determinationem videat? Certe non in ipso decreto præmovendi ad entitatem physicam actûs, quippe quod decretum secum patitur possibilitatem non addendi malitiam, unde et hæc non potest in ipso infallibiliter videri. In quo igitur medio Deus illam videat, non determinant Thomistæ. — De cætero, hanc explicationem alii ex Thomistis rejiciunt tanquam Deo plane indignam et doctrinæ calvinianæ nimis propinquam.

745. — Alii igitur docent, Deum futurum dissensum futuraque peccata prænoscere *in decreto permissivo,* quod, ut ait *Gavardi,* est: « actus voluntatis divinæ, quo Deus vult aliquibus denegare tale » auxilium, cum quo consentirent. » *(Theol. exantiq., q. 3, a. 7, T. 2, pag. 91).*

Porro, hic modus dicendi est fucata difficultatis evasio, non autem solutio. Positâ enim prædicti auxilii denegatione, quæritur: an homo, cui denegatur illud auxilium, possit cum gratiâ sufficienti agere, vel non. *Si non potest,* non est culpabilis, si non operatur; quia nullus est culpandus de omissione rei quam facere nequit. *Si potest,* quæ-

ritur: ubinam Deus videt hunc non acturum? Certe, non in ipso decreto permissivo, quippe quod supponit possibilitatem consensûs et operationis, ac proinde non potest Deo dissensum infallibiliter repræsentare. In quonam igitur medio Deus videt hunc dissensum? — *Præterea*, ulterius etiam quæritur: Quænam est ratio cur Deus ponat decretum illud permissivum? An Deus illud ponat unice propter suum beneplacitum? Tunc non apparet quomodo Deus velit seriò eorum salutem, quibus absque eorum culpâ auxilia ad bene operandum necessaria denegat. An propter quoddam eorum præcedens peccatum actuale? Tunc de illo peccato quæritur, in quonam medio Deus illud videat? Si propter solum peccatum originale, quæritur in quonam medio Deus primum Adami peccatum viderit? Quibus quæsitis nulla competens responsio datur nec dari potest ab iis, qui ad decreta permissiva provocant.

746. — 4° Rectius igitur docent alii theologi, modum quo Deus actus nostros, qui ex liberâ voluntatis nostræ determinatione unice pendent, cognoscit, esse nobis omninò incomprehensibilem atque inexplicabilem.

SS. Patres istam de divinâ scientiâ quæstionem explicare non attentarunt, sed suam ignorantiam ingenue confessi sunt. « Non audeamus » dicere, *inquit S. Augustinus*, quomodo novit Deus? Ne forte hoc a » me, fratres, exspectetis ut explicem vobis quomodo cognoscat Deus; » hoc solum dico: non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut » angelus; et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire » non possum. » *(In Ps. 49. M., 36, c. 576).*

S. Thomas de *medio in quo* scientiæ Dei nullibi locutus est, sed unice affirmat Deum omnia videre, quia æternus ejus intuitus fertur in omnia sicut in subjecta sibi præsentialiter, quin modum indicet, quo æternus Dei intuitus subjecta sibi præsentialiter attingat. *(Cf. P. 1, q. 14, a. 13).*

Quâ de quæstione agens, ait *Bellarminus:* « Res est omninò diffi- » cilis et fortasse in hac vita incomprehensibilis, qua ratione Deus » futura prænoscat. Et hoc videtur indicasse David in Ps. 138, cum » ait: *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non » potero ad eam.* Illud enim *ex me* hebraica phrasi significat *præ me,* » sive *super me*, ut sensus sit: Mirabilior est modus scientiæ tuæ, quam » ut ego comprehendere possim. » *(De Gr., L. 4, c. 15).*

Ex antiquioribus scholasticis non pauci hanc quæstionem de *medio in quo* divinæ scientiæ jam judicarunt insolubilem, teste *Gregorio Ariminiensi:* « Dico ergo, *inquit*, conformiter intentioni Augustini, Da-

» masceni atque Boetii, necnon etiam plurium doctorum magnorum » modernorum, quod modus iste, quo Dei sapientia cuncta futura certe » prænoscit, incomprehensibilis et inexplicabilis nobis est. » *(1 Sent., D. 38, a. 2).* — Et *Guillelmus Ockam:* « Indubitanter est tenendum » quod Deus certitudinaliter et evidenter scit omnia futura contin- » gentia; sed hoc evidenter declarare, et modum quo scit omnia fu- » tura contingentia exprimere, est impossibile omni intellectui pro » statu isto. » *(1 Sent., D. 38, q. 1).* — Et *Petrus Alliacensis:* « Ideo » aliter dicunt aliqui quod modus ille, quo Deus cuncta futura cer- » titudinaliter procognoscit; non est nobis clare intelligibilis nec a » nobis perfecte explicabilis pro statu viæ. » *(In 1 Sent., q. 11, in fine puncti 2).* Cum antiquioribus concordant plures ex recentioribus, ut *Kleutgen* [1], *Egger* [2], *Lambrecht* [3], *Dalponte* [4], *de Regnon* [5], *Billot* [6].

747. — Quod SS. Patres atque theologi suâ auctoritate, id ipsum ratio argumentis confirmat. Etenim: quæ de Deo cognoscimus, ea vel per naturalem investigationem vel per revelationem accepimus. Atqui ex neutro fonte modus, quo Deus futura libera contingentia cognoscat, nobis manifestatur. *a) Non ex naturali investigatione.* Cum modus cognoscendi sequatur modum essendi, ideo, ut modum quo Deus cognoscit, naturaliter cognoscere possemus, modum, quo existit, perfecte deberemus cognoscere. Sed perfecta notio de modo essendi Dei est nobis naturaliter impervia. Ergo et ejus modus cognoscendi. — *b) Non ex revelatione.* Rerum omnium perfectissimam in Deo existere scientiam, divina revelatio nobis manifestat; de modo autem quo, seu de medio in quo Deus cognoscat, prorsus silet; nec ulla etiam suppeditat principia, ex quibus modum, quo Deus libera futura contingentia cognoscat, deducere possimus; nullum siquidem tale principium in medium unquam adferri potuit.

748. — Consultissime igitur atque sapientissime S. Alphonsus, Patrum vestigiis insistens, medium in quo Deus effectum gratiæ sufficientis videt, explicare non est aggressus. Nec propterea tamen ejus systema dici potest minus integrum, aut minus scientificum, aut minus certum, quam adversa systemata: imo illius systema alia superat certitudine. In theologiâ enim innitendum est primariò principiis fidei, et secundariò tantum principiis philosophicis, quatenus scilicet his

[1] De Deo, L. 1, q. 3, c. 2, a. 17; p. 325. — [2] Enchirid., Tr. 1, sect. 3, c. 1, § 2, n. 51; p. 59. — [3] De Deo, P. 2, c. 4, § 1; p. 174. — [4] Compend. theol., De Deo, c. 4, a. 3; p. 86. — [5] *Bannez* et *Mol.*, p. 113 et seq. — [6] De Deo, q. 14, thes. 22, § 1, n. 3.

opus est aut ad fidei principia tuenda, aut ad conclusiones theologicas ex ipsis deducendas. Porro, Molinistæ et Congruistæ tanquam fundamentum sui systematis statuunt scientiam mediam ex philosophiâ haustam: fundamentum omninò debile, cum scientia media limites opinionis philosophicæ minime excedat; quare et eorum systemata vacillantia omnino atque dubia remanent; insuper nec in traditione Patrum et antiquiorum scholasticorum sunt commendata. Thomistæ suum systema super præmotionem physicam ex philosophiâ pariter haustam, totum ædificant. Cum autem nec præmotio physica limites opinionis philosophicæ excedat, systema in eâ superexstructum magnam non potest habere firmitatem. S. Alphonsus nullum principium philosophicum tanquam petram angularem sui systematis assumit, sed inconcussas veritates revelatas in SS. Scripturis et traditione contentas, quæ cum sint omninò firmæ et indubiæ, maximam suo systemati tribuunt firmitatem ac certitudinem.

COMMENDATIO SYSTEMATIS S. ALPHONSI.

Systema alphonsiano-sorbonicum, ut modo dictum est, solidiori quam cætera innititur fundamento, ex quo majorem etiam quam cætera accipit firmitatem atque certitudinem. Sed nec alia desunt argumenta, quæ hoc systema præ cæteris commendant, *(cf. n. 392).*

749. — I. In hoc alphonsiano systemate reperitur tum gratia ab intrinseco efficax, quam ex SS. Scripturis et Patrum testimoniis admittendam esse conspicuum est; tum gratia vere et relative sufficiens, qualem requirunt SS. Scripturæ et SS. Patres, quacum scilicet quilibet homo, si velit, actu valeat orare. In eo præterea systemate nexus, qui gratiam sufficientem inter atque efficacem intercedit, in aprico ponitur, dum docet sufficientem esse viam ad efficacem, atque medium necessarium simul et infallibile ad efficacia gratiæ auxilia sibi comparanda. In eo demum, saltem aliquatenus, intelligere licet quomodo hominis libertas sub motione gratiæ suapte naturâ efficacis intacta possit remanere.

« Ex iis, quæ exposita fuerunt, *inquit Albertus a Bulsano, (Knoll),* » satis patet, hoc ultimum systema fini suo maxime congruere, quo» niam in ipso tum de gratiâ efficaci, tum de libertate hominis, tum » de gratiâ sufficiente claræ notiones traduntur, et istorum dogmatum » nexus, quantum fieri potest, manifestatur. » *(Theol., P. 4, sect. 1, c. 3, a. 2, § 435, nota 3, p. 221).*

Si verò alia ad trutinam revocantur systemata, illicò comperitur in quolibet eorum aliquid desiderari, cum Molinistæ et Congruistæ gratiam respuant ab intrinseco efficacem, Thomistæ et Augustiniani gratiam sufficientem non satis salvent; nec Thomistæ præterea libertatem sub motione gratiæ efficacis conservare videantur; nulli vero nexum gratiam sufficientem inter atque efficacem competenter valeant explicare.

750. — II. Systema alphonsiano-sorbonicum alia systemata antiquitate superat. SS. Patres et veteres theologi, sicuti supra abunde probatum est, *(cf. 622 et ss., 640 et ss.)*, duplex agnoscunt auxilium gratiæ: speciale unum, quod invictissime, insuperabiliter, indeclinabiliter suum semper producit effectum; alterum commune seu sufficiens, omnibus, urgente præcepto, concessum, quo auxilium speciale a Deo efflagitare possint. Cum autem hæc duo auxilia, qualia sunt ab antiquioribus tradita, in solo inveniantur systemate alphonsiano, sequitur hoc systema alia superare antiquitate; et cum illud, quod est in Ecclesia antiquum et constanter traditum, sit etiam verissimum, eximiam præ cæteris ex antiquâ traditione systema S. Alphonsi sibi vindicat auctoritatem.

Inconsiderate igitur agunt qui « zelo paulò ardentiori, *ut ait Tour-* » *nely (Montan.)*, insurgunt in istam postremam opinionem, quasi nova » foret, ad nos usque in scholis sorbonicis inaudita. » *(De Grat., P. 2, q. 7, a. 1)*.

Neque minus leviter et inconsiderate agunt, qui hoc systema insimulant eclectismi, perinde ac si ex partibus ab aliis systematibus mutuatis coalesceret. Hoc equidem systema, utpote præ aliis antiquitate commendatum, a cæteris nihil mutuatum est; sed quæ habet, a Patribus et antiquioribus scholasticis accepit, quorum doctrinam integre refert. Cætera verò systemata Patrum et antiquiorum scholasticorum doctrinam ex parte tantum referunt, cum vel gratiam suapte naturâ et ab intrinseco efficacem prorsus eliminent, vel talem statuant gratiam sufficientem, quæ de facto non videatur vere sufficiens: quâ de causâ, et hæc cætera systemata manca existunt, ac tot tantisque obnoxia sunt difficultatibus.

751. — III. Hoc S. Alphonsi systema conformius est regulæ ad seligendas opiniones inter theologos hinc inde agitatas traditæ. « Porro, » *ait Hilarius Parisiensis*, circa theologos hæc regula statuenda est: » Dissentientibus doctoribus, si pars partem æquare videatur, oppor-

» tunum est mediam viam quærere; quia quando duabus opinionibus » invicem diu certantibus, nulla aliam superavit, concluditur in utra- » que aliquid veritatis et aliquid erroris inesse: unde pura veritas in » medio invenienda est. » *(Cur Homo Deus; p. 102)* [1].

Si igitur in medio veritas, systema alphonsianum, quod mediam inter opposita systemata inivit viam, illis extremis verius existit, complectens in se quidquid veritatis in aliis invenitur, rejiciens verò quidquid erroris cætera commaculat.

752. — IV. In hoc systemate divina attributa perfectius quam in cæteris elucent. « Ex eodem systemate, *ait Knoll, (loc. cit.)*, attributa » divina clarius pro captu nostro elucent; nempe *omnipotentia*, quæ » multiplici modo in homine operatur, et partim ita eum adjuvat, ut » gratiæ efficacia, vel inefficacia a consensu dato vel negato depen- » deat, partim verò per gratiam istam consensum simul cum libertate » producat; *sapientia*, quæ modum invenit, quo fit, ut in ordine sa- » lutis nihil quidem sine gratiâ fieri possit, et tamen eadem salus, » quæ est opus gratiæ, etiam meritum hominis recte dicatur, imò qui- » libet actus salutaris tum gratiæ, tum libero arbitrio adscribendus » sit; *bonitas*, quæ gratias sufficientes omnibus elargitur eosque ad » preces, aliaque opera facilia adhortatur, quibus auxilia ab intrin- » seco efficacia, et effectus salutares indeclinabiliter et insuperabiliter » producentia obtinere queant; ac demum *justitia*, quæ sicut debito » modo petentibus, quærentibus, pulsantibus, gratias efficaces concedit, » ita easdem orationem aliaque opera facilia negligentibus justissimo » judicio denegat... In eodem systemate facilius declaratur quomodo » Deus velit omnes homines salvos fieri, et non sit acceptor perso- » narum. »

753. — V. « *Magnum veritatis argumentum!* exclamat Hurter, » agens de systemate Molinæ. *Præferendum* omnino videtur illud sy- » stema quocum concordat praxis, modus loquendi quotidianus et unice » aptus ad excitandos homines ad omne virtutis studium, illi theoriæ, » a qua plus minus dissentit praxis modusque practicus instituendi » populum christianum. » *(Comp. theol. dogm., T. 3, n. 110)*.

Jamverò, cum systemate S. Alphonsi perfectius quam cum aliis concordat praxis, modus loquendi quotidianus et unice aptus ad promovendum virtutis studium.

[1] Cf. *Knoll*, Cap. 2, a. 2, § 435; p. 211.

Ad praxim enim et modum loquendi quotidianum quod attinet, nihil in ore Christi solemnius, nihil apud Apostolos et Ecclesiæ Patres frequentius, nihil concionatoribus et animarum moderatoribus est antiquius, quam orationis petitionisve commendatio. Porro, apud Thomistas, Augustinianos et Congruistas, nulla, nisi suis contradicant principiis, potest esse orationis commendatio; Molinistæ orationis utilitatem agnoscunt, ejus tamen necessitatem non satis extollunt, unde in totâ sui systematis expositione Molina orationem ne nominat quidem, Lessius bis terve ad eam obiter alludit, nec ex horum sequacibus quisquam citari potest, qui orationi congruum assignavit locum. Solum existit systema alphonsianum quod tantum salutis medium a Christo et Sanctis tam enixe commendatum, extollit et inculcat. Praxi igitur et modo loquendi quotidiano conformius est systema S. Alphonsi, ideoque et aliis omnibus præferendum.

Ad virtutis studium quod attinet, idem est asserendum. « Hoc ultimum systema (sorbonico-alphonsianum), *inquit Knoll*, ad moralitatem promovendam efficacissimum est. Cum enim in isto dicatur gratiam sufficientem cuilibet adesse, maximum illud moralitatis obstaculum tollitur, quo homines gratiam ad observanda divina mandata necessariam sibi deesse dictitant, desidiam suam inique excusantes. Posita hac doctrinâ, homines potius quovis tempore cavere debent, ne ipsimet gratiis acceptis desint, atque ideò continuò vigilare, ad inspirationes attendere, iisdemque obtemperare tenentur, ut tali modo actus pietatis faciles ponentes, ac præcipue sine intermissione cum verâ humilitate et firmâ confidentiâ orantes, gratias ab intrinseco efficaces obtineant, quibus muniti, etiam graves tentationes superabunt, ardua quæque præcepta observabunt, et salutem suam operabuntur, etc. » *(Loc. cit.)*.

Præterea, cum in hoc nostro systemate dicatur, gratiam efficacem, quæ ad gravia præcepta implenda vel ad graves tentationes superandas est necessaria, ordinarie nonnisi orantibus concedi, imponitur etiam homini obligatio faciendi quod est in se, et speciatim non exponendi se temere periculo peccandi, ne uberiori illâ gratiâ se reddat indignum. Qui enim hæc negligeret, confisus virtuti suæ orationis, hic admodum præsumptuose ageret, nec ejus oratio exaudiri mereretur: quod certe moralitatem promovet, et virtutis studium commendat. Contra, cum Molinistæ doceant, gratiam, quoties urget præceptum, esse arbitrio humanæ voluntatis commissam, inde fit ut non adeo magna ipsis cura esse debeat de principio: *facienti quod est in se*, etc., aut de fugâ occasionum peccandi: quia, juxta eos, homo, quantumvis

temere se exponat periculo, potest semper cum gratiâ, quam habet, periculum arcere, si velit. Sic, v. gr., innixus suo systemati molinistico, docet explicite Génicot, S. J., hominem, si nulla exstat causa rationabilis, teneri quidem sub gravi vitare probabile periculum mortis corporalis; non teneri autem sub gravi vitare probabile periculum peccandi mortaliter, quia *gratiæ divinæ ope semper potest periculum arcere. (Theol. mor., Tom. 2, n. 372).* Quæ doctrina, in systemate Molinæ logice fundata, quomodo moralitatem promoveat aut fideles ad studium accendat virtutis, facile nequit intelligi.

Meritò igitur scribere potuit Martinet: « Sanctissimus et doctissi- » mus Alphonsus de Ligorio eam proposuit de efficaciâ gratiæ sen- » tentiam, quæ nobis semper magnopere placuit, utpote cæteris ea de » re sententiis et speculative fundatior, et practice procul dubio uti- » lior. Quid enim prodest de gratiâ efficaci multa disserere, nisi modum » discamus tantum bonum nobis et proximo conciliandi? » *(Theol., Tom. 4, p. 81).*

754. — VI. Demum, systemati Alphonsiano summum robur addidit ipsius Ecclesiæ docentis auctoritas, quæ, dum de decernendo ejus auctori titulo Doctoris agebatur, illud laudibus extulit.

Supplicem libellum Pio IX obtulerunt sexcenti septuaginta et octo Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi ex totius mundi partibus, ut ab eo titulum Doctoris S. Alphonso efflagitarent; atque inter rationes, quæ S. Antistitem eo titulo esse dignum probant, enumerare non omiserunt ejus doctrinam de oratione et de modo, quo operatur gratia [1].

De ejusdem systemate cum majori adhuc laude locuti sunt septuaginta sex Episcopi Austriæ et Hispaniæ in speciali suo supplici libello in eumdem finem S. Pontifici oblato. « Docuit S. Alphonsus, *inquiunt*, » Scriptis suis theologico-asceticis *de Gratia et Oratione*, in quibus, » variis variarum Scholarum discussis systematibus, ac confutatâ per- » versâ Jansenii doctrinâ, invicte probat: Ad servanda mandata, ne- » cessariam esse gratiam efficacem ab intrinseco, hanc autem gratiam » efficacem obtineri ope gratiæ sufficientis Orationis; seu: omnibus » hominibus a Deo dari gratiam, qua possunt actu orare, quin ad hoc » aliâ novâ indigeant gratiâ; et ab omnibus, ope orationis, obtineri » posse omnia ad servanda mandata et salutem consequendam auxilia » necessaria. Qua de re loquens Emus Card. Villecourt in Vita S. Al- » phonsi a se conscripta, summâ motus admiratione exclamavit: *En*

[1] Cf. Causa Doctoratus, Supplices litteræ, p. 7, 11 et 125.

» *præclaram doctrinam, vel si mavis, mirabile systema sancti nostri* » *Auctoris de gratiâ et oratione. Hæc doctrina tantum nobis attulit* » *delectationis, ut, licet elapso jam dimidio sæculo, nunquam ex animo* » *nostro discesserit. Siquidem nobis videbatur, nullum exstare posse* » *novatorem, quadam æquitate ac ratione præditum, quem ipsa, æque* » *ac nos, non convinceret. Hæc enim doctrina, dum Dei bonitatem* » *ejusque providentiam mirifice extollit, miserorum peccatorum erigit* » *animos, ne in desperationem incidant, gratiâ necessariâ orbatos sese* » *credentes. Ipsa peccatoribus simul ostendit, omnes qui mortem in-* » *currunt æternam, nonnisi propriâ culpâ perire, eo quod Deus nulli* » *deneget donum orationis, cujus ope, omnia impetrantur auxilia ad* » *salutem æternam consequendam necessaria.* » *(Causa Doct., p. 27).*

Septingenti igitur et quinquaginta Episcopi, id est, fere omnes judices fidei, systema S. Alphonsi approbarunt tanquam illud in quo, *expositâ verâ S. Augustini doctrinâ super delectatione victoriosa et libero arbitrio, mirum in modum probatur, omnibus hominibus dari gratiam, qua possunt actu orare, quin ad hoc alia nova indigeant gratia; et ab omnibus, ope orationis, obtineri posse omnia auxilia ad servanda mandata et salutem consequendam necessaria;* (Causa Doct., p. 7); et in quo, *variis variarum Scholarum discussis systematibus, ac confutata perversa Jansenii doctrina, invicte probat* (S. Alphonsus): *Ad servanda mandata, necessariam esse gratiam efficacem ab intrinseco, hanc autem gratiam efficacem obtineri ope gratiæ sufficientis orationis.* (Loc. cit., p. 27).

Ubi autem est aliud aliquod systema, quod in sui favorem queat tantum agmen testium aut talem suffragiorum numerum allegare?

755. — Et nunc peto, quî fieri possit ut theologi quidam recentiores, qui post concessum sancto Alphonso titulum Doctoris scripsêre, et Doctoris auctoritatem in doctrinâ de gratiâ supra omnem aliam ponunt, ita ut exclament: « Equidem existimo, longe difficilius esse, » ut in hac re a veritate aberraverit insignis Ecclesiæ Doctor S. Fran- » ciscus Salesius, quam Dominicus Bañez! » [1] — Quî fieri possit, inquam, ut hi theologi alphonsianum systema, a Doctore Ecclesiæ propositum et propugnatum, vel prorsus ignorent, vel tam parvi faciant, ut illud absque examine rejiciant et ne dignum quidem reputent quod exponatur a theologo. Istiusmodi agendi ratio ad minus in eis denotat vel insignem ignorantiam, vel stupendam animi levitatem, vel pertinacem præconceptis opinionibus adhæsionem, theologo plane indignam.

[1] *Schiffini,* Tract. De Grat., disp. 4, n. 262; p. 440.

PARS SECUNDA.

DE GRATIA HABITUALI

756. — Magnum Dei donum, sicut ex hactenus disputatis constat, est gratia actualis; majus verò charisma est gratia sanctificans, per quam ipsius divinæ naturæ efficimur consortes, et ad quam acquirendam, conservandam atque augendam concurrunt omnia ea actualia auxilia, quæ mortalibus a Dei benignitate conferuntur. Iis igitur perpensis, quæ ad gratiam actualem spectant, de gratiâ habituali seu sanctificante jam est nobis agendum.

Ut autem vel ab initio hujus dissertationis jam elucescat quanti momenti ea sit pro vitâ christianâ, statim indicare juvat quæ *Contensonius*, de gratiæ decoribus agens, eâ de re edisserit. «Gratia sanctificans, *inquit*, simpliciter et antonomastice gratia dicitur, quia cæteræ quæque vel dispositiones ad illam sunt, vel fructus, vel illius ancillæ, vel certe tutelæ. Illâ filii Dei, fratres Christi, membra corporis ejus, organa Spiritus Sancti, templa Trinitatis, cives Sanctorum, domestici Dei, amici et familiares ejus, novæ creaturæ efficimur... Illâ e captivis liberi, e servis filii, e terrenis cœlestes redimur. Per illam Christum induimus, in Christo vivimus, in Christo morimur, sepelimur, resurgimus, et in cœlestibus habitamus. Illa ignis est ille divinus, quem Christus venit mittere in terram, quove eam voluit vehementer accendi: ignis, inquam, non comburens, sed illuminans, sed sanans, sed roborans, sed perficiens. Illâ sanantur infirmitates, diriguntur obliquitates, temperantur passiones, informantur inclinationes, complanantur difficultates humanæ, habilitantur impotentiæ. Hæc est cœlestis habitus, quo decoratur anima; sacra affectio, qua delectatur justitia; sancta passio, qua in cœlum ferimur; pura radix, unde germinant fructus honoris et honestatis; arbor vitæ, qua vires reficimus, qua pascimur, et spiritus pinguedine saginamur.» *(Theol. ment. et cordis, L. 7, Diss. 5, c. 1, spec. 1 in fine capitis, pag. 333).*

757. — **Divisio hujus partis.** Gratia sanctificans intime connectitur cum justificatione; quocircà solent non pauci theologi permixtim tum

de gratiâ tum de justificatione disserere. Quia tamen gratia sanctificans apte etiam considerari potest vel in se, vel in suâ acquisitione, ideò alii etiam seorsim tractant de gratiâ et de justificatione. Horum igitur vestigiis insistentes, et majoris claritatis causâ, primò considerabimus ipsam gratiam in se spectatam; deinde eam considerabimus in suâ acquisitione. Proinde:

In sectione prima agemus de ipsâ Gratiâ sanctificante.

In sectione secunda, de ejus acquisitione, seu de Justificatione.

SECTIO PRIMA.

DE IPSA GRATIA SANCTIFICANTE.

758. — Gratia sanctificans definitur: *Supernaturale Dei donum, animæ permanenter inhærens per modum habitus, quo homo formaliter redditur consors divinæ naturæ, justus, sanctus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, et hæres vitæ æternæ.*

Quæ definitio tum naturam gratiæ sanctificantis, tum ejus formales effectus exhibet. Quâ de causâ, in **CAPITE I.** de gratiæ sanctificantis naturâ sermo erit.

In **CAPITE II.** de ejus effectibus formalibus dicetur.

CAPUT I.

DE GRATIÆ SANCTIFICANTIS NATURA.

759. — Gratiæ actualis natura, sicut supra innuimus *(n. 55)*, utpote res ordinis supernaturalis, altum est mysterium; quis enim, nisi Deus ipse revelet, introspicere valeat modum quo Deus agit in animam, ut eam ad se fortiter simul et suaviter trahat! Cum autem gratia sanctificans sit donum perfectius gratiâ actuali, utpote per quam formaliter efficimur divinæ consortes naturæ, Deumque ipsum possidemus inhabitantem nostram animam, ipsius natura est altius adhuc atque profundius mysterium, cujus manifestationem Deus nobis tunc solum præstabit, quando Ipsum in patriâ facie ad faciem videbimus. Licet verò, quamdiu in hâc vitâ peregrinamur a Domino, gratiæ na-

turam perfecte noscere non valeamus, plura tamen, sive ex SS. Scripturis, sive ex Patrum traditione, de eâ cognoscere possumus, et quidem adeò sufficienter, ut sanctum illud charisma tanquam donorum Dei pretiosissimum æstimemus, ac summo conatu illud in nobis conservemus et in dies augeamus.

Ut autem in dicendis ordinate procedamus, in ART. I inquiremus de gratiæ sanctificantis naturâ; in ART. II de intrinsecâ ejus perfectione; et in ART. III de ipsius causâ.

ARTICULUS I.

DE GRATIÆ SANCTIFICANTIS NATURA.

760. — Gratiæ sanctificantis natura in eo consistit, quod sit donum quoddam seu ens creatum, propriam et physicam possidens entitatem, nobisque intrinsece et permanenter inhærens per modum habitus, nosque formaliter justificans, atque in ordine supernaturali constituens.

Circa hanc gratiæ sanctificantis naturam graviter erraverunt protestantes, contendentes ipsam non esse quid nobis intrinsece inhærens. — Circa ipsam, singularem etiam sententiam protulit Magister Sententiarum, autumans gratiam non esse donum creatum, sed ipsius Spiritûs Sancti personam. — Alii ex antiquioribus theologis docuerunt gratiam esse quidem donum creatum, nobis inhærens, non consistere tamen in entitate aliqua physice permanente. — Demum inter ipsos doctores scholasticos adhuc nunc controvertitur, utrum gratia differat entitative a caritate.

Ut igitur gratiæ natura in aprico ponatur, probandum est: 1° ipsam esse donum nobis intrinsece inhærens; 2° ipsam esse donum creatum, non autem Spiritûs Sancti personam; 3° ipsam esse donum physice permanens; 4° demum inquiretur, utrum habitus gratiæ sit idem ac habitus caritatis.

§ 1. *De gratiâ quâ dono nobis inhærente.*

761. — Autumant Lutherus, Calvinus, eorumque asseclæ, in justificatione peccatoris nullum donum homini intrinsece infundi, quod ipsi inhæreat, et per quod formaliter constituatur sanctus, justus, atque gratus Deo. Docent verò, totam hominis justificationem peragi vel per nudam peccatorum condonationem, vel per extrinsecam meritorum

Christi applicationem, vel per extrinsecam increatæ Dei sanctitatis aut justitiæ Christi imputationem [1].

Protestantes igitur, etsi gratiæ sanctificantis existentiam proprie non negent, negant tamen ipsius realitatem physicam in homine, et per eam intelligunt potius amorem in Deo erga hominem; proinde juxta eos gratia santificans apte comparari potest dilectioni, quam rex habet erga militem, qui ob illam dilectionem dicitur habere gratiam regis, etsi subjective in se exinde nihil reale possideat.

Docet autem fides catholica Gratiam sanctificantem seu Justitiam, quâ formaliter sancti et justi constituimur, esse donum quoddam nobis intrinsece inhærens, et non solum extrinsecum Dei favorem.

Propositio.

Gratia sanctificans quâ formaliter justificamur, non est extrinsecus favor Dei, sed donum quoddam animæ intrinsece inhærens [2].

762. — Prop. est *de fide*, ex Trident., *sess. VI, can. 11:* « Si quis » dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel » sola peccatorum remissione, seclusa gratia et caritate, quæ in cor- » dibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæ- » reat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; » A. S. » — Et *can. 10:* « Si quis dixerit, homines, sine Christi justitia, » per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter » justos esse; A. S. »

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** 1° Legimus, (1 Joan. III, 9): *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet; et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Hisce verbis justi dicuntur *nati ex Deo*, quæ nativitas, ut omnes fatentur, ne exceptis quidem hæreticis, fit per gratiam justificantem. Sed nullus ex altero nascitur, nisi quatenus naturam ejus, a quo nascitur, intrinsece participet. Cum igitur gratia sit principium supernaturalis illius nativitatis, ipsa debet esse intrinsece in eo, qui dicitur natus ex Deo. — *Præterea*, ex iisdem verbis habemus, in renatis per gratiam manere aliquod semen, quo fit ut peccatum non faciant. Semine autem illo

[1] Cf. *Bellarm.* De Justif., L. 2, c. 1; et De Grat. et Lib. arb., L. 1, c. 3. - *De Walenburch,* Controv.; De Justif., c. 7 et ss., T. 2, p. 371. - *Muniessa,* De Gr., disp. 13; p. 262. — [2] Cf. *Gotti,* De Gr., q. 3; p. 143. - *Schwetz,* De Gr., Art. 2, § 95; p. 415. - *Gamachæus,* In q. 110, cap. 1; p. 362. - *Curiel,* In q. 110, a. 1; p. 839.

metaphorice designatur gratia sanctificans. Hæc igitur est aliquid reale, in ipsis renatis intrinsece remanens.

763. — 2° (Ephes. IV, 23, 24): *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Porro nullus dicitur renovari per extrinsecam alicujus rei imputationem, sed per realem susceptionem alicûjus qualitatis, quam anteà habuit, sed amisit. « Quomodo ergo renovari dici- » mur, *ait S. August.*, si non hoc recipimus, quod perdidit primus » homo, in quo omnes moriuntur? Hoc plane recipimus secundum » quemdam modum, et non hoc recipimus secundum quemdam modum. » Non itaque immortalitatem spiritualis corporis recipimus, quam non- » dum habuit homo; sed recipimus justitiam, ex qua per peccatum » lapsus est homo. » *(De Gen. ad litt., L. 6, c. 24. M., 34, col. 353).* Sed fatentibus protestantibus, Adamus innocens habuit justitiam sibi inhærentem. Ergo et nos per renovationem spiritûs, quæ fit in justificatione, recipimus justitiam nobis inhærentem.

Præterea, per gratiam dicimur induere novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ et sanctitate. Sed, sicut induere vestimentum denotat aliquid reale et subjectivum in ipso homine, et non solum quid extrinsece imputatum, ita et induere novum hominem essentialiter denotat aliquid reale et subjectivum in eo, qui per gratiam justificantem induit novum hominem. In justificatione igitur aliquid intrinsece in ipsâ animâ producitur.

764. — 3° (Rom. V, 18, 19): *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Ex his Apostoli verbis aperte constat, gratiam qua justificamur, esse aliquid nobis intrinsece et formaliter inhærens, non autem merum favorem Dei extrinsecum, aut Christi justitiam extrinsece nobis imputatam. Etenim:

a) Docet Apostolus, nos per Christi obeditionem *justos constitui.* Non dicit justos reputari, aut justos declarari sicut fit in judicio forensi, aut tanquam justos haberi; sed justos constitui, quod est idem ac justos fieri, juxtà illud S. Augustini: « Justi enim facti sunt, » cum justificati sunt; » *(Epist. 194, c. 3. M., 33, c. 876);* et: « Quid » est aliud justificati, quam justi facti. » *(De Spir. et Litt., c. 26. M., 44, c. 228).* Atqui nulla res constituitur seu fit aliquid, nisi per quiddam sibi realiter et physice inhærens. Igitur, licet Christi obeditio sit causa nostræ justificationis, non est tamen causa formalis, sed

hæc, juxtà Apostolum, debet esse aliquid nobis realiter inhærens; secus haberetur effectus sine causâ formali. Gratia igitur, quâ justificamur, debet necessariò esse aliquid nobis intrinsece et realiter inhærens.

b) In præcitatis verbis Apostolus antithesim instituit inter Christum et Adamum, docetque nos eo modo per Christi obedientiam justos constitui, quo per Adami inobedientiam peccatores eramus constituti. Atqui per Adami inobedientiam constituti sumus peccatores non solâ imputatione peccati protoparentis, sed peccato quod in nos vere et reapse transiit, nobisque intrinsece inhæret. Ergo pari modo, justitia, quâ per Christi obeditionem justi constituimur, in nos transit, nobisque vere et reapse inhæret. Justitia igitur, quâ formaliter justificamur, est aliquid nobis intrinsece inhærens.

765. — 4° (Tit. III, 5-7): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum; ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* His in verbis justificatio, quæ fit per gratiam, dicitur non solum renovatio, (de qua suprà jam argumentati sumus), sed et *regeneratio.* Regeneratio autem, ut ait *Mazzella*, « necessariò importat communicationem novi esse; imò cum » generatio proprie sit productio viventis, necessariò importat com- » municationem vitæ. Unde etiam (Eph. II, 10), dicimur *Creati in* » *Christo;* et (Gal. VI, 15); *Nova creatura;* et (Rom. VIII, 10) dicitur: » *Spiritus vivit propter justificationem;* et sæpe justificari dicitur vivi- » ficari. At communicatio novæ vitæ importat infusionem novi prin- » cipii vitalis, quod certe debet esse nobis intrinsecum; nec potest » intelligi quod Deus nobis communicet novum esse, aut quod nos » efficiamur nova creatura, nisi aliquid nobis intrinsecum communi- » cetur. Ergo. » *(De Grat., n. 899).*

5° Nostram propositionem confirmant etiam omnes Scripturæ textus, quibus gratia sanctificans exhibetur sub symbolis *vitæ, sigilli, lucis, pignoris, unctionis, vestis nuptialis, stolæ candidæ;* vel in quibus ipsa dicitur *dari, diffundi in cordibus, recipi, creari, amitti, resuscitari, esse in nobis, manere in nobis;* quæ omnia indicant gratiam esse aliquid in homine realiter existens, et non merus favor Dei extrinsecus [1].

766. — Prob. II. **Ex Tridentino,** in quo, *sess. VI, cap. 7,* legimus: « Justificatio... non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, » et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ

[1] Cf. *Gamachæus,* In q. 110, cap. 1; p. 362.

» et donorum... Unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse » justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, reno- » vamur spiritu mentis nostræ; et non modo reputamur, sed vere justi » nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque » suam, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis » prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et coope- » rationem... Per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus » eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret, unde in ipsa justifica- » tione hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui » inseritur, fidem, spem et caritatem. »

Et, *cap. 16, ejusdem sessionis:* « Ita neque propria nostra justitia, » tanquam ex nobis propria statuitur; neque ignoratur aut repudiatur » justitia Dei: quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis » inhærentem justificamur; illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infun- » ditur per Christi meritum. »

767. — Prob. III. **Ex Traditione** [1]. *S. Augustinus*, ad verba: *Justitia Dei manifestata est*, (Rom. III, 21), ait: « Non dixit, Justitia » hominis, vel justitia propriæ voluntatis; sed *justitia Dei*, non qua » Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium... » Nam hinc sequitur et adjungit, dicens, *Justitia autem Dei per fidem* » *Jesu Christi*, hoc est, per fidem qua creditur in Christum. Sicut autem » ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus: sic et illa justitia » Dei, non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est; sed ideo » Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur. » *(De Spirit. et litt., c. 9. M., 44, c. 209).* — Et *(cap. 32, col. 237)*, scribit: « Caritas » Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, » sed qua nos facit dilectores suos; sicut justitia Dei, qua justi ejus » munere efficimur; et Domini salus, qua nos salvos facit; et fides » Jesu Christi, qua nos fideles facit. Hæc est justitia Dei, quam non solum » docet per legis præceptum, verum etiam dat per spiritus donum. »

Hæc similiaque S. Augustini testimonia doctrinæ protestantium tam aperte adversantur, ut ipse Calvinus *(Instit., L. 3, c. 11, § 15)* fateri coactus sit, S. Augustinum sibi adversari.

S. Cyrillus Alex.: « Formatur in nobis Christus, Sancto Spiritu » nobis divinam quamdam formam per sanctificationem et justitiam » indente. Sic enim, sic in animis nostris elucet character substantiæ » Dei ac Patris; reformante Sancto Spiritu nos per sanctificationem in » ipsum. » *(Lib. 4 in Is., Or. 2. M., 70, c. 935).*

[1] Cf. *Bellarm.*, de Justif., L. 2, c. 8.

S. Ambrosius: « Utrum justificatio secundum corpus, an secundum » animam tibi conferri videatur, quæso respondeas. Sed dubitare non » potes, cum justitia, unde justificatio derivata est, mentis tuæ utique, » non corporis sit. » *(Exam., L. 6, c. 8. M., 14, c. 260).* In quæ verba scribit Bellarminus: « Hic certe per justitiam non potest intelligere » (Ambrosius) solam remissionem peccati, aut justitiam Dei vel Christi » imputatam, quæ nec proprie corporis, nec proprie mentis est, cum » in neutra parte hominis inhæreat, sed intelligit justitiam, quæ virtus » animi est, et non corporis, sed in animo proprie inhæret. » *(De Justif., L. 2, c. 8; p. 827).*

768. — Prob. IV. **Ex catechismo Conc. Trid.**, in quo, *P. 2, c. 2, de sacr. Baptismi, c. 50,* legimus: « Est autem gratia, quemadmodum » Tridentina synodus ab omnibus credendum pœna anathematis pro- » posita decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed » divina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam et » lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas » pulchriores et splendidiores reddit. Atque id ex sacris Litteris aperte » colligitur, quum gratiam effundi dicant, eamque Spiritus Sancti » pignus soleant appellare. »

769. — Prob. V. **Ex Ratione.** Esse in gratiâ, est amari a Deo, velut ipsimet fatentur protestantes. Licet autem amor divinus et humanus in hoc conveniant, quod uterque in bonum tendit, in eo tamen differunt quod amor humanus est affectivus tantum, et præsupponit in objecto bonitatem quam amat; amor autem divinus est effectivus, *infundens et creans bonitatem in rebus*, ut ait S. Thomas, *(P. 1, q. 20, a. 2).* Sicut ergo Deus amando efficaciter res naturales bonum naturale eis elargitur, ita amando homines in ordine ad finem supernaturalem, eis etiam supernaturalem quamdam elargitur bonitatem, quâ congruum supernaturalis Dei dilectionis objectum constituuntur. Hanc autem bonitatem seu perfectionem supernaturalem dicimus esse gratiam sanctificantem, quæ reddit hominem Deo gratum et acceptum in ordine ad vitam æternam.

Apposite *S. Thomas:* « Est differentia attendenda, *inquit*, circa » gratiam Dei et gratiam hominis; quia enim bonum creaturæ provenit » ex voluntate divina, ideo ex dilectione Dei, quâ vult creaturæ bonum, » profluit aliquod bonum in creatura. Voluntas autem hominis movetur » ex bono præexistente in rebus; et inde est quod dilectio hominis » non causat totaliter rei bonitatem, sed præsupponit ipsam vel in parte, » vel in toto. Patet igitur quod quamlibet Dei dilectionem sequitur ali- » quod bonum in creatura causatum quandoque, non tamen dilectioni

» æternæ coæternum. Et secundum hujusmodi boni differentiam differens » consideratur dilectio Dei ad creaturam; una quidem communis, secun- » dum quam *diligit omnia quæ sunt*, ut dicitur *(Sap. II)*, secundum » quam esse naturale rebus creatis largitur; alia autem dilectio est » specialis, secundum quam trahit creaturam rationalem supra con- » ditionem naturæ ad participationem divini boni; et secundum hanc » dilectionem dicitur aliquem diligere simpliciter, quia secundum hanc » dilectionem vult Deus simpliciter creaturæ bonum æternum; quod » est ipse. Sic igitur per hoc quod dicitur homo gratiam Dei habere, » significatur quiddam supernaturale in homine a Deo proveniens. » *(1. 2, q. 110, a. 1. — Cf. etiam De Verit., q. 27, a. 1).*

DILUUNTUR OBJECTIONES.

770. — Objicitur I. Legimus (Rom. IV, 3, 5): *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam... Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Jamvero, ex his patet, nullam in nobis esse justitiam, sed justitiam Christi aut Dei fide apprehensam nobis imputari.

Resp. *Nego conseq.* Ex allatis enim Apostoli verbis nullatenus eruere licet justitiam, quâ justificamur, esse justitiam Dei aut Christi nobis imputatam, neque esse ipsam fidem quâ formaliter justi constituimur. Dicendo enim fidem imputari ad justitiam, Apostolus hoc solum nos docere intendit, scilicet hominem justificari non ex operibus naturæ vel legis, sed ex fide supernaturali, quæ est radix et fundamentum omnis justificationis, et per quam homo ex meritis Christi, in quem credit, accipit a Deo illam inhærentem justitiam, per quam formaliter justus constituitur.

771. — Objicitur II. Legimus (I Cor. I, 30): *Vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio et redemptio.* Christus ergo, aiunt protestantes, factus est nobis justitia et sanctificatio. Sed non aliter potest esse nostra justitia et sanctificatio, nisi per hoc quod ejus justitia nobis a Deo imputetur. Justi igitur sumus non dono aliquo nobis inhærente, sed Christi justitiâ nobis imputatâ.

Resp. Christus factus est nobis justitia, *dist.:* per modum causæ efficientis et meritoriæ *conc.;* per modum causæ formalis, *nego.* Sicut enim non per sapientiam Christi nobis extrinsece imputatam sapientes constituimur, sed per sapientiam, quam Christus nobis meruit nobis-

que infundit, ita a pari, nec per Christi justitiam formaliter justificamur, sed per justitiam, quam nobis meruit nobisque infundit.

Apposite *Fratres de Walenburch* in textum allatum: « Eodem modo, » *inquiunt*, quo Christus nobis factus est sapientia, sanctificatio, redem- » ptio, factus est etiam nobis justitia. Inter hæc conjuncta non datur » differentia. Non dicent protestantes, Christum nobis esse factum » sapientiam, sanctificationem et redemptionem, per solam imputa- » tionem sapientiæ et sanctificationis quæ in ipso est, et redemptionis, » quam obtinuit. Consequenter nequeunt dicere, Christum nobis factum » esse justitiam, per solam imputationem justitiæ, et obedientiæ, quam » Deo Patri reddidit. » *(De Justif., c. 20, n. 14, 15; p. 392).*

772. — Objicitur III. Legitur (II Cor. V, 21): *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Ergo justitia est in nobis, sicut peccatum in Christo. Sed peccatum in Christo fuit solâ extrinsecâ imputatione; ergo et justitia in nobis non est nisi solâ externâ imputatione.

Resp. *Nego consequentiam.* In illis enim verbis Apostoli non agitur de maculâ peccati, sed de sacrificio pro peccato, quod hac de causâ vocabatur etiam peccatum. « In vetere quippe Lege, *ait S. Au-* » *gust.*, peccata vocabantur sacrificia pro peccatis. » *(Enchir., c. 41. M., 40, c. 253).* Hunc esse sensum Apostoli, constat ex ipsius verbis. Etenim « non ait, *inquit S. August.*, is qui non noverat peccatum, pro » nobis peccatum fecit; tanquam pro nobis Christus ipse peccaverit: » sed ait: *Eum qui non noverat peccatum*, id est Christum, *pro nobis* » *peccatum fecit* Deus, cui reconciliandi sumus, hoc est, sacrificium » pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Ipse ergo peccatum, » ut nos justitia; nec nostra, sed Dei. » *(Loc. cit.).* Sicut igitur Christus factus est peccatum, id est, sacrificium pro peccato, non imputative, sed vere et realiter, ita et justitia est in nobis non solum imputative, sed vere et realiter; sed justitia non nostra, scilicet ex nostris operibus, sed Dei, quia nobis data per merita sacrificii Christi; unde etiam dicit Apostolus (Eph. I, 6): *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.*

773. — Objicitur IV. In SS. Scripturis, *justificare* nihil aliud significat quam accusatum absolvere, seu declarare innocentem. Ergo justificatio impii nihil aliud est quam declaratio, ipsum propter merita Christi esse a suis peccatis absolutum, quin aliquid ei intrinsece infundatur.

Resp. In SS. Scripturis *justificare* sæpe idem significare ac declarare innocentem, sicut fit in judicio forensi, apud omnes in confesso est. Sic, v. gr., apud Isaiam, V, 23, dicitur: *Væ... qui justificatis impium pro muneribus*, hoc est impium declaratis innocentem. Hâc justificatione utique nihil ponitur intrinsece in homine, ut per se manifestum est; et hanc solam admittunt protestantes.

Sed præter hanc forensem, alteram justificationem commemorant SS. Scripturæ, quâ scilicet homo non solum externe declaratur innocens, sed etiam intrinsece ex impio fit justus, et ex peccatore sanctus, juxtà illud Apostoli (I Cor. VI, 11): *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Quæ justificatio, ut ait Trident., Sess. VI, cap. 4, est *translatio a statu peccati in statum gratiæ;* quæ translatio nequit fieri per externam absolutionem aut favorem Dei extrinsecum, sed necessariò requiritur intrinseca doni supernaturalis infusio, quo homo reapse et formaliter constituatur justus, et a statu peccati realiter in statum justitiæ transferatur.

774. — Objicitur V. De amore disserendum est sicut de odio. Sed odium Dei nihil ponit in homine. Ergo nec amor. In eo igitur, qui amatur a Deo, nihil ponitur intrinsece.

Resp. *Nego majorem;* siquidem nulla amorem inter et odium adest paritas. Etenim, amor est semper de bono; proinde, bonum quod amat, vel præinvenit vel causat. Cum autem Deus in creaturâ nullum inveniat bonum, quod amet, ideò, amando, bonum sive naturale sive supernaturale infundit, prout ejus amor ponitur in ordine naturali vel supernaturali. Unde, cum in homine ex suis propriis nihil esse possit, quod sit objectum amoris supernaturalis, ut Deus eum tali amore possit amare, ei bonum supernaturale, quod amet, infundere debet; quare, amor Dei dicitur effectivus, creans et infundens bonum. Odium verò est de malo, quod quis detestatur. Sed homo, licet ex se non possit habere bonum quod ametur a Deo, potest a se habere malum, id est, peccatum, quod Deus odit. Quocirca odium Dei nihil ponit in homine, sed præinvenit objectum quod odit et aversatur.

§ 2. *De gratiâ quâ dono creato* [1].

775. — Ex dictis in superiori paragrapho constat, gratiam sanctificantem esse donum quoddam animæ inhærens, per quod homo interius renovatur, et in vitam supernaturalem regeneratur. Surgit nunc quæstio: *utrum illud donum sit quidquam creatum, an sit donum increatum;* utrum scilicet sit entitas quædam a Deo sive creatione sive eductione producta, an sit ipsamet persona Spiritûs Sancti, hominem speciali modo inhabitans ipsumque reddens gratum Deo. Communis, imò universalis fere theologorum sententia docet, gratiam, quâ formaliter justificamur, esse donum quoddam creatum, ab ipso Deo realiter distinctum, et ab eo in animâ productum.

Ab hoc universali theologorum consensu discedit Magister Sententiarum, docens gratiam sanctificantem esse ipsammet personam Spiritûs Sancti. Etenim, ex unâ parte, videtur sensisse in 2. Sent., q. 26, gratiam a caritate non differre realiter [2]; quam opinionem multi tenent theologi, ut infra dicetur *(n. 792 et ss.)*. Ex alterâ autem parte, explicite docet, caritatem esse ipsum Spiritum Sanctum. « Ipse idem » Spiritus Sanctus, *inquit*, est amor, sive caritas, quo nos diligimus » Deum et proximum. » *(I S., D. 17, § 2)*. Et *(ibid., § 18)*, ait: « Alios » actus atque motus virtutum operatur caritas, id est, Spiritus Sanctus, » mediantibus virtutibus quarum actus sunt, utpote actum fidei, id est » credere fide media; et actum spei, id est sperare, media spe. Per » fidem enim et spem prædictos operatur actus; diligendi verò actum » per se tantum sine alicujus virtutis medio operatur, id est, diligere... » Est ergo caritas vere Spiritus Sanctus » [3].

Igitur, cum juxtà Lombardum gratia entitative non differat a caritate, hæcque sit ipsemet Spiritus Sanctus, sequitur gratiam sanctificantem esse donum increatum, ipsam scilicet Spiritus Sancti personam.

Theologi quidam, sed admodum pauci, Magistrum in hac suâ sententiâ de gratiæ naturâ secuti sunt.

[1] Cf. *S. Bonaventura*, 2 S., D. 26, a. 1, q. 2; p. 633. - *Montesinus*, Disp. 30, q. 1; p. 773. - *Grandin*, De Gr., p. 108. - *Wirceburg.*, De Grat., disp. 6, c. 1, a. 1; p. 436. - *Mazzella*, Disp. 5, a. 3, n. 907 et seq. - *Bellarm.*, De Gr. et lib. arb., L. 1, c. 8; p. 427. - *Marcellus*, Tr. 10, disp. 1, q. 2; p. 504. — [2] Cf. *S. Thom.*, 1. 2, q. 110, a. 3. — [3] Cf. *S. Th.*, 2. 2, q. 23, a. 2. De Carit., q. un., a. 1. (Edit. Parm., T. 8; p. 580); 1 Sent., D. 17, q. 1, a. 1; T. 6, p. 136. - Pro diversis expositionibus sententiæ Magistri, cf. *Franciscum a Christo*, 1. Sent., D. 17, fol. 103.

Propositio.

Gratia sanctificans est donum creatum, non autem ipsa Spiritûs Sancti persona.

776. — Prop. est *certa* et *communis;* alii eam dicunt *fidei proximam,* imò *de fide;* Montesinus eam vocat *certissimam de fide tenendam (loc. cit.).*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Gratia sanctificans in Scripturis vocatur *donum,* et *donata,* (II Petr. I, 4): *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ;* — vocatur *semen,* (I Joann. III, 9): *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet;* — vocatur *signum* et *pignus,* (II Cor. I, 22): *Qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Sed donum est distinctum a donante, signum a signante, pignus ab oppignorante, et semen a seminante. Nequit igitur gratia esse ipsamet divina persona; sed est aliquid a Deo distinctum, in nostris animabus ab ipso productum.

Præterea, legimus (Rom. V, 5): *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* His in verbis *caritas* intelligitur non *actus caritatis,* quippe qui, cum sit actus vitalis, non diffunditur in cordibus nostris, sed a corde producitur sub impulsu Spiritûs Sancti; verum intelligitur *habitus caritatis,* qui solus potest diffundi in cordibus nostris, sicut et cæteræ virtutes infusæ. Si autem habitus caritatis est diffusus a Spiritu Sancto, ab eo est utique distinctus tanquam effectus a suâ causâ. Porro, si caritas non est ipsa persona Spiritûs Sancti, ergo nec gratia sanctificans; cum unica ratio asserendi gratiam esse Spiritum Sanctum, sit ejus identitas cum caritate.

Demum, legimus (Ps. LXXXIII, 12): *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* « Hic perinde dicitur dari gratia et gloria, *aiunt Wirce-*» *burgenses:* ast *gloria* non est Spiritus Sanctus; sed ipsa vitalis et » homini propria visio intuitiva Dei per lumen gloriæ perfecta; ergo » nec *gratia* est Spiritus Sanctus, sed donum aliquod supernaturale » a Deo communicatum, quo gratus fiat Deo, et ad actus salutares » potens. » *(De Grat., n. 400; p. 436).*

777. — Prob. II. **Ex Tridentino.** Gratiam sanctificantem non esse Spiritûs Sancti personam, sed donum creatum ab Ipso productum, ex Tridentino apprime constat. Legimus (Sess. VI, cap. 7): *Unica formalis causa* (nostræ justificationis) *est justitia Dei, non qua ipse justus est,*

sed qua nos justos facit. Cum autem Spiritus Sanctus sit ipsa subsistens justitia, quâ Deus justus est, si gratia sanctificans esset Spiritûs Sancti persona, dicendum foret eâdem justitiâ, quâ ipse Deus justus est, et nos esse justos.

Dicitur: *Justitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus S. partitur singulis prout vult... Caritas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur.* Et can. 11, anathema dicitur in eos qui dicunt homines justificari *exclusa gratia et caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur.* Si autem Spiritus S. unicuique justitiam partitur, prout vult; si gratia et caritas diffunduntur in cordibus per Spiritum Sanctum, gratia utique est donum ab ipso Spiritu S. distinctum.

Præterea, in *can. 24* dicitur *justitiam posse augeri.* Quomodo verò possit nostra justitia augeri, si Spiritus S. ponatur causa formalis nostræ justificationis, non apparet. Enimverò, intrinseca hominis justitia non augetur nisi per hoc quod augeatur forma, per quam est justus. Sed Spiritus S. augeri nequit; proinde nequit esse forma nostræ justificationis; vel si est, justitia nequit augeri.

778. — Prob. III. **Ex Traditione.** SS. Patres Spiritum Sanctum *efficienter* nos sanctificantem a suis donis *formaliter* nos sanctificantibus apprime distinguunt.

Scribit *S. Athanasius:* « Ubi enim lux est, illic et splendor quo» que est: ubi item splendor est, ibi similiter et ejus efficientia et splen» dida est gratia. Quod idem Paulus in secunda Epistola ad Corin» thios his verbis docet: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas* » *Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* (XIII, 13): » Gratia enim et donum quod in Trinitate datur, datur a Patre per » Filium in Spiritu Sancto. Nam quemadmodum ex Patre per Filium » datur gratia, ita in nobis fieri non potest doni communicatio nisi in » Spiritu Sancto. Hujus siquidem participes effecti, Patris caritatem, » Filii gratiam et ipsius Spiritus communicationem habemus. Ex his » igitur una Trinitatis efficientia esse ostenditur. Nec enim diversa et » divisa dari a singulis significat Apostolus, sed ea quæ dantur, in » Trinitate dari, omniaque ex uno Deo esse. » *(Epist. 1 ad Serapionem, n. 30 et 31. M., 26, c. 599).*

S. Ambrosius: « In eo justificatio Dei est, si non ad indignos et » obnoxios, sed ad innocentes per ablutionem factos videatur et justos » sua munera transtulisse. » *(In Luc., L. 6, n. 2. M., 15, c. 1669).*

S. Augustinus: « Sed quantum interest inter lumen quod illuminat » et quod illuminatur, tantum inter sapientiam quæ creat et istam

» quæ creata est; sicut inter justitiam justificantem, et justitiam quæ » justificatione facta est. » *(Confess. L. 12, c. 15, n. 20. M., 32, c. 833).* — *Cf. etiam verba S. Cyrilli Alex. in superiori prop. allata.*

779. — Prob. IV. **Ex Ratione.** 1° Si gratia est ipse Spiritus Sanctus, Spiritus Sanctus est causa formalis nostræ justificationis vel quatenus est natura, vel quatenus est persona. Atque neutrum dici potest.

Non primum: Spiritus S., quà natura, est idem cum Patre et Filio, estque subsistens et increata justitia, quâ Deus est justus. Et sic justitiâ, quâ Deus est justus, et nos justi essemus: quod est contrà Tridentinum.

Non secundum: a) Sanctificatio animæ est opus ad extra. Atqui juxtà axioma in theologiâ receptum, opera Dei ad extra sunt tribus personis communia. Nequit igitur Spiritus S., quatenus persona, esse causa formalis nostræ justificationis.

b) Si Spiritus S., quà persona, esset causa formalis justificationis, hoc ei competeret per propriam rationem hypostaseos. Atqui hoc dici nequit. « Nam functio hypostasis sub ratione formali hypostaseos, » ait *Mazzella*, uti ex ratione constat, est sustentare naturam, seu ha» bere naturam ut suam; si vero sermo sit de Persona *divina* prout » refertur ad extra, unica functio hypostatica sub formali ratione hy» postaseos quæ intelligi potest et revelatione constat, est extensio ad » sustentandam naturam creatam. Atqui dici nequit Spiritum Sanctum » sustentare animam justi, sicut Verbum sustentat naturam humanam » assumptam. » *(De Grat., n. 918).*

780. — 2° Per gratiam homo novam vitam, novumque esse accipit. Gratia igitur est forma quædam animam informans; quia, *ut ait S. Th., 1. Sent., D. 17, q. 1, a. 1, ad 1:* « Nullum esse potest recipi in » creaturâ nisi per aliquam formam. » Et: « Constat enim quod omne » esse a formâ aliquâ inhærente est, sicut esse album ab albedine, et » esse substantiale a formâ substantiali. Sicut igitur non potest intelligi » quod paries sit albus sine albedine inhærente; ita non potest intelligi » quod anima sit bona in esse gratuito sine caritate et gratiâ infor» mante ipsam. » *(Loc. cit., corp.).* Atqui, Spiritus S. nequit esse forma animæ: *non substantialis:* quia forma substantialis intrat in ipsius rei essentiam; et sic anima et Deus forent substantialiter eadem res, quod pantheismum inducit; *non accidentalis*, cum Deus nequeat esse accidens animæ; accidentis enim est non subsistere in se, sed dependenter a suo subjecto.

Nec dici potest, Spiritum Sanctum esse gratiam, quatenus suâ præsentiâ in animâ eam Deo gratam reddit: sic enim anima non foret justa

formaliter; vel si justa formaliter, adesset effectus sine causâ formali. — *Præterea*, in homine justo oportet assignare aliquid, quo Spiritus S. dicatur ipsum speciali modo inhabitare. Hoc autem nequit esse nisi aliquid ab ipso distinctum. « Constat, *inquit S. Th.*, quod » Deus aliquo modo est in sanctis quo non est in creaturis. Sed ista » diversitas non potest poni ex parte ipsius Dei, qui eodem modo se » habet ad omnia. Ergo videtur quod sit ex parte creaturæ, scilicet » quod ipsa creatura habeat aliquid quod alia non habent. Aut ergo » habet ipsum divinum esse; et sic omnes justi assumerentur a Spi- » ritu Sancto in unitatem personæ, sicut natura humana assumpta est » a Christo in unitatem personæ ipsius Filii Dei; quod non potest esse. » Aut oporteret quod illa creatura, in qua speciali modo Deus esse » dicitur, habeat in se aliquem effectum Dei, quem alia non habent. » Iste autem effectus non potest esse tantum actus; quia sic in justis » dormientibus non esset alio modo quam in aliis creaturis. Ergo oportet » quod sit aliquis habitus. Oportet igitur aliquem habitum caritatis » creatum esse in anima, secundum quem Spiritus S. ipsam inhabi- » tare dicitur. » *(Loc. cit., Sed contra).*

781. — 3° Principalis ratio statuendi gratiam esse Spiritum Sanctum, est tum gratiæ identitas cum caritate; tum caritatis identitas cum Spiritu Sancto. Atqui, habitus caritatis nequit esse persona Spiritûs S. Ergo, positâ etiam reali identitate gratiæ cum caritate, (quam tamen cum probabiliori sententiâ non admittimus), gratia nequit dici persona Spiritûs Sancti.

Minor suprà ex Scripturâ et Tridentino jam est probata; probatur etiam ratione [1]: Nulla potentia, etsi mota ab alio, producit connaturaliter et delectabiliter aliquam operationem, nisi habeat in se formam, quæ sit principium illius actionis. Atqui voluntas, licet mota a Spiritu Sancto ad actum caritatis, seipsam tamen etiam movet ad eum producendum. « Non enim, *inquit Angelicus*, motus caritatis ita » procedit a Spiritu Sancto movente humanam mentem, quod humana » mens sit mota tantum, et nullo modo sit principium hujus motûs, » sicut cum aliquod corpus movetur ab aliquo exteriori movente. Hoc » enim est contra rationem voluntarii, cujus oportet principium in » ipso esse. Unde sequeretur quod diligere non esset voluntarium: » quod implicat contradictionem, cum amor de sui ratione importet » quod sit actus voluntatis. — Similiter etiam non potest dici quod » sic moveat Spiritus Sanctus voluntatem ad actum diligendi, sicut

[1] Cf. *Estius*, In 1. Sent., D. 17.

» movetur instrumentum, quod etsi sit principium actûs, non tamen » est in ipso agere vel non agere: sic enim tolleretur ratio voluntarii, » et excluderetur ratio meriti... Sed oportet quod si voluntas moveatur » a Spiritu Sancto ad diligendum, etiam ipsa sit efficiens hunc actum.» *(2.2, q. 23, a. 2).*

Igitur, cum voluntas nequeat per sua naturalia actum caritatis elicere, (quod foret hæresis pelagiana); et cum nec Spiritus Sanctus possit esse forma informans voluntatem, requiritur in voluntate quædam forma creata ei superaddita, quæ sit principium actûs caritatis: quæ forma est habitus caritatis; secus actus caritatis nec foret connaturalis, nec facilis, nec delectabilis. « Quod patet esse falsum, *ait* » *S. Th.*, quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum » sicut caritas, nec aliqua ita delectabiliter operatur. Unde maxime » necesse est quod ad actum caritatis in nobis existat aliqua habi- » tualis forma superaddita potentiæ naturali, inclinans ipsam ad ca- » ritatis actum, et faciens eam prompte et delectabiliter operari. » *(Loc. cit., cf. etiam 1 S., D. 17, q. 1, a. 1; De carit., a. 1).*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

782. — Objicitur I. Deus est spiritualiter vita animæ, juxtà illud (Deuter. XXX, 20): *Ipse est vita tua.* Sed vita animæ est gratia sanctificans. Ergo ipse Deus est gratia; et sicut anima immediate per se vivificat corpus, ita Deus immediate per se vivificat animam.

Resp. Deus est vita animæ, *dist:* ut causa efficiens et exemplaris vitæ nostræ, quia ipse infundit nobis gratiam, quæ est participata similitudo naturæ divinæ, quæque formaliter facit nos spiritualiter vivere, *conc.;* est causa formalis, quâ vivimus, *nego.* « Anima com- » paratur ad corpus, *ait S. Th.*, non tantum ut causa agens, secun- » dum quod est motrix corporis, sed etiam ut forma: unde formaliter » seipsa facit vivere corpus, secundum quod vivere dicitur esse vi- » ventium. Deus autem non est forma ipsius animæ vel voluntatis, » qua formaliter vivere possit; sed dicitur vita animæ sicut principium » exemplariter influens vitam gratiæ ipsi.» *(1 Sent. D. 17; q. 1, a. 1, ad 2).*

783. — Objicitur II. Legimus (I Joan. IV, 16): *Deus caritas est, et qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo.* Sed si caritas foret donum creatum et non ipse Deus, male inferret Apostolus eum, qui manet in caritate, in Deo manere. Caritas igitur non est donum creatum, sed ipse Deus.

Resp. Deus caritas est. *dist:* substantialis et increata, quâ Deus se et nos diligit, *conc.;* accidentalis et creata, quâ nos diligimus Deum et proximum, *nego.* Sed, ut ait idem Apostolus, hæc *caritas ex Deo est,* (I Joan. IV, 7); si autem ex Deo, ergo non Deus. Unde et B. Paulus *(Rom. V, 5)* eamdem dicit diffusam in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. « Caritas quippe Dei, *inquit S. August.,* dicta est diffundi » in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit di- » lectores suos. » *(De Spir. et litt., c. 32. M., 44, c. 237).* — Et *S. Bernardus:* « *Deus caritas est.* Dicitur ergo recte caritas et Deus, et Dei » donum. Itaque caritas dat caritatem, substantiva accidentalem. Ubi » dantem significat, nomen est substantiæ; ubi donum, qualitatis. » *(Epist. 11, n. 4. M., 182, c. 111). Cf. S. Th., 2. 2, q. 23, a. 2, ad 1.*

Optimam nihilominus esse illationem Apostoli, ex eo patet, quod caritas Dei erga hominem et hominis ergà Deum sunt ab invicem inseparabiles, testante Domino (Joan. XIV, 23): *Si quis diligit me... et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Quamdiu igitur homo manet in caritate diligendo Deum, tamdiu a Deo diligitur, Deumque in se habitantem possidet.

§ 3. *De gratiâ, quà dono physice permanente* [1].

784. — In justificatione aliquid homini intrinsece conferri, de fide est, ex Tridentino, ut suprà vidimus. Cum autem juxtà aliquos [2] fieri posset, ut homo justificetur absque dono ipsi habitualiter et permanenter inhærente, ulterius inquirendum est, utrum gratia sanctificans sit entitas quædam habitualiter in animâ permanens.

Si quæstio versatur circà parvulos baptizatos, plures olim negabant gratiam habitualem eis infundi. « Quidam antiqui posuerunt, *ait S. Th.,* » quod pueris in baptismo non dantur gratia et virtutes; sed impri- » mitur eis character Christi, cujus virtute, cum ad perfectam ætatem » venerint, consequuntur gratiam et virtutes... Causa autem erroris » fuit, quia nescierunt distinguere inter habitum et actum; et sic vi- » dentes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post ba- » ptismum nullatenus virtutem habere. » *(P. 3, q. 69, a. 6).*

[1] Cf. *Suarez,* De Aux., L. 6, c. 1, 2 et 3. - *L. Habert,* De Gr. c. 4, § 1, q. 4 et 5; p. 293. - *Grandin,* q. 2, a. 2; p. 110. - *Frassen,* Disp. 2, a. 1, q. 1, concl. 2; p. 159. - *Mazz.,* Disp. 5, a. 4. p. 648. - *Schwetz,* § 97; p. 429. - *Bellarm.,* De Justif., L. 2, c. 15., p. 842. — [2] Ita *Medina,* In q. 110, a. 2. - *Soto,* In 4[m] Sentent., Dist. 1, q. 3, a. 1; T. 1, p. 55; et præsertim *Morinus,* Comment. hist. de Pœnitentia, L. 8, c. 7; p. 525, ubi plures citat auctores.

Eamdem antiquorum sententiam, atque ejus oppositam, refert *Innocentius III (cap. Majores, de Baptismo)*, quin, quænam vera sit, definiat: « Illud verò, *inquit*, quod opponentes inducunt, fidem aut » caritatem aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non » infundi, a plerisque non conceditur absolute, cum propter hoc inter » doctores theologos quæstio referatur, aliis asserentibus per virtutem » baptismi, parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: » nonnullis dicentibus dimitti peccatum, et infundi virtutes habentibus » illas, quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad ætatem » adultam. »

Affirmantem et negantem sententiam refert Concil. Viennense, sub Clemente V *(De Summa Trinit.)*; et affirmantem, gratiam etiam parvulis conferri, tanquam probabiliorem eligit. Relata utraque opinione, ait: « Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ » per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem se- » cundam, quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo » informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis » sanctorum et doctorum modernorum theologiæ magis consonam et » concordem, sacro approbante concilio, duximus eligendam. »

785. — De adultis si quæstio movetur, licet aliqui doceant fieri posse, ut homo sit gratus Deo sine dono ipsi permanenter inhærente, omnes tamen miro consensu fatentur, gratiam sanctificantem importare aliquid permanenter in animâ perseverans; sed aliqui docuisse videntur, illud quod in animâ justâ remanet, non esse aliquid physicum, sed aliquid morale tantum. « Dicitur *physice* permanere, *ait* » *Mazzella (de Grat., n. 927)*, si gratia sanctificans sit entitas quædam » *physica* in sua *physica* existentia perseverans, et sit animæ inhæ- » rens; ex. gr., per modum qualitatis. *Moralis* vero permanentia ab » aliquibus explicatur « per gratiam actualem, quæ jugiter influat in » animam justi, eamque fecundam efficiat » *(cf. Perrone, n. 473)*; ab aliis autem « per actus præteritos, a quibus sufficienter desumitur » denominatio *justi* perseverans; sicut ab actu præterito peccati ali- » quis denominatur peccator. » *(Cf. Suarez, de Grat., L. 6, c. 1, n. 3).*

786. — Ante Concilium Tridentinum non fuisse de fide in parvulis adesse gratiam habitualem, ex iis constat, quæ modo ex Innocentio III et Conc. Viennensi retulimus; nec fuisse de fide in adultis esse gratiam, quæ per modum qualitatis permanentis ipsis inhæreat, communis est doctorum sententia. *Cf. Suarez, L. 6, c. 3, n. 3; p. 13.*

An autem post Concilium sit de fide, gratiam sanctificantem tam in parvulis quam in adultis physice permanere per modum qualitatis

ipsis habitualiter inhærentis, disputant auctores. Affirmat *Suarez*, loc. cit. n. 6 et seq., cum *Vega*, De Justif., L. 7, c. 24; p. 265, *Valentia*, Disp. 8, q. 3, punct. 2; col. 969, et aliis quibusdam. — Negant alii rem esse a Tridentino definitam. Ita *Gamachæus*, In q. 110, cap. 1; p. 363; *Soto*, De Nat. et Gr., L. 2, cap. 17, 18, 19; *Medina*, 1. 2, q. 110, a. 2; *Frassen*, Disp. 2, a. 1, q. 1, concl. 2; quæres., p. 162; *Perrone*, n. 473 et 505, cum aliis bene multis. Hi tamen omnes, etsi negent esse dogma fidei, tenent sententiam, quæ docet homines justificari per gratiam eis habitualiter et physice inhærentem, et non solum per gratiam actualem jugiter influentem, aut per solos actus suos supernaturales, esse *proximam fidei;* atque oppositam sententiam vocant *temerariam*, et *censura dignam.*

Propositio.

Gratia sanctificans consistit in entitate physice permanente.

787. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus (Joan. XIV, 14): *Si quis diligit me,... et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* In eum ergo qui Deum diligit, tres divinæ Personæ adveniunt eumque inhabitant. Porro Personæ divinæ nequeunt venire ad hominem eumque novo modo inhabitare per sui mutationem, sed solùm per aliquem effectum quem ipsæ operantur in homine. « Iste autem effectus, *ait S. Th.*, non potest esse tantum » actus; quia sic in justis dormientibus (Deus) non esset alio modo quam » in aliis creaturis. Ergo oportet quod sit aliquis habitus. » *(1 S., D. 17, q. 1, a. 1, sed contra).* Cum igitur Deus justum permanenter inhabitet, illaque inhabitatio fiat per gratiam sanctificantem, necesse est ut hæc quoque sit aliquid in justo physice permanens, etiam exclusâ omni operatione ex parte ipsius [1].

(I Petr. I, 3): *Regeneravit nos in spem vivam.* — (Tit. III, 57): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* His patet nos per gratiam regenerari. Generatio autem non terminatur immediate ad operationem, sed ad personam, et dat esse permanens. Ergo et gratia, quæ est causa formalis hujus novæ vitæ seu istius novi esse, debet et ipsa esse aliquid physice permanens.

[1] Cf. *Suarez*, L. 6, c. 1, n. 4; p. 3.

Idem constat ex omnibus illis effatis quibus declaratur, Spiritum S. effundi in cordibus nostris, *Rom. V, 5;* in nobis habitare, *Rom. VIII, 9;* nos esse templa Dei, *I Cor. III, 16;* et templa Spiritus S. *I Cor. VI, 19;* ac membra Christi, *I Cor., VI, 15;* atque Christum induisse, *Gal. 3, 27;* esse consortes divinæ naturæ, *II Petr. I, 4.* Quæ omnia non actus in nobis a Spiritu Sancto excitatos, sed statum permanentem indicant. Ergo et gratia, per quam hi effectus inducuntur, aliquid physice permanens sit oportet.

Demùm, idem evincitur ex similitudinibus, quibus gratia sanctificans designatur. Vocatur fons aquæ salientis in vitam æternam, *Joan. IV, 14; VII, 38, 39;* semen Dei quod in nobis manet, *I Joan. III, 9;* unctio, signum, pignus, *II Cor. I, 21; Eph. I, 13, 14;* vestis nuptialis *Matth. XXII, 11.* Quæ similitudines non actum transeuntem, sed aliquid stabile denotant.

788. — Prob. II. **Ex Tridentino.** Multa sunt Tridentini testimonia, quibus invicte probatur gratiam sanctificantem esse aliquid physice in animâ permanens.

Sess. V, can. 5, definit: « Si quis per Jesu Christi Domini nostri » gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati » remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et » propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut » non imputari, A. S. »

His constat tam adultis quam parvulis in Baptismo conferri gratiam, quâ justitia conferatur; et quâ non solum non imputetur, sed vere tollatur peccatum originale. Hanc gratiam etiam parvulis conferri, evincitur ex *Sess. VII, can. 6 et 7, de Sacramentis in genere,* quibus definitur per Sacramenta omnibus non ponentibus obicem gratiam conferri, et *ejusdem Sess., can. 12 et 13, de baptismo,* quibus definitur parvulos posse et deberi baptizari. Est ergo de fide, etiam parvulos in baptismate recipere gratiam justificantem, qua expellitur peccatum originale. Atqui in parvulis gratia justificans nequit esse gratia actualis in eos jugiter influens ad operandum, nec actus liber supernaturalis moraliter perseverans: horum enim de providentiâ Dei ordinariâ sunt prorsus incapaces. Ergò in ipsis gratia justificans nequit esse nisi gratia per modum qualitatis jugiter perseverantis [1]. Si autem in parvulis gratia justificans est quid physice permanens, ergo etiam in adultis, quia Sacramenta, quantum est de se, eamdem in omnibus operantur gratiam.

[1] Cf. *Suarez,* L. 6, c. 3, n. 6.

Sess. VI, can. 11, definit justificationem non esse tantum externum Dei favorem, sed etiam gratiam et caritatem, quæ in cordibus diffundatur, atque illis inhæreat; — *can. 22:* justificatum in acceptâ justitiâ auxilio Dei perseverare posse; — *can. 10:* justificatos in ipsâ justitiâ crescere posse; — *can. 24:* justitiam acceptam conservari et augeri coram Deo per bona opera; — *can. 7:* renatos juberi justitiam seu primam stolam, candidam et immaculatam conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi.

Quæ omnia in solam justitiam stabiliter permanentem possunt quadrare. Hanc fuisse mentem Concilii Tridentini, constat etiam tum ex *Pallavicino* testante, *quibusdam postulantibus, ut expressius declararetur, fieri justitiam per habitum infusum*, Patres respondisse: *id satis explicari per vocem* **inhæret,** *quæ stabilitatem significat, et habitibus non actibus congruit.* (Hist. Conc. Trid., L. 8, c. 14, n. 3); — tum ex Catechismo Tridentino, cujus verba supra sunt relata, *n. 768.*

789. — Prob. III. **Ex Traditione.** SS. Patres et theologi ante sæculum XII voce *habitus* usi non sunt ad gratiam justificantem atque ei annexas virtutes designandum; attamen justitiam ejusmodi designant verbis, quibus evidenter patefiat, eosdem de gratiâ tanquam de re physice permanente esse locutos.

Scribit *S. Joan. Chrysostomus:* « Multis quidem videtur cœlestem » gratiam in peccatorum tantum remissione consistere, nos autem hono- » res computabimus decem. Hac de causâ etiam infantulos baptiza- » mus, ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justi- »tia, adoptio, hæreditas, ut ejus membra sint omnes, ut Spiritus habi- » tatio fiant. » *(Hom. ad Neophytos, ap. Suarez, De Aux. lib. VI, c. 1, n° 6, ap. S. Aug., Cont. Jul., L. 1, c. 6. M., 44, c. 654).*

S. Basilius: « Sicut cernendi vis est in oculo sano, ita operatio » Spiritus Sancti est in animâ purgatâ... Et quemadmodum ars est » in eo qui illam adeptus est, ita gratia Spiritus in eo qui recepit » eam, semper quidem præsens, non perpetuo operans. » *(De Spir. S., c. 26, n. 61. M., 32, c. 179).*

S. Cyrillus Alex.: « Formatur autem in nobis Christus, sancto » Spiritu nobis divinam quamdam formam per sanctificationem et » justitiam indente. » *(L. 4 in Is., Or. V. M., 70, c. 935).*

S. Augustinus: « Christum imitantur sancti ejus ad sequendam » justitiam... Sed præter hanc imitationem, gratia ejus illuminatio- » nem justificationemque nostram etiam intrinsecus operatur... Hac gra- » tiâ baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori, qui certe imitari » aliquem nondum valent. Sicut ergo ille in quo omnes vivificantur,

» præter quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat » etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter » infundit et parvulis, etc. » *(De Pecc. merit., c. 9. M., 44, c. 114).*

Porrò, asserendo etiam parvulis in baptismo addi sanctitatem et justitiam, aut eis gratiam infundi; comparando gratiam vi cernendi, et arti; docendo gratiam semper esse præsentem, non autem semper operantem; vocando eam formam inditam, SS. Patres manifestissime ostendunt se loqui de justitiâ tanquam de re permanente.

790. — Prob. IV. **Ex Ratione.** Gratiam sanctificantem esse qualitatem permanentem, ratione naturali apodictice non potest probari; rationem congruentiæ affert *S. Thomas.* « Alio modo, *inquit,* adju- » vatur homo ex gratuita Dei voluntate secundum quod aliquod habi- » tuale donum a Deo animæ infunditur; et hoc ideo, quia non est » conveniens quod Deus minus provideat his quos diligit ad super- » naturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum » naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non » solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis for- » mas et virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, ut secundum » seipsas inclinentur ad hujusmodi motus; et sic motus quibus a Deo » moventur, fiunt creaturis connaturales et faciles, secundum illud » (Sap. VIII, 1): *Et disponit omnia suaviter.* Multò igitur magis, illis » quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, in- » fundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundum » quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum æternum » consequendum; et sic donum gratiæ qualitas quædam est. » *(1, 2, q. 110, a. 2).*

791. — **Corollaria.** Ex hactenus dictis plura inferes corollaria, quibus gratiæ natura magis dilucidatur.

Inferes I: Gratiam sanctificantem non esse substantiam, sed accidens [1].

Juxtà Tridentinum, *Sess. VI, cap. 7 et can. 11,* gratia inhæret animæ. Sed quod alteri inhæret, non est substantia, cujus est in se subsistere; sed accidens, cujus solius est alteri inesse.

Prætereà, gratia animæ immediate et intrinsece unitur tanquam forma. Sed nulla substantia potest alteri immediate et intrinsece uniri ut forma, nisi sola forma substantialis. Gratia verò nequit esse forma substantialis animæ; ergo restat ut sit forma accidenta-

[1] Cf. *Gotti,* Q. 3, dub. 2, § 1; p. 149. - *Suarez,* L. 6, c. 2, n. 1; p. 8.

lis. « Omnis substantia, *inquit S. Th.*, vel est ipsa natura rei cujus » est substantia, vel est pars naturæ; secundum quem modum ma- » teria vel forma substantia dicitur. Et quia gratia est supra natu- » ram humanam, non potest esse quod sit substantia aut forma sub- » stantialis; sed est forma accidentalis ipsius animæ. » *(1, 2, q. 110, a. 2, ad 2).*

Inferes II: Gratiam esse accidens spirituale.

Gratia informat animam. Sed nulla forma corporea potest spiritum informare. *Præterea*, ut infra dicetur, gratia est formalis et physica participatio naturæ divinæ. Cum autem Deus sit spiritus purissimus, perfecta ipsius participatio nequit fieri nisi per aliquid spirituale. [1]

Inferes III: Gratiam esse accidens de categoriâ qualitatis.

Gratiam esse qualitatem, constat ex Catech. Conc. Trid.. *De Bapt., c. 50:* « gratia est divina qualitas in animâ inhærens, ac veluti splendor » quidam et lux, quæ animas pulchriores et splendidiores reddit. »

Gratiam sanctificantem non posse esse aliud accidens præter qualitatem, ex diversorum accidentium inspectione patet. Non potest esse *quantitas;* hæc est proprietas materiæ, et solis rebus corporeis competit; — *nec relatio*, quæ non est proprie entitas absoluta, sed est *ad aliquid;* gratia verò est entitas absoluta; — neque *actio* aut *passio*, gratia enim habet esse fixum et permanens, non autem fluens; — non denique aliquod ex aliis prædicamentis, cum hæc res corporeas proprie respiciant.

Inferes IV: Gratiam esse qualitatem per modum habitûs.

Vidimus suprà, gratiam esse formam permanentem, habilitantem hominem ad connaturaliter actus supernaturales eliciendos. Qualitas autem, quæ de se habet esse fixum et permanens, et habilitat hominem ad connaturaliter operandum, non est simplex dispositio, sed verus habitus.

Nec obstat quod ad rationem habitus exigatur ut sit difficile mobilis, gratia verò sanctificans per peccatum expellatur ab animâ. Nam gratia per se et ex naturâ suâ esse fixum et permanens habet, ut manifestum est in Beatis, in quibus est ab omni mutatione libera. Quod autem in viatoribus mobilitatem habeat, hoc est per accidens; nec provenit a ratione gratiæ, sed ex conditione subjecti, quod de bono in malum semper potest transire.

[1] Cf. *S. Bonavent.*, 2 S., D. 26, a. 1, q. 3. - *Marcellus*, Tr. 10, disp. 1, q. 3 et 4; p. 505.

§ 4. *De distinctione gratiæ sanctificantis a caritate.*

792. — Hâc de quæstione duplex in scholis viget sententia: una docet, habitum gratiæ sanctificantis esse entitative eumdem habitum ac caritatis; altera distinctionem realem inter habitum gratiæ et habitum caritatis admittit. Utraque validis fulcitur argumentis, pro utrâque militant magni nominis theologi: utraque ergo est probabilis: et ad praxim nihil refert, utri adhæreas; quare, utra magis placeat, eam accipiat quisque.

Utramque opinionem cum suis argumentis exponemus; opinioni tamen S. Thomæ, tamquam probabiliori et hodie communiori, subscribimus.

793. — **Prima sententia** docet, *inter gratiam et caritatem non realem, sed rationis tantum adesse distinctionem.*

« Quidam posuerunt, *ait S. Th.*, idem esse gratiam et virtutem » secundum essentiam, sed differre solum secundum rationem: ut » *gratia* dicatur, secundum quod facit hominem Deo gratum, vel se- » cundum quod gratis datur; *virtus* autem secundum quod perficit » ad bene operandum. Et hoc videtur sensisse Magister Sent. L. 2, » Dist. 26. »*(1, 2, q. 110, a. 3).*—Hanc opinionem tenet *Scotus*, In II S., D. 27; p. 86; et omnes ejus discipuli, cum multis aliis. [1]

Hanc suam sententiam, auctores, qui eidem adhærent, multis probant argumentis.

794. — I. **Ex S. Scriptura.** « Illi habitus, *ait Ysambertus*, sunt » iidem realiter, quorum omnes proprii et formales effectus sunt om- » nino iidem, quia habitus distinguuntur penes proprios suos actus, » effectus et objecta. Atqui juxta Scripturas proprii actus et effectus

[1] Hanc sententiam sequuntur: *Richardus a Mediavilla*, 2 S., D. 26, a. 1, q. 1, p. 338; et q. 4, p. 342. - *Alensis*, Summa, P. 3, q. 61, M. 2, a. 4; fol. 253. - *Aureolus*, 2 S., D. 26; p. 269. - *De Montefortino*, Summa, 1. 2, q. 110, a. 3; p. 398. - *Frassen*, Disp. 2, a. 1, q. 2; p. 163. - *Bassolis*, 2 S., D. 26, q. 2; fol. 136. - *Mæratius*, S. J., Disp. 2, sect. 2; p. 44. - *Bellarminus*, De Gr. et lib. arb., L. 1, c. 6; p. 418. - *Esparza*, S. J., L. 5, q. 4; p. 446. - *Bachonus*, 2 S., D. 27, q. 1; fol. 185. - *Bonæspæi*, Tr 2, disp. 5, dub. 2; p. 104. - *Estius*, 2 S., D. 26, § 4; p. 254. - *Vega*, L. 7, c. 25, 26 et 27; p. 128. - *Marsilius*, 2 S., D. 26, a. 1, fol. 290. - *Durandus*, qui docet gratiam et caritatem esse idem *re* et *ratione*, 2 S., D. 26, q. 1; fol. 133. - *Henricus a Gandavo*, Quodl. 4, q. 10; fol. 99. - *Ysambertus*, In q. 110, disp. 1, a. 2. - *Gamachæus*, In q. 110, cap. 2; p. 364. - *Joan. Major*, 2 S., D. 26. - *Tournely*, Q. 5, a. 3; p. 462. - *Gabriel Biel*, 2 S., D. 26, concl. 4; fol. 136, etc.

» gratiæ sanctificantis et caritatis sunt plane iidem. Igitur gratia sancti- » ficans et caritas sunt unus idemque numero habitus. » (*In q. 110, disp. 1, a. 2*).

Prob. min. 1° Gratia dicitur esse id, quo homo in vitam supernaturalem renascitur, et filius Dei constituitur. Idem de caritate affirmatur, (I Joan, IV, 7): *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* -- (I Joan. III, 1): *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*

2° Gratiæ tribuitur reddere hominem Deo gratum, et dilectum. Idem caritati tribuitur, (Joan. XIV, 23): *Si quis diligit me... et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

3° Gratiæ adscribitur justificatio, et peccatorum remissio. Eadem adscribuntur caritati, (I Joan. IV, 16): *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* — (Luc. VII, 47): *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate.*

4° Gratiæ vita æterna promittitur. Eadem diligentibus Deum est repromissa (Jac. I, 12): *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

795. — II. **Ex Tridentino,** quod agens de justificatione, ait. *Sess. VI, cap. 7:* « Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita » passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; id tamen in » hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito » per Spiritum S. caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justi- » ficantur, atque ipsis inhæret: unde in ipsa justificatione cum remis- » sione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum » Christum, cui inseritur, fidem, spem, et caritatem. » Sed, aiunt Scotistæ, his in verbis non aliam formam nostræ justificationis assignat Concilium, nisi solam caritatem; caritas ergo est idem ac gratia sanctificans.

796. — III. **Ex Ratione.** 1° Ex duobus entibus absolutis, quæ ab invicem realiter et entitative distinguuntur, unum absque alio existere potest. Atqui gratia et caritas ab invicem separari nequeunt, ne de potentiâ quidem Dei absoluta. Qui enim haberet gratiam absque caritate, et moreretur, nec salvari posset, nec damnari. Non salvari, quia sine caritate nemo salvatur, juxta illud: *Qui non diligit, manet in morte,* (I Joan. III, 14); nec damnari, quia per gratiam homo filius Dei constituitur et habet jus ad cœlestem hæreditatem. Ergo nec sunt ab invicem entitative distinctæ.

2° Non sunt entia multiplicanda absque necessitate. Sed nulla adest necessitas distinguendi entitative gratiam a caritate, cum per unicum habitum omnes possint produci et explicari effectus formales, qui tum gratiæ tum caritati attribuuntur. Ergo.

797. — **Altera sententia** docet, *gratiam et caritatem esse duos habitus realiter et entitative ab invicem distinctos.*

Hanc opinionem tenet *S. Thomas*, 1. 2, q. 110, a. 3; 2 S., D. 26, q. 2, a. 4 et 6; De Verit., q. 27, a. 2; omnes fere theologi Ord. Prædic., et plures alii [1]. Quod hæc sententia sit priore probabilior, « suadetur » ex eo, *ait Tanner*, tum quod frequentius in scholis, et a S. Thoma, » gravioribusque theologis (est) recepta; tum quod melioribus nititur » fundamentis. » (*Disp. 6, q. 4, dub. 2; p. 1282*).

798. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** SS. Scripturæ gratiam tanquam donum a caritate distinctum exhibent. Legimus (II Cor. XIII, 13): *Gratia Domini nostri Jesu Christi et caritas Dei et communicatio S. Spiritus sit cum omnibus vobis.* — (I Tim. I, 14): *Superabundavit gratia Domini nostri cum fide et dilectione.* — (Eph. VI, 23, 24): *Pax fratribus et caritas cum fide... Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum.* Quæ testimonia, licet non invictam certitudinem, magnam tamen probabilitatem suppeditant, gratiam esse a caritate realiter distinctam; secus non adfuisset ratio gratiam seorsim a caritate nominandi.

[1] Præter theologos Ord. Prædic., ut *Cajetanum, Capreolum, Medinam, Gonet*, etc., hanc sententiam amplectuntur: *S. Bonaventura*, 2 S., D., 27, a. 1, q. 2, p. 256, quem patroni primæ sententiæ pro se citant, sed perperam. Loco enim citato, p. 658, post adductas rationes, ait: « Concludendum est igitur, sicut rationes plures ostendunt, quod habitus gratiæ gratum facientis et virtutum habitus sunt diversi. » - *Suarez*, L. 6, cap. 12; p. 70. - *Valentia*, Disp. 8, q. 2, punct. 2; p. 953. - *Oviedo*, Tr. 8, Contr. 1, punct. 6; p. 736. - *Tanner*, Disp. 6, q. 4, dub. 2; p. 1282. - *Muniessa*, Disp. 14, sect. 3 et 4; p. 300. - *Wirceburgenses*, Disp. 6, c. 1, a. 2; p. 440. - *Platel*, C. 6, § 6, n. 626; p. 445. - *Salmanticenses*. Disp. 4, dub. 5, T. 9; p. 559. - *Paulus a Concept.* Disp. 2, dub. 4; p. 157. - *Ægidius*, 2 S., D. 26, q. 2. a. 1. - *Thomas ab Argentina*, 2 S., D. 26 et 27, q. 1; p. 179. - *Marcellus*, Tr. 10, disp. 1, q. 5; p. 508. - *Dionysius Carth.*, 2 S., D. 26, q. 1; p. 460. - *Philippus a SS. Trinit.*, In q. 110, q. 5, dub. 2; p. 518. - *Puteanus*, In q. 110, a. 3, concl. 2; p. 514. - *Curiel*, In q. 110, a. 3, dub. 1, § 2; p. 854. - *Montesinus*, Disp. 30, q. 2; p. 777. - *Sylvius*, In q. 110, a. 3; p. 713. - *Is. Habert*, L. 3, c. 2; p. 355. - *Petrus a S. Jos.*, Disp. 8, sect. 3; p. 428. - *Gibbon*, Tr. 4, disp. 33, dub. 4; p. 422. - *Gabriel a S. Vinc.*, Disp. 7, q. 3; p. 225. - *Wenzl.*, Contr. 5, q. 4; p. 154. - *Mezger*, Disp. 7, a. 4, § 2; p. 79. - *Puteobonelli*, Q. 2, a. 3, § 5; p. 410, etc.

(Rom. V, 5): *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* « Ergo, *ait S. Thomas*, datio » Spiritûs Sancti præcedit caritatem, sicut causa effectum. Sed Spiritus » Sanctus datur secundum aliquod donum suum. Ergo aliquod donum » est in nobis quod præcedit caritatem; et hoc non videtur esse aliud » quam gratia. Ergo gratia est aliud quam caritas. » *(De Verit, q. 27, a. 2, sed contra, 2).*

799. — Prob. II. **Ex Conciliis.** *Concilium Viennense* in testimonio supra relato *(n. 764)*, tanquam probabiliorem et S. Patribus magis consonam elegit sententiam, tam parvulis quam adultis in baptismo conferri *informantem gratiam et virtutes.* Distinguit ergo gratiam informantem a virtutibus, ac proinde a caritate.

Concilium Moguntinum, c. 7, de Justif., gratiam a tribus virtutibus theologicis clare distinguit: « Cum venia peccatorum, *ait*, homo Dei » gratiam, et per Spiritum Sanctum unà cum fide simul caritatem in » corde diffusam ac spem accipit. Hisque Dei donis in ipso perma- » nentibus, non jam solum reputatur aut nominatur, sed vere existit » justus. »

Concilium Tridentinum, Sess. VI, cap. 7, docet, quod « justificatio » non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio » interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. » Quæ autem sint illa dona, statim explicat, scilicet, fides, spes et caritas. Et *can. 11*, anathema dicit in eos qui asserunt hominem justificari exclusâ *gratiâ et caritate.* His autem Concilium gratiam a caritate clare distinguere videtur. — Concilium utique his suis verbis controversiam scholasticam dirimere noluit, definiendo gratiam a caritate realiter distingui; in eis tamen hanc sententiam supposuisse, negari non potest.

Quænam fuerit hâc de re mens Tridentini, ex Catechismo Conc. Trid., non obscure colligitur. Postquam enim ex Tridentino gratiam justificantem dixerit esse *divinam qualitatem in anima inhærentem, ac veluti splendorem et lucem, (cap. 50, de Bapt.)*, addit *(cap. 51):* « Huic autem » additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam » cum gratiâ divinitus infunduntur. » Quo testimonio absque dubio ullo declaratur, gratiam esse a caritate realiter distinctam.

800. — Prob. III. **Ex Ratione.** 1° Juxta axioma in theologiâ communiter receptum, gratia imitatur naturam. Quocircà de ordine supernaturali philosophandum est per proportionem ad res naturales, nisi in contrarium gravis urgeat auctoritas. Porrò, in ordine naturali virtus semper præsupponit aliquam naturam præexistentem. Sed caritas

est virtus operativa in ordine supernaturali; ipsa ergo præsupponit quoddam esse supernaturale, quod esse est gratia sanctificans. Gratia igitur, utpote virtuti præsupposita, a virtute realiter et entitative est distincta.

Apposite *S. Thomas, 1, 2, q. 110, a. 3:* « Ut Philosophus dicit » (Physic. L. 7, text. 17), *virtus est quædam dispositio perfecti, dico » autem perfectum, quod est dispositum secundum naturam.* Ex quo » patet, quod virtus uniuscujusque rei dicitur in ordine ad aliquam » naturam præexistentem, quando scilicet unumquodque sic est dis- » positum, secundum quod congruit suæ naturæ. Manifestum est autem » quod virtutes acquisitæ per actus humanos sunt dispositiones, quibus » homo convenienter disponitur in ordine ad naturam, quâ homo est. » Virtutes autem infusæ disponunt hominem altiori modo, et ad altiorem » finem; unde etiam oportet quod in ordine ad aliquam altiorem natu- » ram, hoc est, in ordine ad naturam divinam participatam, quæ dicitur » *lumen gratiæ*, secundum quod dicitur (II Petr. I, 4): *Maxima et » pretiosa vobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes » naturæ.* Et secundum acceptionem hujus naturæ dicimur regenerari » in filios Dei. Sicut igitur lumen naturale rationis est aliquid præter » virtutes acquisitas, quæ dicuntur in ordine ad ipsum lumen naturale; » ita etiam ipsum lumen gratiæ, quod est participatio divinæ naturæ, » est aliquid præter virtutes infusas, quæ a lumine illo derivantur, » et ad illud lumen ordinantur. »

801. — 2° Alteram rationem priori affinem assignat *S. Thomas, (De Virtut., q. 27, a. 2)*, scilicet: Rationi consentaneum est ut Deus proportionaliter eodem modo perficiat naturam in ordine supernaturali, quo in ordine naturali. Sed in ordine naturali tria semper est invenire, videlicet: *esse*, *posse*, et *operari*. Ergo etiam in ordine supernaturali debent hæc tria adesse. Sed natura, seu esse, præsupponitur semper potentiæ, saltem prioritate naturæ. Cum autem in ordine supernaturali *esse* detur per gratiam, hæc præsupponitur caritati, ac proinde ab eâ est distincta. « Et ideò, *ait S. Th., loc. cit.*, sicut in rebus natu- » ralibus est aliud natura ipsa, quam inclinatio naturæ, et ejus motus » vel operatio; ita et in gratuitis est aliud gratia a caritate, et cæteris » virtutibus. Et quod hæc comparatio sit recte accepta, patet per Dio- » nysium, in 2. cap. Cœlest. Hier., ubi dicit, quod non potest aliquis » habere spiritualem operationem, nisi prius esse spirituale accipiat: » sicut nec operationem alicujus naturæ, nisi prius habeat esse in » naturâ illâ. »

802. — 3° Congruum est, ut in justificatione ipsa essentia animæ reddatur formaliter sancta, justa, Deo grata. Atqui si gratia a caritate non distinguitur, essentia animæ nequit esse formaliter sancta. Etenim voluntas, juxtà probabiliorem sententiam, ab essentiâ animæ realiter distinguitur. Proinde, accidens quod immediate informat voluntatem, nequit simul informare essentiam: idem enim numero accidens nequit esse in diversis subjectis. Caritas autem, cum sit virtus operativa, informat immediate voluntatem; nec potest immediate informare simul essentiam. Et sic essentia, a nullâ formâ immediate informata, non esset formaliter sancta Deoque grata.

803. — *Ad argumenta in confirmationem primæ sententiæ allata, respondetur:*

1° *Ad testimonia S. Scripturæ:* Ex textibus allatis nonnulli loquuntur non de habitu caritatis, sed de ejus actu, quem nullus unquam dixit esse formaliter idem cum gratiâ. Proinde in his textibus iidem effectus, qui tribuuntur gratiæ tanquam causæ formali, tribuuntur caritati tanquam causæ dispositivæ vel meritoriæ. Eodem sensu effectus gratiæ tribuuntur etiam fidei, quam tamen propterea nullus dixit esse idem cum gratiâ. Sic, v. g., legimus, (Prov. XV, 27): *Per fidem purgantur peccata.* — (I Joan. V, 1): *Omnis, qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est.*

Alii textus loquuntur quidem de habitu caritatis; et sic caritati attribuuntur effectus gratiæ, non quia gratia et caritas sunt idem et unus habitus, sed quia sunt habitus inseparabiliter connexi. Inde sequitur et ea, quæ gratiæ tanquam radici vel naturæ tribuuntur, caritati tanquam præcipuæ ejus facultati adscribi; et ea, quæ caritatis sunt propria, gratiæ tanquam hujus radici tribui; caritas quippe, in ordine supernaturali, per modum facultatis, gratia verò per modum naturæ se habet. Sic, v. gr., dicimus *intellectus intelligit, anima intelligit, homo intelligit;* eadem operatio tribus attribuitur; exinde tamen nequit concludi hæc tria esse realiter idem; sed intellectio, quæ tribuitur intellectui tanquam facultati, tribuitur animæ tanquam primæ radici, atque homini tanquam supposito operanti.

804. — 2° *Ad textum ex Tridentino a Scotistis desumptum, respondetur:* in illis verbis Concilium explicite mentionem non fecisse de gratiâ, quia nullatenus fuit necessarium, quandoquidem immediate antea gratiam et caritatem enumeravit, docendo justificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum; similiter *can. 11*, gratiam seorsim nominat a caritate; non fuit proinde necessarium ut

eadem repeteret. — Implicite tamen in allatis verbis gratiam indicavit, dicendo: cum remissione peccatorum hominem accipere fidem, spem et caritatem. Sed remissio peccatorum fit per infusionem gratiæ.

805. — 3° *Ad primum argumentum ex ratione assumptum, respondetur:*

a) Ex duobus entibus absolutis, quæ ab invicem realiter distinguuntur, unum absque alio existere posse, dummodo unum ab alio essentialiter non effluat, ut patet de animâ et ejus facultatibus, quæ, licet ab animâ distinctæ realiter, ab eâ fluunt naturali quâdam effluentiâ, et ideò nequeunt separatim ab animâ, nec anima separatim a suis potentiis existere. Jamverò, de potentiâ Dei ordinariâ, caritas a gratiâ nequit separari, quia caritas per naturalem quamdam effluentiam fluit a gratiâ; qua de causâ, positâ gratiâ, statim adest caritas; sicut positâ animâ, statim adsunt facultates; evanescente verò gratiâ, illicò etiam evanescit caritas; sicut pereunte animâ, perirent ejus potentiæ.

Evanescente autem caritate, evanescit gratia, quia sicut Deus diligentes se diligit, ita eos, qui ab ejus amore recedunt per peccatum, ipse amare cessat. Apud Deum autem, amare in ordine supernaturali, est influere bonum gratiæ; unde et a dilectione se abstinere, est tollere influxum boni gratiæ. Ex quo patet, et quomodo, pereunte caritate, pereat et gratia; et quomodo, adveniente caritate, adveniat etiam gratia; et quomodo, crescente caritate, proportionaliter crescat etiam gratia.

b) Multi negant, gratiam non posse de potentiâ Dei absolutâ separari a caritate; sicut nec absolute repugnat animam de potentia Dei absoluta existere posse sine potentiis, aut vice versâ.

Quod si contingeret, ut optime explicat *Sylvius, In q. 110, a. 3. resp. ad 2*, homo habens gratiam absque caritate, aut caritatem absque gratiâ, foret mutilus et imperfectus in esse supernaturali, sicut homo habens animam sine facultatibus, foret mutilus et imperfectus in esse humano.

Qui haberet gratiam sine caritate, foret dilectus a Deo, sed non Dei dilector; et si moreretur acciperet gloriam non titulo mercedis, sed solo titulo hæreditatis, quia per gratiam constituitur filius Dei et habet jus ad hæreditatem. — Similiter qui haberet caritatem et non gratiam, foret Dei dilector, sed non dilectus a Deo; et si moreretur acciperet gloriam non titulo hæreditatis, sed solo titulo mercedis promissæ operario qui ex caritate operatur, quamvis merces non foret omninò de condigno propter defectum dignitatis personæ, sed titulo quodam inferiori.

« Neque refert, *addit Sylvius, (loc. cit.)*, quod sine caritate nemo » salvetur, imò nec opera prosint quæ penitus sunt sine dilectione. » Hoc enim ideò est, quia juxta consuetum operationis Dei morem is » qui caritatem non habet, nec gratiam, nec alia ad salutem neces- » saria habet. Respicit namque Scriptura ad ea quæ secundum ordi- » nariam Dei potentiam fiunt, non ad ea quæ in casibus plane inso- » litis et inauditis fieri possunt. »

806. — **Scholium.** *De subjecto gratiæ.* Solutio quæstionis utrum scilicet gratia resideat in essentiâ animæ, an in aliquâ ejus potentiâ, cum quæstione modo ventilatâ intime connectitur. Qui enim gratiam a caritate entitative non distinguunt, fateri coguntur gratiam esse in voluntate tanquam in subjecto; caritas enim in voluntate subjectatur. Hanc opinionem tenent omnes Scotistæ. — Qui verò gratiam a caritate distinctam esse volunt, admittunt generatim gratiam residere immediate in essentiâ animæ.[1]

« Ista quæstio, *ait S. Th.*, ex præcedenti dependet. Si enim gratia » sit idem quod virtus, necesse est quod sit in potentiâ animæ sicut in » subjecto; nam potentia animæ est proprium subjectum virtutis. Si au- » tem gratia differt a virtute, non potest dici quod potentia animæ sit » gratiæ subjectum; quia omnis perfectio potentiæ animæ habet ratio- » nem virtutis. Unde relinquitur quod gratia, sicut est prius virtute, » ita habeat subjectum prius potentiis animæ, ita scilicet quod sit in » essentiâ animæ. Sicut enim per potentiam intellectivam homo parti- » cipat cognitionem divinam per virtutem fidei, et secundum poten- » tiam voluntatis amorem divinum per virtutem caritatis: ita etiam » per naturam animæ participat secundum quamdam similitudinem » naturam divinam per quamdam regenerationem, sive recreationem. » *(q. 110, a. 4. — Cf. De virtut., q. 27, a. 6).*

Confirmatur aliâ ratione a S. Thoma allatâ, *(loc. cit.)*, scilicet: Per gratiam regeneramur in filios Dei; per illam enim novum esse, divinum scilicet et supernaturale, accipimus. Sed generatio per prius terminatur ad essentiam quam ad potentias. Ergo gratia per prius est in essentia animæ quam in potentiis.

807. — In animâ immediate residens, influentiam tamen suam in omnes facultates, præsertim in voluntatem, exercet, eisque tribuit ut actus de condigno meritorios elicere valeant. « Sicut potentia, *inquit*

[1] Aliqui ex his auctoribus, ut *S. Bonaventura*, 2 S, D. 26, a. 1, q. 5. - *Marcellus*, Tr. 10, a. 1, q. 6; p. 509, gratiam dicunt residere in potentiis.

» *S. Th.*. non habet quod sit principium talis operationis, nisi se-
» cundum quod manat a principiis talis essentiæ; ita etiam perfectio
» potentiæ habet quod informet actum ex virtute gratiæ perficientis
» ipsam essentiam: et ideo gratia non tantum dicitur gratificans es-
» sentiam animæ, sed etiam opus gratum reddens, non quidem sicut
» proximum informans, sed sicut primum, quod naturam in altius
» elevat. — Inter potentias animæ, voluntas vel liberum arbitrium
» maxime communis est, eo quod ejus imperio actus aliarum poten-
» tiarum subjaceant; et quia gratia non respicit aliquem determi-
» natum actum, cum sit in essentia, quæ ad nullam operationem
» determinatur; ideo gratia immediatius voluntatem vel liberum ar-
» bitrium respicit, cum omnes actus gratiâ informati quodammodo
» sint voluntatis et liberi arbitrii. Non tamen sequitur, quod sit in
» voluntate vel libero arbitrio sicut in subjecto; sed ex gratia voluntas
» et liberum arbitrium habet ut actum meritorium producere possit. »
(1 S., D. 26, q. 1, a. 3, ad 2 et 3).

ARTICULUS II.

DE INTRINSECA GRATIÆ SANCTIFICANTIS PERFECTIONE.

808. — Quid sit in genere gratia sanctificans, ex iis didicimus, quæ in superiori articulo nostris meditationibus fuerunt proposita. Verum, hæc generalis consideratio gratiæ intimam ejus naturam nondum manifestavit: ex eâ enim cognoscimus quidem, gratiam esse donum creatum, nobis intrinsece inhærens, atque ab habitu caritatis distinctum; sed quid sit illud donum, in quo consistat intima ejus natura, seu quænam sit intrinseca ejus perfectio, nondum claret. Ut igitur gratiæ natura paulò perfectius inspiciatur, de intrinsecâ gratiæ perfectione agendum est; qua de re tria occurrunt enucleanda, videlicet:

1° An gratia sanctificans sit divinæ naturæ participatio.

2° An sit aliquid supernaturale, atque entium creatorum nobilissimum.

3° An sit radix virtutum.

§ 1. *An gratia sanctificans sit divinæ naturæ participatio.*

809. — « Hæc pars eo accuratius explicanda est, *ait Contenson*,
» quo veritatem continet, quæ totius Christianismi medulla est et
» gloria, ac ferme infinitam declarat christiani dignitatem, qua nedum

» animalibus, sed et Angelis in ordine naturali constitutis immensum » antecellimus; qua filiorum Dei juribus donamur, etc. » *(Diss. 5, cap. 1, spec. 1; p. 316).*

Nihil in sacris Litteris aut in SS. Patrum scriptis frequentius occurrit, quam homines per gratiam *deificari, filios Dei fieri, naturæ divinæ esse consortes et participes, Deo assimilari*, etc. Quem effectum ut gratia sanctificans valeat producere, prorsus necesse est ut et ipsa sit quædam divinæ naturæ participatio atque consortium. In hac veritate asserenda uno ore consentiunt theologi; verùm, quando pressius inquirunt tum de modo quo gratia divinam participet naturam, tum de conceptu sub quo ex parte Dei gratia divinam naturam exprimat, in diversas abeunt sententias. Ut igitur hac in re certa ab incertis sejungamus, primum existentiam hujus consortii seu participationis probabimus; deinde, quid illud sit, exponemus.

I. Existentia consortii divinæ naturæ in gratia.

Propositio.

Gratia sanctificans est naturæ divinæ consortium quoddam atque participatio.

810. — Propositio, quatenus a naturâ hujus participationis præscindit, solamque ejus innuit existentiam, *ad fidem pertinet*, ex manifestis Scripturæ testimoniis, atque universali Ecclesiæ traditione.

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** 1° Legimus, (II Petr. I, 4): *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Ex Patribus nonnulli per illa *pretiosa promissa* intelligunt vel SS. Eucharistiam, qua Christo intime unimur, *(S. Cyrillus Hier., Catech. mystag. 4);* vel Verbi incarnationem, quâ tota natura humana per sui assumptionem in unitatem personæ Verbi, consortium quoddam cum Deo accepit, *(Œcumenius, in prædicta verba B. Petri; S. Leo I, Serm. I de Nativ.)*[1]. Alii tamen Patres per illa promissa intelligunt gratiam gratum facientem, quam in sacramento regenerationis accipimus, et per quam in filios Dei renascimur[2].

S. Athanasius, agens de Spiritu S., postquam ipsum dixit appellari unguentum et sigillum, ait: « Unguentum quidem ungentis sua- » vitatem et odorem retinet, cujus participes facti qui unguntur, dicunt:

[1] Cf. *Curiel*, in q. 110, a. 3, Contr., § 2; p. 858. — [2] Cf. *Curiel*, Loc. cit., § 3; p. 863; et *Laneau*, De Deificatione justorum, P. 1, c. 1, § 5; p. 43.

» *Christi bonus odor sumus.* Sigillum vero signantis Christi effigiem » servat, cujus qui signantur participes effecti, ad eam conformantur, » ut ait Apostolus: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur* » *Christus in vobis.* Hoc autem modo signati, convenienter divinæ » naturæ consortes reddimur, uti docet Petrus. » *(Epist. I ad Serapionem, n. 23. M. 26, c. 586).* Et: « Itaque res omnes Filii fiunt par- » ticipes secundum Spiritus gratiam, quæ ab eo datur... Nos enim cum » ipsius Filii participes efficimur, Dei participes esse dicimur, idque » ipsum est quod aiebat Petrus: *Ut efficiamini divinæ consortes na-* » *turæ.* » *(Orat. I cont. Arianos, n. 16. M., 26, c. 46).* Porro his in verbis S. Athanasius aperte loquitur de gratia sanctificante, quâ interius a Spiritu S. consignamur.

S. Cyrillus Alex.: « Nunquam, *inquit*, concipietur creatura deifica; » verum id soli Deo tribuendum est, qui sanctorum animabus immittit » suæ proprietatis illam per Spiritum participationem, per quam con- » formes facti naturali Filio, dii secundum ipsum et filii vocati sumus » Dei... Spiritus enim est qui nos conjungit, atque, ut ita dicam, unit » cum Deo, quo suscepto, participes et consortes naturæ divinæ red- » dimur... Si nos forsan expertes Spiritus essemus, filii Dei omnino » non essemus. Quomodo igitur assumpti sumus, aut quomodo naturæ » divinæ consortes redditi sumus, si neque Deus in nobis est, neque » nos illi adhæremus per hoc quod vocati sumus ad participationem » Spiritus? Atqui participes et consortes cuncta exsuperantis substan- » tiæ, et templa Dei nuncupamur. » *(De Trin., Dial. 7. M. 75, c. 1098).*

S. Ambrosius: « Quid illa attexam quod hominem Deus divinæ » fecit consortem naturæ, sicut in Epistola Petri legimus. Unde non » immerito quidam ait: Cujus et genus sumus: dedit enim nobis de » cognatione sua,... ut quæramus illud divinum quod non longe est » ab unoquoque nostrum, in quo et vivimus, et movemur et sumus. » *(Epist. 43, n. 10. M., 16, c. 1132).*

S. Thomas, *q. 110, a. 3*, et omnes theologi cum ipso, hæc B. Petri verba de gratiâ sanctificante intelligunt, per quam nos divinam dicunt participare naturam.

811. — 2° « Eamdem veritatem, *inquit Contenson*, ubique sonant » celeberrima illa testimonia, quibus dicitur justos per gratiam gene- » rari, renasci, et filios Dei revera constitui; cum enim generatio sit » naturæ communicatio, cum nativitas sit naturæ receptio, cum filius » ille solus dicendus sit, qui naturam parentis exprimit et propagat, » procul dubio justos divinæ naturæ participatione gaudere creden- » dum est, quos semel creatos sacræ Litteræ, et a Deo iterum gigni,

» et ex Deo natos, et filios Dei tam asseveranter, et juxta frequenter » tradunt. *Voluntarie enim genuit nos*, inquit Jacobus, cap. I, *verbo » veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus:* id est, gratuita » sua dilectione sanctos spiritualiter genuit veræ naturæ suæ com- » municatione... *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili » per verbum Dei vivi, et permanentis in æternum*, inquit D. Petrus » (I Petr., I). Joan. I: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non » ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* » Illud idem eleganter exprimit dialogus ille eximius Christum inter » et Nicodemum initus, Joan. III: *Amen, amen dico tibi*, inquit Ve- » ritas Nicodemo, *nisi quis renatus fuerit denuo non potest videre » regnum Dei*, etc. » *(Loc. cit., p. 316)*[1].

812. — Ex hâc nostrâ divinâ filiatione atque novâ nostrâ ex Deo nativitate, SS. Patres et imprimis S. Cyrillus Alex. frequentissime deducunt, nos divinæ naturæ esse participes, atque intimam cum Deo habere unionem. Unum audiamus Cyrillum, qui, commendans verba Joannis I, 13: *Qui non ex sanguinibus, etc.*, nostram divinam filiationem exaltat, ejus differentiam cum Verbi filiatione indicat, et ex ea tum nostrum cum divinâ naturâ consortium, tum Spiritus S. divinitatem probat.

« Qui per fidem in Christum, *inquit*, vocati sunt in adoptionem » filiorum Dei, propriæ quidem naturæ vilitatem exuerunt, Deique » honorantis gratia ceu splendida quadam veste conspicui, ad super- » naturalem dignitatem evehuntur. Non enim amplius carnis filii, sed » Dei potius adoptiva soboles nuncupantur. Adverte quantâ cautelâ » in sermonibus suis beatus Evangelista usus sit. Cum enim dicturus » esset ex Deo natos esse fideles, ne quis eos putaret ex Dei ac Pa- » tris substantia revera genitos, et per omnia similes esse Unigenito, » aut etiam de illo abusive dici: *Ex utero ante Luciferum genui te;* » atque ita demum in creaturarum naturam ipse quoque detruderetur, » licet a Deo genitus dicatur, idcirco hanc cautionem excogitat. Cum » enim potestatem a naturali Filio datam iis esse dixerit, ut filii Dei » fierent, adoptione nimirum et gratiâ, tandem tutissime subjicit: *Ex » Deo nati sunt:* ut gratiæ quoque magnitudinem ostendat, qua quod » alienum est a Deo ac Patre, ad ejus naturale quodammodo consor- » tium colligitur, et quod servum est, ad Domini nobilitatem ob vehe- » mentem ejus caritatem evehitur... Qui autem in filiorum Dei adop- » tionem fide in Christum evehuntur, non in unam a creaturis aliquam,

[1] Cf. *Lancau*, De Deif. just., cap. 1, per totum.

» sed in ipsam sanctam Trinitatem baptizantur, mediante Verbo, quod » sibi humanitatem quidem conjungit per carnem unitam, sed natura- » liter Patri conjungitur, quatenus naturâ Deus. Hoc enim pacto servi » ad filiationem vocantur, per veri Filii participationem ad dignita- » tem ei naturaliter inexistentem vocati et quodammodo evecti. Quam » ob rem filii Dei dicimur et sumus, qui spiritalem regenerationem » per fidem accepimus. Sed quoniam nonnulli præcipiti quadam au- » dacia... de Sancto Spiritu falsa prodere non verentur, creatum et » factum hunc esse dicentes... eorum intemperiei rectæ fidei doctri- » nam opponentes, quod nobis et lectoribus usui sit proferamus. Si » enim neque Deus secundum naturam, neque ex Deo est Spiritus... » quomodo nos, qui per ipsum nati sumus, ex Deo nati dicimur? Aut » enim mentire plane Evangelistam fatebimur: aut si verax est, sicuti » est profecto, Deus erit, et ex Deo secundum naturam Spiritus: cujus » participatione per fidem in Christum donati, et naturæ divinæ par- » ticipes efficimur, et eam ob rem dii nuncupamur, non gratiâ solum » ad supernaturalem gloriam evecti, sed quo jam Deum in nobis ha- » bitantem atque diversantem habeamus. » *(L. I. in Joan., I, 13; M., 73, p. 154).*

813. — Prob. II. **Ex Sensu Ecclesiæ.** Duæ inter condemnatas Baii propositiones reperiuntur, quæ licet præsentem quæstionem non definiant, quisnam tamen sit Ecclesiæ sensus, apprime manifestant. *Prop. 21ª:* « Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium » divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde » naturalis dicenda est, et non supernaturalis. » *(Denz., n. 901).* — *Prop. 42ª:* « Justitia, quâ justificatur per fidem impius, consistit for- » maliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia; non » autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium » Dei, et secundum interiorem hominem renovatur ac divinæ naturæ » consors efficitur, ut, sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps » bene vivere et Dei mandatis obedire possit. » *(Denz., n. 922).*

Hunc Ecclesiæ sensum ex precibus liturgicis etiam colligere licet. *In Missa* oramus: « Deus qui humanæ substantiæ dignitatem mira- » biliter condidisti, et mirabilius reformasti, da nobis per hujus aquæ » et vini mysterium ejus *divinitatis esse consortes*, qui humanitatis » nostræ fieri dignatus est particeps. » — *In præfat. Ascens.*: « Qui post » resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et » ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, ut *nos divinitatis suæ tri-* » *bueret esse participes* ». — In *Secreta Dom. IV post Pascha:* « Deus,

» qui nos per hujus sacrificii veneranda commercia *unius summæ divi-* » *nitatis participes effecisti*, præsta, etc. »

814. Prob. III. **Ex Traditione.** Ait *S. Dionysius*: « Salus iis qui » salvantur nonnisi jam deificatis potest obtingere. Est autem hæc dei- » ficatio, Dei quædam, quoad fieri potest, assimilatio unioque ». *(De Eccles. Hier., cap. 1, § 1. M., 3, c. 375).*

S. Athanasius: « Omnes, per Spiritum, Dei participes dicimur. » *Nescitis*, inquit, *quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in* » *vobis... Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Sed si Spi- » ritus Sanctus res creata esset, nulla sane Dei communicatio nobis » in ipso esset; sed rei creatæ conjungeremur, et divinæ naturæ alieni » essemus, utpote nulla in parte ejus facti participes. Nunc verò cum » Christi et Dei participes dicamur, utique constat, unguentum et » sigillum, *(quibus S. Athanasius denotat Spiritum S.)*, quod in nobis » est, non ad rerum factarum, sed ad Filii naturam pertinere, qui » nos per Spiritum, qui in ipso est, Patri conjungit. Idipsum nos » Joannes his verbis docet: *In hoc cognoscimus quia in Deo manemus,* » *et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Si porro, Spiritûs » communicatione, divinæ naturæ consortes efficimur, nemo certe nisi » insanus dixerit Spiritum non Dei, sed creatæ esse naturæ. Nec enim » alia de causa hi in quibus ille est, dii efficiuntur. Quod si deos » efficit, dubium non est, quin ejus natura Dei sit. » *(Epist. I, ad Serap., n. 24. M., 26, c. 586).*

S. Augustinus: « Descendit ergo ille (Christus) ut nos ascendere- » mus, et manens in natura sua factus est particeps naturæ nostræ, » ut nos manentes in natura nostra efficeremur participes naturæ » ipsius. » *(Epist. 140, c. 4. M., 33, col. 542)* [1].

815. — Prob. IV. **Auctoritate theologorum.** Theologi unanimiter gratiam vocant *divinæ naturæ consortium, divinæ naturæ participationem.* Solus audiatur *S. Thomas. (1. 2, q. 110, a. 3,).* Gratiam vocat: « naturam divinam participatam... participationem divinæ naturæ. » — *(Loc. cit., a. 2, ad 2):* « Gratia, *inquit*, est forma accidentalis ipsius animæ. Id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem. » — *(P. 3, q. 2, a. 10, ad 1)*: « Gratia, quæ est accidens, est quædam similitudo divinitatis parti-

[1] Alia testimonia videri possunt apud *Scheeben*, Dogmatique, L. 3, n. 674 et seq. (Tom. 3, p. 478); et apud *Thomassin*, De Incarnat., L. 6, per totum. Cf. etiam *Bellamy*, La vie surnaturelle, ch. 6; p. 129.

cipata in homine. » — (*Loc. cit., q. 3, a. 4, ad 3*): « Assumptio quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quamdam participationem divinæ naturæ, secundum quamdam assimilationem ad bonitatem illius, secundum illud (II Petr. I, 4), *ut divinæ consortes naturæ*, etc. » *cf. etiam 1. 2, q. 110. a. 4.*

816. — Prob. V. **Ex Ratione.** Inter finem et rem in finem ordinatam debet aliqua adesse proportio. Sed finis gratiæ est intima fruitio ipsius Dei. Ut ergo inter gratiam et finem aliqua adsit proportio, necesse est ut ipsa gratia habeat in se esse quoddam divinum, non essentiale, sed participatum ab ipso Deo. — Quam rationem perbelle describit *S. Bonaventura.*

« Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, *inquit*, hæc est: quia, » cum primum principium *productivum* pro sua summa benevolentia » fecit spiritum rationalem capacem beatitudinis æternæ; et *repara-* » *tivum* principium capacitatem illam infirmatam per peccatum repa- » ravit ad salutem; et beatitudo æterna consistit in habendo summum » bonum; et hoc est Deus et bonum excedens improportionaliter om- » nem humani obsequii dignitatem: nullus omnino ad illud summum » bonum dignus est pervenire, cum sit omnino supra omnes limites na- » turæ, nisi Deo condescendente sibi, elevetur ipse supra se. Deus autem » non condescendit per sui essentiam incommutabilem, sed per *influen-* » *tiam* ab ipso manantem; nec spiritus elevatur supra se per situm » localem, sed per *habitum deiformem.* Necesse est igitur spiritui ratio- » nali, ut dignus fiat æternæ beatitudinis, quod particeps fiat in- » fluentiæ deiformis. Hæc autem influentia deiformis, quia est a Deo » et secundum Deum et propter Deum, ideo reddit imaginem nostræ » mentis conformem beatissimæ Trinitati non tantum secundum ordi- » nem originis, verum etiam secundum rectitudinem electionis, et se- » cundum quietudinem fruitionis. Et quoniam qui hoc habet immediate » ad Deum reducitur, sicut immediate ei conformatur; ideo donum illud » immediate donatur a Deo tanquam a principio influxivo; ut, sicut » immediate emanat a Deo Dei imago, sic immediate manet ab ipso » Dei similitudo, quæ est divinæ imaginis perfectio deiformis, et ideo » dicitur imago recreationis. » *(Breviloquium, P. 5, c. 1. T. 5, p. 252).*

II. Quid sit illud naturæ divinæ consortium.

817. — De naturâ divini illius consortii, quod in gratia sanctificante invenitur, diversæ, ut supra innuimus, existunt sententiæ; quæ

ut rite intelligantur, quædam præmittendæ sunt notiones[1], et primo quidem de diversis participationis speciebus; deinde de conceptu sub quo gratia Dei naturam participet.

Prænotanda. Participare nihil aliud est, *aiunt Salmanticenses*, « quam rem inferiorem imitari, atque exprimere perfectionem rei » superioris, non quidem adæquate et secundum omnes conceptus, sed » inadæquate, et quoad aliquam rationem partialem. Ubi enim unum » extremum aliud adæquat, ibi non participatio, sed æqualitas, adæ- » quatio et identitas reperitur... Participare est habere partialiter » perfectionem rei superioris, et ex perfectione per se inspecta, atque » imitabili ab inferiori, quamdam partem capi, et alias partes sive con- » ceptus relinqui. » *(Disp. 4, dub. 3, n. 38; p. 533).*

Aliquid potest multipliciter participari; nam ut aiunt *Salmantic., (loc. cit.)* « juxta diversum modum imitationis ac convenientiæ rei » inferioris cum superiori, oportet dividere participationem ut sic in » diversa membra. »

818. — Participatio est vel *moralis* vel *physica.*

Moralis est: Qualitatis moralis, quæ est in re superiori, imitatio quædam et expressio, ex extrinsecâ tantum aliquâ ordinatione. Sic, v. gr., charta nummaria (vulgo: billet de banque) ex extrinsecâ conventione valorem et dignitatem auri participat; et moneta sigillo regis insignita dignitatem regis ex extrinsecâ ordinatione participat. Quare, gratiam participare moraliter naturam divinam significat: gratiam ex extrinsecâ Dei ordinatione tribuere homini potestatem sancte et juste operandi, et jus Deum intuitive videndi eoque beate fruendi; in quibus actibus homo participat et imitatur naturam Dei, qui necessariò omnia juste et sancte operatur, se intuitive naturaliter videt, et sui intimâ fruitione infinite est beatus. — Hæc participatio vocatur etiam *ethica*, quia mores respicit, consistitque in eo, quod homo in actibus suis moralibus Dei sanctitatem imitetur. Propter hanc moralem participationem, qui per fidem Abraham imitantur, vocantur filii Abrahæ; et qui opera mala faciunt, vocantur filii diaboli. (Joan. VIII, 39, 44): *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite... Vos ex patre diabolo estis; et desideria patris vestri vultis facere.*

Physica est, quando aliqua res inferior, ex naturâ suâ, et seclusâ omni extrinsecâ ordinatione aut conventione, perfectionem quamdam,

[1] Cf. *Salmant.*, Disp. 4, dub. 3; T. 9, p. 533. - *Paulus a Concept.*, Tr. 13, disp. 2, dub. 2; p. 147. - *Curiel*, In q. 110, a. 3; p. 857. - *Gibbon*, Disp. 33, dub. 2; p. 416. - *Mezger*, De Gr., disp. 7, a. 2; p. 70.

quæ in re superiori invenitur, imitatur et exprimit; sicut, v. gr., photographia suum prototypum naturaliter exprimit et imitatur. — Proinde gratiam physice divinam participare naturam significat: gratiam, licet sit ens creatum et a Deo essentialiter distinctum, ex naturâ suâ habere, ut divinam naturam in aliquâ ejus perfectione imitetur et exprimat, tribuatque homini accidentaliter aliquid, quod est in Deo substantialiter.

819. — Participatio physica subdividitur in *virtualem* et *formalem*.

Virtualis est, quando perfectio, quæ dicitur participata, non est in utroque extremo formaliter; sed in uno formaliter, in alio virtualiter tantum aut eminenter. Dupliciter igitur contingit participatio virtualis: uno modo, quando aliqua perfectio est formaliter in inferiori, et eminenter in superiori; sic ratio humana, quæ formaliter est in homine et eminenter in Deo, dicitur participatio physica virtualis divini intellectûs; — alio modo, quando perfectio, quæ est formaliter in superiori, est tantum virtute in inferiori; quando scilicet participans habet in se virtutem producendi perfectionem, quæ est formaliter in superiori; sicut, v. gr., glans quernea participat vitam quercûs, quia habet virtutem generandi quercum.

Formalis est, quando perfectio, quæ participatur, physice et realiter invenitur tum in participante tum in participato, et potest de utroque formaliter prædicari; sicut, v. gr., ferrum candens physice formaliter participat calorem ignis.

Formalis physica potest esse vel *univoca* vel *analoga*.

Est *univoca*, quando perfectio est ejusdem speciei et ejusdem rationis in participante et in participato, licet in participato sit modo longe perfectiori quam in participante; sicut, v. g., calor qui est in ferro candente, est ejusdem naturæ cum calore ignis, et ideo dicitur participatio univoca.

Est *analoga*, quando perfectio participata est quidem formaliter in utroque extremo, in participato tamen est secundum esse quoddam altioris ordinis et alterius naturæ quam in inferiori. Sic, v. gr., sapientia, quæ est formaliter in homine, est participatio analoga Dei sapientiæ; et quælibet perfectio creaturæ est participatio analoga alicujus divinæ perfectionis.

820. — **Resolutio dubii primi:** Juxtà omnes theologos, gratia sanctificans est moralis et ethica naturæ divinæ participatio, saltem eo sensu quod faciat hominem in actibus suis imitari Dei sanctitatem et

rectitudinem, hominem ad Deum convertat eumque cum Deo intime uniat, atque jus tribuat ad cœlestem hæreditatem.

Sed si inquiritur *an gratia sit non solum moralis, sed etiam physica divinæ naturæ participatio*, disputant auctores.

Docent *Scotistæ*, cum aliis paucis, gratiam esse solummodo moralem et ethicam divinæ naturæ participationem, et unice consistere in rectitudine voluntatis et imitatione divinæ sanctitatis et justitiæ, atque in unione inde exortâ cum Deo; habereque solum ex extrinsecâ Dei ordinatione ut reddat hominem Deo gratum et amicum, capacemque ut Dei rectitudinem et sanctitatem possit imitari. Ita *Dupasquier*, qui hanc opinionem dicit esse omnium Scotistarum [1], *Barth. Durandus* [2], *Bernardus a Bononia* [3], *Esparza*, S. J. [4]; *Oviedo*, S. J. [5], *Muniessa*, S. J. [6], *Madernus* [7], *Moretus* [8].

Thomistæ, et cum eis major pars theologorum, docent gratiam sanctificantem esse, non solum moralem, sed etiam physicam formalem, sed analogam, naturæ divinæ participationem. — Præter auctores suprà *(ad num. 817)* citatos, hanc sententiam tenent *Gotti* [9], *Billuart* [10], *Joan. a S. Thoma* [11], *Gabriel a S. Vincentio* [12], *Gonet* [13], *Schmier* [14], *Wenzl* [15], *Mazzella* [16]; etc. Huic opinioni tanquam probabiliori et communiori adhæremus.

Propositio.

Gratia sanctificans est physica formalis, sed analoga, divinæ naturæ participatio.

I. Gratiam esse participationem physicam:

821. — Prob. I. **Ex auctoritate D. Thomæ.** S. Thomas in locis supra citatis *(n. 815)* de consortio physico aperte loquitur, prout fatentur ipsimet Scotistæ. Sic, v. gr., *Moretus*, enuntiatâ propositione de consortio tantum morali, ait: « Ita Scotus contra Thomam. » *(p. 41)*.

822. — Prob. II. **Ex modo loquendi S. Scripturæ.** 1° Affirmat B. Petrus *nos effici divinæ consortes naturæ;* quæ verba SS. Patres de gratiâ sanctificante interpretantur. Porro, juxta regulam a S. Augustino traditam, S. Scriptura intelligenda est sensu proprio et obvio,

[1] Disp. 4, q. 4; p. 186. — [2] Clypeus scoticæ theol., De gr., disp. 2, q. 3, T. 3, p. 204. — [3] Instit. theol., Tr. 7, q. 1, § 6, T. 2, p. 260. — [4] De Justif., q. 2; p. 443. [5] Tr. 8; Contr. 1; punct. 3; p. 730. — [7] Q. 5, a. 2; p. 416. — [8] De Gr., disp. 2, q. 6; p. 40. — [9] Q. 3, dub. 3, § 2; p. 154. — [10] Diss. 4, a. 3; p. 116. — [11] In q. 110, disp. 22, a. 1; p. 790. — [12] Disp. 1, q. 7; p. 22. — [13] Disp. 2, a. 4; p. 701. — [14] Q. 8; p. 17. — [15] Contr. 5, q. 2; p. 139. — [16] Disp. 5, a. 7; p. 694.

nisi obstet aliquod inconveniens. Sed ex una parte, nullum occurrit inconveniens in admittendo consortio physico; et ex alterâ parte consortium naturæ alicujus indicat sensu proprio et obvio consortium physicum, cum morale sit participatio diminuta et impropria.

2° Per gratiam dicimur *nasci ex Deo, filii Dei constitui.* Sed nativitas et filiatio physicam naturæ communicationem expostulant, sicut constat ex definitione generationis, quæ est: *Origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ.* Quia igitur per gratiam nascimur ex Deo, et filii Dei constituimur, ipsa Dei natura debet nobis communicari, non quidem substantialiter, secus essemus dii formaliter, sed accidentaliter per donum creatum. Gratia igitur debet esse physica divinæ naturæ participatio.

Nec valet exceptio a Scotistis allata, scilicet: nos per extrinsecam Dei acceptationem adoptari in filios, hominemque dici natum ex Deo quia ejus rectitudinem et sanctitatem imitatur. Etenim:

a) Si adoptamur in filios per solam externam acceptationem, quin natura Dei aliquo modo nobis communicetur, filii Dei nominaremur quidem, sed non essemus filii; sicut qui adoptatur ab homine, vocatur filius, sed non est proprie filius. Nos autem per gratiam Dei filii nominamur et sumus, juxta illud (I Joan. III, 1): *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*

b) Inter adoptantem et adoptatum requiritur physica et formalis similitudo in natura. Homo autem naturaliter est alienus á naturâ divinâ quoad ordinem supernaturalem. Ut igitur possit in filium Dei adoptari, non sufficit extrinseca acceptatio, sed requiritur infusio novæ naturæ, divinæ scilicet; proinde gratia, per quam homo adoptatur in filium, debet homini conferre physicam formalem divinæ naturæ participationem.

c) Demum, ut ait *Curiel*, « non dicitur quis nasci ex homine qua» tenus accipit principium operandi conformiter ad naturam humanam, » sed quatenus accipit ab homine ipsam naturam humanam: ergo si» militer non dicetur quis renasci ex Deo quatenus participat princi» pium operandi conformiter ad divinam voluntatem, sed quatenus » participat formaliter ipsam naturam divinam. » *(In q. 110, a. 3, § 3; p. 864).*

823. — Prob. III. **Ex modo loquendi SS. Patrum.** Qui Patrum testimonia sedulò rimatur, illico comperiet eos, non solum morale, sed et physicum admisisse in gratia divinæ naturæ consortium.

Ait *S. Cyrillus Alex.:* « Formatur in nobis Christus, Sancto Spi» ritu nobis divinam quamdam formam, per sanctificationem et justi-

» tiam indente. Sic enim, sic in animis nostris elucet character sub» stantiæ Dei ac Patris. » *(In Isaiam, L. 4, or. 5; M., 70, c. 935).* Sed forma divina nobis indita, per quam in nobis elucet character substantiæ Dei, est plus quam solum consortium per imitationem sanctitatis Dei.

S. Augustinus: « Manifestum est ergo, *inquit*, quia homines dixit » deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos. Ille enim » justificat, qui per semetipsum non ex alio justus est; et ille deificat, » qui per seipsum non alterius participatione Deus est. Qui autem » justificat, ipse deificat, quia justificando, filios Dei facit. *Dedit enim » eis potestatem filios Dei fieri, (I Joan. I, 12).* Si filii Dei facti sumus, » et dii facti sumus: sed hoc gratiæ est adoptantis, non naturæ ge» nerantis. » *(In Ps. 49, n. 2. M., 36, c. 565).*

Cf. etiam testimonia n. 812 allata.

824. — Prob. IV. **Ex Ratione.** 1° Ut aliqua operatio fiat connaturaliter ab agente, necesse est ut in agente adsint tum principia proxima proportionata hujus operationis, tum natura quæ sit prima radix illius operationis; unde, operationes entis superioris nequeunt inferiori fieri connaturales, nisi hoc superioris naturam aliquo modo physice participet. Sed operationes quæ sunt propriæ Dei, scilicet videre et amare Deum ut in se est, fiunt homini connaturales per gratiam. Ergo necesse est ut per gratiam communicetur homini aliqua physica divinæ naturæ participatio.

2° « Gratia habitualis, *inquit Paulus a Concept.*, quatenus est » participatio naturæ divinæ, radicat virtutes et dona supernaturalia, » qua ratione gerit munus naturæ in linea supernaturali; sed radicat » ea non solum moraliter, sed etiam physice, sicut physice concurrit » ad actus videndi et amandi Deum. Ergo est participatio physica et » non moralis tantum. » *(Disp. 2, dub. 2, n. 17; p. 147).*

II. Est participatio formalis.

825. — Prob. I. Gratiam esse formalem et non solum virtualem divinæ naturæ participationem ex iis constat, quæ supra de nostrâ nativitate ex Deo dicta sunt. Nullus enim potest dici ab alio vere natus, nisi patris naturam formaliter participet.

II. « Tunc datur participatio formalis naturæ divinæ, *ait Paulus » a Concept.*, quando particeps habet convenientiam formalem saltem » analogam in iis prædicatis, quæ formaliter sunt in participato; atqui » gratia habitualis ita participat naturam divinam, quod dicat con» venientiam formalem in prædicatis, quæ sunt propria naturæ di-

» vinæ. *Minor probatur:* nam unum ex prædicatis formalibus naturæ » divinæ est esse radicem physicam videndi et amandi Deum, prout » est in se; sed gratia habitualis etiam est radix physica videndi et » amandi Deum, prout est in se; siquidem physice radicat lumen » gloriæ et caritatem, quibus homo videt et amat Deum in seipso. » Ergo gratia habitualis ita participat naturam divinam, quod dicat » convenientiam formalem in prædicatis, quæ sunt propria naturæ » divinæ. » *(Loc. cit., n. 18; p. 148).*

826. — **Resolutio secundi dubii,** scilicet sub quonam conceptu gratia sanctificans divinam participet naturam.

Prænotanda. In Deo, objective, omnia sunt unum et idem, nisi ubi obviat relationis oppositio, sicut demonstratur in tractatu *de Deo.* Quidquid igitur in Deo est, Deus est, divina est essentia seu natura. Quia tamen Deum ex creaturis cognoscimus, atque de eo philosophamur ex analogiâ cum creaturis, possumus de Deo divinâque naturâ plures conceptus formaliter diversos efformare, eique attributa formaliter diversa attribuere. Sic, v. gr., nostro modo concipiendi, aliud est esse a se, aliud intelligere, aut velle, aut esse infinitum, etc. Quæritur ergo sub quonam conceptu formali gratia sanctificans imitetur et participet divinam naturam.

Ad dubii solutionem recolendum est, triplicis generis perfectiones in Deo posse distingui.

In Deo distinguimus primò aliquas perfectiones, quæ creaturis etiam in ordine naturali possunt communicari: quidquid enim perfectionis est in creaturis, hoc totum est a Deo, ut quædam participatio divinæ bonitatis et perfectionis. Sic, v. gr., το *esse, vivere* et *intelligere*, quæ sunt in creaturis, sunt imitationes quædam atque participationes του *esse, vivere* et *intelligere*, quæ sunt in Deo, et sunt ipse Deus.

Secundò, in Deo quasdam concipimus perfectiones, quæ sunt quasi specificativæ et constitutivæ Deitatis, ut *esse a se, esse actum purum, infinitum*, etc. Cum istæ perfectiones sint proprii characteres divinitatis, implicat eas posse creaturis communicari.

Demum, in Deo quasdam concipimus perfectiones, quæ sunt quidem propriæ Deo, quæ tamen, sicut fides docet, possunt creaturæ intellectuali supernaturaliter communicari, ut videre Deum intuitive in seipso, ipsum amare amore supernaturali, ipso frui tanquam objecto nostræ beatitudinis, omnia in ipsum referre ut in finem supernaturalem. — Quibus notatis, sit:

827. — **Concl. I.** Gratia sanctificans non est participatio naturæ divinæ, prout est naturaliter participabilis a creatura. Per se patet: quia sic gratia non distingueretur a naturâ.

828. — **Concl. II.** *Gratia sanctificans non est participatio naturæ divinæ sub formali conceptu entis a se, entis infiniti, actûs puri.* — Concl. est contra quosdam Thomistas, speciatim contra Gonet, qui *(Disp. 2, a. 4, p. 704)*, ait: « Dico tertio: Gratia sanctificans est parti» cipatio physica divinæ naturæ, etiam formaliter et reduplicative ut » infinita est, et actus purus, habetque totam essendi plenitudinem. »

Prob. *1° Ex S. Thoma.* « Omne nomen, *inquit*, quod designat per» fectionem divinam absolute, non concernendo aliquem modum, com» municabile est creaturæ, ut potentia, sapientia, bonitas et hujusmodi. » Omne autem nomen concernens modum quo illa perfectio est in Deo, » creaturæ incommunicabile est, ut est summum bonum esse, omnipo» tentem et hujusmodi. » *(In I Sent., dist. 43, q. 1, a. 2, ad 1. T. 6, p. 349).* — Sed nomen est incommunicabile unice quia ipsa perfectio est incommunicabilis. Jamvero *esse ens a se, infinitum, actum purum*, etc., sunt nomina indicantia modum divinæ perfectionis. Ergo perfectiones istæ creaturis communicari nequeunt; nec proinde gratia sanctificans potest esse participatio divinæ naturæ sub conceptu formali istarum perfectionum.

2° *Ex Ratione.* Participatio formalis exigit ut eadem perfectio formaliter (saltem analogice) prædicari possit tum de participato tum de participante. Atqui de gratia formaliter (nequidem analogice) prædicari nequit quod sit ens a se, actus purus, infinita; gratia enim, utpote creatura, est necessariò ab alio, est finita, habet potentiam admixtam. Gratia igitur nequit esse formalis participatio naturæ divinæ sub conceptu entis a se, infiniti et actûs puri.

829. — **Concl. III.** *Gratia sanctificans est formalis participatio naturæ divinæ, ut est natura.*[1]

Natura in genere est *essentia rei ad operationem ordinata* (Polm.). Per divinam igitur naturam, nostro modo concipiendi, intelligitur ipsa divina essentia quatenus est prima radix divinorum attributorum et principium radicale divinarum operationum, scilicet seipsum intuitive videndi, seipsum amore beatifico diligendi, atque omnia propter se faciendi. Atqui gratia sanctificans est in homine radix caritatis et

[1] Cf. *Paul a Concept.*, loc. cit., § 2; p. 149. - *Mezger*, Disp. 7, a. 2, § 3 et 4; p. 72. - *Contenson*, loc. cit.; p. 316. - *Billuart*, Cont. 4, a. 3; p. 117; - *Wenzl*, Cont. 5, q. 2, resol. 2 et 3; p. 141.

virtutum infusarum, quæ sunt divinorum attributorum imagines et participationes, et principium radicale divinarum operationum, quatenus scilicet homini tribuit ut propendat ad Deum intuitive videndum, ipsum amore beatifico diligendum, et omnia propter ipsum faciendum; et quia operationes non fluunt connaturaliter nisi a potentiâ radicatâ in naturâ proportionatâ, gratia dat etiam homini naturam proportionatam ad operationes divinas, scilicet ipsam naturam divinam, seu esse divinum. Eadem proinde fontalis perfectio, quæ formaliter concipitur in Deo ut radix divinarum operationum, scilicet essentia ut ordinata ad operationem, formaliter etiam, licet tantum analogice, est in homine per gratiam; qua de ratione, gratia recte dicitur et vere est participatio divinæ naturæ, præcise ut est natura.

§ 2. *An gratia sit entitative supernaturalis, atque omnium entium nobilissimum.*

830. — Hujus quæsiti resolutio non est nisi consectarium eorum, quæ in superiori paragrapho prolata sunt. Per hoc enim quod gratia sanctificans sit physica formalis participatio naturæ divinæ, illico sequitur, eam esse supernaturalem quoad substantiam, et quamcumque aliam creaturam nobilitate superare. Unde I. De supernaturalitate gratiæ; II. De ejus nobilitate.

I. De supernaturalitate Gratiæ [1].

831. — Supernaturalitas simpliciter et absolute est *Elevatio supra totam naturam creatam et creabilem.* Ex cujus definitione jam patet, supernaturalitatem essentialiter soli Deo posse convenire, quippe qui solus per se est supra omnem naturam creatam et creabilem.

Deus creaturam superat non præcise sub conceptu του esse, vivere et intelligere, quia hæc etiam in creaturis naturaliter reperiuntur; sed ratione modi quo Deus hæc habet: ea enim Deus habet a se, per modum actus puri, modo infinito et cum omnimodâ plenitudine; ac proinde ratione modi sunt proprii characteres divinitatis, Deumque essentialiter a creaturâ distinguunt.

Deus universam naturam creatam etiam superat ratione divinarum operationum, quæ habent divinam essentiam tanquam objectum spe-

[1] Cf. *Billuart,* diss. 4, a. 3; p. 118. - *Paulus a Concept.,* Disp. 2, dub. 6; p. 162. - *Gonet,* Disp. 2, a. 3; p. 697.

cificativum, ratione scilicet visionis intuitivæ suæ essentiæ et amoris beatifici. Sicut enim probatur in tractatu de Deo, intuitiva visio Dei et amor beatificus naturalem superant cujuslibet entis creati vel creabilis capacitatem, et soli Deo naturaliter possunt competere: inter objectum enim specificativum et ens ad illud connaturaliter ordinatum debet esse proportio; sed solus Deus per se proportionatur ad suam essentiam connaturaliter attingendam tanquam objectum proprium. Exinde theologi communiter docent nullam esse posse creaturam, etiam de potentiâ Dei absolutâ, quæ propriis suis viribus Deum per essentiam possit videre.

Inde ad supernaturalitatem gratiæ probandam sic arguitur: Id, quod dicit habitudinem ad Deum in se videndum et possidendum, tanquam ad finem connaturalem, est entitative supernaturale; ratio: quia, ut dictum est, Deus intuitive visus est finis absolute et simpliciter superans omnem naturam creatam et creabilem. Atqui gratia sanctificans dicit habitudinem ad Deum intuitive videndum, tanquam ad finem connaturalem; ratio: quia ut ex superiori paragrapho constat, gratia est radix connaturalis videndi et possidendi Deum ut in se est; qua de ratione, ipsam diximus esse participationem physicam formalem divinæ naturæ, quatenus præcise est natura. Ergo gratia, sicut est participatio formalis naturæ divinæ, quæ est supernaturalis essentialiter, ita etiam est supernaturalis entitative, licet participative tantum.

II. De Nobilitate Gratiæ [1].

832. — Gratia sanctificans dupliciter potest considerari: vel secundum quod est accidens creatum, afficiens animam; vel secundum suam rationem specificam, quatenus scilicet est divinæ naturæ participatio, elevans hominem ad ordinem supernaturalem, eumque ordinans ad Deum intuitive videndum.

Si sub priori respectu consideratur, dicendum est: gratiam esse quoad modum essendi imperfectiorem animâ; ratio: quia, quoad modum essendi, omne subjectum est perfectius suo accidente. *Ita S. Th. q. 110, a. 2, ad 2.*

[1] Cf. *Salmantic.*, Disp. 4, dub. 7, T. 9; p. 581. - *Paul. a Concept.*, Disp. 2, dub. 7; p. 164. - *Gibbon*, Disp. 33, dub. 3; p. 420. - *Gabriel a S. Vinc.*, Disp. 1, q. 1 ad 5; p. 2. - *Contens.*, Diss. 5, cap. 1, spec. 2; p. 320.

Si autem sub posteriori respectu consideratur, dicendum est: gratiam sanctificantem, exclusâ Incarnatione, esse omni ente creato et creabili perfectiorem.

Assertum per partes probatur.

Gratiæ comparatio institui potest: 1° vel cum Verbi Dei Incarnatione; 2° vel cum creaturis in esse naturali; 3° vel cum gloriâ Beatorum; 4° vel cum aliis habitibus infusis; 5° vel cum Maternitate divina; 6° vel demum cum aliâ gratiâ quæ supponeretur a Deo posse dari potentiâ absolutâ.

833. — I. Si gratia cum Verbi Incarnatione comparatur, dicendum est: *Incarnationem esse simpliciter et absolute perfectiorem gratiâ habituali.*

Prob. Uniri immediate cum divinâ naturâ in unitate personæ, ita ut homo subsistat ipsâ personalitate Verbi, et fiat substantialiter Deus atque filius Dei naturalis, multò perfectius et nobilius est quam uniri Deo unione tantum accidentali, ita ut homo fiat tantum participative Deus, et solum filius adoptivus. Atqui per Incarnationem seu unionem hypostaticam, humana Christi natura est unita immediate cum divinâ in unitate personæ, ita ut subsistat ipsâ Verbi personalitate, sit Deus substantialiter et naturalis filius Dei: per gratiam verò homo Deo unitur solâ unione accidentali, fit tantum Deus participative, et unice filius Dei adoptivus. Ergo unio hypostatica est simpliciter et absolute perfectior gratiâ habituali.

Apposite S. Thomas: « Gratia quæ est accidens, est quædam simi-» litudo Divinitatis participata in homine. Per Incarnationem autem » humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam di-» vinæ naturæ, sed dicitur esse conjuncta ipsi divinæ naturæ in » personâ Filii. Majus autem est ipsa res quam similitudo ejus parti-» cipata. » *(P. 3, q. 2, a. 10, ad 1).*

834. — II. Si gratia cum aliis entibus conferatur, dicendum est: *Gratiam sanctificantem esse omni ente naturali creato vel creabili superiorem.*

Prob. I. *Ex S. Augustino et S. Thoma.* — Ait *S. Augustinus:* « Dei gratia non solum omnia sidera et omnes cœlos, verum etiam » omnes Angelos supergreditur. » *(Ad Bonif., L. 2, c. 6, n. 12. M., 44, c. 579).* — Et *S. Thomas:* « Bonum gratiæ unius majus est quam bonum naturæ totius universi. » *(1. 2, q. 113, a. 9, ad 2).* Et: « Ac-» cidens quod causatur ex participatione alicujus superioris naturæ,

» est dignius subjecto, inquantum est similitudo superioris naturæ » sicut lux diaphano. Et hoc modo caritas est dignior animâ, in quantum » est participatio quædam Spiritûs Sancti. » *(2. 2, q. 23, a. 3, ad 3).*— Si autem gratia Angelos supergreditur, si bonum gratiæ unius majus est quam bonum naturæ totius universi, ergo gratia est entium existentium nobilissimum et dignissimum.

II. *Ex Ratione.* — *a*). Creata bonitas est increatæ Dei bonitatis participatio quædam atque imitatio: idcirco, quo magis creatura Dei bonitatem participat, eò propinquius etiam ad eum accedit, atque eò perfectior et nobilior in se existit. Sic, v. gr., Angelus, quia perfectius Deum participat, naturaliter superior et nobilior est homine; homo vero superior bruto animali, etc. Atqui gratia sanctificans divinam bonitatem perfectius quam quæcumque alia creatura participat, et propinquius ad Deum accedit: est enim physica formalis divinæ naturæ participatio, quod nulli substantiæ creatæ convenire potest. Gratia igitur est perfectior et nobilior quacumque substantiâ creatâ aut creabili.

b) Operari sequitur esse. Illa proinde natura est simpliciter perfectior, cujus operationes sunt perfectiores atque ad perfectiorem finem dicunt habitudinem. Porro gratiæ operationes atque finis illis connaturaliter correspondens sunt perfectiores quam operatio et finis cujuscumque alius naturæ. Enimvero, ut supra vidimus, operationes gratiæ sunt operationes propriæ ipsius Dei, et finis earum est ipse Deus in se videndus et possidendus: quod nulli substantiæ creatæ aut creabili, ne de potentiâ quidem Dei absolutâ, naturaliter potest competere. Gratia igitur est simpliciter perfectior quam quæcumque alia creatura.

835. — III. Si gratia comparatur cum gloriâ Beatorum, in incerto relinquitur utra utri præstet. Alii censent gloriam esse gratiâ præstantiorem [1]; alii contra tenent gratiam præstare gloriâ [2].

Utraque sententia aliquid veritatis habere videtur; gratia enim et gloria sese habent ad invicem ut excedens et excessum; ac proinde utraque sub diversis respectibus alterâ præstantior esse videtur.

Gratia excedit gloriam in eo quod sit ejus radicale principium; in ordine enim supernaturali gratia se habet ut natura, ex quâ (si est gratia consummata) fluit lumen gloriæ, tanquam potentia ordinata ad operationem, seu ad actum divinæ visionis. Natura autem est

[1] Ita *Gibbon*, Disp. 33, dub. 3; p. 421, qui citat pro se Arriaga. — [2] Ita *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 1, q. 5; p. 16.

nobilior potentiâ. Sub hac igitur consideratione gratia dicenda est nobilior lumine gloriæ.

Præterea, dari potest casus quo licitum sit velle carere gloriâ, propter majorem scilicet Dei gloriam, quando nimirum opportunum foret ne Deus peccato offendatur. Sic B. Paulus optabat esse anathema pro fratribus suis *(Rom. IX, 3)*, et beati mallent in æternum divinâ visione carere, quam peccatum committere. Sed in nullo unquam casu licitum est velle gratiâ carere, cum nunquam licitum sit sibi Dei inimicitiam optare. Cum igitur Dei amicitia stare posset cum gratiâ sine gloriâ, nequaquam autem cum gloriâ sine gratiâ, videtur gratia esse bonum gloriâ præstantius.

Gloria verò gratiam excedit in diversis formalitatibus et effectibus. 1° Gloria nos similiores Deo et ipsi conjunctiores reddit quam gratia, juxta illud (I Joan. III, 2): *Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* — 2° Perfectam et summam actu confert felicitatem, quam actu non confert gratia. — 3° Reddit hominem omnino impeccabilem, et omne, etiam veniale, excludit peccatum; gratia vero homini impeccabilitatem non tribuit, et cum veniali potest in animâ subsistere.

Accedit *D. Thomæ* auctoritas: « Aliquid magnum dicitur dupliciter, » *inquit:* uno modo secundum quantitatem absolutam; et hoc modo » donum gloriæ est majus quam donum gratiæ justificantis impium; » et secundum hoc glorificatio justorum est majus opus quam justifi- » catio impii. » *(1, 2, q. 113, a 9).*

836. — IV. Si cum aliis habitibus infusis confertur, dicendum est: *Gratiam sanctificantem esse simpliciter perfectiorem omnibus aliis habitibus infusis.* Ita doctores communiter.

Prob. Quo perfectior est divina perfectio, quam participat et imitatur habitus infusus, eo perfectior etiam censendus est ipse habitus. Sed inter divinas perfectiones nulla concipitur perfectior quam ipsa natura divina, quæ est cæterarum perfectionum principium radicale. Ergo gratia sanctificans, quæ est physica naturæ divinæ participatio, est perfectior aliis habitibus, qui alias divinas perfectiones participant.

Præterea, id quod se habet per modum naturæ, perfectius est quam principia operativa quæ ex naturâ fluunt. Porro, gratia habitualis in ordine supernaturali se habet per modum naturæ, ex quâ fluunt alii habitus tanquam operationum principia. « Sicut ab essentiâ animæ » effluunt ejus potentiæ, *inquit S. Thomas*, quæ sunt operum principia;

» ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas » potentiæ moventur ad actus. » *(1, 2, q. 110, a. 4, ad 1).*

837. — V. Si quæritur: *utra sit præstantior et eligibilior, gratia scilicet sanctificans, an Maternitas divina?* — res videtur ambigua, quia illa duo non sunt ejusdem ordinis.

Maternitatem divinam præstare gratiâ, evinci videtur:

1° *Ex ordine unionis hypostaticæ.* Divina Maternitas, teste *S. Alphonso, (Glor. Mar., Disc. IV, P. 2)*, et *Suaresio (De Inc., P. 2, D. 1, sect. 2)*, quodam modo pertinet ad ordinem unionis hypostaticæ, qui ordinem gratiæ dignitate superat. Sed infimum ordinis superioris est præstantius supremo ordinis inferioris; sicut, v. gr., infima anima humana præstantior est perfectissimâ animâ belluinâ. Ergo et divina Maternitas præstantior esse videtur gratiâ.

2° *Ex intrinseca divinæ Maternitatis dignitate.* Divina Maternitas est dignitas quodam modo infinita; quia quælibet relatio desumit et suam specificationem et gradum suæ perfectionis a termino, ad quem refertur. Terminus autem divinæ Maternitatis est quid infinitum, persona scilicet divina. « Beata Virgo, *ait S. Th.*, ex hoc quod est Mater » Dei, habet quamdam dignitatem infinitam, ex bono infinito quod est » Deus; et ex hac parte non potest aliquid fieri melius. » *(P. 1, q. 25, a. 6, ad 4).* Gratia autem non est infinita. Ergo divina Maternitas videtur esse perfectior gratiâ.

838. — Non obstantibus tamen hisce rationibus, simpliciter affirmandum videtur: *Gratiam sanctificantem esse nobiliorem et præstantiorem divina Maternitate.* [1]

Prob. *1° Ex verbis Christi.* « Scriptum est in Evangelio, *inquit* » *S. August.*, quod mater et fratres Christi, hoc est consanguinei carnis » ejus, cum illi nuntiati fuissent, et foris exspectarent, quia non possent » eum adire præ turba, ille respondit: *Quæ est mater mea, aut qui* » *sunt fratres mei? Et extendens manum super discipulos suos, ait:* » *Hi sunt fratres mei; et quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse* » *mihi frater, et mater, et soror est.* (Matth. XII, 46-50). Quid aliud » nos docens, nisi carnali cognationi genus nostrum spirituale præpo- » nere; nec inde beatos esse homines, si justis et sanctis carnis pro- » pinquitate junguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo » atque imitando cohærescunt? Beatior ergo Maria percipiendo fidem

[1] Cf. *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 1, q. 4; p. 9. - *Gibbon*, Disp. 33, dub. 3, n. 10; p. 422. - *Muniessa*, Disp. 15, sect. 6; p. 331.

» Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam et dicenti cuidam: » *Beatus venter qui te portavit;* ipse respondit: *Imo beati qui audiunt* » *verbum Dei, et custodiunt.* (Luc. XI, 27, 28). Denique fratribus ejus, » id est secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid » profuit illa cognatio? Sic et materna propinquitas nihil Mariæ pro- » fuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset. » *(De Virgin., c. 3, M., 40, c. 397).*

Christus igitur nos docet, genus nostrum spirituale, quod per gratiam sanctificantem præcipue constituitur, cognationi carnali esse præponendum; et, teste S. Augustino, ipsa divina Maternitas nihil Mariæ profuisset, nisi Christum felicius corde quam carne gestasset. Sed Christus corde geritur per gratiam. Gratia igitur potior est ipsâ divinâ Maternitate.

2.° Ex Ratione. a) Gratia habitualis est vera et intrinseca sanctitas hominis, talemque dicit incompossibilitatem cum peccato mortali, ut ne de potentiâ quidem Dei absolutâ unà cum peccato in anima possit existere. Maternitas vero divina, præcise quà talis, nec animam formaliter sanctificat, nec intrinsecam dicit incompossibilitatem cum peccato mortali. Etsi enim minime decuisset Verbum ex muliere peccatrice carnem assumpsisse, illud tamen ex naturâ rei non repugnat, sicut etiam de se non repugnat quod Mater Dei post Verbi nativitatem in mortali incidisset, nec tamen ob hoc divinam Maternitatem amisisset. Gratia igitur videtur ipsâ Maternitate divinâ nobilior.

b) Maternitas divina est relatio, quæ cognationem innuit cum divinâ personâ subsistente in naturâ humanâ, et quamdam, ut ita dicam, affinitatem cum tota Trinitate. Gratia verò sanctificans est physica participatio naturæ divinæ. Sed perfectius esse videtur physice divinam participare naturam, quam cum Deo solam habere cognationem aut affinitatem.

839. — VI. Si quæritur: Utrum gratia sanctificans nunc existens, sit perfectissima quæ de potentia Dei absoluta possit produci, distinguendum est. Si agitur de majori intensione gratiæ in eadem specie, affirmandum est gratiam dari posse quâlibet intensive majorem. Gratia enim est participatio divinæ naturæ; natura autem divina cum sit infinita, nunquam a re creata ita perfecte potest participari, ut non sit magis participabilis; quare, gratiam Deus potest producere quâlibet intensive majorem, elargiendo majorem suæ naturæ participationem.

Si autem agitur de gratiâ perfectiori quoad essentiam, ita ut sit altioris speciei quam gratia nunc existens, affirmant aliqui cum *Ri-*

palda,[1] possibilem esse gratiam specie perfectiorem. Communis tamen et tenenda theologorum sententia negat. Unde simpliciter dicendum: *Non posse dari, ne de potentiâ quidem absoluta Dei, gratiam sanctificantem specifice perfectiorem gratiâ nunc existente.*[2]

Prob. 1° Gratia sanctificans est formalis participatio naturæ divinæ sub conceptu naturæ. Atqui non potest dari, ne de potentiâ quidem Dei absolutâ, divinæ naturæ participatio perfectior illâ, quæ habetur per gratiam nunc existentem. Ergo nequit dari, ne de potentiâ quidem Dei absolutâ, gratia santificans specifice perfectior gratiâ nunc existente.

Major est nota ex dictis. *Minor*, in qua solum posset esse difficultas, *probatur*. Si in divinæ naturæ participatione posset aliqua esse essentialis et specifica differentia, illa differentia venire deberet vel ex parte naturæ participatæ, vel ex modo eam participandi. Atqui ex neutrâ parte potest assignari essentialis differentia. *Non ex parte naturæ participatæ*, ut per se patet: natura enim divina est una, proinde non est possibilis natura divina superior aut specifice diversa ab eâ, quæ nunc participatur a gratia. *Nec ex parte modi:* gratia nunc existens divinam participat naturam formaliter, immediate, prout est in se. Non est autem excogitabilis modus perfectior eam participandi; ac proinde nequit dari perfectior divinæ naturæ participatio præ eâ, quæ per gratiam nunc existentem habetur.

2° Cuilibet naturæ determinatus et proprius correspondet finis, ut omnes docent philosophi. Atqui dari nequit finis perfectior fine gratiæ nunc existentis. Etenim: finis gratiæ nunc existentis est ipse Deus in se sub ratione summi boni, immediate possessus per visionem beatificam; quo fine nullus perfectior potest excogitari. Ergo nec gratia essentialiter perfectior est possibilis.

3° Cum naturæ sint propter operationes, ut omnes concedunt, ubi sunt naturæ specifice diversæ, ibi et operationes specifice diversæ sint, oportet. Proinde si dari posset gratia specifice perfectior gratiâ nunc existente, necesse foret ut operationes specifice perfectiores etiam haberet. Atqui impossibile est ut habeat operationes specifice perfectiores. Ergo impossibile etiam est ut detur gratia specifice perfectior.

Prob. min. Præcipuæ gratiæ sanctificantis operationes sunt visio Dei intuitiva, et actus caritatis quo diligimus Deum in seipso ut summum bonum. Atqui his actibus non dari possunt perfectiores; nec plures visiones intuitivæ Dei possunt dari specifice diversæ, sicut nec

[1] T. 2, disp. ult., sect. 39; p. 782. — [2] Cf. *Salmant.*, Disp. 4, dub. 8, T. 9; p. 599. - *Paul. a Concept.*, Disp. 2, dub. 8; p. 166.

plures actus caritatis specifice diversi; « siquidem omnes visiones, » *aiunt Salmanticenses*, totum Deum in seipso, et sub eodem medio » seu lumine, et omnes actus caritatis attingunt eumdem ultimum » finem supernaturalem, et sub motivo ejusdem bonitatis divinæ: ergo » repugnat dari operationes essentialiter diversas, quarum distinctæ » gratiæ sint radices. » *(Disp. 4, dub. 8, n. 147; p. 602).*

840. — NEC POTEST OBJICI: Si Deus meliorem gratiam non posset producere, non foret omnipotens: omnipotentia enim expostulat ut quolibet finito possit efficere melius.

Respondetur: Si Deus non posset producere gratiam meliorem *intensive* in eadem specie, non foret omnipotens, *conc.;* si non posset meliorem *specifice diversam, nego.* — Deus qualibet gratiâ existente potest producere intensive meliorem; quia cum sit infinitus, potest gradibus semper et semper majoribus suæ naturæ participationem elargiri, quin unquam exhauriat suam omnipotentiam. Non potest autem gratiam nostrâ gratiâ specifice meliorem producere, non quidem propter defectum virtutis, sed propter intrinsecam hujusmodi gratiæ impossibilitatem; repugnat enim dari participationem divinæ naturæ specifice perfectiorem eâ, quæ datur in gratiâ nunc existente. Quod autem repugnat, « divinæ omnipotentiæ non subditur, *ait S. Th.*, non propter » defectum divinæ virtutis, sed quia non potest habere rationem facti» bilis, neque possibilis. » *(P. 1, q. 25, a. 3).*

Gratia igitur sanctificans divinam omnipotentiam aliquo modo exhaurit, in eo scilicet sensu quod, sepositâ unione hypostaticâ, Deus nequit producere entitatem quæ gratiam in specificâ perfectione excedat; quia, ut ait S. Thomas, participatio infiniti boni *est ultimus effectus divinæ virtutis (P. 1, q. 25, a. 3, ad 3);* unde et gratia ex bono infinito, quod est Deus, habet quamdam dignitatem infinitam, sicut ipsa visio beatifica. *(P. 1, q. 25, a. 6, ad 4).* Ex dictis datur intelligi, quanti pretii sit gratia sanctificans, quæ vere dicenda est pretiosa illa margarita, ad quam emendam et conservandam homo omnia sua, imò et propriam vitam, profundere debeat.

§ 3. *An gratia sit radix virtutum.*

841. — Ad instar regis gloriosissimi, qui civitatem intrans, non solus advenit, sed procedit cohorte stipatus aulicorum, ita et Spiritus Sanctus, animam intrans per gratiam, non solus advenit, sed intrat stipatus comitatu virtutum et donorum, quibus animam exornat, ejusque potentiis naturalibus facultatem tribuit, quâ actus supernaturales

valeant connaturaliter elicere. Quæritur ergo an in justificatione unà cum gratiâ reverà homini infundantur virtutes et dona.

842. — Prænotanda. — Virtus infusa, de quâ solâ hic quæstio moveri potest, a S. Thoma definitur: *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* (1, 2, q. 55, a. 4) [1].

Virtus infusa est vel *theologica* vel *moralis.*

Virtus theologica pro objecto immediato habet Deum supernaturaliter cognitum. Triplex enumeratur, juxta illud Apostoli, (I Cor., XIII, 13): *Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria hæc; major autem horum est caritas* [2].

Virtus moralis infusa est *habitus perficiens facultatem appetitivam, et inclinans eam ad boni honesti prosecutionem juxta præscriptum rationis fide illuminatæ.* Moralis differt a theologicâ tam ratione objecti materialis, quam ratione objecti formalis, seu motivi: virtus theologica pro objecto materiali immediato habet Deum supernaturaliter cognitum; et pro objecto formali, aliquod Dei attributum; virtus autem moralis habet pro objecto materiali immediato bonum aliquod creatum, per quod tanquam per medium homo ordinatur in Deum; pro objecto verò formali, supernaturalem actûs bonitatem atque honestatem. — Quatuor principales enumerantur virtutes morales, quæ et cardinales vocantur, scilicet: prudentia, justitia, fortitudo et temperantia.

Dona Spiritus Sancti sunt *habitus infusi perficientes hominem ad hoc quod prompte sequatur instinctum Spiritus Sancti.* (S. Th., 1. 2, q. 68, a. 4) [3]. Juxta probabilissimam S. Thomæ sententiam, dona sunt habitus a virtutibus entitative diversi, distinguunturque a virtutibus non quoad materiam seu genus operum, sed tum quoad *modum operandi*, quia per virtutes homo agit modo humano, per dona autem ultrà modum humanum; tum quoad *medium* seu *regulam*, quia in virtute infusâ medium est rectum dictamen rationis fide illuminatæ, in donis verò regula est ipse instinctus Spiritus Sancti. « Cum dona » sint ad operandum supra humanum modum, *ait S. Th.*, oportet quod » donorum operationes mensurentur ex alterâ regulâ humanæ virtutis, quæ est ipsa Divinitas ab homine participata suo modo, ut » jam non humanitus, sed quasi Deus factus participatione, operetur. » *(3 S., D. 34, q. 1, a. 3)* [4].

[1] Cf. Herrmann, Institutiones, n. 1288. - [2] Cf. Herrmann, Instit., n. 1312 et seq. — [3] Cf. Herrmann, Instit. n. 1421 et seq. — [4] Cf. Herrmann, Instit,, n. 1424. - *Froget,* De l'inhabitation du S. Esprit, P. 4, c. 6, § 2, 3 et 4 (2e édit. p. 386 et seq.).

Propositio I.

In justificatione unà cum gratiâ infunduntur homini virtutes theologicæ.

843. — Prop. est *certa;* alii dicunt *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, cap. 7*, in quo legimus: « In justificatione cum remissione peccatorum » hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui in- » seritur, fidem, spem et caritatem. » — Et Apostolus, agens de caritate, ait, (Rom. V, 5): *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Quæ verba, etsi solam caritatem in justificatione infundi explicite probant, implicite tamen declarant fidem et spem etiam infundi divinitus. Enimverò, licet fides et spes possint sine caritate existere, ut contingit in peccatore fideli, caritas tamen absolute nequit existere sine fide et spe. Quare, quando homo infidelis justificatur, si ei infunditur caritas, fides etiam et spes ei necessariò debent infundi.

Hæc propositio, cum ab omnibus sit admissa, probatione vix indiget; unde, declarationis causâ, verba Doctoris Angelici allegare sufficit. Inquirendo *an sint aliquæ virtutes theologicæ, (1, 2, q. 62, a. 1)*, respondet: « Per virtutem perficitur homo ad actus, quibus in beati- » tudinem ordinatur. Est autem duplex hominis beatitudo, sive felicitas. » Una quidem proportionata humanæ naturæ, ad quam scilicet homo » pervenire potest per principia suæ naturæ.

» Alia autem est beatitudo naturam hominis excedens, ad quam » homo solâ divinâ virtute pervenire potest, secundum quamdam Di- » vinitatis participationem... Et quia hujusmodi beatitudo proportio- » nem humanæ naturæ excedit, principia naturalia hominis, ex quibus » procedit ad bene agendum secundum suam proportionem, non suf- » ficiunt ad ordinandum hominem in beatitudinem prædictam; unde » oportet quod superaddantur homini divinitus aliqua principia, per » quæ ita ordinatur ad beatitudinem supernaturalem, sicut per prin- » cipia naturalia ordinatur ad finem connaturalem; non tamen absque » adjutorio divino; et hujusmodi principia virtutes dicuntur theolo- » gicæ. »

Sicut igitur in ordine naturali, Deus summe sapiens, quando aliquod ens creat ordinatum in finem, ipsi unà cum naturâ omnia elargitur operandi principia, quibus finem connaturaliter possit consequi; ita et in ordine supernaturali, quando homini per gratiam confert esse quoddam divinum ordinatum in finem supernaturalem,

eidem unà cum esse divino statim etiam confert operandi principia, quibus finem supernaturalem connaturaliter possit attingere: quæ principia, teste S. Thoma, sunt virtutes theologicæ. Unà igitur cum gratiâ, homini in justificatione infunduntur virtutes theologicæ.

Propositio II.

In justificatione unà cum gratiâ infunduntur homini virtutes morales [1].

844. — Ita *S. Thomas, (1. 2, q. 63, a. 3 et 4; et 4 S., D. 14, q. 2, a. 2)*, cum omnibus Thomistis cæterisque theologis communiter. Contradicit *Scotus* (3 Sent., D. 36, q. 1) cum Scotistis tam antiquioribus quam recentioribus, qui absolute negant dari virtutes morales per se infusas, nec alias admittunt virtutes morales quam acquisitas, (quæ possunt infundi per accidens), quas dicunt sufficienter ordinari in ordinem supernaturalem et beatitudinem per influxum virtutum theologicarum [2]. Scoto consentiunt antiquiores quidam theologi, ut *Durandus* (3 S., D. 33, q. 6), *Argentinas*, (3 S. D. 33, q. 1. a. 1), et alii pauci, quos refert *Gibbon*, (loc. cit.) et *Maderni*, (loc. cit.).

Communis tamen theologorum sententia docet, dari virtutes morales *per se* infusas, quæ homini in justificatione unà cum gratiâ sanctificante infunduntur; quæ sententia omninò est tenenda utpote S. Scripturæ, auctoritati SS. Patrum atque rationi conformior.

845. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus (Sap. VIII, 7): *Sobrietatem et prudentiam docet* (sapientia), *et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Sed ut ait *S. Thomas:* « Docet » autem spiritus sapientiæ virtutem, eam causando. Ergo videtur quod » virtutes morales sint nobis infusæ a Deo. » *(De Virt. in com., art. 10).*

(Sap. VIII, 21): *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det... adii Dominum, et deprecatus sum illum.* Unde sic: Hæc verba intelliguntur vel de perfectâ sapientiâ, quæ in se continet omnes virtutes; vel de castitate. Si de sapientiâ intelliguntur, habemus intentum, scilicet sapientiam et virtutes in ea inclusas in-

[1] Cf. *S. Bonavent.*, Breviloquium, P. 5, c. 4 et seq. - *Joan. a S. Th.*, In 1. 2, q. 62, disp. 16, a. 7; T. 6, p. 509. - *Gonet*, De Nat. virt., disp. 3, a. 1; T. 4, p. 195. - *Tanner*, De Virt. in gen., disp. 3, q. 4, dub. 2; T. 2, col. 548. - *Valentia*, q. 6, punct. 1; T. 2, p. 479. - *Philipp. a SS. Trin.*, De Virt. in communi, disp. 3, dub. 1; T. 2, p. 332. - *Paul. a Concept.*, Tr. XI, disp. 2, dub. 5; T. 2, p. 335. - *Gibbon*, De Virt., Tr. 2, disp. 11, dub. 3; T. 3, p. 117. - *Maderni*, De virt., a. 9; T. 2, p. 180. — [2] Cf. *Panger*, Theol., L. 3, disp. 1, q. 4, ass. 3; T. 3, p. 161.

fundi a Deo. — Si verò de virtute castitatis seu continentiæ intelliguntur, tunc agitur vel de habitu vel de actu continentiæ. *Si de habitu*, habemus iterum intentum: quia habitus, qui non potest haberi nisi Deus det, est per se infusus. — *Si de actu*, ita argumentandum est: Actus supernaturalis quoad substantiam, qualis est actus de quo in proposito agitur, ut fiat connaturaliter, exigit principium supernaturale. Atqui principium supernaturale connaturale actus moralis est virtus moralis infusa. Ergo ad talem actum continentiæ requiritur virtus infusa continentiæ. Si autem virtus moralis continentiæ est per se infusa, idem dicendum est de aliis virtutibus, quia eadem ratio viget pro omnibus.

(Gal. III, 5): *Qui tribuit vobis spiritum, et operatur virtutes in vobis.* Dicendo autem *virtutes* in genere, non solum theologicas sed et morales a Deo tribui indicare videtur Apostolus.

(Gal. V, 22): *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* His in verbis, Apostolus inter fructus Spiritus Sancti, qui dantur a Deo, plures ponit virtutes morales; ergo sunt a Deo. — Si autem per illos fructus intelliguntur non ipsi habitus, sed actus virtutum, idem evincitur, quia actus, licet elici valeant cum auxilio gratiæ absque habitu, connaturalius tamen eliciuntur per habitus correspondentes; et quia Deus, in ordine præsertim gratiæ, cum omnia suaviter disponat, probabilius est, ipsum justis infundere principia ad actus virtutum moralium connaturaliter ac proinde suaviter eliciendos.

846. — Prob. II. **Ex Conciliis.** Concilium Viennense sub Clemente V, (relatum supra, n. 784) sententiam affirmantem gratiam et *virtutes* conferri in Baptismo omnibus baptizatis tam adultis quam parvulis, elegit tanquam probabiliorem et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem. Quia autem tunc temporis major pars theologorum asserebant contra Scotum etiam virtutes morales infundi, vox *et virtutes*, quâ utitur Concilium, non solum de theologicis, sed etiam de moralibus virtutibus debet intelligi. Quæ interpretatio declaratione Innocentii III (eodem n.° 784 relata) confirmatur. Agens de eâdem controversiâ, ait: « Illud verò quod » opponentes inducunt, fidem aut caritatem, *aliasque virtutes* parvulis » utpote non consentientibus non infundi, a plerisque non conceditur. » Dicendo autem in plurali *aliasque* virtutes, manifeste ostendit Pontifex, se loqui etiam de virtutibus moralibus, cum præter fidem et

caritatem non dentur plures virtutes theologicæ, sed una tantum, scilicet *spes*.

Hùc accedit auctoritas Catechismi Concilii Trid., in quo legimus: « Huic autem (gratiæ) additur nobilissimus omnium virtutum comi» tatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur. » *(P. 2, C. 2, De Bapt., n. 51)*. Dicendo verò: *comitatus omnium virtutum*, diserte affirmat et theologicas et morales unà cum gratiâ infundi.

847. — Prob. III. **Ex Traditione.** SS. Patres virtutes morales unà cum gratiâ infundi, non obscure docent.

S. Augustinus: « Opera misericordiæ, *inquit*, affectus caritatis, san» ctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper hæc » tenenda sunt,... quia intus sunt omnes istæ virtutes, quas nominavi. » Quis autem sufficit omnes nominare? Quasi exercitus est Imperato» ris, qui sedet intus in mente tua. Quomodo enim imperator per exer» citum suum agit, quodcumque placet, sic Dominus Jesus Christus » incipiens habitare in interiore homine nostro, id est, in mente per » fidem, utitur his virtutibus quasi ministris suis. » *(Tr. 8 in Epist. I, Joan., n. 1. M., 35, c. 2036)*.

S. Gregorius, super illud Sap. VII, *Spiritus... mobilis..., stabilis*, ait: « Potest mobilitas Spiritus requisitione alterius considerationis in» telligi. In Sanctorum quippe cordibus juxta quasdam virtutes sem» per permanet, juxta quasdam verò recessurus venit, et venturus » recedit. In fide enim, spe, atque caritate, et in bonis aliis, sine qui» bus ad cœlestem patriam non potest perveniri, sicut est humilitas, » castitas, justitia, atque misericordia, perfectorum corda non deserit. » In prophetiæ verò virtute, doctrinæ facundiâ, miraculorum exhibi» tione, electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit. » *(Hom. 5 in Ezech., n. 11. M., 76, cap. 825)*.

848. — Prob. IV. **Ex Ratione.** Ordo supernaturalis non est minus perfectus, quam ordo naturalis. Jamverò in ordine naturali, homo perficitur non solum circa finem ultimum, quod fit per synderesim, sed etiam circa fines particulares qui se habent tanquam media ad finem ultimum, quod fit per virtutes morales acquisitas. Ergo a pari, in ordine supernaturali, homo non solum debet perfici relate ad finem ultimum, quod fit per virtutes theologicas, sed etiam circa fines particulares qui sunt media ad finem ultimum, quod fit per virtutes morales infusas. Ordo igitur supernaturalis virtutes morales per se infusas expostulat.

Confirmatur hæc ratio: Homo statim ac constituitur in ordine supernaturali, debet habere omnia principia operationis pro ordine

illo, non secus ac in ordine naturali, unà cum naturâ accipit principia connaturalia operationis. In ordine autem supernaturali, principia operationis circa fines particulares sunt virtutes morales. Porro, sæpe contingit justificari hominem, qui nullam habet virtutem moralem acquisitam. Si igitur hic nullas acciperet virtutes morales infusas, principiis operationum careret, atque in ordine supernaturali valde imperfectus existeret. Perfectio igitur illius statûs exigit ut unà cum gratiâ infundantur virtutes morales. *Alias rationes vide apud Cajetanum, 1, 2, q. 63, a. 3; et Gonetum, disp. 4, a. 1; p. 196.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

849. — **Objicitur I.** Circa idem objectum non sunt dabiles duæ virtutes specie distinctæ. Atqui virtus per se infusa est specie distincta ab acquisitâ; et morales infusæ, si darentur, versarentur circa idem objectum quam acquisitæ. Cum igitur constet dari virtutes morales acquisitas, impossibile est dari virtutes morales infusas.

Resp. *Quoad maj.:* Circa idem objectum non sunt dabiles duæ virtutes specie distinctæ, *dist.:* circa idem materiale et formale, seu si versantur virtutes circa eamdem materiam sub eodem medio seu motivo, *concedo;* si versantur circa eamdem materiam, sed sub diverso medio seu motivo, *nego.* — *Quoad min.:* Atqui virtutes morales infusæ et acquisitæ versantur circa idem objectum, *dist.:* circa idem objectum materiale, *conc.;* sub eodem motivo, *nego.* In virtute enim acquisitâ, motivum seu medium assignatur a prudentiâ acquisitâ in ordine ad finem naturalem; in virtute infusâ verò assignatur a prudentiâ infusâ in ordine ad finem altiorem.

« Temperantia infusa et acquisita, *ait S. Th.*, conveniunt in ma» teriâ, utraque enim est circa delectabilia tactûs; sed non conveniunt » in formâ effectûs vel actûs; licet enim utraque quærat medium, ta» men alia ratione requirit medium temperantia infusa, quam tempe» rantia acquisita; nam temperantia infusa exquirit medium secun» dum rationes legis divinæ, quæ accipiuntur ex ordine ad ultimum » finem; temperantia autem acquisita accipit medium secundum infe» riores rationes, in ordine ad bonum præsentis vitæ. » *(De Virt. in com., Q. unica, a. 10, ad 8).*

850. — **Objicitur II.** Entia non sunt multiplicanda absque necessitate. Atqui nulla est necessitas ponendi virtutes morales infusas. Ergo nullæ infunduntur cum gratiâ. — *Prob. min.* Virtus moralis

infusa dicitur necessaria ut actus sit proportionatus fini supernaturali, atque vitæ æternæ meritorius. Atqui actus virtutis moralis acquisitæ, regulatus a fide, et imperatus a caritate, atque positus sub motione gratiæ actualis, est proportionatus ad finem supernaturalem atque vitæ æternæ meritorius. Sufficiunt igitur virtutes acquisitæ, et nulla est necessitas ponendi infusas.

Resp. *Quoad argumentum:* conceditur major; negatur minor. — *Quoad prob. min.:* Licet actus virtutis acquisitæ possit per imperium caritatis ad ordinem supernaturalem elevari, atque fieri meritorius, hæc tamen elevatio fit ab extrinseco; multò autem perfectius et connaturalius est, ut cum fine supernaturali proportionem habeat a principio intrinseco. Ut autem a principio intrinseco actus habeat proportionem cum fine supernaturali, procedere debet a principio intrinseco supernaturali, seu a virtute morali infusa.

Præterea, licet caritas actus virtutum acquisitarum in finem supernaturalem ordinare valeat, virtutes tamen illæ sunt inferioris ordinis, eisque utitur caritas tanquam instrumentis alienis. Sed perfectio statûs supernaturalis requirit, ut instrumenta caritatis sint ejusdem ordinis ac ipsa caritas, ac proinde infusa.

Demum, perfectio statûs supernaturalis exigit ut homo non solum sit rectificatus circa finem, quod fit per caritatem; sed etiam ut sit rectificatus circa media, quod fit per virtutes morales infusas.

Exinde apparet, non absque necessitate poni virtutes morales infusas.

851. — Objicitur III. Repugnat, habitus sibi contrarios in eodem subjecto simul existere. Atqui si in justificatione unà cum gratiâ virtutes morales infunderentur, sæpius contingeret, habitus contrarios in eodem subjecto simul existere. Sic, v. gr., quando homo valde intemperatus justificatur, intemperantia acquisita non expellitur, ut experientiâ constat; et cum temperantia ei infunderetur, ipse vitium simul intemperantiæ, et virtutem temperantiæ possideret.

Resp. 1° Negari potest, in justificatione habitum vitiosum remanere in ratione habitûs. Nam, sicut ait *S. Thomas:* « Licet per actum » unum simplicem non corrumpatur habitus acquisitus, tamen actus » contritionis habet quod corrumpat habitum vitii generatum ex vir» tute gratiæ; unde in eo qui habuit habitum intemperantiæ, cum » conteritur, non remanet cum virtute temperantiæ infusâ habitus in» temperantiæ in ratione habitûs, sed in via corruptionis, quasi dispo» sitio quædam. Dispositio autem non contrariatur perfecto. » *(De Virt. in com., q. un., a. 10, ad 16).*

2° Posito etiam quod remaneat vitium in ratione habitus, non potest tamen dici, contrarios habitus in eodem simul existere subjecto. Ut enim adsit contrarietas inter habitus, non sufficit ut circa eamdem versentur materiam, sed necesse est ut circa eamdem versentur sub eadem ratione formali; quod non contingit inter vitium et virtutem infusam. « Virtus infusa et acquisita non sunt ejusdem speciei, *ait* » *S. Th.:* unde cum habitus ex frequentia operum peccati generatus » virtuti acquisitæ contrarius sit, non contrariatur directe virtuti in- » fusæ, quæ habet oppositionem ad peccatum ex parte illa qua est » offensa Dei: unde non oportet quod statim virtutibus infusis resti- » tutis, habitus vitiorum totaliter tollantur, quamvis impediantur, et » etiam diminuantur. » *(4 S., D. 14, q. 2, a. 2, ad 4).*

852. — Objicitur IV. Virtutis proprium est dare facilitatem operandi actus laudabiles. Jamverò experientiâ constat peccatores vitiis deditos, post justificationem nullam facilitatem, sed eamdem, quam ante justificationem, habere difficultatem ad opera bona. Nulla igitur in justificatione eis infunditur virtus moralis.

Resp. Duplex distinguenda est facilitas operandi: una quæ est intrinseca facultati, consistitque in eo quod facultas in ratione principii sit completa et proportionata ad actum; altera quæ est extrinseca, et provenit ex remotione impedimentorum et indispositionum quæ facultatem, etiam completam in ratione principii, in suis operationibus retardant. Primam facilitatem dat virtus infusa, quæ complet potentiam in ratione principii ad actus supernaturales connaturaliter ponendos. Alteram dat virtus acquisita; cum enim virtus acquisita generetur ex actibus frequenter repetitis, ipsa propter actuum consuetudinem prædicta impedimenta tollit. Peccatores igitur, cum justificantur, primam accipiunt facilitatem, quæ ipsis dat possibilitatem actus supernaturales connaturaliter eliciendi; propter impedimenta verò quæ ex vitiis antea habitis remanent, magnam persentire possunt difficultatem.

Propositio III.

In justificatione, unà cum gratiâ homini infunduntur dona Spiritûs Sancti.

853. — Sententia *communis* et *probabilior*, contrà Scotistas qui negant omnia dona Spiritus Sancti esse per se infusa; ut enim ait *Panger*, Scotista, « cum sint ejusdem speciei cum virtutibus, possunt nostris » actibus comparari, augeri et conservari, adeoque non erunt habitus

» semper per se infusi, sed per accidens, si in casu quandoque Deus » cum caritate velit omnia infundere. » *(De virt., Disp. 1, q. 6, n. 30; T. 3, p. 169).*

Prob. I. **Ex precibus Ecclesiæ.** Ecclesia, Spiritum Sanctum invocans, orat: *Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium;* atque iterum: *Tu septiformis munere.* Sed munera spiritualia, quæ a Spiritu Sancto dantur, sunt dona gratuita, ac proinde per se infusa.

854. — Prob. II. **Ex Traditione.** SS. Patres de donis Spiritus Sancti loquuntur communiter, tanquam de donis a Deo nobis datis et infusis. « Spiritus Sanctus, *inquit S. Gregorius,* dat sapientiam contra » stultitiam, intellectum contra hebetudinem, consilium contra præci- » pitationem, fortitudinem contra timorem, scientiam contra ignoran- » tiam, pietatem contra duritiam, humilitatem contra superbiam. » *(Mor., L. 2, c. 26, apud S. Th., 1. 2, q. 68, a. 2).*

855. — Prob. III. **Ex Ratione.** Decet ut in ipsâ justificatione, unà cum gratiâ, homini concedantur omnia operationis principia, quibus ad opera salutaria connaturaliter peragenda et salutem consequendam indiget. Atqui dona Spiritus Sancti, (quæ juxtà probabilissimam S. Thomæ sententiam, 1. 2, q. 68, a. 1, a virtutibus entitative distinguuntur), sunt ad operandum et ad salutem consequendam necessaria. Ergo decet ut unà cum gratiâ homini infundantur.

Prob. min. Per virtutes infusas homo imperfecte tantum perficitur. Idcirco « in ordine ad finem ultimum supernaturalem, ad quem ratio » movet, secundum quod est aliqualiter et imperfecte informata per » virtutes theologicas, non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit » instinctus et motio Spiritus Sancti, secundum illud (Rom. VIII, 14): » *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt... et hæredes;* et (Ps. 142, 10) » dicitur: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam;* quia sci- » licet in hæreditatem illius terræ beatorum nullus potest pervenire, » nisi moveatur et deducatur a Spiritu Sancto. Et ideo ad illum finem » consequendum necessarium est homini habere donum Spiritûs Sancti. » *(S. Th., 1. 2, q. 68, a. 2. — Cf. S. Bonavent., Brevil., P. 5, c. 5).*

856. — **Quæritur.** *Quomodo virtutes et dona dimanant a gratiâ?*

Resp. De modo, quo virtutes dimanant seu effluunt a gratiâ, duplex datur sententia.

Suarez [1], *Curiel* [2], *Oviedo* [3], et alii præsertim ex Societate Jesu theologi, censent virtutes *moraliter* tantum dimanare a gratiâ. Quæ

[1] De Aux., L. 6, c. 13. — [2] In q. 110, a. 3, § 3. — [3] Contr. 3, punct. 1.

moralis dimanatio in eo consistit, quod gratia tantum petat virtutes a Deo infundi, quin ipsa aliquo modo ad earum infusionem concurrat. Quæ opinio probabilitate non caret.

Salmanticenses [1] verò, *Paulus a Concept.* [2], *Sylvius* [3], *Gibbon* [4], *Ripalda* [5], cum aliis non paucis, præsertim ex castris Thomistarum, docent virtutes *physice* dimanare a gratiâ, eo fere modo quo proprietates fluunt a naturâ substantiali, v. gr. facultates ab animâ. Cui sententiæ tanquam probabiliori, et doctrinæ S. Thomæ magis conformi adhæremus. Quoties enim Angelicus de modo loquitur, quo virtutes effluunt a gratiâ, toties eum assimilat modo, quo facultates effluunt ab animâ. Porro, juxta S. Doctorem, *(P. 1, q. 77, a. 6)*, et juxta communem philosophorum sententiam, potentiæ fluunt physice ab essentiâ animæ. « Sicut ab essentiâ animæ, *inquit Angelicus*, effluunt ejus po- » tentiæ quæ sunt operum principia, ita etiam ab ipsâ gratiâ effluunt » virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ moventur ad actus. » *(1. 2, q. 110, a. 4, ad 1)*. — « Gratia secundum se considerata perficit » essentiam animæ, in quantum participat quamdam similitudinem » divini esse; et sicut ab essentiâ animæ fluunt ejus potentiæ, ita a » gratiâ fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur » virtutes et dona, quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad suos » actus. » *(P. 3, q. 62, a. 2)*.

Et « Gratia essentialiter a virtute differt. Oportet enim perfectiones » perfectibilibus proportionatas esse; unde sicut ab essentiâ animæ » fluunt potentiæ ab ipsâ essentialiter differentes, sicut accidens a » subjecto, et tamen omnes uniuntur in essentiâ animæ ut in radice, » ita etiam a gratia est perfectio essentiæ, et ab eâ fluunt virtutes » quæ sunt perfectiones potentiarum, ab ipsâ gratiâ essentialiter dif- » ferentes; in gratiâ tamen conjunctæ sicut in sua origine, per modum » quo diversi radii ab eodem corpore lucente procedunt. » *(2. Sent., D. 26, q. 1, a. 4)*.

857. — *Nec opponi potest*, quod si fides et spes a gratiâ physice dimanarent, deberent etiam unà cum gratiâ amitti, quando hæc per peccatum ex animâ expellitur. De fide tamen est, ex Tridentino, *Sess. VI, cap. 15*, non omni peccato mortali, sed solo infidelitatis peccato, fidem amitti; et communiter etiam docent theologi spem solo desperationis peccato amitti.

[1] Disp. 4, in q. 110, dub. 6. — [2] Disp. 2, dub. 4, T. 3; p. 159. — [3] In q. 110, a. 4; p. 720. — [4] Disp. 33, dub. 4; p. 425. — [5] L. 6, disp. 121, sect. 3.

Respondetur enim: *a*) verum non esse universaliter, quod omne quod physice dimanat ab alio, pereat, pereunte illo a quo dimanat; sicut patet ex calore qui physice ab igne dimanat in aquam, qui tamen, etiam igne extincto, in aquâ existere pergit; — *b*) connaturaliter equidem fides et spes, amissâ gratiâ, etiam deberent amitti; sed præternaturaliter, ex speciali privilegio intuitu meritorum Christi, conservantur in peccatore, eo fine ut quamdiu homo est in viâ, medium habeat facilius redeundi ad Christum, seque ad justificationem præparandi mediantibus actibus fidei et spei.

858. — *Nec iterum opponi potest*, quod si virtutes physice dimanarent a gratiâ, eædem in omnibus ab eâ deberent effluere virtutes: quæ enim ab essentiâ naturaliter et physice effluunt, necessariò effluunt, ac proinde adesse debent in omnibus habentibus illam essentiam, ut patet de potentiis quæ physice dimanant ab essentiâ animæ. Sed eædem virtutes non dimanant a gratiâ in omnibus eam habentibus: etenim, in homine et Angelo viatore dimanant fides et spes; quæ nec in Christo nec in beatis adsunt. In hominibus viatoribus effluit pœnitentia, et non in Christo nec in Angelis viatoribus; in homine effluunt virtutes quæ moderantur passiones, non autem in Angelis. In Beatis effluit lumen gloriæ, quod in viatoribus a gratiâ non dimanat. Nequeunt igitur virtutes physice dimanare a gratiâ.

Respondetur: Majorem allatam veram esse si agitur de naturâ substantiali, nequaquam autem si de naturâ accidentali: hæc enim in diversis subjectis, pro diversitate eorum statûs et dispositionum, diversos producere potest effectus, ut patet de calore solis, qui cum sit unus, in diversis subjectis non eosdem tamen producit effectus. Et sic est de gratiâ, quam suprà diximus esse non substantiam, sed accidens.

Ex gratiâ igitur in viatoribus effluunt fides et spes, non autem in Christo nec in Beatis, quia in his, ob claram Dei visionem et comprehensionem, adest repugnantia ad actus fidei et spei. — Item, in hominibus viatoribus dimanat pœnitentia, quæ non fuit in Christo aut in Angelis viatoribus, utpote subjectis incapacibus pœnitentiæ; quia Christus nullum potuit habere peccatum, Angeli verò naturaliter non possunt retractare electionem libere factam. — In hominibus a gratiâ fluunt virtutes moderantes passiones, non autem in Angelis, quia hi, utpote nullam habentes passionem, sunt harum virtutum incapaces. — In Beatis a gratiâ consummatâ fluit lumen gloriæ, (saltem juxta aliquos, quia alii dicunt lumen gloriæ a Deo concedi ceu mercedem, quin proprie effluat a gratiâ): quod lumen in viatoribus non dimanat

a gratiâ, quia lumen gloriæ, cum sit statûs termini, repugnantiam habet cum statu viatoris. Et sic patet quomodo ex gratiâ specifice unâ, diversæ virtutes pro subjectorum diversitate, physice possint dimanare.

859. — **Scholium.** *De analogiâ gratiæ cum naturâ.* Ex dictis datur intelligi quomodo, proportione servatâ, in ordine supernaturali gratia sanctificans gerat munus naturæ, non secus ac anima in ordine naturali; et etiam quomodo gratia imitetur naturam.

a) Anima est forma substantialis, quæ homini esse humanum tribuit, ipsumque in specie humanâ constituit. Gratia est forma accidentalis, quæ homini esse divinum tribuit, ipsum deiformem reddit, atque in ordine supernaturali constituit.

b) Anima est in homine primum principium vitæ naturalis, a quo omnis motus et activitas procedit; quare apte dicitur vita hominis. Gratia est in homine principium connaturale totius vitæ et activitatis supernaturalis, quo vitam divinam his in terris inchoare potest, seque disponere ut post mortem, Dei essentiam intuitive videndo, divinam vitam perfecte participet; quare apte dicitur supernaturalis vita hominis.

c) Anima quando recedit e corpore, moritur homo, et eo ipso omni motu et activitate ab intrinseco privatur. Gratia quando ab animâ recedit per peccatum, moritur homo spiritualiter, fitque incapax actum supernaturalem meritorium producendi.

Sub hoc tamen respectu magnum inter mortem naturalem et spiritualem mortem animæ adest discrimen. Recedente animâ per mortem naturalem, nulla amplius in homine superest vitalis potentia; et repugnat actum quemdam vitalem ab homine poni; atque homo semel mortuus ad vitam non amplius redit. Recedente verò gratiâ sanctificante, ex speciali Dei providentia duæ spirituales potentiæ, fides scilicet et spes (nisi adsit peccatum grave eis immediate oppositum) remanent, quibus, afflante gratiâ actuali, homo actus fidei et spei connaturaliter elicere valeat; imò, sub impulsu Spiritus Sancti, qui cæterarum virtutum infusarum defectum supplet, alios etiam potest vitæ supernaturalis actus ponere, quibus, juxta Tridentinum, aut ad justificationem se præparet, aut ipsam gratiam illicò consequatur, ut contingit in peccatore contritionis vel caritatis actum eliciente: quibus actibus homo ex mortuis resurgit denuò ad vitam supernaturalem.

d) Ex essentiâ animæ, variæ in homine effluunt potentiæ, quibus ad omnes vitæ humanæ actus ponendos habilis redditur. Ex essentiâ gratiæ, variæ effluunt potentiæ spirituales, virtutes scilicet infusæ et dona Spiritus Sancti, quibus habilitatur homo, ut omnes actus vitæ

spiritualis connaturaliter ponere, et vitam æternaliter felicem consequi valeat.

e) Anima immediate per seipsam non operatur, sed tantum per suas potentias, quibus mediantibus in actus vitæ naturalis influit. Gratia immediate per seipsam non operatur, sed per virtutes, quibus mediantibus actus attingit meritorios. « Gratia, *ait S. Th.*, est prin» cipium meritorii operis mediantibus virtutibus, sicut essentia animæ » est principium operum vitæ mediantibus potentiis. » *(1. 2, q. 110, a. 4, ad 2).*

f) Anima, licet potentiis instructa, nec opus quoddam aggredi nec perficere valet, nisi Deus concursu naturali eam moveat, et unà cum eâ in effectum influat. Gratia sanctificans, licet omnium virtutum comitatu stipata, nec opus supernaturale incipere, nec incœptum perficere valet, nisi Deus gratiâ excitante ad opus moveat, et gratiâ concomitante in effectum influat.

g) Homo, ut actum humanum ponat, necesse est ut intellectûs lumine dirigatur, et imperio voluntatis moveatur. Homo spiritualis, ut actum supernaturalem ponat, necesse est ut gratiâ illustrationis illuminetur in mente, et gratiâ inspirationis impellatur in voluntate.

ARTICULUS III.

DE CAUSIS GRATIÆ.

860. — Gratiæ sanctificantis et justificationis causas enumerat Tridentinum, *Sess. VI, cap. 7:* « Hujus justificationis causæ sunt: » *finalis* quidem gloria Dei et Christi ac vita æterna; *efficiens* verò, » misericors Deus, qui gratuitò abluit et sanctificat;... *meritoria* autem, » dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus;... » *instrumentalis* item sacramentum Baptismi. »

Cujusvis scholæ doctores unanimiter docent: *a*) ultimam causam *finalem* gratiæ esse gloriam Dei, qui sicut in ordine naturali, ita et in ordine supernaturali, omnia propter semetipsum operatus est; proximam verò causam finalem esse gloriam Christi Salvatoris atque ipsam Sanctorum beatitudinem; — *b*) causam *meritoriam* esse Christum, qui sanctissima sua passione nobis gratiam promeruit; — *c*) causam *instrumentalem*, saltem moraliter agentem, esse Novæ Legis sacramenta.

Si verò agitur de causâ *efficiente* gratiæ, jam non unus est omnium judicandi modus.

861. — Prænotanda. Causa physice efficiens ea dicitur, quæ actione suâ physicâ influit in effectûs productionem. — Duplex distinguitur, *principalis* scilicet et *instrumentalis.*

Causa efficiens *principalis* ea est, quæ virtute propriâ effectum producit, ita ut in agendo a nullius superioris causæ concursu dependeat. ut, v. gr., pictor relate ad picturam.

Causa efficiens *instrumentalis* est, cujus virtus propria per se sola effectum nequit producere, sed auxilio ab altiori causâ sibi communicato indiget, in cujus virtute ad effectum ponendum operatur; ut, v. gr., penicillum in manu pictoris.

Sanctam Christi humanitatem, tanquam instrumentum conjunctum Divinitati. efficienter physice ad gratiæ productionem concurrere, contra Scotistas probatur in Tractatu de Incarnatione [1]; item, Novæ Legis Sacramenta, tanquam instrumenta separata, influxu physico ad gratiæ productionem cooperari, contra eosdem Scotistas probatur in tractatu de Sacramentis [2]. Unum igitur in præsenti restat examinandum, videlicet:

Utrum aliqua creatura possit esse causa efficiens principalis gratiæ?

Docent *Medina* [3] et *Cabrera* [4] Christi humanitatem esse causam principalem efficientem gratiæ justificantis, secundariam tamen et Deo subordinatam. Hi, testibus Salmanticensibus [5], soli inter orthodoxos reperiuntur, qui Christo homini talem attribuunt efficientiam; cæteri omnes theologi iisdem contradicunt.

Propositio.

Solus Deus est causa efficiens principalis gratiæ.

862. — Prop. est *certa; Tanner* [6] et *Valentia* [7] eam dicunt *de fide*, ex Trident., Sess. VI, cap. 7, si agitur de præsenti ordine providentiæ; *probabiliorem*, si agitur de potentiâ Dei absolutâ; *Salmanticenses* [8] contrariam sententiam dicunt *implicare.*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** In SS. Scripturis infusio gratiæ, justificatio, et peccatorum remissio quæ gratiam necessariò supponit, soli Deo attribuuntur. Legimus (Ps. 83, 12): *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* — (Rom. III, 30): *Unus est Deus, qui justificat circumci-*

[1] Cf. Herrmann, Institutiones, n. 930. — [2] Cf. Herrmann, Institutiones, n. 1481 et seq. — [3] In P. 3, q. 13, a. 2, dub. ult. concl. 8; p. 197. — [4] In P. 3, q. 13. — [5] Tr. 14, disp. 8, dub. 1, § 2, n. 7. — [6] Disp. 6, q. 4, dub. 1, n. 8; col. 1278. — [7] Disp. 8, q. 4, punct. 1, col 1041. — [8] Loc. cit., dub. 1, § 1, n. 1.

sionem ex fide, et præputium per fidem. — (Job. XIV, 4): *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* — (Is. XLIII, 25, 26): *Ego sum qui deleo iniquitates tuas... narra si quid habes, ut justificeris.* Hæc et similia, cum absolute affirment solum Deum justificare, unum Deum peccata dimittere, manifeste declarant, solius Dei proprium esse gratiam propriâ virtute clargiri. Unde et Tridentinum, causas justificationis enumerans, solum Deum indicat tanquam causam principalem efficientem justificationis.

863. — Prob. II. **Ex Ratione.** 1° Gratia sanctificans est divinæ naturæ participatio. Atqui prorsus impossibile est creaturam, tanquam causam principalem, communicare posse divinæ naturæ participationem. Ergo impossibile est creaturam per modum causæ principalis gratiam posse communicare.

Apposite *S. Thomas:* « Nulla res, *inquit*, potest agere ultra suam » speciem, quia semper oportet quod causa potior sit effectu. Donum » autem gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ, cum nihil » aliud sit quam quædam participatio divinæ naturæ, quæ excedit » omnem aliam naturam. Et ideò impossibile est quod aliqua crea- » tura gratiam causet. Sic enim necesse est quod solus Deus deificet, » communicando consortium divinæ naturæ per quamdam similitu- » dinis participationem, sicut impossibile est quod aliquid igniat nisi » solus ignis. » *(1. 2, q. 112, a. 1).*

864. — 2° Datio Spiritûs Sancti inseparabiliter conjungitur cum infusione gratiæ, juxta illud (Rom. V, 5): *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Inde sequitur, illum solum posse tanquam causam principalem causare gratiam, qui habet principalem potestatem dandi Spiritum Sanctum. Atqui nulla creatura, nequidem Christus Dominus quatenus homo, potest propriâ virtute dare Spiritum Sanctum. Etenim: datio Spiritûs Sancti est vera missio, ut docetur in tractatu de SS. Trinitate. Sed ad divinam missionem requiritur ut persona missa procedat ab eo, a quo mittitur. Absolute autem repugnat, Spiritum Sanctum procedere a creaturâ; ac proinde absolute repugnat, Spiritum Sanctum mitti et dari a creaturâ, tanquam a causâ principali. Quare Christus, quà homo, dixit, (Joan. XIV, 16): *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* Nequit igitur creatura, per modum causæ principalis, causare gratiam.

865. — 3° Gratia ex suâ naturâ est remissiva peccati. Atqui nulla creatura potest propriâ virtute peccatum remittere. Ergo nec gratiam infundere.

Major infrà probabitur. — *Probatur minor:* Ad peccati mortalis remissionem requiritur, ut pro offensâ Deo illatâ offeratur condigna satisfactio. Cum autem ratione infinitatis Dei, peccatum inferat Deo offensam infinitam, satisfactio debet etiam esse infinita. Porro, nulla creatura est per se capax dandi Deo satisfactionem infinitam. Exinde docent SS. Patres et theologi, Incarnationem Verbi fuisse absolute necessariam, posito quod Deus rigorosam satisfactionem exigeret [1]. Nulla igitur creatura, quantumvis ponatur sancta, potest tanquam causa principalis peccatum remittere, nec proinde causare gratiam.

866. — **Corollarium.** Ex dictis sequitur: nullam esse posse creaturam, quæ tanquam causa efficiens principalis virtutes per se infusas causet in homine. Virtutes enim infusæ sunt proprietates dimanantes a gratia. Agens autem quod nequit causare naturam seu principium radicale, nequit etiam causare proprietates ex eâ naturâ connaturaliter fluentes.

QUÆSITUM.

867. — *An gratia producatur creatione vel eductione?*

Resp. Hac de quæstione disputant theologi.

Scotistæ [2], cum *Scoto* [3], *S. Bonaventurâ*, *Durando*, *Capreolo*, *Vega*, et aliis præsertim antiquioribus theologis, docent gratiam produci creatione. Ab his non longe distant *Ferrariensis* [4] et *Soto* [5], qui docent gratiam *concreari* cum homine ut grato.

Thomistæ contrà docent gratiam produci eductione ex potentiâ obedientiali animæ. His consentiunt major pars theologorum [6].

Sed, ut aiunt *Tanner* [7] et *Is. Habert* [8], hæc disputatio est potius de nomine quam de re; responsio enim dependet a definitionibus, quæ dantur sive de creatione sive de eductione.

Juxta Thomistas et recentiores theologos, creatio est *productio totius rei ex nihilo;* seu est: *productio alicujus rei secundum totam suam substantiam, nullo præsupposito tanquam materiâ ex quâ, aut*

[1] Cf. Herrmann, Institutiones, n. 856 et seq. — [2] Cf. *Frassen,* Disp. 2, q. 2; p. 183. - *Dupasquier,* Disp. 5, q. 2; p. 218. - *Barth. Durand,* Disp. 4, q. 2; p. 261. — [3] 2 S., D. 37, et 4 S., D. 1. — [4] In 4 Cont. Gent., c. 57. — [5] In 4 S., D. 1, q. 3, a. 1. — [6] Cf. *Gonet,* Disp. 4, art. 2; p. 748. - *Gotti,* Q. 3, dub. 8; p. 184. - *Salmantic.,* Tr. 14, disp. 8, dub. 2. - *Tanner,* Disp. 6, q. 4, dub. 2, n. 37; col. 1286. - *Paulus a Concept.,* Disp. 2, dub. 10; p. 171. - *Philipp. a SS. Trinit.,* Disp. 5, dub. 4; p. 522. - *Gabriel a S. Vinc.,* Disp. 11, q. 3; p. 250. - *Gibbon,* Disp. 35, dub. 2; p. 450. — [7] Loc. cit., n. 38, col. 1287. — [8] L. III, c. 3, § 4.

subjecto dependenter a quo producitur. — Eductio verò est « *productio* » *formæ per se supponens subjectum a quo in suo fieri dependet, et* » *illud transmutat.* » *(Paulus a Concept., loc. cit., n. 96; p. 171).*

Eductio potest esse vel ex *potentiâ naturali* subjecti; hæc fit per agens naturale proportionatum: sic forma substantialis dicitur educi ex potentiâ materiæ, et accidentia ex potentiâ subjecti; vel ex *potentiâ obedientiali,* quæ est productio formæ superantis naturam, et effectæ in subjecto per solius Dei actionem. Potentia enim obedientialis dicitur ipsa subjecti entitas, quatenus subdita supremo Dei dominio, ad recipiendum quidquid non involvit contradictionem. « In » totâ creaturâ, *inquit S. Th.,* est quædam obedientialis potentia, prout » tota creatura obedit Deo ad suscipiendum in se quidquid Deus vo- » luerit. Sic igitur et in animâ est aliquid in potentiâ, quod natum » est reduci in actum ab agente connaturali; et hoc modo sunt in » potentiâ in ipsâ virtutes acquisitæ. Alio modo aliquid est in potentiâ » in animâ, quod non est natum educi in actum nisi per virtutem » divinam; et sic sunt in potentiâ in animâ virtutes infusæ. » *(De Virt. in com., a. 10, ad 13).*

868. — Hisce admissis definitionibus, necessariò dicendum est: *gratiam non creari, nec concreari, sed educi ex potentiâ animæ, non quidem ex potentiâ naturali, sed obedientiali.*

a) Non potest dici creari: Creatio est rei per se subsistentis [1]; sed gratia non est substantia, sed accidens.

b) Non potest dici concreari: forma inhærens dicitur concreari, quando per actionem ipsius subjecti creativam producitur; sic, v. gr., intellectus et voluntas dicuntur concreari cum animâ, quia producuntur eadem actione quâ anima. Sed actio Dei, quâ gratia producitur, animam, subjectum gratiæ, non creat, sed præsupponit.

c) Sed educitur ex potentiâ obedientiali animæ: Illa forma de potentiâ subjecti educitur, quæ cum in fieri tum in conservari a subjecto dependet, atque producitur per actionem agentis transmutantis subjectum, ita ut subjectum fiat actu relate ad formam, ad quam antea erat in potentiâ. Jamverò, gratia sanctificans, cum sit accidens, in suo fieri atque conservari connaturaliter dependet ab animâ, et producitur actione Dei transmutantis animam, eamque reducentis ad actum relate ad gratiam, ad quam ipsa antea erat solum in potentiâ.

[1] Cf. *Herrm.,* Instit., n. 640 et seq.

869. — Antiquiores quidam Scholastici et Scotistæ nomine creationis intelligunt non solum alicujus rei per se subsistentis productionem ex nihilo, sed etiam productionem cujuscumque rei, quæ, utpote omnem creatam virtutem superans, extra sphæram agentium naturalium posita est, et in subjecto solam potentiam receptivam obedientialem prærequirit, et Dei solius actione producitur.

Per eductionem autem intelligunt Scotistæ « productionem rei de» pendenter a subjecto, ita ut istud non modo eam recipiat, sed etiam » influat suo modo seu materialiter in ejus productionem et existen» tiam, sicut materia ligni influit in formam ignis, qui in ea et ex » ea generatur. » *(Dupasquier, Disp. 5, q. 2; p. 218).* Proinde, ad eductionem etiam requirunt ut id quod educitur ex alio, in eo virtualiter præcontineatur. « Educi ex alio, *ait Barth. Durand*, idem est » ac venire ex alio, subindeque educi ex alio supponit prius conti» neri in ipso. » *(Disp. 4, q. 2; p. 264).*

Hisce notionibus de creatione et eductione admissis, necesse est ut gratia dicatur produci creatione, non eductione. Quamvis enim non sit per se subsistens, sed fiat et existat in animâ et dependenter ab animâ, ipsa tamen non potest produci nisi a solo Deo, nec virtualiter præcontinetur in animâ, nec anima in ejus productionem potest influere.

Sed, ut ex datis explicationibus manifestum est, hæc Scotistarum creatio idem est ac Thomistarum eductio: unde tota hæc discussio est potius de nomine quam de re.

Quare, licet *S. Thomas* doceat gratiam non creari, sed educi, ejus tamen productionem ad rationem creationis accedere confitetur.

« Gratia, *inquit*, cum non sit forma subsistens, nec esse nec fieri » ei proprie per se competit: unde non proprie creatur per modum illum » quo substantiæ per se subsistentes creantur. Infusio tamen gratiæ » accedit ad rationem creationis, in quantum gratia non habet causam » in subjecto nec efficientem, nec talem materiam in quâ sit hoc modo » in potentiâ, quod per agens naturale educi possit in actum, sicut » est de aliis formis naturalibus. » *(De Potent., q. 3, a. 8, ad 3).*

Scotus similiter, etsi gratiam pluries explicite dicat creari, non obscure tamen indicat, se per creationem id idem intelligere, quod Thomistæ per eductionem, sicut optime notat *Panger* [1], Scotista, qui hanc ob causam a suis recedens, hac in re sententiam et modum loquendi Thomistarum amplexus est.

[1] Disp. 3, q. 3, n. 49; p. 528.

Cum igitur hodiedum theologi per creationem communiter intelligant productionem ex nihilo rei per se subsistentis, simpliciter et absolute affirmandum est, gratiam non creari, sed educi ex potentiâ obedientiali animæ.

CAPUT II.

DE FORMALIBUS GRATIÆ HABITUALIS EFFECTIBUS [1].

870. — Duplicis generis enumerantur gratiæ sanctificantis effectus; alios enim producit gratia tanquam *causa efficiens:* sunt merita bona, de quibus in tertia hujus operis parte sermo instituetur; alios producit *formaliter,* id est, ipsâ sui unione cum animâ; non secus, v. gr., ac anima sui unione cum corpore huic formaliter tribuit vitam. De his ultimis effectibus hic unice est agendum.

Multiplices sunt gratiæ sanctificantis effectus formales; principaliores tantum sequentibus exponemus propositionibus, et quidem breviter, ne jam dicta inutiliter repetantur.

Propositio I.

Per gratiam sanctificantem homo efficitur naturæ divinæ particeps.

871. — Prop. est *fide certa,* ex SS. Scripturis et ecclesiasticis documentis.

Primus, et ut ita dicam, principalissimus effectus, ex quo alii sponte suâ fluunt, et in quo tota christianismi medulla et omnis christianorum gloriatio consistit, est hominis deificatio. Gratia, sicut supra abunde probatum est *(n. 817 et ss.),* dicenda est vere physica formalis divinæ naturæ participatio; consequens est igitur, ut qui gratiam consequuntur, divinæ naturæ reddantur participes, *deificentur, dii fiant.* Quam mirabilem hominis deificationem miris encomiis celebrant Patres.

« Per hunc (Spiritum S.), *ait S. Basilius,* quilibet Sanctorum Deus » est: dictum est enim a Deo ad ipsos: *Ego dixi, dii estis, et filii* » *Excelsi omnes.* » *(Contr. Eunom., L. 5. M., 29, c. 771).*

[1] Cf. *Gamachæus,* In q. 113; p. 403. - *Muniessa,* Disp. 19; p. 385. - *Gabr. a S. Vinc.,* Disp. 17; p. 401.

S. Augustinus: « Videte in eodem Psalmo quibus dicat: *Ego dixi,* » *dii estis, et filii Excelsi omnes*... Manifestum est ergo, quia homines » dixit deos, ex gratiâ suâ deificatos, non de substantiâ suâ natos. » Ille enim justificat, qui per semetipsum, non ex alio justus est; et » ille deificat, qui per seipsum, non alterius participatione Deus est. » Qui autem justificat, ipse deificat, quia justificando filios Dei facit. » *Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri.* (Joan. I, 12). Si filii Dei » facti sumus, et dii facti sumus: sed hoc gratiæ est adoptantis, non » naturæ generantis. » *(In Ps. 49, n. 2. M., 36, c. 566).*

Sed de hoc effectu supra satis dictum est.

Propositio II.

Per gratiam sanctificantem homo sanctus efficitur.

872. — Prop. est *de fide,* ex Tridentino, Sess. VI, cap. 3 et 7; et ex verbis Apostoli, (I Cor. VI, 11): *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.*

Hominem per gratiam vere sanctum effici, sanctitate ipsi intrinsece inhærente, et non tantum sanctum reputari propter extrinsecam justitiæ Christi imputationem, ex iis sequitur quæ suprà de naturâ gratiæ habitualis disputata sunt. *(Cf. n. 760 et ss.).* Idem ex iis etiam constabit, quæ infrà contra protestantes dicentur. Sanctitas enim est *perfecta puritas a peccato, saltem mortali.* Jamvero de fide est, omnia mortalia expelli ab animâ per gratiam.

Hunc effectum gratia producit immediate per semetipsam; habet enim per se et ex naturâ suâ, et non solum per extrinsecam Dei ordinationem, directam et immediatam repugnantiam cum peccato mortali, non secus ac lux cum tenebris, juxta illud Apostoli, (II Cor. VI, 14): *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate?* (Cf. n. 913 ss.).

Propositio III.

Per gratiam sanctificantem homo efficitur justus.

873. — Prop. est *de fide,* ex iisdem fontibus ac superior propositio.

Hic effectus cum præcedenti aliquo modo coincidit: qui enim est justus, justitiâ de quâ nunc agitur, est etiam sanctus, et vice versâ; quare justitia et sanctitas ordinarie promiscue usurpantur. In suo tamen formali conceptu justitia aliquid sanctitati superaddit: sanctitas dicit simplicem carentiam peccati mortalis; justitia verò insuper addit totius

hominis rectitudinem. Est enim justitia, ut ait *S. Thomas, (1. 2, q. 113, a. 1)*, « rectitudo quædam ordinis in ipsa interiori dispositione homi- » nis, prout scilicet supremum hominis subditur Deo, et inferiores vires » animæ subduntur supremæ, scilicet rationi. »

Hunc effectum gratia producit præsertim mediantibus virtutibus. Sicut enim gratia, subjectata in essentiâ animæ, hanc ab omni mortalis peccati maculâ abluit et mundat, atque supernaturali quâdam induit pulchritudine, ita virtutes infusæ, quæ subjectantur in facultatibus, eas rectificant, voluntatem et intellectum Deo perfecte subjiciunt, atque appetitum inferiorem rationi illuminatæ fide subdunt: in quibus consistit interior hominis rectitudo.

Hominem per gratiam justum constitui, ex iis sequitur, quæ de virtutibus infusis dicta sunt, *(n. 841 et ss.)*; et, si justitia accipitur in totâ suâ amplitudine, hominem justum constitui est definitum in Tridentino, *Sess. VI, cap. 7*, in quo legimus: « Unica formalis causa » (justificationis) est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos » *justos* facit; quâ videlicet a Deo donati, renovamur spiritu mentis » nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, » justitiam in nobis recipientes. »

Propositio IV.

Per gratiam sanctificantem homo redditur Deo gratus.

874. — Esse Deo gratum nihil aliud est, quam esse objectum divinæ dilectionis et complacentiæ. Jamverò, justos a Deo speciali modo diligi, ex SS. Scripturis manifeste constat. Legimus, (Ps. 145, 8): *Dominus diligit justos.* — (Sap. IV, 7): *Justus... in refrigerio erit, placita enim erat Deo anima illius.* — (Joan. XIV, 21): *Si quis diligit me, et Pater meus diliget eum.*

(Eph. I, 6): *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificavit nos in dilecto Filio suo.* « Hoc est, *ait S. Joan. Chrysost.*, non solum liberavit » a peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quemadmodum enim, si quis » scabiosum et peste ac morbo senioque et paupertate ac fame con- » fectum et perditum statim formosum fecerit juvenem, omnes homines » pulchritudine vincentem,... et postea eum purpurâ induerit, et dia- » dema illi imposuerit, et omni regio ornatu eum decoraverit: ita no- » stram instruxit et ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem » et amabilem. Cupiunt enim Angeli talem aspicere animam... Ita » nos etiam fecit gratiosissimos et sibi desiderabiles. *Concupiscit enim*, » inquit, *Rex speciem tuam.* » *(In Epist. ad Eph. M., 62, c. 14).*

Ipsa ratio evincit hominem per gratiam Deo fieri gratum, atque constitui objectum divinæ complacentiæ. Deus omnia quæ fecit, diligit, (Sap. XI, 25): *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Jam in ordine naturali, omnia quæ sunt, quia sunt et divinum esse aliquo modo participant, sunt grata Deo, et objectum divinæ complacentiæ, sed complacentiæ communis et generalis. Et ideò de omnibus Dei operibus dicitur, (Gen. I, 31): *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.*

Porro, supra hanc bonorum naturalium largitionem, Deus per gratiam altiora concedit bona, et perfectiorem elargitur suæ naturæ participationem, quâ homines accipiunt esse supernaturale atque physicum formale divinæ naturæ consortium. Et cum Deus suam naturam necessariò amet sibique in eâ modo specialissimo complaceat, ideò etiam in justis, ratione illius consortii, modo specialissimo sibi complacet, eosque ut objectum singularis complacentiæ et tanquam acceptos ad æternam beatitudinem possidendam habet.

Propositio V.

Per gratiam sanctificantem homo constituitur Dei amicus.

875. — Prop. est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, cap. 7*, definiente hominem in justificatione fieri ex inimico amicum; — et ex apertis Scripturæ testimoniis.

Legimus, (Sap. VII, 14): *Quo* (id est, thesauro sapientiæ) *qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* — (Ps. 138, 17): *Nimis honorati sunt amici tui, Deus.* — Ipse Christus discipulos suos vocat amicos, (Luc. XII, 4): *Dico vobis amicis meis.* (Joan. XV, 14, 15): *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos servos.., vos autem dixi amicos.* In quæ verba scribit *S. Cyrillus Alex.:* « Quid majus, quid clarius, quam Christi amicum et esse et » appellari? Excedit certe hæc dignitas naturæ humanæ terminos: » *Omnia enim serviunt Creatori*, ut ait Psalmista: nec quicquam est » quod jugo servitutis ejus non subjiciatur. Quod quum ita sit, ad » supernaturalem gloriam servantes mandata sua Dominus redigit, » non servos, sed amicos appellans, et ut amicos in omnibus tractans. » Magna et splendida ista præmia sunt. » *(In Joan., L. 10, c. 23).*

876. — Hominem justum esse Dei amicum, ex conditionibus ad veram amicitiam requisitis haud dubie manifestatur.

Amicitia definitur: *Amor mutuæ benevolentiæ super aliquâ communicatione fundatus.* Ad eam constituendam quatuor requiruntur con-

ditiones, videlicet: ut amor sit mutuus; ut sit amor benevolentiæ; ut mutua redamatio sit nota amicis; ut adsit inter amicos quædam bonorum communicatio. Jamverò istæ conditiones in gratiâ inveniuntur, sive ratione sui, sive ratione caritatis quæ ab eâ est inseparabilis.

1° *Adest amor mutuus.* Unà cum gratiâ homini infunditur caritas. Quamdiu igitur gratia persistit in animâ, homo Deum diligit, etsi non semper actu, tamen habitu. Ex alterâ parte, fide certi sumus, Deum diligentes se diligere, (Prov. VIII, 17): *Ego diligentes me diligo.* — (Joan. XIV, 21): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.*

2° *Adest amor benevolentiæ.* Amor benevolentiæ, ut nomen indicat, est velle bonum alicui propter ipsum. Justus caritate Deum diligit propter Deum: amore complacentiæ vult Deo bona sua intrinseca, quæ possidet, ut, v. gr., bonitatem, beatitudinem, æternitatem, etc.; et amore desiderii vult illi bona extrinseca, quæ nondum habet, scilicet ut ab omni creaturâ super omnia ametur et glorificetur.

Deus verò, etsi justum diligat propter suam propriam gloriam, ipsum tamen etiam diligit propter ejus bonum atque utilitatem: amore quidem complacentiæ Deus in justo diligit bona supernaturalia, quæ jam donavit, gratiam scilicet et virtutes, atque in Beatis etiam gloriam; et amore desiderii vult gloriam beatitudinis iis, qui in viâ adhuc peregrinantur.

3° *Mutua redamatio est et Deo et homini justo manifesta.* Deus, qui renes scrutatur et corda, perfecte cognoscit a quibus diligatur; et justus per fidem certior redditur, Dei amantes a Deo redamari.

4° *Adest quædam bonorum communicatio.* In præsenti vita Deus justis gratiam sanctificantem, quæ est divinæ naturæ participatio, communicat; et in alterâ vitâ ipsis suam propriam confert beatitudinem. « Caritas, *ait S. Th.*, est amicitia quædam hominis ad Deum, » fundata super communicatione beatitudinis æternæ. » *(2. 2, q. 24, a. 2).* — Homo autem per caritatem se suaque omnia Deo tradit, Eique pro acceptis beneficiis laudem, cultum, et gratiarum actiones rependit.

877. — Nec opponi potest, ad amicitiam requiri æqualitatem inter amicos, juxta effatum S. Hieronymi: *Amicitia pares aut invenit aut facit. (In Matth., L. 2, c. 7).* Sed per gratiam nulla Deum inter et hominem inducitur æqualitas; ergo nec amicitia.

Respondetur enim, duplicem distingui amicitiam, unam perfectæ æqualitatis, qualis inter duos homines existere potest; alteram excellentiæ, quæ non perfectam æqualitatem, sed dignitatem tantum et

proportionem ejusdem ordinis expostulat. Per gratiam utique Deum inter et hominem non inducitur perfecta æqualitas; gratia tamen, utpote quæ est divinæ naturæ participatio et consortium, hominem elevat ad ordinem divinum, eique divinam quamdam tribuit dignitatem, quæ ad rationem perfectæ amicitiæ sufficit.

Propositio VI.

Per gratiam sanctificantem homo filius Dei adoptivus, atque hæres cœlestis hæreditatis efficitur.

878. — Prop. est *de fide* ex apertis Scripturæ testimoniis.

Prob. **Ex S. Scriptura.** Divinam nostram filiationem, atque quod in eâ reponitur, jus ad cœlestem hæreditatem, apprime commendant SS. Scripturæ. Legimus, (Gal. IV, 4-7): *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, et hæres per Deum.* — (Rom. VIII, 15-17): *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*— (I Joan. III, 1): *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*

His aliisque permultis testimoniis patet, justos per gratiam non solum reputari, sed vere esse filios Dei, non quidem naturâ, sed adoptione, atque habere jus ad cœlestem hæreditatem: *quod si filius, et hæres.* Unde signanter dixit etiam Apostolus (Rom. V, 17): *Multo magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes, in vita regnabunt.*

Eamdem nostram filiationem probant omnes illi textus, in quibus homo dicitur *natus* et *generatus* a Deo. (Jac. I, 18): *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* — (I Petr. I, 23): *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi.* — (Joan. I, 12, 13): *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui... ex Deo nati sunt.* Nativitas enim et generatio, patris et filii relationem necessariò inducunt inter generantem et natum. Si igitur ex Deo generati et nati sumus per gratiam, Dei filii utique constituimur, et ut filii jus ad cœlestem hæreditatem acquirimus.

879. — Prob. II. **Ex Ratione.** Hanc hominis dignitatem probat ipsa ratio. Ex jure romano adoptio est *gratuita et liberalis assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem.* Ad adoptionem igitur tres requiruntur conditiones, scilicet: *a*) Ut qui in filium adoptatur sit extraneus, et non filius naturalis; *b*) ut inter adoptatum et adoptantem adsit similitudo naturæ; *c*) ut adoptato jus ad paternam hæreditatem gratiose conferatur. Atqui hæc tria in justo reperiuntur vel ei per gratiam conferuntur. Justus igitur per gratiam recte dicitur esse filius Dei adoptivus.

Prob. minor. a) Homo est extraneus a Deo. « Homo in sua natura » consideratus, *ait S. Th.*, non est extraneus a Deo quantum ad bona » naturalia quæ recipit; est tamen extraneus quantum ad bona gratiæ » et gloriæ. » *(P. 3, q. 23, a. 1, ad 1).* Homo enim, vi suæ creationis nullum habet jus ad gratiam et gloriam, et per se nihil potest in ordine ad ea bona supernaturalia. « Homo, *inquit S. Augustinus*, ad » Dei similitudinem factus est; tamen quia non est unius ejusdemque » substantiæ, non est verus filius; et ideo fit gratiâ filius, quia non » est naturâ. » *(Contr. Maxim., L. 2, c. 15, n. 2. M., 42, c. 778).*

Et *S. Athanasius:* « Deus non tantum homines creavit, sed etiam » filios vocavit, tanquam si illos genuisset... Hæc est autem Dei be- » nignitas, quod quorum effector est, horum etiam pater gratiâ postea » fiat, quod tunc contingit cum creati homines, ut ait Apostolus, Spi- » ritum Filii ejus clamantem, *Abba, Pater*, in suis cordibus suscipiunt. » Hi porro sunt qui, suscepto Verbo, potestatem ab eo accepere filios » Dei fieri. Nec enim alio modo filii possunt fieri cum ex natura sua » sint creati, nisi Spiritum ejus qui naturalis et verus est Filius acce- » perint. » *(Orat. 2 contra Arian., n. 59. M., 26, c. 274).*

b) Homo per gratiam similitudinem accipit cum Deo. Gratia, sicut supra abunde probatum est *(n. 821 et ss.)*, est physica formalis participatio naturæ divinæ. Qui igitur gratiam accipiunt, per ipsam perfectam cum Deo similitudinem consequuntur, atque veram et naturalem Verbi filiationem participant. « Numquam concipietur natura » deifica, *ait S. Cyrillus Alex.;* verum id soli Deo tribuendum est, » qui sanctorum animabus immittit suæ proprietatis participationem » illam per Spiritum, per quem etiam conformes facti naturali filio, » dii secundum ipsum et filii vocati sumus. » *(De Trinit. Dial. 7. M., 75, c. 1098).* — Quâ de causâ, gratia etiam vocatur *semen*, juxta illud, (I Joan. III, 9): *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet.* Semine autem natura Patris communicatur Filio.

c) *Justis per gratiam datur jus ad hæreditatem Dei,* teste Apostolo, (Rom. VIII, 17): *Si autem filii, et hæredes.* Et apud Joannem legimus (I Joan. III, 2): *Carissimi nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Beatitudo autem, seu visio Dei, est hæreditas, ad quam homo ex suis naturalibus nullum jus habet, et ad quam ex Dei benevolentiâ admittitur. Beatitudo, inquit *S. Thomas*, « consistit in fruitione Dei per quam etiam ipse Deus » beatus est, et per seipsum dives, in quantum scilicet seipso fruitur. » Hoc autem dicitur hæreditas alicujus, ex quo ipse est dives. Et ideo » in quantum Deus ex sua bonitate admittit homines ad beatitudinis » hæreditatem, dicitur eos adoptare. » *(P. 3, q. 23, a. 1).*

QUÆSITA.

880. — Quæritur I. *Utrum per adoptionem efficiamur filii Dei Patris, potius quam aliarum divinarum personarum.*

Resp. 1° Adoptare nos in filios est quid commune toti Trinitati, ac proinde per adoptionem non constituimur magis filii Patris quam aliarum personarum. *Ratio:* quia nostra adoptio est opus ad extra, quod est commune tribus personis juxta adagium: *Opera Dei ad extra sunt communia.* « Quamvis generare in divinis sit proprium personæ » Patris, *ait S. Thomas*, tamen facere quemcumque effectum in crea- » turis est commune toti Trinitati propter unitatem naturæ... Et ideo » adoptare homines in filios Dei convenit toti Trinitati.» *(P. 3, q. 23, a. 2).*

2° Nostra tamen adoptio, etsi fiat a tribus personis, speciali tamen ratione appropriatur Patri. Gratia gratum faciens, *ait S. Bonaventura*, « est donum, per quod anima efficitur sponsa Christi, filia » Patris æterni, et templum Spiritus Sancti. » *(Brevil., P. 5, c. 1).* — *Ratio:* quia cum nostra adoptio in filios sit quædam participatio et imitatio filiationis æternæ, ei personæ appropriatur nostra adoptio, cujus est habere filium naturalem. « Filiatio adoptiva, *ait S. Th.*, est » quædam similitudo filiationis æternæ... Assimilatur autem homo » splendori æterni Filii per gratiæ claritatem, quæ attribuitur Spiritui » Sancto. Et ideo adoptio, licet sit communis toti Trinitati, appropriatur » tamen Patri ut auctori, Filio ut exemplari, Spiritui Sancto, ut im- » primenti in nobis hujus exemplaris similitudinem. » *(P. 3, q. 23, a. 2, ad 3).*

881. — **Quæritur II.** *Utrum nostra adoptio in filios Dei sit perfecte similis adoptioni humanæ?*

Resp. Multiplex inter utramque adoptionem intercedit discrimen.

1° Adoptio in filios Dei alio nobiliorique modo fit, quam adoptio inter homines. « Hoc autem, *inquit S. Thomas*, plus habet adoptio » divina quam humana, quia Deus hominem quem adoptat, idoneum » facit per gratiæ munus ad hæreditatem cœlestem percipiendam: » homo autem non facit idoneum eum quem adoptat; sed potius eum » jam idoneum eligit adoptando. » *(P. 3, q. 23, a. 1).*

Et re quidem verâ, quando homo alium in filium adoptat, adoptatus eamdem specie naturam cum adoptante jam possidet; ac proinde adoptans adoptato aliquid physicum et reale de suâ substantiâ communicare nequit; sed aliquid civile et morale, scilicet jus ad hæreditatem, unice confert. Talis igitur filius, est filius *nomine, sed non re.* Nos autem, vi creationis, eamdem cum Deo specie naturam non habemus; ac proinde quando Deus per gratiam nos in filios adoptat, in nobis aliquid physice et realiter producit, consortium scilicet naturæ suæ, per quod filii Dei non solum nomine, sed et re, constituimur: *ut filii Dei nominemur et simus.* (I Joan. III, 1).

2° Adoptio humana introducta est ad supplendum defectum prolis naturalis; quare oritur ex hominis adoptantis indigentiâ; divina verò fit non ad supplendum defectum, sed unice ad communicandam nobis modo speciali Dei bonitatem; quare oritur ex superabundanti Dei misericordiâ et largitate. « Hominis est, *inquit S. Th.*, operari ad sup- » plendam suam indigentiam, non autem Dei cui convenit operari ad » communicandam suæ perfectionis abundantiam. Et ideo sicut per » actum creationis communicatur bonitas divina omnibus creaturis » secundum quamdam similitudinem; ita per actum adoptionis com- » municatur similitudo naturalis filiationis hominibus, secundum illud » (Rom. VIII, 29): *Quos præscivit conformes fieri imaginis Filii sui.* » *(P. 3, q. 23, a. 1, ad 2).*

Unde etiam inter homines mos non invaluit adoptandi filios, quando proles naturalis jam adest in familiâ. Deus autem, qui generatione æternâ possidet filium, nos in filios adoptat, nobis similitudinem quamdam proprii filii communicat, nosque unà cum Filio suo in hæreditatis participationem admittit. Quâ de causâ, per nostram adoptionem vere efficimur fratres Christi, *ut ipse sit primogenitus in multis fratribus,* (Rom. VIII, 29). « Nos per adoptionem efficimur fratres Christi, » *ait S. Th.*, quasi eumdem Patrem habentes cum ipso. » *(P. 3, q. 23, a. 2, ad 2).*

Et *S. Augustinus:* « Frater noster voluit esse (Christus); et cùm » Deo dicimus *Pater noster,* hoc manifestatur in nobis. Qui enim dicit » Deo *Pater noster,* Christo dicit *Frater.* Ergo qui Patrem Deum et » fratrem habet Christum, non timeat in die malâ. » *(In Ps. 48, serm. 1, n. 8. M., 36, c. 549).*

Et *S. Cyrillus Alex.:* « Effudit Filius suum Spiritum in nos,... in » ipsoque clamamus *Abba, Pater.* Quare pueros Dei et Patris nos » vocat, utpote regenerationem per Spiritum habentes, ut et fratres » ejus qui naturâ vere est Filius nuncupemur. Dixit enim voce Psal- » mistæ: Annuntiabo nomen tuum fratribus meis. » *(In Isai., L. 1, c. 5. M., 70, c. 238)* [1].

3° In adoptione humanâ, filius hæreditatem non capessit nisi patre jam mortuo; in divinâ, filius adoptivus unà cum Patre bonis paternis plene fruitur, atque hæreditatem, Patre semper vivente, perfecte accipit. « Bona spiritualia, *ait S. Th.,* possunt simul a pluribus » possideri, non autem bona corporalia; et ideò hæreditatem corpo- » ralem nullus potest percipere nisi succedens decedenti; hæreditatem » autem spiritualem simul omnes ex integro accipiunt sine detrimento » Patris semper viventis. » *(P. 3, q. 23, a. 1, ad 3).*

882. — Quæritur III. *Quomodo possimus dici nati ex Deo, et tamen esse filii adoptivi* [2].

Resp. In humanis generatio excludit adoptionem, sicut adoptio generationem. Definitur enim adoptio: *Personæ extrancæ assumptio ad hæreditatem.* In divinis autem nostra assumptio ad hæreditatem distat tum a purâ adoptione, tum a generatione naturali; et ab utraque aliquid participat: quare et recte dicimur filii adoptivi, et tamen nati ex Deo.

1° Distat divina adoptio a pure humanâ, quia, ut supra vidimus (*n. 881*), in humanâ nihil a patre adoptante communicatur intrinsece filio adoptato; in divinâ verò communicatur homini realis quædam et physica divinæ naturæ participatio, vi cujus ex Patre Deo vere nascimur in vitam supernaturalem; et non tantum filii nominamur, sed et vere sumus. Generatio enim definitur: *Origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ.* Jamverò hæc definitio spirituali nostræ nativitati ad amussim convenit. In justificatione enim a Deo vivente accipimus vitam supernaturalem per infu-

[1] Cf. *Bellamy,* La vie surnat., chap. 9; p. 228. — [2] Cf. *Laneau,* De deif. just., P. 1, c. 1, § 6; p. 51. - *Bellamy,* La vie surnat., ch. 8, § 2; p. 220.

sionem alicujus principii quod est consortium divinæ naturæ, quod nobis intrinsece inhæret, et per quod divinam naturam vere participamus, et vere deificamur. Nostra igitur justificatio est vera nativitas, et vere nascimur ex Deo.

2° Etsi verâ generatione ex Deo nati simus et vere simus filii Dei, distat tamen hæc nostra filiatio a divinâ filiatione naturali, quia nos non naturâ sicut Verbum Dei, sed liberâ et gratuitâ Dei voluntate facti sumus filii, et gratuito et liberaliter assumpti sumus ad hæreditatem: et ideo etiam in rei veritate dicimur filii adoptivi. « Hæc est differentia inter filium Dei adoptivum et naturalem, *ait* » *S. Th.*, quod filius Dei naturalis est genitus, non factus; filius au- » tem adoptivus est factus, secundum illud (Joan. I, 12): *Dedit eis* » *potestatem filios Dei fieri.* » (P. 3, q. 23, a. 2).

883. — Hanc differentiam inter nostram et Verbi filiationem sedulò exprimunt SS. Patres, ne aut Verbi divinitas destruatur, aut nobis falso attribuatur quod soli Verbo proprium est. « Homo nempe, *ait* » *S. August.*, ad Dei similitudinem factus est; tamen quia non est » unius ejusdemque substantiæ, non est verus filius; et ideo fit gra- » tiâ filius, quia non est naturâ. » *(Contr. Maxim., L. 2, c. 15, n. 2 M., 42, c. 778).* — Et: « Qui Patri Christi dicit: *Pater noster*, quid » dicit Christo, nisi: *Frater noster?* Non tamen sicut Christi Pater, » ita et noster Pater: nunquam enim Christus nos conjunxit, ut nul- » lam distinctionem faceret inter nos et se. Ille enim filius æqualis » Patri, ille æternus cum Patre, Patrique coæternus: nos autem facti » per Filium, adoptati per unicum... Et Patrem *meum* dixit, et Pa- » trem *vestrum;* non dixit Patrem *nostrum.* Sic jungit, ut distinguat; » sic distinguit, ut non sejungat. » *(In Joan., Tract. 21. M., 35, c. 1565).*

Et *S. Cyrillus Alex.:* « Nihil igitur, *inquit*, erit discriminis inter » illum (Filium) et nos?... Superior longe erit, neque nobis æqualis » Filius. Nam ex Patre naturaliter existens Filius verus est, ut homo » ex homine, et Deus ex Deo genitus. Nos autem quibus hæc natu- » raliter non insunt, non vere, sed per gratiam filii et dii, ex illius » qui id nobis largitus est benignitate vocamur: Filius autem natu- » raliter atque essentialiter hoc est. » *(Thesaurus, assert. 13. M., 75, c. 214).* Quare, ait *(Assert. 12, col. 190):* « Magna igitur atque im- » mensa est differentia inter nos per gratiam vocatos filios, et eum » qui vere ac naturaliter est Filius. »

884. — **Quæritur IV.** *Utrum gratia sanctificans prædictos effectus producat physice et ex naturâ suâ, an solum moraliter et ex extrinsecâ Dei ordinatione?*

Resp. Duplex hâc de re viget opinio.

Scotistæ, et ii omnes qui in gratiâ solam moralem agnoscunt divinæ naturæ participationem, docent gratiam sanctificantem nos reddere quidem sanctos, justos, Deo gratos, amicos et filios Dei, atque vitæ æternæ hæredes; eos tamen effectus non præstare physice et ratione suæ entitatis et intrinsecæ suæ perfectionis, sed vi decreti specialis quo Deus gratiam ad eos effectus producendos deputavit, ita ut gratia, de se et ex naturâ suâ insufficiens ad eos effectus producendos, per specialem illam deputationem acquirat virtutem eos conferendi: quod est eos producere moraliter et ex extrinseco Dei favore, seu ex extrinsecâ Dei ordinatione; non secus, v. gr., ac moneta ex sigillo regio obtinet valorem, quem ex intrinsecâ suâ materiâ non habuisset. Quare ex parte Dei, præter actum infundendi gratiam, novus adhuc requiritur actus, sive præcedens sive concomitans, quo Deus gratiæ conferat valorem producendi eos effectus [1].

885. — *Thomistæ* verò, cum majori parte theologorum, docent, gratiam suâpte naturâ et ratione suæ entitatis et physice, et absque ullo extrinseco favore aut pacto aut ordinatione Dei, nos constituere Deo gratos et amicos, filios Dei adoptivos, et hæredes vitæ æternæ; ac proinde, ut prædicti effectus producantur, nullum alium ex parte Dei requiri actum, præter actum infundendi gratiam; non secus, v. gr., ac anima ratione suæ entitatis, per se et immediate, physice, absque alio adjumento, confert vitam corpori quod informat [2]. — Cui sententiæ tanquam multo probabiliori et communiori subscribimus. Etenim:

886. — *a*) Quod gratia ex naturâ suâ, absque ullo favore extrinseco, reddat hominem *justum*, ex iis sequitur, quæ infrà dicenda erunt de repugnantiâ peccati cum gratiâ, ubi videbimus gratiam ex naturâ

[1] Ita *Panger*, De Grat., L. 2, disp. 4, q. 2; p. 529. - *Brancatus a Laur.*, In 3 Sent., Tom. 4, disp. 18, art. 12, § 2 et ss.; p. 403. - *Dupasquier*, De Grat., disp. 4, q. 6, p. 201. - *Barth. Durand*, De Grat., disp. 2, q. 4; p. 222. - *Moretus*, Disp. 6, q. 3; p. 259. Hanc sententiam, *teste Mœratio, disp. 9, sect. 1; p. 122*, sequuntur *S. Bonaventura*, In 1 Sent, D. 17, P. 2, q. 3. - *Durandus*, Q. 10, n. 4. - *Gregorius*, Q. 1, a. 2. - *Gabriel*, Q. 4, a. 3, dub. 3, concl. 3. - *Richardus a Med.*, In 3 Sent., D. 31, a. 1, q. 1. - *Scotus*, In 4 S. D. 16, q. 2, *§ Respondeo.* - *Ockam*, q. 3. — [2] Ita *Salmant*, In q. 109, disp. 4, dub. 2 (p. 354 edit. infol.). - *Gonet*, Disp. 2, a. 5; p. 716. - *Gotti*, Q. 3, dub. 4; p. 158. - *Wenzl*, Contr. 5, q. 2; p. 145. - *Paulus a Concept.*, Disp. 2, dub. 3; p. 151. - *Maderni*, Q. 5, a. 3 et 4; p. 419. - *Mœratius*, Disp. 9; p. 122, et disp. 11; p. 148. - *Mazzella*, Disp. 5, a. 8, n. 1011 et ss.

suâ repellere peccatum ex animâ, absque alio favore Dei extrinseco. Si autem physice et ratione suæ entitatis expellit peccatum, ergo etiam physice et ratione suæ entitatis reddit hominem justum. *Cf. n. 913.*

887. — *b*) In homine lapso, esse *sanctum* et esse justum formalissime idem sonant, non secus ac esse injustum et esse peccatorem. Ergo et gratia reddit ex naturâ suâ hominem sanctum, et ab omni peccato immunem.

888. — *c*) Quod gratia ex naturâ suâ, absque favore extrinseco, reddat hominem *amicum Dei*, probari potest ex Tridentino, *Sess. VI, cap. 7*, juxta quod homo mediante justificatione, sicut ex injusto fit justus, ita etiam ex inimico fit amicus Dei. Sicut igitur gratia ex naturâ suâ absque favore extrinseco reddit hominem justum, ita eodem modo reddit hominem Dei amicum.

Præterea, gratia ex naturâ suâ radicat caritatem, imò juxta Scotistas, gratia quoad habitum identificatur cum caritate. Sed caritas ex naturâ suâ est essentialiter amicitia cum Deo. Qui igitur caritatem habet, vi ipsius absque alio actu ex parte Dei, constituitur amicus Dei.

889. — *d*) Quod gratia ex suâ naturâ reddat hominen *filium Dei adoptivum*, constat:

1° *Ex Conc. Tridentino*, juxta quod, *Sess. VI, cap. 4*, justificatio est *translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei.* Ex quibus verbis sequens efformatur argumentum: Eadem causa formalis, scilicet gratia, quæ nos justos reddit, nos reddit etiam filios Dei. Sed gratia ex suâpte naturâ, absque favore extrinseco, nos reddit justos; ergo eodem modo nos reddit Dei filios.

2° *Ex S. Thomâ*, qui *(1, 2, q. 114, a. 3)* ait: « Attenditur etiam » pretium operis secundum dignitatem gratiæ, per quam homo consors » factus divinæ naturæ adoptatur in Filium Dei, cui debetur hæreditas » ex ipso jure adoptionis, secundum illud (Rom. VIII, 17): *Si filii et » hæredes.* » — Et *q. 110, a. 3*, relatis verbis (II Petr. I, 4): *Maxima et pretiosa vobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*, quæ omnes theologi de gratiâ sanctificante intelligunt, subjungit: « Et secundum acceptionem hujusmodi naturæ dicimur » regenerari in filios Dei. » In quibus verbis S. Doctor nostram filiationem soli gratiæ attribuit, nulla de favore extrinseco adhibitâ ratione.

3° *Ex Ratione:* Communicatio naturæ per generationem est ex naturâ suâ, absque ullo favore aut ordinatione extrinsecâ, fundamentum filiationis. Sed sicut in generatione naturali transmittitur a patre in

prolem natura specifice eadem cum naturâ patris, ita in generatione spirituali communicatur homini natura analogice eadem cum naturâ Dei: gratia enim sanctificans, ut sæpius dictum est, est physica, formalis, sed analoga, divinæ naturæ participatio. Et ideò, sicut vi et ratione solius communicationis naturæ specificæ, absque ullo favore extrinseco, qui nascitur ab alio, hujus est filius naturalis, ita a pari, qui nascitur ex Deo, vi et ratione solius communicationis naturæ analogæ, scilicet gratiæ, constituitur filius Dei, non naturalis quidem, sed adoptivus. Gratia igitur ex naturâ suâ, absque ullo favore extrinseco, nos reddit filios Dei adoptivos.

890. — *c*) Quod gratia ex naturâ suâ tribuat *jus ad cœlestem hæreditatem*, ex modo dictis manifeste sequitur: jus enim ad hæreditatem fundatur in filiatione, *si filii, et hæredes*, ait Apostolus (Rom. VIII).

Eo igitur modo, quo aliqua forma dat *esse filium*, eodem dat etiam *esse hæredem*. Sicut igitur communicatio naturæ per naturalem generationem dat ex naturâ suâ, absque ullo favore extrinseco, et esse filium et esse hæredem, ita etiam communicatio naturæ divinæ per gratiam dat ex naturâ sua et esse filium Dei, et esse hæredem bonorum cœlestium.

Nec refert quod de potentiâ absolutâ posset Deus absque injustitiâ hominem justum cœlesti hæreditate privare; quia gratia dat jus ad hæreditatem, non autem dat actualem hæreditatis possessionem. Actualis enim glorificatio est effectus gratiæ tanquam a causâ efficiente; sed causa efficiens potest stare, quin effectus actu sequatur. Posset igitur homo justus privari actuali glorificatione; remaneret tamen in eo jus ad hæreditatem, quam connaturaliter et absque alio favore exigit gratia ex naturâ suâ; non secus, v. gr., ac si filius naturalis absque omni culpâ propriâ bonis paternis privaretur, careret quidem actuali fruitione hæreditatis, jus tamen ad eam habendam integrum in eo remaneret.

Propositio VII.

Per gratiam sanctificantem homo fit templum Spiritûs Sancti.

891. — Hominem per gratiam sanctificantem non solum Spiritus Sancti dona recipere, sed et ipsam personam Spiritus Sancti vere, physice, et substantialiter per gratiam in animâ justi speciali modo inhabitare, adeò manifeste ex SS. Scripturis eruitur, ut nullum eâ de re moveri possit dubium.

Legimus, (I Cor. VI, 19): *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo.* — (I Cor. III, 16, 17): *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* — (II Cor. VI, 16): *Vos estis templum Dei vivi sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in eis.* — Et ipse Christus Dominus Apostolos alloquens, ait, (Joan. XIV, 16, 17:) *Et ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,... apud vos manebit, et in vobis erit.*

Hanc ob causam, S. Scriptura et SS. Patres justificationem, gratiæ et caritatis infusionem, nostramque divinam filiationem, et nostram deificationem Spiritui Sancto speciali modo attribuunt. *Caritas Dei*, inquit Apostolus, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* (Rom. V, 5). — Et: *In quo* (Christo) *credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.*

S. Basilius: « Per hunc (Spiritum Sanctum) enim, *inquit*, quilibet » Sanctorum Deus est. Dictum est enim a Deo ad ipsos: Ego dixi: » dii estis, et filii Excelsi omnes... Necesse est autem ut qui diis » causa est ut dii sint, Spiritum divinum esse, et ex Deo esse; etc. » *(Cont. Eunom. L. 5. M., 29, c. 771.)*

Et *S. Athanasius:* « Gratia et donum quod in Trinitate datur, » datur a Patre per Filium in Spiritu Sancto. Nam quemadmodum » ex Patre per Filium datur gratia, ita in nobis fieri non potest doni » communicatio nisi in Spiritu Sancto. Hujus siquidem participes effecti, » Patris caritatem, Filii gratiam et ipsius Spiritus communicationem » habemus. » *(Epist. 1 ad Serap., n. 30. M., 26, c. 599).*

QUÆSITA.

892. — Quæritur I. *Utrum per gratiam Persona Spiritûs Sancti uniatur animæ modo quodam speciali, qui aliis personis SS. Trinitatis non competat?* [1]

Resp. Ratio dubitandi est, quia dum SS. Scripturæ de Patris Filiique inhabitatione in animabus justis semel vel bis tantum loquantur, inhabitationem atque mansionem Spiritûs Sancti frequentissime

[1] Cf. *Mazzella*, Disp. 5, art. 9; p. 722. - *Froget*, De l'habitation du S. Esprit dans les âmes justes, 3e Partie, ch. 1; p. 195.

commemorant. *(Cf. n. 891).* Ipsæ præterea Spiritum Sanctum exhibent tanquam *donum Dei* (Act. VIII, 20); *principium vitæ supernaturalis* (Joan. VII, 38, 39); *nostræ beatitudinis arrhabonem* (II Cor. I, 21, 22); *principium caritatis* (Rom. V, 5); *auctorem nostræ adoptionis in filios Dei* (Rom. VIII, 15); *largitorem donorum cœlestium* (I Cor. XII, 11); *fontem luminis et veritatis* (Joan. XVI, 13); etc.

Modum loquendi SS. Scripturæ imitati sunt tam SS. Patres, quam ipsa Ecclesia in suis symbolis et precibus liturgicis.

Spiritui Sancto attribuitur ergò unio quædam cum animâ justificatâ, quæ Patri et Filio eadem ratione non attribuitur. Quæritur proinde, *utrum specialis illa unio ita sit propria Spiritui Sancto, ut non sit eodem modo communis aliis personis divinis; an contrà, sit communis tribus personis, et tantum appropriata Spiritui Sancto?*

893. — *Petavius*[1], *Scheeben*[2], aliique pauci ex recentioribus docent, prædictam unionem esse propriam Spiritui Sancto, et non solum appropriatam; atque Spiritum Sanctum inhabitare animam quodam speciali modo unionis, qui aliis divinis personis non competit. Dicunt nimirum animam per gratiam uniri personæ Spiritûs Sancti secundum hypostasim, non substantialiter quidem, sed tantum accidentaliter; Patrem verò et Verbum animæ uniri propter circuminsessionem, ratione cujus fit ut ubi est una persona divina, ibi sint etiam aliæ personæ. Unio proinde animæ cum Spiritu Sancto, etsi non sit hypostatica, quia accidentalis, maximam tamen habet analogiam cum unione hypostatica. Sicut enim per unionem hypostaticam humanitas soli personæ Verbi est unita immediate, Pater tamen et Spiritus S. in Christo homine etiam existunt, non eadem ratione quâ Verbum, sed propter circuminsessionem; ita a pari, anima per gratiam soli personæ Spiritûs Sancti unitur immediate; Pater verò et Verbum ei uniuntur quasi indirecte, concomitanter, scilicet ratione solius circuminsessionis.

894. — Communissima tamen theologorum quà antiquorum quà recentiorum sententia tenet, illam specialem unionem, quam SS. Scripturæ et Patres Spiritui Sancto tribuunt, non esse propriam Spiritui Sancto, sed solum appropriatam, nullumque alium inhabitationis modum adscribi posse Spiritui Sancto, nisi communem, quo et aliæ personæ animam inhabitant. Cui sententiæ, utpote quæ sola fulciatur traditione, et sola principiis theologiæ concordet, omninò est standum.

[1] De Trinit., L. 3, cap. 4-6. — [2] La Dogmatique, L. 2, § 169.

895. — DICIMUS ERGO: 1° *Personæ Spiritûs Sancti non competit modus proprius et specialis inhabitandi animam per gratiam.*

PROB. I. **Ex S. Scriptura et Traditione.** Legimus, (Joan. XIV, 23): *Si quis diligit me,... et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Ex his verbis SS. Patres colligunt unam et eamdem esse trium divinarum personarum inhabitationem.

Ait *S. Athanasius:* « Hujus (Spiritûs Sancti) participes effecti, Patris caritatem, Filii gratiam et ipsius Spiritûs communicationem habemus. Ex his igitur una Trinitatis efficientia esse ostenditur. Nec enim diversa et divisa dari a singulis significat Apostolus, sed ea quæ dantur, in Trinitate dari, omniaque ex uno Deo esse... Spiritus a Verbo nequit dividi. Profecto cum Christus ait: *Veniemus ego et Pater*, una quoque intrat Spiritus, non alio modo quam Filius in nobis habitaturus. » *(Epist. 1 ad Serap., n. 30 et 31. M., 26, c. 599).*

S. Cyrillus Alex.: « Procedit (Spiritus S.) ineffabiliter ex Deo, et habitat in nobis, sicut et Deus unde est: proprius enim est substantiæ ejus... Ad eos autem qui adversus Filium insaniunt, illud necessario dicendum est: *Si quis me diligit, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Quid igitur, o generosi, vos dicetis, si quis hoc modo interroget, utrum duos deos in nobis habemus habitantes, patrem scilicet atque filium, an unum solummodo? Nam si aliud naturâ filius quam pater est, quomodo non duo dii in servantibus mandata habitabunt? Sin verò patre ac filio in nobis habitante, unius Dei templa sumus, qua ratione duæ personæ unus erunt Deus, si substantiæ identitas locum non habeat?... Non est ergo alienus a substantiâ Patris, qui ex eo et in eo est unigenitus, sicut in luce splendor lucis. Quare divinus etiam ille Paulus, non duorum nos deorum, sed unius templa vocavit dicens: *Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis.* Perspicis quia non deorum, sed Dei templum hominem nuncupavit, identitate substantiæ trinitatem personarum unum Deum appellans. » *(In Joan., L. 10, c. 3. Edit. in fol. Paris, 1604, Tom. 2, p. 638).*

His in verbis S. Cyrillus inhabitationem trium divinarum personarum ex identitate divinæ substantiæ repetit; proinde eumdem prorsus unionis et inhabitationis modum tribus personis assignat. Quare diserte etiam affirmat Spiritum S. nihil aliud operari in Sanctis quam quod Christus operatur: « Nec tamen aliud quicquam in sanctis Spiritus operatur, quam ipse Filius, cujus et est et appellatur Spiritus. » *(In Joan., L. 9, c. 44; p. 632).*

Similia nobis referunt alii Patres. Ait *S. Ambrosius:* « Sicut Pa» tris et Filii ita et Spiritus Sancti sumus templum, non multa tem» pla, sed unum templum, quia unius templum est potestatis. » *(De Spir. S., L. 3, c. 12, n. 91. M., 16, c. 798).*

Et *S. Augustinus:* « Dilectio quæ ex Deo est et Deus est, proprie » Spiritus Sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei » caritas, per quam tota nos inhabitat Trinitas. » *(De Trinit., L. 15, c. 18).*

896. — Prob. II. **Ex Ratione.** 1° Est axioma ab omnibus receptum et in Concilio Florentino *(Decr. pro Jacobitis)* sancitum, quod *in Deo omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio.* Ex quo principio immediate deducitur, omnes actiones Dei ad extra, omnes respectus Dei ad extra, esse communes tribus personis, solâ exceptâ unione hypostaticâ, in quâ Verbum sibi univit naturam humanam in unitatem personæ. Sed unio Spiritûs Sancti cum animâ non est hypostatica, non enim assumit animam in unitatem personæ, et Ecclesia unicam tantum agnoscit unionem hypostaticam. Unio igitur Dei cum animâ per gratiam est communis tribus personis, et eo modo quo Spiritus Sanctus animam inhabitat, eodem et Pater et Verbum eam inhabitant.

2° Juxta communem theologorum sententiam, Deus unus in essentiâ et trinus in personis est finis noster ultimus; et Beati in gloriâ Deo perfecte uniuntur eoque fruuntur non quatenus est hæc vel illa persona, sed quatenus est essentia, quæ est simul Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; atque beatificantur per visionem et fruitionem ipsius divinæ essentiæ. Jamvero gratia sanctificans est inchoativa quædam possessio finis nostri ultimi. Sicut igitur Beati per gloriam tribus divinis personis eodem modo uniuntur, et tribus personis eodem modo fruuntur, ita et in via justi per gratiam Deo uniuntur quatenus est essentia, tribusque divinis personis eodem modo fruuntur. Proinde per gratiam non initur specialis unio animæ cum aliqua divinâ personâ, sed tribus personis anima eodem modo unitur, et tres personas in se inhabitantes eodem modo possidet.

897. — Dicimus 2°: *Divina inhabitatio recte appropriatur Spiritui Sancto.*

Appropriatio est modus loquendi in re fundatus, quo quædam attributa essentialia, vel quædam operationes tribus personis communes, uni personæ divinæ præ aliis ad ejus manifestationem attribuuntur.

Fundamentum appropriationis est major similitudo quam habet attributum essentiale aut operatio essentialis cum proprio seu proprietate personali alicujus personæ. « Quamvis attributa essentialia, » *ait S. Thomas*, communia sint tribus, tamen unum secundum ratio- » nem suam magis habet similitudinem ad proprium unius personæ » quam alterius, unde illi personæ appropriari potest convenienter. » *(1 Sent., D. 31, q. 1, a. 2).*

Finis autem appropriationis est duplex: *a*) Ut personæ divinæ earumque proprietates personales nobis magis manifestentur. « Quamvis » per attributa, *ait S. Thomas*, non possimus sufficienter devenire in » propria personarum, tamen inspicimus in appropriatis aliquam si- » militudinem personarum, et ita valet talis appropriatio ad aliquam » fidei manifestationem, quamvis imperfectam. » *(Loc. cit.).* — *b*) Ut cognoscamus ex quonam divino attributo specialiter procedat hoc vel illud opus Dei ad extra. Sic, v. gr., conceptio sanctæ humanitatis Christi attribuitur Spiritui Sancto: *qui conceptus est de Spiritu Sancto*, ut intelligamus Verbi Incarnationem esse excellentissimum divinæ dilectionis opus.

898. — Jamverò, sive appropriationis fundamentum sive ejus finis inspiciatur, hominis sanctificatio divinaque inhabitatio speciali ratione debet personæ Spiritûs Sancti attribui. Etenim:

1° Solus Spiritus Sanctus hoc sibi *proprium* habet, ut vi suæ processionis sit *amor procedens, amor personalis. (Cf. S. Th., P. 1, q. 37, a. 1).* Amor proinde seu caritas, quâ nos diligimus Deum, licet in nobis producatur a tribus personis, specialem tamen habet similitudinem cum *proprio* Spiritûs Sancti, qui est amor personalis; unde et caritatis infusio Spiritui Sancto speciali modo attribui potest et debet, sicut reapse attribuitur: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* (Rom. V, 5).

Prætereà, ex eo quod caritatis infusio, hominis justificatio, et divinæ personæ inhabitatio Spiritui Sancto, amori personali, speciali modo tribuitur, nobis manifestatur hæc omnia ex summo Dei amore erga homines procedere.

2° Spiritus Sanctus vocatur *Altissimi Dei donum*, quia ipse solus vi suæ processionis procedit in ratione doni. *(Cf. S. Th., P. 1, q. 38, a. 1 et 2).* Sed habere divinas personas inhabitantes in se, est pro homine maximum Dei donum; et ideò divina inhabitatio recte attribuitur illi personæ, quæ est donum personaliter.

3° Tertia SS. Trinitatis persona speciali modo dicitur *sancta;* unde, etsi Pater et Filius sint spiritus et sint sancti, sola tamen tertia

persona vocatur *Spiritus Sanctus*. « Sanctitas, *inquit S. Thomas*, illis » rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur persona di- » vina procedit per modum amoris quo Deus amatur, convenienter » Spiritus Sanctus vocatur. » *(P. 1, q. 36, a. 1)*. Cum igitur gratia sanctificans perfecte nos in Deum ordinet, nosque sanctos constituat, ipsa similitudinem habet cum proprietate personali Spiritûs Sancti, eique recte sanctificationis infusio appropriatur.

Appropriatio igitur satis superque sufficit ad ea explicanda Scripturarum et Patrum testimonia, quibus Spiritui Sancto modo speciali attribuitur inhabitatio in animabus justis, nullaque ex eis desumi potest ratio urgens, cur, contrà communem theologorum sententiam, Spiritui Sancto attribuatur modus unionis proprius, qui aliis divinis personis non sit communis.

899. — Quæritur II. *In quo consistat ille modus, quo Deus animam justi inhabitat per gratiam?* [1]

Resp. Modus, quo Deus animam justi inhabitat per gratiam, altum est mysterium, sicut ea omnia quæ in ordine supernaturali pertinent ad actionem Dei in animam. Quamdiu igitur hac in vitâ peregrinamur a Domino, Deum in nobis habitantem habemus per gratiam; quomodò vere nos inhabitet, intime noscere non dabitur.

Verùm, etsi intimam naturam unionis Dei cum animâ non valeamus pernoscere, aliqualem tamen, præeuntibus theologis et præsertim S. Thomâ, hujus divinæ inhabitationis notitiam et quidem fructuosissimam possumus comparare.

In ordine naturali Deus triplici modo in quâlibet creaturâ adest, scilicet *per potentiam, per præsentiam* et *per essentiam*. « Deus, *inquit* » *S. Th.*, est in omnibus per potentiam, inquantum omnia ejus pote- » stati subduntur; est per præsentiam in omnibus, in quantum omnia » nuda sunt et aperta oculis ejus; est in omnibus per essentiam, in- » quantum adest omnibus ut causa essendi. » *(P. 1, q. 8, a. 3)*.

In ordine supernaturali Deus per gratiam speciali modo præsens constituitur in animâ, qui modus aliquid superaddit supra modum communem, quo adest in omnibus. Unde etsi jam in homine Deus præsens sit per potentiam, per præsentiam et per essentiam, attamen quandò homo Deum caritate diligit, Deus ad eum venire dicitur: *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*

[1] Cf. *Mazz.*, De Grat., n. 1039 et ss. - *Froget*, De l'habitation du S. Esprit, P. 2, ch. 2; p. 79.

Specialis igitur ille modus, quo Deus est in animâ per gratiam, diversus est a modo communi, quo est in omnibus rebus, et modum illum communem essentiali perfectione superat. Quid autem sit illa specialis unio Dei cum animâ, et in quo consistit, en punctum difficultatis.

900. — Docent igitur aliqui, Deum, sicut est in omnibus rebus modo communi, quia in omnibus tanquam causa producit et conservat esse naturale, illudque ad agendum movet, ita esse novo modo præsentem in justis, quia in eis novos effectus supernaturales producit, producendo scilicet et conservando in eis gratiam sanctificantem, eosque ad opera salutaria movendo. Cum enim essentia Dei cum suâ operatione identificetur, ubi est nova et specialis operatio, ibi etiam Deus tanquam causa novo et speciali modo præsens sistitur.

Vera quidem proferunt hujus sententiæ patroni; quia, ut docet *S. Thomas, (P. 1, q. 43, a. 3),* Spiritus S. non inhabitat animam nec mittitur ad eam nisi per donum gratiæ gratum facientis; specialem tamen illam atque superiorem unionem, quâ Deus animæ unitur per gratiam, non explicant. Si enim Spiritus S. præsens esse dicitur in animâ quia ibi producit gratiam, est in eâ tanquam *causa efficiens in effectu,* et ille modus non est essentialiter diversus a modo communi per potentiam, nec ipsum essentiali perfectione superat. — *Præterea,* etiam in peccatoribus Spiritus S. operatur effectus supernaturales, producendo in illis gratias actuales, conservandoque in multis fidem infusam et spem; ac proinde etiam ratione horum effectuum Spiritus S. deberet dici habitare in peccatoribus modo speciali; quod tamen ab omnibus negatur. — Ista igitur dicendi ratio non sufficit ad divinam inhabitationem explanandam.

901. — Alii proinde dicunt, Deum affective modo speciali uniri justis, sicut amicus amico, aut pater filio; eosque tanquam objectum specialiter dilectum peculiari providentiâ protegere ac tueri.

Non negamus utique Deum ergà justos specialem fovere affectionem, eosque, tanquam amicos speciali benevolentiâ dignos, peculiari providentiâ protegere ac tueri. Verùm, hæc unio Dei cum animâ unionem affectivam non supergreditur; tum contrà, per gratiam divina persona vere, physice, substantialiter novo modo præsens sistitur in animâ. « In ipso dono gratiæ gratum facientis, *ait S. Th.*, Spiritus » Sanctus habetur et inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus San» ctus datur et mittitur. » *(P. 1, q. 43, a. 3).* — Et: « Per donum gratiæ » gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc quod libere » non solum ipso dono creato utatur, sed ut ipsâ divinâ personâ

» fruatur. Et ideò missio invisibilis fit secundum donum gratiæ gra-» tum facientis; et tamen ipsa persona divina datur.» *(Loc. cit., ad 1).*

902. — Hisce igitur rejectis explicationibus, asserimus cum Doctore Angelico, specialem illum modum, quo Deus vere et substantialiter animam justam inhabitat, in eo consistere quod Deus sit in eâ sicut *cognitum in cognoscente* et *amatum in amante;* seu, aliis verbis, quod justi supernaturali suâ operatione Deum immediate attingunt, ipsumque per eam in se possident sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante.

« Est unus communis modus, *ait S. Thomas*, quo Deus est in omnibus » rebus, per essentiam, potentiam, et præsentiam, sicut causa in effecti-» bus participantibus bonitatem ipsius. Super istum autem modum com-» munem est unus specialis, qui convenit naturæ rationali, in qua Deus » dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante. Et » quia cognoscendo et amando, creatura rationalis sua operatione » attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus » non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in » ea sicut in templo suo. Sic igitur, nullus alius effectus potest esse » ratio quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi » gratia gratum faciens.» *(P. 1, q. 43, a. 3).*

Et: « Licet Deus in omnibus rebus dicatur esse per præsentiam, » potentiam et essentiam, non tamen dicitur in eis inhabitare, sed in » solis sanctis per gratiam. Cujus ratio est, quia Deus est in omnibus » rebus per suam actionem inquantum conjungit se eis, ut dans esse » et conservans in esse; in Sanctis autem est per ipsorum sanctorum » operationem, quâ attingunt ad Deum et quodammodo comprehen-» dunt ipsum, quæ est diligere et cognoscere, nam diligens et cogno-» scens dicitur in se habere cognita et dilecta.» *(In II Cor., VI, lect. 3. — Cf. etiam P. 1, q. 8, a. 3; I Sent., Dist. 37, q. 1, a. 2).*

903. — Ad hanc D. Thomæ sententiam intelligendam, recolendum est: *a*) gratiam essentialiter non differre a gloriâ, sed esse ejusdem inchoationem. « Gratia et gloria, *inquit Angelicus*, ad idem genus refe-» runtur; quia gratia nihil est aliud quam inchoatio gloriæ in nobis » *(2.2, q. 24, a. 3, ad 2). b*) nec inhabitationem Dei per gratiam in Sanctis differre essentialiter ab ejusdem inhabitatione in Beatis per gloriam. « Hæc autem mira conjunctio, *ait Leo XIII*, quæ suo nomine *inha-» bitatio* dicitur, conditione tantum seu statu ab ea discrepat, quâ cœ-

» lites Deus beando complectitur. » *(Encycl. Divinum illud munus)* [1]. In terris hæc inhabitatio est inchoata et imperfecta; in cœlis est consummata et perfecta; sed utraque ejusdem speciei. Proinde ad intelligendum, saltem aliquatenus, quomodo Deus a justis speciali modo vere et substantialiter possideatur ut cognitum et amatum, considerare sufficit quomodo suâ operatione Beati in cœlis Deum vere et substantialiter possideant ut cognitum in cognoscente, et amatum in amante.

De fide est, Beatos in cœlis divinam essentiam visione intuitivâ et faciali videre, atque eâdem divinâ essentiâ perfrui, et tali visione et fruitione esse perfecte beatos. « Auctoritate apostolicâ definimus, » *ait Benedictus XII*, quod omnes Beati... vident divinam essentiam » visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ra» tione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se » nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes eadem » divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et frui» tione eorum animæ, qui jam decesserunt, sunt vere beatæ, et ha» bent vitam et requiem æternam. » *(Constit.* Benedictus Deus, *an. 1336)*. Jamvero :

a) Consentientibus philosophis, ut intellectus rem aliquam intelligere queat, intima requiritur unio intellectum inter et rem cognitam: omne enim cognitum est in cognoscente. Exinde necessitas specierum impressarum, quibus mediantibus res cognita, quæ non potest per suam substantiam immediate uniri intellectui, ei uniatur in esse intelligibili. Cum autem, ut docet *S. Thomas (P. 1, q. 12, a. 2)* cum communi theologorum sententiâ, nulla possit de Deo dari species impressa quæ ipsum repræsentet, necesse est ad hoc ut a Beatis videatur, ipsam divinam essentiam immediate et per se uniri eorum intellectui, atque in eo existere ut cognitum in cognoscente. Et ita Beati vere, realiter et substantialiter possident in suo intellectu ipsam divinam essentiam, hæcque eis vere et realiter unitur ut cognitum cognoscenti; et sic verificatur, quomodo Beati suâ operatione intellectuali attingant ipsum Deum, eumque in se vere existentem possideant.

b) Si Beati Deum in suo intellectu possident, ipsum etiam non minus perfecte in suâ voluntate vere et substantialiter possident sicut amatum in amante. Videntes Deum intuitive, Beati ipsum cognoscunt

[1] Cf. *S. Bonavent.*, In 2 Sent., a. 1, q. 3; p. 659. - *Marcellus*, Summa S. Bonaventuræ, Tract. 10, disp. 2, q. 3, T. 1; p. 512.

tanquam bonum undequaque perfectum et finem suum ultimum, et quà tale ipsum necessariò amant: quamlibet enim cognitionem sequitur proportionata inclinatio. Sed amor tendit ad unionem, ut delectetur in objecto realiter possesso. Cum igitur Beati, sicut definivit Benedictus XII, in Deo viso perfruantur divinâ essentiâ, et ex tali fruitione sint perfecte beati, sequitur, Beatos in suâ voluntate Deum vere et substantialiter præsentem possidere: de bono enim adhuc absente non datur fruitio perfecta, nec delectatio completa. Voluntas igitur Beatorum operatione suâ Deum attingit, ipsumque per eam possidet vere et realiter ut amatum in amante.

Præterea, caritas est amor amicitiæ. Amicitia autem expostulat, ut amici uniantur non solum per conformitatem affectuum, sed etiam, quoad fieri potest, per inseparabilem præsentiam et conjunctionem. Cum igitur in cœlis amicitia sit perfecta et consummata, intimissimam expostulat unionem Deum inter et Beatum, facitque ut Deus sit vere et substantialiter præsens in suis amicis ut amatum in amante.

c) Perfecta igitur illa inhabitatio, quâ Deus sanctos in cœlis inhabitat, et quâ Beati Deum perfecte possident, in eo consistit quod divina essentia a Beatis possideatur ut intime cognita et amata; unde et beatitudo formalis dicitur consistere in operatione intellectûs et voluntatis, quâ Beati Deum, finem suum ultimum, attingunt, et Deum in se præsentem possident.

Cum igitur, ut ait *Leo XIII*, inhabitatio Dei in viatoribus non differat essentiâ, sed tantum conditione seu statu, ab inhabitatione Dei in comprehensoribus. cumque, sicut ait *S. Thomas*, gratia sit inchoatio gloriæ, dicendum est, gratiam facere initialiter et inchoative quod gloria facit perfective et consummative; ac proinde, sicut gloria facit Deum inhabitare Beatos ut cognitum in cognoscente et amatum in amante, ita et gratia facit inchoative Deum vere et substantialiter inhabitare justos ut cognitum in cognoscente et amatum in amante.

Exinde perspicere etiam licet, quomodo divina persona detur homini ad fruitionem, homoque per gratiam non solis Dei donis, sed ipsâ divinâ personâ frui possit, sicut sæpius affirmat *D. Thomas*. « Illud solum habere dicimur, *inquit*, quo libere possumus uti, vel frui. » Habere autem potestatem fruendi divinâ personâ, est solum secun» dum gratiam gratum facientem. » *(P. 1, q. 43, a. 3)*. Et in *resp. ad 1*, addit: « Per donum gratiæ gratum facientis, perficitur creatura ra» tionalis ad hoc, quod libere non solum ipso dono creato utatur, sed » ut ipsâ divinâ personâ fruatur. »

Sicut enim Beati in cœlis, Deum in se possidendo, divinâ personâ perfruuntur, et summâ beatitudine delectantur, ita etiam justi in terris, attingendo Deum per fidem caritate informatam ipsumque in se possidendo, habent de Deo notitiam quamdam experimentalem, quâ aliquatenus persentiunt Deum esse in se præsentem; et ex hac divinâ præsentiâ supernaturalem quamdam gustant dulcedinem, juxtà illud (Rom. VIII, 16): *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei.* — Et (Ps. 33, 9): *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* Hæc sola inter cœlites et justos in terris viget differentia, quod illi Deo perfecte fruuntur; hi verò tantum imperfecte, et ideò intrà se gemunt, ut ait Apostolus (Rom. VIII, 23) adoptionem filiorum exspectantes. « Persona divina, *ait S. Th.*, non potest haberi a » nobis nisi vel ad fructum perfectum, et sic habetur per donum glo- » riæ; aut secundum fructum imperfectum, et sic habetur per donum » gratiæ gratum facientis. » *(In I Sent., Dist. 14, q. 2, a. 2).*

SECTIO SECUNDA.

DE JUSTIFICATIONE.

PRÆNOTANDA.

904. — Quantum bonum sit gratia sanctificans, quâ homo jam in hâc vitâ mortali Deum in se inhabitantem possidet, ac quodam cœlestis beatitudinis fruitur initio, in superiore sectione vidimus. Sed ad quid valeret tanti thesauri speculativa notitia, nisi simul viam nosceremus illum tam nobis quam aliis procurandi? Inquirendum igitur etiam est quânam ratione homo, a Deo per peccatum separatus, gratiam sanctificantem sibi valeat comparare: quod in hâc alterâ fiet sectione, in quâ agitur de gratiæ acquisitione, seu de Justificatione.

905. — **Nominis significatio.** — Nomen *justificatio* a justitiâ desumitur, non quidem ab illâ justitiâ, quæ ponitur virtus cardinalis, quæque hominem inclinat ad reddendum alteri quod suum est; sed ab illâ justitiâ, quæ denotat interiorem hominis rectitudinem in ordine ad Deum finem nostrum supernaturalem, quæque etiam vocatur *sanctitas*, de quâ intelligitur illud, (Matth. I, 19): *Joseph autem, vir ejus, cum esset justus.* Justificatio igitur, vi etymologiæ, idem sonat ac *justum seu sanctum facere.*

In SS. Scripturis justificationis nomen multiplici in sensu accipitur.

1° Aliquando sumitur pro ipsâ lege divinâ, sicut in Ps. 118 pluries contingit, v. gr.: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas... Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque.*

2° Aliquando accipitur pro declaratione judiciariâ, quâ judex in foro externo aliquem declarat et pronuntiat innocentem. Quo sensu legimus, (Is. V, 23): *Qui justificatis impium pro muneribus.* — Et (Prov. XVII, 15): *Qui justificat impium et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* Hæc vocatur *justificatio forensis.*

3° Aliquando usurpatur pro acquisitione interioris justitiæ et sanctitatis, quâ coram Deo justificamur, atque justi et sancti, filiique Dei adoptivi constituimur. De quâ intelliguntur verba Apostoli,

(Rom. III, 24): *Justificati gratis per gratiam ipsius.* — (IV, 5): *Credenti autem in eum qui justificat impium.*

Hæc justificatio duplici modo fieri potest: *a*) Vel per modum simplicis mutationis seu generationis spiritualis, et est transitus de non esse gratiæ ad esse gratiæ, ita ut terminus ad quem sit gratiæ acquisitio, terminus verò a quo sit simplex carentia gratiæ. Hâc justificati sunt Angeli, Adamus innocens, B. Virgo Maria, qui a peccatis liberi, gratiam tamen a naturâ non habuerunt, sed unà cum naturâ acceperunt. *b*) Vel per modum motûs de contrario in contrarium, quæ est justificatio peccatoris. Est transitus de statu peccati ad statum justitiæ; terminus *a quo* est status peccati; terminus *ad quem* est gratiæ acquisitio et interioris hominis renovatio. Hujus meminit Apostolus dicens, (I Cor. VI, 11): *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi.*

Vocatur hic transitus *justificatio* a termino *ad quem.* « Et quia » motus, *inquit S. Thomas,* denominatur magis a termino *ad quem,* » quam a termino *a quo,* ideo hujusmodi transmutatio, qua aliquis » transmutatur a statu injustitiæ ad statum justitiæ per remissionem » peccati, sortitur nomen a termino *ad quem,* et vocatur *justificatio* » *impii.* » *(1. 2, q. 113, a. 5).* — Vocatur etiam justificatio *prima.*

4° Demum nomen *justificatio* aliquando sumitur pro incremento justitiæ, et vocatur justificatio *secunda.* De quâ dicitur, (Apoc. XXII, 11): *Qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus, sanctificetur adhuc.*

906. — Definitio. — Justificatio, de quâ in præsenti sectione agetur, est justificatio sumpta in tertiâ acceptione, de quâ supra; et quidem justificatio, quatenus innuit motum de contrario in contrarium, a statu scilicet peccati in statum gratiæ.

Definitur a Tridentino, Sess. VI, cap. 4: *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per Jesum Christum Salvatorem nostrum.* Quæ definitio ex modo dictis pervia est.

Quum autem justificatio peccatoris a solo Deo tanquam a causâ principali effici valeat, quippe qui solus potest dare gratiam et remittere peccatum, ipsaque gratia recipiatur a peccatore tanquam forma inhærens in ejus animâ, ideò justificatio hæc apte dividitur in *activam* et *passivam. Active* considerata, justificatio est ipsa actio, quâ Deus creaturam intellectualem de statu peccati ad statum gratiæ transfert; de quâ loquitur Apostolus dicens, (Rom. VIII, 30): *Quos vocavit, hos et justificavit.* — *Passive* accepta, justificatio est ipsa justi-

tiæ receptio, secundum illud, (Rom. III, 24): *Justificati gratis per gratiam ipsius.*

Divisio hujus Sectionis. — Justificatio considerari potest vel quoad suam naturam; vel quoad dispositiones, quibus homo ad gratiæ consecutionem sese præparare debet; vel demum quoad suas proprietates. Agemus proinde:

In **CAP. I.** De Naturâ Justificationis.

In **CAP. II.** De Dispositionibus ad Justificationem requisitis.

In **CAP. III.** De proprietatibus Justificationis.

CAPUT I.

DE JUSTIFICATIONIS NATURA.

907. — In naturam justificationis peccant speciatim Calvinistæ et Lutherani. Vestigia prementes Calvini, *(Instit., L. 3, cap. 2)*, et Lutheri, *(prop. 2ª damnata a Leone X. Denz. n. 626)*, non aliam agnoscunt peccatoris justificationem nisi forensem, quæ scilicet est nuda externa declaratio, hominem a Deo teneri tanquam justum. Docent proinde, in peccatoris justificatione nihil homini intrinsece infundi, quo formaliter justus constituatur et a statu peccati in statum gratiæ reapse transferatur; nec peccata realiter expelli ab animâ, sed tantum tegi, aut radi, aut non imputari ad pœnam, propter externam imputationem justitiæ Christi, quam homo sibi per fidem appropriat, et quâ sua peccata tanquam pallio teguntur, ita ut non amplius videantur.

Docet autem fides catholica, in peccatoris justificatione gratiam sanctificantem infundi intrinsece homini per modum formæ permanenter inhærentis, quâ formaliter sanctus efficitur; atque omnia peccata mortalia non tantum tegi, sed expelli; non radi, sed penitus eradicari; non solum non imputari, sed radicitus deleri quoad reatum culpæ.

Gratiam in justificatione reapse infundi, justitiamque esse aliquid homini intrinsece inhærens, supra satis jam est probatum. *(Cf. n. 761 et seq.)*. Restat igitur solum ut probetur, peccata mortalia in justificatione penitus ab animâ auferri. Dicitur peccata *mortalia;* hæc quippe

sola gratiæ directe opponuntur; venialia enim utpote fervori caritatis, non autem ipsi caritati opposita, unà cum gratiâ sanctificante stare possunt in animâ.

Propositio.

In justificatione impii peccata vere remittuntur, et prorsus delentur[1].

908. — Prop. est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. V, can. 5*: « Si quis » per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate con- » fertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non » tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet; sed » illud dicit tantum radi, aut non imputari. A. S. In renatis enim » nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis qui vere consepulti » sunt cum Christo per baptisma in mortem. » — Et *Sess. VI, cap. 7*, legimus quod *vere justi nominamur et sumus.* — Quod autem dicitur de justificatione factâ in baptismo, valet etiam de justificatione a peccatis actualibus in pœnitentiæ sacramento collatâ, aut per caritatem perfectam obtentâ: utraque enim justificatio est ejusdem speciei.

909. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Probatur propositio innumeris Scripturæ tam Novi quam Vet. Testamenti testimoniis, ex quibus aliqua seligere sat erit.

1° Ex textibus, in quibus aperte affirmatur peccata deleri, auferri, remitti. Legimus (Ps. L, 1 et 11): *Dele iniquitatem meam... Omnes iniquitates meas dele.* — (Is. XLIII, 25): *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* — (Act. III, 19): *Pœnitemini igitur..., ut deleantur peccata vestra.* — (Mich. VII, 18): *Quis, Deus, similis tui, qui aufers iniquitatem.* — (Joan. I, 29): *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* — (Joan. XX, 23): *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* — (I Joan. I, 9): *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* Jamverò, quod deletur, aufertur, remittitur, non amplius existit. In justificatione igitur peccata non solum teguntur, raduntur, aut non imputantur, sed penitus ab animâ exstirpantur et radicitus quoad reatum culpæ evelluntur.

2° Ex textibus, in quibus anima per gratiam dicitur mundata, abluta, lota, dealbata, sanctificata, a peccatis liberata. (Ps. L, 9):

[1] Cf. *S. Alph.*, Hist. hær., Conf. XI, a. 4. - *Becanus*, De Grat. habit., c. 1; p. 371. - *Frassen*, Disp. 3, a. 2, q. 1; p. 313. - *Gibbon*, Disp. 37, dub. 1; p. 467. - *Valentia*, Disp. 8, q. 5, punct. 5; p. 1140.

Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. — (I Cor. VI, 11): *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* — (Rom. VI, 22): *Nunc verò liberati a peccato, servi autem facti Deo.....* — (I Joan. I, 7): *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Si autem in justificatione peccata penitus non delerentur, sed tantum tegerentur, quomodo vera possent esse hæc testimonia? Confitendum est igitur, peccata nullatenus remanere in animâ, sed prorsus auferri.

3° Ex textibus, in quibus homo dicitur immaculatus, immaculatus in conspectu Dei. (Ps. CXVIII, 1): *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* — (Eph. I, 4): *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate.* — (II Petr. III, 14): *Satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace.* Si igitur homo justus est immaculatus in conspectu Domini, qui omnia cernit, nullam amplius in se possidet maculam peccati. Peccatum igitur ab eo est penitus ablatum.

910. — Prob. II. **Ex Traditione.** Unanimiter docent SS. Patres, in baptismate et pœnitentiâ peccata penitus auferri.

Ait *S. Cyprianus:* « Undæ genitalis auxilio, superioris ævi labe » detersa, in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen » infudit. » *(Lib. 2, Epist. 1, n. 4, M., 4, c. 200).*

S. Augustinus: « Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam » peccatorum, et auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite » capillorum, unde crescant iterum, resecanda peccata. » *(Lib. 1, contr. duas Epist. Pelag., c. 13. M., 44, c. 562).*

S. Gregorius: « Qui ergo dicit, peccata in baptismate funditus » non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. » Si autem fateatur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est » peccata in baptismate funditus mori.... In Evangelio Dominus dicit: » *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* » Si igitur peccata in baptismate funditus minime dimittuntur, quo» modo is qui lotus est, mundus est totus? totus enim mundus dici » non potest, cui de peccato aliquid remansit. » *(Lib. 11, Epist. 45. M., 77, c. 1162).*

911. — Prob. III. **Ex Ratione.** 1° Si in justificatione peccata tantum tegerentur, aut solum non imputarentur ad pœnam, non autem vere tollerentur, sequeretur Deum justificatos amare simul et odio habere. Ipsos amaret quidem, quia ut supra vidimus (n. 875), justificatio veram inducit amicitiam Deum inter et hominem. — Eos odio

haberet, quia: *Odio sunt Deo impius et impietas ejus* (Sap. XIV, 9); peccatum enim in animâ vere remanens, licet tectum et non imputatum, est tamen verum peccatum, vera impietas; et quamdiu remanet, homo remanet peccator et impius, ac proinde objectum divini odii. Atqui prorsus fieri nequit ut Deus aliquem secundum idem diligat et odio habeat. Ergo vel peccata vere tolluntur, vel nulla prorsus datur justificatio.

Neque dici potest justificatos, etsi peccata in eis vere remaneant, a Deo tamen propter justitiam Christi, quâ vestiuntur, vere diligi: siquidem, non obstante hac extrinsecâ imputatione justitiæ Christi, peccatum et a Deo semper cernitur, nam: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*, (Hebr. IV, 13), et Deus illud necessariò detestatur sicut et ipsum peccatorem.

« Deus, *inquit S. Alphonsus*, ex veritate judicat. *Judicium Dei* » *est secundum veritatem.* (Rom. II, 2). Quomodo autem ex veritate » judicaret Deus, si eum, qui reverâ noxius esset, pro innoxio haberet? » Ea sunt Calvini mysteria, quæ ingenii nostri modum superant. Nos » vero legimus: *Odio sunt Deo impius et impietas ejus* (Sap. XIV, 9). » Si Deus odio habet peccatorem ob peccatum, quod in eo dominatur, » quomodo potest idcirco eum diligere tanquam filium, quia, etiamsi » peccator remaneat, Christi justitiâ tegatur? Peccatum naturâ suâ » adversatur Deo; ac proinde, donec aufertur, fieri non potest, quin » Deus odio habeat et ipsum peccatum et peccatorem, qui illud reti- » neat. » *(Hist. hær., P. 2; Conf. 11, n. 31. T. 2, p. 422).*

2° Si in justificatione peccata non vere et realiter delerentur, dicendum foret: vel nullum justificatum cœlum esse ingressurum, quod aperte falsum est; vel aliquid coinquinatum in sanctam civitatem Jerusalem intrare posse, quod pariter est contra fidem, teste Apoc. XXI, 27: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Admittendum igitur est, peccata in justificatione vere deleri et prorsus auferri.

3° Justificatio, ut ait Tridentinum, *Sess. VI, cap. 7*, « non est » sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris » hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. » In justificatione igitur infunditur homini gratia sanctificans, donum scilicet supernaturale animæ permanenter inhærens. *(Cf. n. 762 et ss).* Atqui, tanta est inter peccatum mortale et gratiam habitualem repugnantia, sive ex solâ extrinsecâ Dei ordinatione, prout volunt Scotistæ, sive ex intrinsecâ gratiæ naturâ, prout volunt alii, ut, saltem in præsenti providentiâ, absolute fieri nequeat ea simul existere in eâdem animâ.

Ergo, quia in justificatione infunditur gratia, peccatum non solum tegitur aut non imputatur, sed prorsus eradicatur et deletur.

912. — **Objiciunt** Calvinistæ verba Apostoli, (Rom. IV, 7, 8 ex Ps. XXXI, 1, 2): *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Hæc tria vocabula *remitti, tegi, non imputari,* inquiunt, posita sunt ad idem significandum. Proinde peccata remitti a Deo est idem ac peccata tegi, ita ut non amplius appareant in conspectu Dei ; et peccata tegi, est idem ac ea non imputari ad pœnam. Ergo in justificatione peccata non vere auferuntur, sed tantum teguntur et non imputantur.

Respondetur: Duplex datur peccatorum tectio: una scilicet, quâ ita teguntur ut tamen remaneant, sed solum non appareant; altera quâ ita teguntur, ut simul omninò tollantur. Desumpta est hæc metaphora ab ulcere corporali, quod duplici modo tegi potest: vel ab ipso ægroto, vulnus solùm occultando ita ut non appareat; vel a medico ulcus cooperiendo emplastro, ita ut occultetur simul et sanetur ac auferatur. Hâc secundâ tectione teguntur peccata in justificatione; proinde peccata tegi est idem ac ea vere remitti et deleri: cum enim oculis Dei omnia nuda sint et aperta, quod tegitur ita ut ab ipso non amplius videatur, prorsus jam non existit.

Apposite *S. Augustinus:* « Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita » sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, » noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; si » noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. *Beati quorum* » *remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Nec sic intel- » ligatis quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant... » Deus tegat vulnera; noli tu. Nam si tu tegere volueris erubescens, » medicus non curabit. Medicus tegat, et curet; emplastro enim tegit. » Sub tegmine medici sanatur vulnus; sub tegmine vulnerati celatur » vulnus. Cui celas? Qui novit omnia. » *(In Ps. 31, Enar. 2, n. 9 et 12. M., 36, c. 264 et 266).*

Licet verò hæc tria: *remitti, tegi, non imputari,* pro eodem sumi possint, non frustra tamen Psalmista tribus hisce vocabulis usus est, ad diversos scilicet effectus, qui in justificatione contingunt, denotandos. « At cur (Apostolus) utitur tot vocabulis? *inquit Becanus.* » Quia in peccato tria spectari possunt. Primò, quod sit offensa Dei. » Secundo, quod sit macula et fœditas animæ. Tertio, quod annexum » habeat reatum pœnæ æternæ. Beatus ergo est, cui offensa a Deo

» remittitur, cujus macula et fœditas tegitur, cui reatus æternæ pœnæ » non imputatur. » (*De Grat. hab., c. 1, n. 21; p. 374).*

QUÆSITA.

913. — Quæritur I. *Utrum gratia sanctificans ex naturâ suâ peccatum physice expellat, vel solum ex extrinsecâ Dei ordinatione.*

Respondeo: Plures adsunt hac de re sententiæ. Duas celebriores referre sat erit.

Prima sententia est Scoti, *(In 4. Sent., D. 16, q. 2)*, totiusque scholæ scotisticæ et aliorum quorumdam extraneorum. Docet, gratiam non adversari peccato ex naturâ suâ; proinde gratiam vi suæ naturæ non expellere peccatum, sed indigere extrinsecâ Dei ordinatione, quâ Deus decrevit se, ad positionem gratiæ, peccatum ab animâ esse ablaturum. Igitur præter actum infundendi gratiam, alius ex parte Dei requiritur actus, actus scilicet peccati condonativus [1]. *(Cf. dicta n. 884).*

Secunda sententia est Thomistarum et majoris partis theologorum. Docet, gratiam ex naturâ suâ opponi peccato mortali; proinde, secluso omni extrinseco favore aut ordinatione Dei, gratiam per se, vi suâ, ex ipsamet suâ naturâ, peccatum physice et immediate delere, atque ex parte Dei nullum alium requiri actum præter actum infundendi gratiam [2].

914. — Secundæ huic sententiæ, tanquam multo probabiliori, subscribendum esse censemus. Etenim:

1° *Hæc est sententia D. Thomæ*, qui, *2. 2, q. 24, a. 10*, docet peccatum mortale caritatem totaliter corrumpere *effective*, quia omne peccatum mortale contrariatur caritati, et *meritorie*. Sed sicut peccatum mortale per se corrumpit caritatem, quia ei contrariatur, ita a pari caritas per se expellit peccatum ut sibi contrarium.

Præterea, *De Verit., q. 28, a. 7, ad 4 et 5*, docet gratiam expellere culpam *formaliter*. Quod autem suum oppositum formaliter expel-

[1] Cf. *Brancatus a Laurea*, Disp. 18, art. 12, § 1; p. 402. - *Frassen*, Disp. 3, a. 2, q. 3; p. 319. - *Panger*, Disp. 4, de justif., q. 1; p. 529. - *Dupasquier*, Disp. 4, q. 6, concl. 1; p. 202. - *Tanner*, Q. 5, dub. 3; p. 1334. - *De Rhodes*, Disp. 3, q. 1, sect. 3, § 2; p. 496. — [2] Cf. *S. Thomas*, 2. 2, q. 24, a. 10. - *Paulus a Concept.*, Tr. 14, disp. 1, dub. 2, § 1; p. 225. - *Wenzl*, Contr. 6, q. 2; p. 177. - *Salmant.*, Tr. 15, disp. 2, dub. 1, § 3. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 13, q. 7; p. 316. - *Gibbon*, Disp. 37, dub. 2; p. 476. - *Gotti*, De Justif., q. 1, dub. 7; p. 227. - *Mæratius*, Disp. 9; p. 122. - *Becanus*, De Gr. hab., cap. 3, q. 5; p. 389. - *Mazzella*, Disp. 5, a. 6, n. 988. - *Schiffini*, Disp. 3, sect. 6, n. 177; p. 283. - *Vasquez*, Disp. 204.

lit, illud per se, immediate, et non ratione tantum alicujus adjuncti extranei expellit, ut patet de luce relate ad tenebras, aut de vitâ relate ad mortem. Igitur, juxtà Angelicum, gratia ratione sui, non autem ratione extrinsecæ divinæ ordinationis, peccatum expellit.

2° In SS. Scripturis tanta statuitur oppositio inter gratiam et peccatum, quanta adest inter lucem et tenebras, inter vitam et mortem. Legimus, (Eph, III, 8): *Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* — (II Cor. VI, 14): *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras?* — (Rom. VI, 3): *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Sed inter lucem et tenebras, inter vitam et mortem adest oppositio formalis; proinde sicut lux per se ex naturâ suâ expellit tenebras, et vita per se destruit mortem, ita et gratia ex naturâ suâ destruit peccatum.

3° Hæc secunda sententia *conformior est doctrinæ a Tridentino traditæ.*

a) Docet Tridentinum, per gratiam, quæ in baptismo confertur, tolli totum id, quod veram et proprie dictam peccati rationem habet. *(Sess. V, can. 5).* Sed particula *per* denotat causam formalem, quæ per se oppositam formam destruit. — *Præterea*, si gratia vi suâ peccatum non tolleret, sed potius Deus ad præsentiam gratiæ, jam non recte dici posset gratiam esse per quam peccatum tollitur, sed Deus ipse dici deberet tollere peccatum.

b) Juxta Tridentinum, *Sess. VI, cap. 7,* « justificatio non est » sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris » hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. » — Et paulò post addit Concilium, hujus justificationis unicam causam formalem esse justitiam nobis inhærentem, quâ Deus nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus.

Jamverò, si gratia vi suâ peccatum non expelleret, sed extrinseco Dei favore indigeret, non foret unica causa formalis justificationis, sed causa adæquata coalesceret ex gratiâ simul et extrinseco favore Dei; sicut, v. gr., valor monetæ integratur tam ex internâ metalli dignitate, quam ex extrinsecâ principis ordinatione.

Præterea, si gratia ad expellendum peccatum indigeret extrinsecâ Dei ordinatione, ipsa jam nullatenus dici posset causa formalis, ne inadæquata quidem, justificationis. Effectus enim formalis ille est, qui

ex naturâ rei connectitur cum causâ formali, seu potius, est ipsa causa formalis ut communicata, sicut patet de animâ relate ad vitam corporis. Si igitur gratia suâ solâ præsentiâ peccatum non expelleret, sed id præstaret unice ratione divinæ ordinationis, jam non posset dici causa formalis; sicut, v. gr., si anima infusa corpori illud non vivificaret immediate et per se, sed solus Deus ad præsentiam animæ vivificaret corpus, anima jam non posset dici causa formalis vitæ.

c) Juxta Tridentinum, justificatio est translatio a statu peccati in statum gratiæ. *(Sess. VI, cap. 4).* Forma igitur quæ acquiritur in justificatione, est gratia. Sed in omni motu de contrario in contrarium, terminus *ad quem* per se formaliter excludit terminum *a quo*. Ergo ex ipsâ justificationis definitione traditâ a Tridentino manifestatur, gratiam per se, suâ naturâ, expellere immediate peccatum mortale. Unde meritò scribere potuit *Vasquez:* « Recentiores theologos multò magis » miratus sum, quod post præclaram Concilii Tridentini definitionem, » tam exilem justitiam inhærentem justis concesserint, ut ex se non » habeat virtutem tergendi maculas peccatorum, neque eas purgare » valeat, nisi favore et condonatione Dei relaxentur. » *(Disp. 204, cap. 2, p. 676).*

915. — Quæritur II. *Utrum de potentiâ Dei absolutâ gratia et peccatum mortale possint in animâ coexistere?* [1]

Resp. Hæc quæstio cum superiori intime connectitur. Qui enim docent cum Scoto, gratiam non expellere peccatum vi suæ naturæ, sed tantum propter extrinsecam Dei dispensationem, generatim etiam docent, gratiam et peccatum de potentiâ Dei absolutâ posse coexistere. Cum enim ex parte Dei, præter actum infundendi gratiam, requiratur etiam specialis actus condonativus peccati, nihil prohibet quominus Deus infundat gratiam, quin habeat actum condonativum peccati; quo in casu gratia infunderetur, et peccatum tamen ex animâ non expelleretur.

Qui verò cum Thomistis docent, gratiam suâpte naturâ peccatum expellere, generatim etiam docent omninò implicare, ac consequenter ne de potentiâ quidem absolutâ Dei fieri posse, ut peccatum et gratia in eâdem coexistant animâ. Cui opinioni, tanquam multò probabiliori et gratiæ Dei digniori, adhærendum esse censemus. Etenim:

1° Implicat intrinsece, ac proinde ne de potentiâ quidem Dei absolutâ fieri potest, ut ea quæ sunt sibi opposita privativè, in eodem

[1] Cf. præsertim *Salmant.*, Disp. 2, dub. 4. - *Gonet,* De Justif., disp. 1, a. 5, p. 26.

subjecto simul coexistant; aut ut privationes non removeantur, quando adveniunt perfectiones oppositæ. Sic v. gr., quia mors est privatio vitæ, implicat, aliquem esse simul vivum et mortuum; aut quia cæcitas est privatio visûs, implicat, aliquem habere simul cæcitatem et visum. Atqui peccatum habituale (seu macula peccati) est privative oppositum gratiæ, cum sit voluntaria privatio gratiæ orta sive ex peccato Adæ, si agitur de peccato originali, sive ex malo actu præcedente, si agitur de peccato personali. Ergo implicat intrinsece, peccatum habituale non auferri per infusionem gratiæ; ac proinde nec de potentiâ Dei absolutâ fieri potest, ut gratia et peccatum coexistant.

2° Ubi duæ formæ sibi oppositæ habent effectus formales ita contradictorie sibi oppositos, ut implicet effectum unius stare cum effectu alterius, ibi etiam implicat ipsas formas coexistere. *Ratio:* quia effectus formales sunt ipsæ formæ ut communicatæ. Atqui effectus formales gratiæ ita contradictorie opponuntur effectibus peccati, ut implicet eos simul coexistere; sed unus effectus petit necessariò exclusionem alterius sibi oppositi. Ergo implicat etiam, gratiam et peccatum coexistere posse; proinde nec de potentiâ Dei absolutâ possent in eodem subjecto inveniri.

Minor probatur: Effectus formales gratiæ sunt: hominem fieri participem divinæ naturæ, esse justum, sanctum, immaculatum, objectum divini amoris, filium Dei adoptivum, hæredem vitæ æternæ, etc. — Effectus verò formales peccati sunt: hominem esse injustum, maculatum, objectum odii Dei, filium diaboli, hæredem gehennæ. Atqui intrinsece repugnat, eumdem hominem esse simul justum et injustum, sanctum et peccatorem, immaculatum et maculatum, objectum divini amoris et odii divini, filium Dei et filium diaboli, hæredem cœlestis beatitudinis et hæredem gehennæ.

3° Implicat hominem esse conversum ad duos fines ultimos. *Ratio:* quia de essentiâ finis ultimi est quod alteri non subordinetur, et quod omnia alia sibi subordinet; quod non potest convenire nisi uni soli objecto. Atqui, si gratia et peccatum simul stare possent, homo foret conversus ad duos fines ultimos: per gratiam enim haberet tanquam finem ipsum Deum supernaturaliter dilectum super omnia; per peccatum verò haberet tanquam ultimum finem aliquam creaturam, cum peccatum sit præcise conversio ad creaturam tanquam ad finem. Implicat igitur, gratiam et peccatum simul posse coexistere.

Confirmatur hæc ratio: Prorsus impossibile est, voluntatem esse conversam ad aliquem finem et simul ab eo aversam, quia accessus et recessus relate ad idem sese mutuo destruunt. Atqui per gratiam

voluntas est necessariò conversa ad Deum ut ad finem; per peccatum verò est essentialiter aversa a Deo ut fine, cum conversio ad creaturam sit essentialiter aversio a Deo. « Converti ad bonum creatum » sicut ad finem, *ait S. Thomas*, facit aversionem ab incommutabili » bono, quod debet esse ultimus finis, eo quod non possunt esse plures » ultimi fines. » *(De Malo, q. 13, a. 2)*. Repugnat igitur, peccatum et gratiam simul coexistere.

916. — Quæritur III. *Utrum de potentiâ Dei absolutâ peccatum mortale possit remitti absque infusione gratiæ, per solam externam condonationem.*

Resp. In hac quæstione, suâ curiositate magis quam utilitate conspicuâ, « magna est sententiarum multitudo et confusio, *ait Joan. a* » *S. Thoma*, quas omnes si ad longum persequeremur, rem totam » amplius confunderemus. » *(Disp. 27, a. 2, n. 3; p. 873)*. Principaliores igitur hâc de re sententias referemus, ut prudens lector, quam maluerit, sibi possit seligere. Ut verò hæ sententiæ rite intelligantur, plura sunt bene notanda, scilicet:

a) In peccato mortali habituali tria debent distingui, videlicet: *offensa Dei*, ratione cujus Deus dicitur iratus homini; *macula* consistens in absentiâ nitoris provenientis a gratiâ, ratione cujus anima dicitur immunda et coinquinata; *reatus pœnæ*, ratione cujus homo dignus est gehennâ.

b) Peccati remissio potest esse aut perfecta aut imperfecta. — *Perfecta* et completa est, quando tollitur tam offensa Dei, quam macula et reatus pœnæ, ita ut Deus fiat pacatus homini, homoque non sit amplius peccator nec Dei inimicus, licet tamen non sit amicus. — *Imperfecta* et incompleta esset, si remitteretur sola offensa cum reatu pœnæ æternæ, remanente tamen maculâ peccati in animâ.

c) Homo potest considerari vel in statu naturæ elevatæ per gratiam, ut ordinatus ad Deum tanquam ad finem supernaturalem; vel in statu naturæ puræ, ut ordinatus ad Deum tanquam ad finem naturalem.

d) Non agitur in hâc quæstione de potentiâ Dei ordinariâ; de fide enim est, in præsenti providentiâ nullum mortale remitti sine infusione gratiæ; sed agitur de potentiâ Dei absolutâ, seu si in alio ordine possibili, quem Deus statuere potuisset, posset peccatum condonare absque infusione gratiæ.

Nec agitur de eâ perfectâ peccati remissione, quâ reparantur omnia damna per peccatum illata. Unum enim ex his damnis est

præcise gratiæ privatio, quæ certe non potest auferri absque gratiæ infusione.

Quæritur ergo tantummodo, *utrum peccatum possit absque gratiâ condonari, ita ut homo non sit amplius peccator et Dei inimicus, licet non fiat ejus amicus.*

e) Præsens quæstio a nonnullis solet hoc modo proponi: *Utrum peccatum mortale possit dimitti absque intrinsecâ peccatoris mutatione, per solam extrinsecam Dei condonationem?* Infusio enim gratiæ sanctificantis, cum hæc animæ inhæreat hominemque ad Deum convertat, veram constituit intrinsecam peccatoris mutationem. Unde quærere: an peccatum possit remitti absque gratiæ infusione, aut absque intrinsecâ peccatoris mutatione, idem sonat. — Per intrinsecam peccatoris mutationem aliquando etiam intelligitur illa, quæ fit per actum voluntatis, quâ scilicet peccator peccatum detestetur, et ad Deum sese convertat. — Quibus notatis:

917. — *Prima sententia* docet, peccatum mortale, tam in statu naturæ lapsæ quam in statu naturæ puræ, de potentiâ Dei absolutâ remitti posse per solam externam Dei condonationem, sine infusione gratiæ sanctificantis, et sine ullâ intrinsecâ mutatione peccatoris. Ita *Scotus* [1] cum totâ suâ scholâ [2], *Suarez* [3], *Gibbon* [4], *Muniessa* [5], *Sylvius* [6], *Tanner* [7], *Haunoldus* [8], cum aliis non paucis.

Ratio præcipua est, quia gratia et peccatum sunt tantum mediate opposita; est enim medius inter ea status naturæ puræ. Ac proinde, sive homo peccet in statu naturæ elevatæ, sive in statu naturæ puræ, posset Deus eum educere e statu peccati, condonando extrinsece offensam sibi illatam et pœnam promeritam, quin ipsum in statum supernaturalem elevaret, sed relinquendo eum in puris naturalibus.

Præterea, juxta Scotistas, peccatum habituale unice consistit in obligatione ad pœnam; sed Deus potest per solam externam condonationem, absque ullâ mutatione peccatoris, eum ab obligatione pœnæ sustinendæ liberare; non secus ac inter homines, qui est ab alio offensus, potest per externam condonationem alteri offensam et pœnam promeritam remittere, etiamsi hic animum non mutet.

[1] In 4 Sent., D. 1, q. 8; et Dist. 14, q. 1. — [2] Cf. *Frassen*, Disp. 3, a. 2, q. 4, concl. 2; p. 328. - *Panger*, Disp. 4, q. 4, ass. 3; p. 541. - *Dupasquier*, Disp. 6, q. 2; p. 259. — [3] De Aux., L. 7, c. 21 et ss. — [4] Disp. 38, dub. 3; p. 499. — [5] Disp. 13, sect. 6; p. 281. — [6] In q. 113, a. 2, q. 5 et 6. — [7] Disp. 6, q. 5, dub. 4; p. 1342, ubi plures citantur auctores. — [8] Tr. 3, cap. 1, contr. 5; p. 257.

918. — *Secunda sententia* docet, ad remissionem sive perfectam sive imperfectam peccati mortalis, tam in statu naturæ elevatæ quam in statu naturæ puræ, absolute requiri gratiæ sanctificantis infusionem, ita ut intrinsece repugnet, dari remissionem peccati sine gratiæ infusione et intrinsecâ peccatoris mutatione. Ita *Cajetan.* [1], *Medina* [2], *Wenzl* [3], *Gabriel a S. Vinc.* [4], *Valentia* [5], *Salmantic.* [6], *Paulus a Concept.* [7], *Mæratius* [8], etc.

Ratio præcipua, *pro statu naturæ elevatæ*, est, quia macula peccati habitualis consistit in voluntariâ gratiæ privatione. Porrò, privatio non potest tolli nisi per formam oppositam; sicut v. gr., cæcitas non potest tolli nisi per visum, et mors nisi per vitam. Consequenter repugnat, maculam peccati auferri posse nisi per infusionem gratiæ.

Ratio præcipua, *pro statu naturæ puræ*, est, quia peccatum, in hoc statu commissum, est contra Deum, tam ut auctorem naturæ quam ut auctorem gloriæ, ac proinde peccans in hoc statu, licet non fuerit ordinatus ad Deum ut auctorem gloriæ, sese tamen avertit a Deo etiam quà auctore gloriæ. Proinde non potest converti ad Deum ut auctorem naturæ, nisi simul convertatur ad eum ut auctorem gratiæ, nec proinde peccatum remitti nisi per gratiam, quâ solâ fit prædicta conversio ad Deum auctorem supernaturalem.

Huic sententiæ favere videtur *S. Thomas.* Ait enim, (*1. 2, q. 113, a. 2, ad 1):* « Licet homo, antequam peccet, potuerit esse sine gratiâ » et sine culpâ, tamen post peccatum non potest esse sine culpâ, nisi » gratiam habeat. » — Et, *(De Verit. q. 68, a. 2, ad 5):* « Adamus a » statu gratiæ cecidit, et non solum a statu naturæ. Sed tamen si a » solo statu naturæ decidisset, nihilominus tamen ad expiationem in- » finitæ offensæ donum divinæ gratiæ requireretur. »

919. — *Tertia sententia* statum elevationis distinguit a statu naturæ puræ. Docet, ad peccati remissionem tam perfectam quam imperfectam in statu naturæ elevatæ absolute requiri gratiæ infusionem. Ratio eadem est ac in præcedenti sententiâ.

Si vero agitur de statu naturæ puræ, docet, peccatum potuisse remitti sine infusione gratiæ. *Ratio:* « Peccatum habituale hominis in » statu naturæ puræ constituti, *ait Gonet*, et ad finem supernaturalem » non elevati, non esset privatio gratiæ, aut rectitudinis supernatu-

[1] In q. 113, a. 2. — [2] In q. 113, a. 2. — [3] Controv. 6, q. 3; p. 184. — [4] Disp. 14, q. 1 et 2; p. 324. — [5] Q. 10, punct. 5; p. 1146. — [6] Disp. 2, dub. 5, 6, 7. — [7] Disp. 1, dub. 3; p. 227. — [8] Disp. 10; p. 137.

» ralis, sed tantum conversionis in Deum ut finem naturalem: ergo » per hujusmodi conversionem posset tolli, cum privatio tollatur per » formam ipsi directe oppositam. » *(Disp. 1, a. 4, n. 96; p. 25).*

Gonet præterea *(loc. cit., n. 58; p. 14)*, hanc sententiam vocat *communiorem* in scholâ D. Thomæ; cum Goneto stant *Maderni* [1], *Wiggers* [2], aliique.

Patroni hujus sententiæ sicut et primæ, verba S. Thomæ modò citata, vel explicant de potentiâ Dei ordinariâ, vel dicunt: « D. Tho- » mam loco cit. per donum divinæ gratiæ non intellexisse gratiam » habitualem, sed auxilia entitative naturalia indebita statui puræ » naturæ, adeoque gratuita, quæ necessaria essent in illo statu ad » eliciendos actus contritionis et dilectionis efficacis Dei finis natu- » ralis, quibus peccator tunc de lege ordinariâ se disponere deberet » ad expiationem seu remissionem peccati. » *(Gibbon, Disp. 38, dub. 4, n. 3; p. 507).*

920. — Quæritur IV. *Utrum possit unum peccatum mortale remitti sine aliis* [3].

Resp. Omnes unanimiter docent, *in præsenti providentiâ* impossibilem esse unius mortalis remissionem, aliis non remissis; quia gratia sanctificans sive ex intrinsecâ suâ naturâ, sive saltem ex extrinsecâ Dei ordinatione, pugnat æqualiter cum omnibus mortalibus; proinde si infunditur homini, necesse est ut omnia mortalia simul tollat.

Si verò agitur *de potentiâ Dei absolutâ*, scinduntur auctores.

Scotistæ et qui cum ipsis docent, gratiam sanctificantem non ex intrinsecâ suâ naturâ, sed tantum ex extrinsecâ Dei ordinatione peccata expellere, aut peccatum remitti posse absque gratiæ infusione per solam externam Dei condonationem, docent etiam minime repugnare unum mortale remitti absque alio. Posset enim Deus unum condonare peccatum et non aliud, aut ordinare ut gratia adversetur huic peccato et non isti; quo in casu unum remitteretur, aliis remanentibus.

Thomistæ verò, et qui cum ipsis sentiunt gratiam ex intrinsecâ suâ naturâ adversari peccato illudque tollere, atque peccatum non posse remitti nisi per infusionem gratiæ, docent etiam fieri non posse, ne de potentiâ quidem absolutâ Dei, ut unum mortale remittatur, aliis remanentibus. *Ratio:* Adveniente aliquâ formâ, repugnat non tolli

[1] Q. 7, a. 3; p. 462. — [2] In q. 113, a. 2, n. 26 et ss.; p. 465. — [3] Cf. *Gotti*, Q. 1, dub. 6; p. 224.

omnem formam ei privative oppositam; sicut v. gr., adveniente visu, repugnat cæcitatem non auferri. Sed gratia est forma ex naturâ suâ essentialiter privative opposita cuilibet peccato mortali. Proinde, adveniente gratiâ, omnis forma eidem privative opposita, seu omne peccatum mortale, necessariò expellitur. Fieri ergo nequit, ut unum mortale remittatur sine aliis.

921. — **Quæritur V.** *Utrum justificatio impii sit maximum opus Dei.*

Resp. Magnitudo alicujus operis multipliciter potest considerari: vel *ex parte modi* quo fit; vel *ex parte rei* quæ fit; et ipsa res, quæ fit, potest inspici vel *in quantitate suâ absolutâ*, vel *in quantitate suâ relativâ*. Quibus clare distinctis, respondeo cum S. Thoma, *q. 113, a. 9:*

Concl. I. Ex *parte modi quo fit,* maximum opus Dei est opus creationis, in quo ex nihilo fit aliquid; qui modus operandi est omnium excellentissimus. In justificatione autem gratia non creatur, sed educitur ex potentiâ obedientiali animæ. *(Cf. n. 867 et ss).*

Concl. II. Ex *parte rei quæ fit* « majus opus est justificatio impii » quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quam » creatio cœli et terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. » Et ideo Augustinus cum dixisset, quod *majus est quod ex impio fiat » justus, quam creare cœlum et terram,* subjungit: *Cœlum enim et terra » transibit, prædestinatorum autem salus et justificatio permanebit.* » *(S. Th. — Cf. dicta n. 814).* Et propter hoc Ecclesia, in Collecta *(Dom. X post Pentecost.)* canit: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas.*

Concl. III. Ex *parte quantitatis absolutæ* rei quæ fit, glorificatio justorum est majus opus quam justificatio impiorum; quia donum gloriæ, quo Deum perfecte et inamissibiliter possidemus ut objectum nostræ beatitudinis, est majus donum, quam donum gratiæ justificantis impium. *(Cf. n. 835).*

Concl. IV. Ex *parte quantitatis relativæ* rei quæ fit, « donum gra- » tiæ impium justificantis est majus, quam donum gloriæ beatificantis » justum; quia plus excedit donum gratiæ dignitatem impii, qui erat » dignus pœnâ, quam donum gloriæ dignitatem justi, qui ex hoc ipso » quod est justificatus, est dignus gloriâ. » *(S. Th.).*

CAPUT II.

DE DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM REQUISITIS.

922. — I. Nomine dispositionis hìc non intelligimus dispositionem aut præparationem aliquam physicam ex parte animæ, ut gratiam recipere valeat; quæ certe non prærequiritur; sed intelligimus dispositionem moralem, quæ in actibus quibusdam liberi arbitrii consistit, quibus homo juxta præsentem divinæ providentiæ œconomiam sese ad gratiæ receptionem præparet.

923. — II. Sedulò notandum est, hìc sermonem fieri de solis adultis, minime verò de infantibus, qui ante usum rationis baptismate justificantur: hi enim absque ullâ propriâ dispositione gratiam consequuntur. « Pueri, *ait S. Th.*, non sunt capaces motûs liberi arbitrii, » et ideò moventur a Deo ad justitiam per solam informationem animæ » ipsorum. Hoc autem non fit sine Sacramento: quia sicut peccatum » originale, a quo justificantur, non propriâ voluntate ad eos pervenit, » sed per carnalem originem; ita etiam per spiritualem regeneratio- » nem a Christo in eos gratia derivatur. » *(Q. 112, a. 3, ad 1)*. Quæ igitur leguntur (Marc. XVI, 16): *Qui non crediderit, condemnabitur*, de solis adultis possunt intelligi, sicut constat ex verbis immediate præcedentibus: *Prædicate Evangelium omni creaturæ;* pueris enim nequit prædicari Evangelium [1].

924. — III. In adultis verò, ad justificationis gratiam acquirendam, requiri dispositiones, est *de fide*, ex Tridentino. Legimus, *Sess. VI, can. 4:* « Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et » excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, » quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præpa- » ret... A. S. » — Et in *cap. 5°* ejusdem Sessionis: « Ut, qui per pec- » cata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gra- » tiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem » gratiæ libere assentiendo et cooperando, disponantur. »

Hujus præparationis necessitas ex SS. Scripturis clare deducitur. Legimus (I Reg. VII, 3): *Præparate corda vestra Domino.* — (Prov. XVI, 1): *Hominis est animam præparare.* — (Zach. I, 3): *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum; et convertar ad vos.* Exinde celebris illa S. Augustini sententia: « Qui fecit te sine te, non te

[1] Cf. *Tanner*, Disp. 6, q. 4, dub. 3; p. 1289.

» justificat sine te; ergo fecit nescientem, justificat volentem.» *(Serm. 15, de verbis Apostoli).*

Eamdem commendat ratio: « Justificatio impii, *ait S. Th.*, fit Deo » movente hominem ad justitiam. Ipse enim est qui justificat impium, » ut dicitur (Rom. III). Deus autem movet omnia secundum modum » uniuscujusque; sicut in naturalibus videmus quod aliter moventur » ab ipso gravia, et aliter levia, propter diversam naturam utriusque. » Unde et hominem ad justitiam movet secundum conditionem naturæ » humanæ. Homo autem secundum propriam naturam habet quod sit » liberi arbitrii. Et ideo in eo qui habet usum liberi arbitrii, non fit » motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii. » *(Q. 113, a. 3).*

Præterea, justificatio Deum inter et hominem veram et perfectam inducit amicitiam. Porrò, amicitia inter eos, qui ratione utuntur, libero consensu contrahitur. Proinde congruum est, ut et homo ad hanc amicitiam cum Deo ineundam adlaboret.

Demum, homo liberâ voluntate a Deo per peccatum recessit; decet igitur ut liberâ etiam voluntate ad Deum redeat.

925. — IV. Duplex, ut *ait S. Th., q. 112, a. 2, ad 1*, distinguitur dispositio seu præparatio ad justificationem; una *proxima* et *immediata*, et est ea, quam statim sequitur gratiæ infusio: talis est actus caritatis, aut contritionis perfectæ; — altera *remota* et *mediata*, de quâ loquitur Trid., *Sess. VI, cap. 6;* et est ea, quæ cum gratiæ infusione non conjungitur immediate, sed est vel via ad proximam dispositionem, vel saltem sufficiens dispositio, ut, accedente Sacramenti susceptione, gratia justificationis conferatur; v. gr., attritio.

926. — V. Dispositiones ad justificationem requisitæ aliæ se tenent ex parte intellectûs, aliæ ex parte voluntatis. Cum enim homo sit agens liberum, quod voluntate simul et intellectu operatur, Deusque omne agens moveat juxta cujusque naturam, necesse est ut homo et intellectu et voluntate ad justificationem sese disponat: per fidem ex parte intellectûs; per timorem, spem, etc. ex parte voluntatis, ut ex infra dicendis constabit.

927. — VI. Omnis dispositio ad justificationem, quæcumque sit, sive se teneat ex parte intellectûs, sive ex parte voluntatis, sive sit proxima aut tantum remota, debet necessariò esse supernaturalis, atque ab internâ Spiritûs Sancti præveniente gratiâ procedere, sicuti *de fide* definivit Tridentinum, *Sess. VI, can. 3, et cap. 5 et 6.* Inter finem enim et medium aut dispositionem ad finem debet adesse proportio; cum autem gratia sanctificans sit quid essentialiter supernaturale, quidquid ad eam disponit, debet necessariò esse ejusdem or-

dinis. Sed quia in primâ Parte hujusce tractatus multa hâc de re contra Pelagianos disputata sunt, non est cur in eis diutius immoremur. *Cf. dicta n. 170 et ss.*, ubi contra Pelagianos actum est, et *n. 287 et ss.*, ubi relatum est axioma: *facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam.*

928. — VII. Circa dispositiones ad justificationem requisitas turpiter errant protestantes[1]. Non aliam agnoscunt dispositionem nisi solam fidem, quâ homo justitiam Christi sibi appropriet. Exinde eorum axioma: *Sola fides justificat.* Per fidem autem intelligunt non fidem theologicam, seu assensum intellectûs veritatibus revelatis, sed firmam fiduciam peccata nostra nobis esse ex meritis Christi remissa.

Ad hanc eorum doctrinam penitius intelligendam notandum est, protestantes solere triplicem fidem distinguere, nempe: fidem historicam, fidem miraculorum, et fidem promissionum. Juxta eos, *fides historica* est, quâ credimus vera esse quæ in sacris Litteris continentur, de quâ agit Apostolus ad Hebr., XI, per totum. — *Fides miraculorum* est, quâ fiunt miracula, de quâ ait Apostolus, (I Cor. XIII, 2): *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* — *Fides promissionum*, quæ est de divinâ promissione remittendi peccata, quam, juxta protestantes, Christus designavit dicendo, (Marc. XVI, 16): *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Hæc autem fides promissionum est duplex: generalis scilicet et specialis. *Generalis* est, quâ credimus salutem omnibus credentibus esse promissam. *Specialis* est, quâ unusquisque firme confidit, peccata sibi esse per Christum dimissa; solam hanc ultimam protestantes dicunt esse requisitam ad justificationem.

Contra protestantes igitur duo probanda occurrunt, nimirum: fidem, quæ ad justificationem requiritur, non esse fiduciam peccata nobis esse remissa, sed firmum assensum, quo veritates revelatas credimus propter auctoritatem Dei loquentis; atque hanc fidem non esse unicam dispositionem, sed alias quasdam etiam requiri ex parte voluntatis.

[1] Cf. *Bellarm.*, De Justif. L. 1, c. 4; p. 730.

Propositio I.

Fides, quæ ad justificationem requiritur, non est fiducia peccata nobis esse remissa, sed firmus assensus quo credimus veritates divinitus revelatas[1].

929. — Fidem ad justificationem requiri, *fide certum est*, ex Tridentino, *Sess. VI, cap. 7*, ubi legimus: « Sine quâ (fide) nulli unquam » contigit justificatio. » Et *cap. 8:* « Per fidem ideo justificari homines, » quia fides est salutis humanæ initium, fundamentum, et radix omnis » justificationis. » Eruitur hujus fidei necessitas ex SS. Scripturis, v. gr., ex verbis Domini, (Marc. XVI, 16): *Qui non crediderit, condemnabitur;* et ex Apostolo, (Hebr. XI, 6): *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Idem evincitur ratione. Ad justificationem, ut mox dicetur, requiruntur motus liberi arbitrii. Porro liberum arbitrium, cum de se sit facultas cæca, luce et directione intellectûs objectum proponentis indiget. Deus autem, quatenus finis supernaturalis, absque fide cognosci nequit. Ad actus igitur liberi arbitrii necessariò prærequiritur actus fidei. Unde signanter dixit Apostolus, (Hebr. XI, 6): *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

Hanc autem fidem necessariam ad justificationem, esse assensum intellectûs veritatibus revelatis, non vero fiduciam a protestantibus invectam, pariter declaratum est *de fide* a Tridentino, *Sess. VI, can. 12:* « Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam » divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum; vel eam » fiduciam solam esse, quâ justificamur, A. S. » — Et in *cap. 6* ejusdem sessionis legimus: « Disponuntur (adulti) ad ipsam justitiam, » dum excitati divinâ gratiâ, et adjuti, fidem ex auditu concipientes, » libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus reve- » lata et promissa sunt. » *Cf. etiam can. 13 et 14.*

930. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** SS. Scripturæ, quoties de fide justificante loquuntur, toties fidem dogmaticam seu assensum veritatibus divinitus revelatis commendant, nullatenus autem fiduciam peccata esse remissa.

Legimus, (Marc. XVI, 15, 16): *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Agi his in verbis de fide justificante, ex

[1] Cf *Bellarm.*, De Justif., L. 1, c. 5 et ss.

ipso textu clare constat. Jamverò, fides quæ hìc necessaria dicitur ad salutem, non est fiducia protestantica, sed fides dogmatica, quâ firmo assensu adhæremus veritatibus, quæ in Evangelio nobis credendæ proponuntur. — Confirmatur conclusio ex Joanne, XX, 31: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus;* et ex Apostolo dicente, (Rom. X, 8, 9): *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus; quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Fides quæ hìc necessaria prædicatur, non est fiducia, de quâ nulla mentio, sed fides in Christi divinitatem atque gloriosam ejus resurrectionem. *Cf. etiam I Cor., XV, 1 et ss.; et Hebr. X, 38, et totum cap. XI;* ubi de fide justificante agitur, et credenda indicantur, inter quæ nullibi connumeratur *fiducia* peccata esse remissa.

931. — Prob. II. **Ex Traditione.** Fides, quam SS. Patres ad salutem necessariam dicunt, est fides quâ mysteria divinitus revelata creduntur. Symbolum S. Athanasii citare sufficit, in quo enumeratis fidei nostræ mysteriis, additur: « Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. »

932. — **Quæritur:** *Quarum rerum debeat esse fides, ut homo possit justificari?* [1]

Resp. 1° Fide implicitâ credi debent absolute omnia quæ Deus revelavit; quod per se patet. Cum enim objectum formale fidei sit unum et idem pro omnibus veritatibus revelatis, nullus potest veram fidem habere, nisi assentiatur conglobatim omnibus quæ Deus revelavit, etsi in particulari nesciat omnia quæ sunt revelata.

2° Fide explicitâ, et quidem de necessitate medii, juxta omnium sententiam, duo debent credi, scilicet: Deum esse, et remuneratorem esse boni et justum vindicem mali. Eruitur ex verbis Apostoli, (Hebr. XI, 6): *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Qui igitur hæc duo ignorat, etiam inculpabiliter, nisi sit ratione omnino destitutus ut infans aut perpetuo fatuus, absolute non potest justificari.

Utrum verò, post promulgatum Evangelium, mysteria SS. Trinitatis et Dominicæ Incarnationis sint de necessitate medii credenda fide explicitâ, controvertitur. Docent alii, ea esse credenda fide explicitâ tantum de necessitate præcepti; alii contrà docent, esse credenda de

[1] Cf. *S. Alph.*, Mor., L. 2, Tr. 2, n. 2 et ss.; Hom. Apost., Tr. 4, n. 3.

necessitate medii. « Communior sententia et verior, *ait S. Alphonsus*, » docet quod explicite credi debent necessitate medii. De reliquo cer- » tum est, quemadmodum declaravit Innocentius XI. in propositione » damnata 64ª, quod non potest absolvi ille qui hæc duo mysteria, » scilicet SS. Trinitatis et Incarnationis Jesu Christi, ignorat. » *(Instit. catech., P. 1, cap. 1, n. 8; p. 812).*

3° De necessitate præcepti, fide explicitâ « debent sciri et credi, » saltem in substantiâ : Symbolum Apostolorum ; oratio dominicalis et » salutatio angelica ; præcepta Decalogi et Ecclesiæ ; sacramenta quæ » cuilibet sunt necessaria, ut Baptismus, Eucharistia, et Pœnitentia ; » cæterorum enim sufficit habere fidem implicitam, cum explicita sit » tantum necessaria illis, qui ea suscipiunt. » *(S. Alph., Hom. Ap., Tr. 4, c. 1, n. 3).*

Propositio II.

Præter fidem, quæ est actus intellectûs,
aliæ requiruntur in homine dispositiones ex parte voluntatis,
ut ad justificationem perveniat.

933. — Prop. est *de fide*, ex Trid., *Sess. VI, can. 9:* « Si quis » dixerit, solâ fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud re- » quiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et » nullâ ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari » atque disponi, A. S. »

Et in *cap. 6°* ejusdem Sessionis plures enumerantur actus, qui ad justificationem impii concurrunt, scilicet : Timor, spes veniæ, dilectio, pœnitentia, propositum suscipiendi baptismum, propositum inchoandi novam vitam et servandi divina mandata. De quibus singillatim quæ- dam breviter tantum sunt dicenda, quia de eis longior sermo institui solet in tractatu de sacramento Pœnitentiæ.

934. — **I. DE TIMORE.** — Timor in genere est : « Motio appe- titûs malum imminens aversantis. » *(Polm.)*. Timor pœnarum, qui vocatur etiam *timor servilis*, duplex distinguitur, scilicet simpliciter servilis et serviliter servilis. *Timor simpliciter servilis* est, quo quis cogitans gehennam, odit peccatum et dolet se offendisse Deum propter metum inferni, et confugit ad misericordiam Dei ut veniam obtineat, cum voluntate non peccandi de cætero. — *Timor serviliter servilis* est, quo quis ita propter pœnam peccatum detestatur, ut si non esset pœna, peccatum committeret ; qui actus, ut patet, est positive malus,

cum includat affectum ad peccatum, nec ullo modo potest esse dispositio ad justificationem. De solo igitur timore simpliciter servili sermo esse potest.

Protestantes timorem omnem repudiant, docentque dolorem conceptum ex metu gehennæ non solum ad justificationem non concurrere, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem, sicut constat ex prop. 6ª Lutheri a Leone X damnatâ. *(Cf. Denz., n. 630).*

Concl. *Timor pœnarum est ad justificationem dispositio utilis et salutaris, plerumque requisita, non tamen absolute necessaria.*

1° Timorem esse utilem et salutarem, est *de fide*, ex Trident., *Sess. VI, can. 8:* « Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, A. S. » — Et *Sess. XIV, can. 5:* « Si quis dixerit, eam contritionem quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem,... A. S. »

Constat ex SS. Scripturis, in quibus videmus Prophetas et ipsum Christum homines ex metu pœnarum adhortari ad pœnitentiam. Sic Moyses, *Deut. XXX, 17*, filios Israel ad pœnitentiam provocat exponendo plagas quibus Deus, ni resipiscerent, eorum peccata ulturus esset. Sic Nathan, *II Reg. XII*, Davidem comminatione calamitatum adhortatur ad pœnitentiam. S. Joannes Pharisæos his verbis compellat, (Luc. III, 8, 9): *Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.. Jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur.* Demum ipse Christus dixit, (Luc. XII, 5): *Ostendam vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* — Et (Luc. XIII, 3): *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Quibus omnibus patet, metum gehennæ utiliter et salutariter disponere peccatorem ut ad Deum convertatur. Quâ de causâ, solent SS. Patres et concionatores omnes populo christiano novissima sæpius proponere, ut ex cogitatione mortis, pœnarum infernalium, et judiciorum Dei timorem incutiant, eosque ad pœnitentiam adducant.

2° Timorem plerumque ad justificationem impii prærequiri, est *sententia communis.*

Eruitur ex Tridentino, quod agens de peccatoris conversione, qualiter ex communiter contingentibus efficitur, dicit, *Sess. VI, cap. 6:* « Dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo » utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se con- » vertendo, in spem eriguntur. »

Innuitur in S. Scripturis. Legimus, (Prov. I, 7): *Timor Domini principium sapientiæ.* — (Eccli. I, 27, 28): *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit justificari.*

Confirmatur Traditione. Ait *S. Augustinus:* « Rarissime quippe » accidit, imò verò nunquam, ut quisquam volens fieri christianus, » qui non sit aliquo modo Dei timore perculsus. » *(De catech. rud., c. 5. M., 40, c. 316).* — Et *S. Gregorius M.:* « Prava mens, si non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur. » *(Hom. 34, in Evang., n. 6. M. 76, c. 1249).*

3° Timorem non esse ad justificationem absolute necessarium, est theologorum *sententia communis.* Optime enim fieri potest, et aliquoties reapse evenit, peccatorem quemdam sub impulsu gratiæ extraordinariæ, tanto caritatis fervore in Deum ferri, ut Deum caritate perfectâ super omnia diligat, atque peccatum contritione perfectâ detestetur, quin de pœnâ peccatis promeritâ cogitet; quo actu certe justificatur atque ad Deum perfecte convertitur; sicuti in conversione S. Pauli et B. Magdalenæ contigisse recte creditur. Quare Tridentinum, loquens de timore, ipsum vocat *utilem;* quo satis innuit, ipsum non considerasse tanquam semper necessarium.

935. — II. DE SPE. — Spes, quæ ponitur dispositio ad justificationem, est fiducia certa obtinendi a Deo veniam per Christi merita.

Concl. *Spes veniæ recensenda est inter dispositiones ad justificationem.*

Probatur ex Tridentino dicente, *Sess. VI, cap. 6:* « In spem eri- » guntur (peccatores), fidentes Deum sibi propter Christum propitium » fore. » — Constat ex SS. Scripturis. Legimus, (Ps. XXXVI, 40): *Salvabit eos, qui speraverunt in eo.* — (Matth. XIX, 2): *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* — (I Joan. III, 3): *Omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.* — Consonat Traditio. « Domus Dei, *ait S. Augu-* » *stinus*, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. » *(Serm. 27. M., 38, c. 178).* — Et *S. Ambrosius:* « Nemo potest agere

» pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. » *(De Pœnit., L. 1, c. 1. M., 16, c. 466).*

936. — **Quæritur I.** *An spes veniæ sit simpliciter necessaria ad justificationem?*

Resp. *Affirmative,* juxta verba S. Ambrosii modò citata. Eruitur ex Tridentino, quod, *Sess. VI, can. 3,* definit: « Si quis dixerit, sine » præveniente Spiritûs Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, homi- » nem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut » ei justificationis gratia conferatur, A. S. » Particula autem *sicut oportet,* denotat istos actus esse simpliciter ad justificationem necessarios. — Præterea, *cap. 7* ejusdem Sessionis, dicitur: « Nam fides, » nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, » neque corporis ejus vivum membrum efficit. » — Et *Sess. XIV, cap. 4,* dicit contritionem ad remissionem peccati præparare, si cum spe veniæ conjungatur. Et paulò inferius idem affirmat de attritione. Quibus manifestum est spem veniæ juxta Concilium esse dispositionem absolute necessariam ad justificationem.

Ratio est: quia nullus adultus justificatur nisi volens, et nisi sese sub impulsu gratiæ ad justificationem disponat. Sed cum finis moveat agentem, si homo spem veniæ obtinendæ non haberet, ad eam obtinendam nullatenus adlaboraret.

937. — **Quæritur II.** *Utrum actus spei ad justificationem requisitus debeat esse formalis et explicitus, an sufficiat virtualis et implicitus?*

Resp. 1° Regulariter loquendo, requiritur actus spei formalis et explicitus. Si enim peccatoris conversio peragitur modo consueto juxta communiter contingentia, ipse debet explicite velle justificari et sese ad justificationem disponere, quod fieri nequit nisi formaliter et explicite confidat, se a Deo veniam esse consecuturum.

2° Probabile tamen est, actum explicitum et formalem non esse semper absolute necessarium, sed quandoque sufficere posse actum spei virtualem et implicitum, inclusum scilicet in actu caritatis aut contritionis perfectæ. « Licet enim, *ait Gonet,* quando in justificatione » proceditur paulatim de imperfecto ad perfectum, actus spei præcedat » actum pœnitentiæ et dilectionis Dei super omnia, potest tamen homo » subitò moveri de peccato ad justitiam, ex solâ expressâ considera- » tione Dei, et peccati ut est ipsi injuriosum, non attendendo ad idem » peccatum, ut est malum proprium, nec ad bona quæ Deus promisit;

» subindeque potest per actum pœnitentiæ et dilectionis Dei super » omnia justificari. Unde quando Tridentinum docet, actum spei præ- » cedere justificationem, hoc debet intelligi, vel de spe formali, vel » de virtuali, quæ in alio actu eminentiori contineri potest, nimirum » in actu caritatis: cum enim spes respiciat Deum ut bonum proprium » et particulare amantis, et caritas illum attingat ut in se summum » et universale bonum, continens omnia bona particularia; sicut obje- » ctum caritatis comprehendit materialiter objectum spei, ita et ca- » ritas eminenter continet spem, et actus caritatis est virtualiter in » actu exercito actus spei. » *(De Justif., Disp. 1, a. 7, n. 165 ; p. 38).* — Ita etiam *Tanner* [1], *Valentia* [2], *Vasquez* [3], *Muniessa* [4], et alii non pauci.

938. — III. DE DILECTIONE. — Post spem, Concilium Tridentinum ponit dilectionem, dicens: « Illumque tanquam omnis justitiæ » fontem diligere incipiunt. » — Dilectionis actum quemdam requiri ad justificationem, certum est omninò. Legimus enim, (1 Joan. III, 14): *Qui non diligit, manet in morte.* — (Joan. XIV, 22): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Ergo qui non diligit Deum, nec diligetur a Deo, nec proinde poterit justificari. — Et in Tridentino, *Sess. VI, cap. 7,* dicitur: « Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit » perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. »

Sed quia duplex datur amor Dei, scilicet amor amicitiæ seu caritatis, quo Deus propter se ut in se summum bonum diligitur, et amor concupiscentiæ, quo Deus diligitur propter nos, ut nostrum summum bonum et finis noster ultimus; et quia actus dilectionis potest esse vel formalis et explicitus, vel virtualis et implicitus, ideò sequentes moventur quæstiones.

939. — Quæritur I. *Quænam dilectio requiratur ad justificationem?*

Resp. 1° Si homo justificatur extrà Sacramentum, absolute requiritur actus caritatis perfectæ; quia huic soli a Deo extrà Sacramentum repromissa est divina dilectio, cujus effectus est gratia sanctificans, (Joan. XIV, 22): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus;* et quia per solam hanc caritatem homo sese perfecte convertit ad Deum, quem peccando deseruerat. Et ideò legimus in Tridentino, *Sess. XIV, cap. 4,* contritionem, quæ extrà Sacramentum

[1] Disp. 6, q. 4, dub. 3, n. 66; p. 1295. — [2] Q. 5, punct. 4, § 1; p. 1108. — [3] Disp. 210, cap. 2. — [4] Disp. 20, sect. 3, n. 22; p. 405.

justificat, esse solam contritionem caritate perfectam; ac proinde contritio, quæ justificat, justificat ratione caritatis, quacum est necessariò conjuncta.

2° Si homo justificatur in sacramento sive Baptismi sive Pœnitentiæ, sufficit ut habeat amorem concupiscentiæ, qui est quoddam dilectionis initium.

Quare signanter dixit Tridentinum: *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Quæ dilectio, ut sapienter notat *Frassen* [1], est quâ Deus diligitur, ut ipse est fons nostræ justitiæ seu justificationis, quam ab ipso promissam expectamus, ac proinde ut nobis bonus, et ut bona nobis largitur.

Ratio præcipua est, quia Sacramenta mortuorum instituta sunt ad delenda peccata et ad conferendam gratiam primam. Si autem ad justificationem in Sacramento prærequireretur caritas perfecta, cum hæc semper justificet, sequeretur hominem semper jam justificatum ad Sacramentum accedere; et sic Sacramentum mortuorum peccata nunquam dimitteret, nec gratiam primam infunderet, nec proinde efficeret quod significat.

Nec valet dicere, caritatem, quæ justificat extra Sacramentum, esse caritatem intensam; in Sacramento verò requiri tantum caritatem remissam. Etenim, caritas quantumvis remissa, dummodo sit vera caritas, est amor Dei propter se super omnia dilecti, ac proinde semper justificat, etiam extra Sacramentum [2].

940. — Quæritur II. *Utrum ad justificationem extra Sacramentum, requiratur semper dilectio formalis et explicita, an sufficiat virtualis et implicita?*

Resp. 1° Nonnulli docent, cum *Gonet, (Disp. 1, art. 7, n. 173; p. 40)*, in homine qui justificetur extra Sacramentum, semper requiri actum dilectionis formalem et explicitum. *Ratio*, quia actus caritatis, utpote omnium præstantissimus, non potest modo eminentiori et virtuali includi in alio aliquo actu perfectiori.

2° Communior tamen et probabilior sententia docet, regulariter quidem requiri actum formalem et explicitum caritatis, sufficere tamen posse virtualem in ipsâ contritione inclusum.

Certum enim est, contritionem perfectam infallibiliter connecti cum gratiæ infusione; certum est, contritionem perfectam esse dilectionem

[1] De Sacr., Tr. 1, disp. 2, sect. 1, q. 4; p. 569. — [2] Cf. *S. Alph.*, Mor., L. VI, n. 440 et ss.

virtualem; quia qui formaliter detestatur super omnia malum alterius, eo ipso eum virtualiter diligit super omnia; certum est demum, contritionem perfectam contingere posse absque formali et explicitâ dilectione Dei, quia, ut ait *Gibbon*, « detestabilitas peccati, prout est » malum Dei, potest optime concipi absque eo quod concipiatur bonitas » supernaturalis Dei: ergo illa potest odio formali haberi, absque eo » quod hæc formali et expresso amore diligatur. » *(Disp. 39, dub. 4, n. 2; p. 517)*. Ex quibus manifestum est, sufficere dilectionem virtualem inclusam in contritione et a contritione omninò inseparabilem.

941. — IV. DE PŒNITENTIA. — Quarta dispositio ex parte voluntatis, juxtà Tridentinum, est pœnitentia: « ac propterea movetur » adversus peccatum per odium aliquod et detestationem, hoc est per » eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet. » *(Sess. VI, cap. 6)*.

Actus pœnitentiæ quà virtutis, est, juxtà Tridentinum, « animi » dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non pec- » candi de cætero. » *(Sess. XIV, cap. 4)*. — Contritio est vel perfecta vel imperfecta. — *Perfecta* detestatur peccatum quatenus est offensa Dei, propter motivum caritatis; unde eam vocat Tridentinum *contritionem caritate perfectam*. — *Imperfecta*, seu *attritio*, detestatur peccatum quatenus est offensa Dei, propter motivum caritate inferius, propositum tamen per fidem, puta propter timorem gehennæ [1].

Actum contritionis esse ad justificationem necessarium necessitate medii, *ad fidem pertinet*, ex Tridentino dicente: « Fuit autem quovis » tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus » necessarius. » *(Sess. XIV, cap. 4)*. Et manifeste deducitur ex S. Scripturâ. Legimus, (Luc. XIII, 5): *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* — (Act. III, 19): *Pœnitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Igitur nisi adsit pœnitentia, non datur peccati remissio.

Apposite *S. Thomas:* « Cum peccatum sit Dei offensa, *inquit*, eo » modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commis- » sam... Non autem contingere potest quod Deus remittit offensam » alicui absque immutatione voluntatis ejus. Offensa autem peccati » mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo » per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur » ad remissionem divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immu-

[1] Cf. Herrm., Instit., n. 1757, et ss.

» tetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis præ-» dictæ, et proposito emendandi, quod pertinet ad rationem pœni-» tentiæ, secundum quod est virtus. Et ideò impossibile est, quod pec-» catum aliquod remittatur sine pœnitentiâ. » *(P. 3, q. 86, a. 2. Cf. 1. 2, q. 113, a. 5).*

942. — **Quæritur.** *Utrum ad justificationem requiratur actus contritionis explicitus et formalis, an sufficiat implicitus et virtualis?*

Resp. 1° Si homo justificatur in sacramento Pœnitentiæ, omninò necesse est, ut habeat actum explicitum et formalem sive contritionis sive attritionis, quæ attritio in Sacramento sufficit ad veniam obtinendam. *(Cf. Instit., n. 1766). Ratio est,* quia actus contritionis in Sacramento est pars Sacramenti. Actus autem contritionis, qui est a Christo Domino elevatus ad dignitatem Sacramenti, est actus proprius virtutis pœnitentiæ; proinde debet esse formalis et explicitus, et non sufficit virtualis. Sed hoc, ratione Sacramenti. *(Cf. Instit., n. 1769).*

2° Si homo justificatur extrà Sacramentum, regulariter debet elicere actum explicitum et formalem contritionis. Qui enim sibi conscius est alicujus peccati mortalis, non potest actum caritatis elicere et Deum supra omnia diligere, nisi simul explicite doleat se offendisse Deum summum bonum et summum diligibile.

Per accidens tamen accidere potest, aliquem justificari cum solâ contritione virtuali, inclusâ in caritate perfectâ. Accidere enim potest quemdam, existentem in peccato, hìc et nunc ignorare se esse in peccato, et elicere actum caritatis, quin de suo peccato explicite doleat. Sed quia caritas perfecta semper justificat, hic homo certe justificatur cum solâ virtuali contritione, quæ necessariò semper est inclusa in actu caritatis; fieri enim non potest, aliquem diligere alterum amore amicitiæ, quin eo ipso detestetur omne malum ei contrarium.

V. De proposito suscipiendi baptismum, aut pœnitentiæ Sacramentum, sicut et de proposito inchoandi novam vitam et servandi præcepta, nihil speciale est addendum, cum de his in tractatu de Sacramentis specialius agatur.

QUÆSITA.

943. — **Quæritur I.** *Utrum justificatio sequatur infallibiliter præsentiam dispositionum?*

Resp. Dispositiones ad justificationem, ut sæpe dictum est, sese habent in duplici differentiâ: aliæ enim remote tantum disponunt ad justificationem, ut fides, spes, attritio; aliæ proxime et immediate ad eam disponunt, ut contritio et caritas, etiam extrà Sacramentum, et attritio cum susceptione Sacramenti.

Justificationem non sequi infallibiliter dispositiones remotas, per se conspicuum est: istæ enim dispositiones sunt vel via ad proximas, vel sufficiens præparatio ad gratiam, si cum Sacramento conjunguntur. Sed contingere potest, et persæpe reapse contingit, peccatorem in his remotis dispositionibus sistere, quin ad actum usque contritionis caritatisve transeat, aut Sacramentum suscipiat. Quo in casu non sequitur justificatio.

Dispositiones verò proximas justificatio infallibiliter sequitur. Vel enim agitur de attritione cum susceptione Sacramenti. Sed attritio, si fidem et spem conjunctas habeat, est sufficiens dispositio ad gratiam in Sacramento; et cum Sacramenta ex opere operato in non ponentibus obicem gratiam producant, suscipiens Sacramentum cum illis dispositionibus infallibiliter justificatur. — Vel agitur de contritione aut caritate, extra Sacramentum. Sed hi actus habent divinam repromissionem de justificatione conjunctam; et cum divina promissio sit infallibilis, qui ponit actum contritionis aut caritatis, infallibiliter consequitur gratiam, et quidem in eodem instanti, quo isti actus perficiuntur. Sicut enim forma naturalis statim imprimitur materiæ, quando hæc est debite disposita; ita et gratia, forma supernaturalis, infunditur statim ac anima est debite disposita; quæ perfecta dispositio præcise contingit per actum contritionis aut caritatis.

944. — **Quæritur II.** *Utrum ultima dispositio ad gratiam sit a gratiâ habituali tanquam a causâ efficiente?*

NB. Per ultimam dispositionem hìc intelligitur actus contritionis perfectæ aut caritatis, prout extrà Sacramentum peccatorem justificat.

Resp. De hac quæstione acriter disputatur inter doctores. « Mi» rum est, *ait Joan. a S. Thoma*, quot quantaque ingenia hæc tor» serit difficultas, tum in se ipsâ, tum in explicandâ mente D. Thomæ » in art.8° hujus quæstionis 113 [» *(Disp. 28, a. 2; p. 889)*. Sed quia,

ut fatetur *Gonet, (Disp. 1, a. 8; p. 41)*, hæc quæstio magis subtilis est quam utilis; idcirco eam paucis absolvemus, remissis lectoribus, qui plura exoptant, ad auctores citandos, præsertim ad *Salmanticenses* pro sententiâ affirmativâ, et ad *Joannem a S. Th.*, ac *Gibbon*, pro negativâ.

Duæ igitur præcipuæ sunt sententiæ.

945. — *Prior* docet, ultimam dispositionem esse effective a gratiâ habituali, quæ, ordine naturæ, actum caritatis aut contritionis præcedat, eumque efficienter producat. Ita multi Thomistæ et extranei [1]. — Huic sententiæ favere videtur *S. Thomas, 1. 2, q. 113, a. 8*, ubi ait: « Naturali ordine primum in justificatione impii est gratiæ in» fusio; secundum est motus liberi arbitrii in Deum; tertium verò est » motus liberi arbitrii in peccatum;... quartum verò et ultimum est » remissio culpæ. »

946. — *Altera* sententia strenue negat, dispositionem proximam effective procedere a gratiâ habituali, sed docet eam effective esse a gratiâ actuali. Proinde, juxtà hos, in justificatione, naturali ordine primum est actus caritatis aut contritionis, positus sub influxu gratiæ actualis; secundum est gratiæ habitualis infusio; tertium remissio culpæ. Ita plures ex Thomistis [2], Scotistæ communiter [3], et multi extranei [4].

Cui secundæ sententiæ tanquam probabiliori standum esse censemus. Etenim:

1° *Huic sententiæ imprimis favet Tridentinum.* Postquam, *Sess. VI, cap. 5 et 6*, enumeravit dispositiones ad justificationem requisitas, quas gratiæ actuali attribuit, sic incipit caput 7^m^: « Hanc dispositionem » seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola » peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris ho-

[1] Ita *Salmantic.*, De Justif., disp. 3, dub. 4, qui pro se multos citant auctores. - *Gonet*, Disp. 1, a. 8; p. 41. - *Medina*, In q. 113, a. 8; p. 1104. - *Cajetanus*, In q. 113, a. 8. - *Serra*, In q. 113, a. 8. - *Paulus a Concept.*, De Justif., disp. 1, dub. 6, § 3; p. 250. - *Valentia*, Q. 5, punct. 4, § 2; p. 1121. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 16, q. 2; p. 380. - *Wenzl*, Contr. 7, q. 2, p. 201. - *Vasquez*, Disp. 211. — [2] V. gr. *Joan. a S. Thoma*, Disp. 28, a. 2; p. 889. - *Gotti*, Q. 2, dub. 4, § 6; p. 250. - *Contenson*, L. 7, diss. 5, cap. 1, corol. 4; p. 328. - *Philipp. a SS. Trin.*, Disp. 6, dub. 8; p. 547. — [3] Cf. *Frassen*, Disp. 2, a. 1, q. 3; p. 304. - *Panger*, Disp. 4, q. 2, n. 18; p. 533. - *Dupasquier*, Disp. 5, q. 4; p. 232. - *Durandus Barth.*, Tr. 3, disp. 1, q. 8; p. 339. — [4] V. gr. *Suarez*, De Aux., l. 8, c. 11 et ss. - *Muniessa*, Disp. 20, sect. 6; p. 412. - *Gibbon*, Disp. 39, dub. 4; p. 520. - *Montesinus*, Disp. 34, q. 4. - *Wiggers*, In q. 113, a. 8; p. 480. - *Sylvius*, In q. 113, a. 8, quær. 1; p. 780. - *Maderni*, Q. 6, a. 7; p. 449. - *Puteobonelli*, Q. 3, a. 3; p. 449.

» minis per voluntariam susceptionem gratiæ.» Quibus verbis clare significat Concilium, infusionem gratiæ esse posteriorem reali existentiâ omnium dispositionum, ac proinde gratiam habitualem non esse causam efficientem harum dispositionum.

Præterea, in eodem capite 7° docet, unumquemque gratiam recipere juxtà propriam suam dispositionem. Si autem ultima dispositio procederet a gratiâ habituali, dicendum fuisset, dispositiones suam magnitudinem consequi juxtà mensuram gratiæ, et non gratiam juxtà mensuram dispositionum.

Demum, *can. 3 ejusdem Sess.*, definit: « Si quis dixerit, sine præ» veniente Spiritûs Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem » credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei » justificationis gratia conferatur, A. S. » Quibus in verbis manifeste ostendit, το diligere et το pœnitere esse causam cur conferatur gratia justificans, ac proinde præcedere gratiam, et non ab eâ effici.

2° *Hanc sententiam clare docere videtur S. Thomas.* Agens de conversione Angelorum in Deum, ait: « Triplex est conversio in Deum. » Una quidem per dilectionem perfectam, quæ est creaturæ jam Deo » fruentis; et ad hanc conversionem requiritur gratia consummata. » Altera conversio est, quæ est meritum beatitudinis; et ad hanc re» quiritur habitualis gratia, quæ est merendi principium. Tertia con» versio est per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam; et » ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad » se animam convertentis... Unde patet quod non est procedere in » infinitum. » *(P. 1, q. 62, a. 2, ad 3).* In his clare docet S. Doctor, ultimam præparationem ad gratiam, quam solam Angeli habere potuerunt, esse a gratiâ actuali, non autem ab habituali.

Idem docet *1. 2, q. 109, a. 6:* « Alio modo potest intelligi præpa» ratio voluntatis humanæ ad consequendum ipsum gratiæ habitualis » donum. Ad hoc autem quod præparet se homo ad susceptionem » hujus doni, non oportet præsupponere aliquod aliud donum habi» tuale in animâ, quia sic procederetur in infinitum; sed oportet præ» supponi aliquod auxilium gratuitum Dei animam interius moventis, » sive inspirantis bonum propositum. »

3° Dispositionem ultimam non posse efficienter a gratiâ habituali produci, *ratione non obscure evincitur.*

a) Actus contritionis et caritatis sunt dispositiones ad gratiam, cum, fatentibus omnibus cum Tridentino, gratia homini infundatur *quia* est contritus. Atqui nulla res potest esse causa dispositiva suæ causæ efficientis; seu, aliis verbis, nulla dispositio potest esse effectus

illius rei, ad quam disponit: secus supponeretur habere simul esse et non esse, antecedenter ad suam causam efficientem; quod aperte repugnat. Enimverò, de ratione dispositionis est esse prius eo, ad quod disponit, saltem prioritate naturæ; de ratione verò effectûs est esse posterius suâ causâ efficiente, cum ab eâ esse accipiat. Si igitur actus contritionis aut caritatis esset effective a gratiâ, haberet simul esse antecedenter ad gratiam, quia est dispositio ad gratiam, et non esse ante gratiam, quia est effectus, cujus est non esse ante suam causam. Nequit igitur ultima dispositio esse effective a gratiâ habituali.

b) Si dispositio ultima profluit efficienter a gratiâ sanctificante, gratia sanctificans, antequam causet istam dispositionem, vel existit in animâ vel non existit. Si existit, homo est jam formaliter justus antequam actum contritionis aut caritatis eliciat: quod patet esse falsum, cum homo gratiam accipiat, quia est contritus. Si non existit, non potest causare istas dispositiones, cum nulla causa efficiens valeat quidquam producere priusquam ipsa existat. Impossibile est igitur ultimam dispositionem procedere efficienter a gratiâ habituali.

947. — **NB.** Istas et alias rationes, quæ nostram sententiam confirmant, patroni prioris sententiæ eludere conantur unicâ distinctione. Gratia habitualis, inquiunt, dupliciter potest considerari: 1° In fieri et ut dimanat a Deo, habens esse fluens et imperfectum; 2° in facto esse et ut inhærens animæ, habens esse permanens et perfectum. Primo modo considerata, habet rationem auxilii moventis, de quo S. Thomas in præsenti loquitur; estque causa effectiva dispositionum. Secundo modo considerata, est forma permanens, atque præsupponit dispositiones, eas autem non efficit.

Sed præterquam quod hæc distinctio: *gratia in fieri et in facto esse*, sit inaudita in doctrinâ S. Thomæ, ipsa præfatas difficultates nullatenus solvit. Etenim: gratia non producitur extrà animam, sed in animâ, per eductionem scilicet ex ejus potentiâ obedientiali; et ipsa gratia in fieri est jam quoddam justificationis initium; proinde, ratio ex parte hominis assignanda est, cur producatur in uno et non in alio. Sed nulla valet assignari ratio, nisi præcedens hominis præparatio sub influxu gratiæ actualis. Quare verba *gratia confertur homini quia est contritus*, non solum de gratiâ in facto esse, sed etiam de gratiâ in fieri necessariò debent intelligi; secùs affirmandum foret, gratiam in homine produci et justificationem incipere, absque ullâ prævià hominis præparatione. Quod manifeste est contrà SS. Scripturas atque Concilium Tridentinum.

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS JUSTIFICATIONIS.

948. — Tres enumerantur proprietates justificationis, scilicet: *Incertitudo, inæqualitas* et *amissibilitas*. Contra quas turpiter errant protestantes. Docent nimirum:.

a) Hominem posse et debere firmiter credere, firmitate fidei, se esse per merita Christi justificatum; hacque solâ fide hominem justificari posse autumant, ut supra dictum est.

b) Cum verò justificatio hominis peragatur, non per donum aliquod intrinsece animæ inhærens, sed per extrinsecam imputationem justitiæ Christi, justitiaque Christi sit invariabilis, nec suscipiat magis aut minus, docent justitiam in omnibus esse æqualem, neque posse augeri.

c) Juxtà Calvinum, justitia est propria electorum et prædestinatorum tantum, et semel possessa non amplius potest amitti, nisi forsan per infidelitatis peccatum. Qui verò post acceptam fidem et justificationem ad peccata redeunt, ipsi nunquam veram fidem habuerunt, nec veram unquam justificationem fuerunt consecuti.

Agendum est igitur: In Art. I. De incertitudine justificationis. — In Art. II. De ejus inæqualitate. — In Art. III. De ejus amissibilitate.

ARTICULUS I.

DE INCERTITUDINE JUSTIFICATIONIS [1].

949. — Nomine *certitudinis* intelligitur firmitas assensûs de aliquâ re aut veritate propositâ. Multiplex solet distingui certitudo, nimirum:

a) *Certitudo fidei*, quæ est firmitas assensûs, quo veritates revelatas ob auctoritatem Dei loquentis admittimus: hæc omnem dubitationem, imò et ejus possibilitatem, prorsus excludit, cum Deum falli aut fallere sit prorsus impossibile.

[1] Cf. *Vega*, De Justif., L. 9, per totum. - *Bellarm.*, De Justif., L. 3. - *Valentia*, Disp. 8, q. 4, punct. 4; p. 1052. - *Tanner*, Disp. 6, q. 4, dub. 5; p. 1308. - *Gibbon*, Tr. IV, disp. 36; p. 458. - *Gonet*, Tr. 8, Disp. 5; p. 756. - *Frassen*, Disp. 3, a. 3, q. 3; p. 345.

b) *Certitudo scientiæ*, quæ est firmitas assensûs vel ob immediatam rei evidentiam, vel ob demonstrationem strictam quâ aliqua veritas ex suis principiis evidenter deducitur: hæc formidinem oppositi totaliter excludit.

c) *Certitudo moralis*, quæ est firmitas assensûs de aliquâ re ob testimonium hominum; talis est cognitio de existentiâ urbis Romæ in homine, qui Urbem nunquam vidit. Hæc major minorve esse potest, juxtà auctoritatem testium, et aliquando potest ad summum certitudinis gradum pertingere, qui omnem prudentem formidinem excludat; qualis, v. gr., est cognitio existentiæ Romæ ob testimonium eorum, qui Romæ fuerunt.

d) *Certitudo conjecturalis*, quæ assentitur rei ob conjecturas quasdam, et est potius probabilitas quam certitudo proprie dicta. Hæc formidinem oppositi non aufert, potestque multos gradus admittere juxtà pondus rationum, quæ militant pro re vel contra rem nostro assensui propositam.

950. — Hisce notatis, animadvertendum est imprimis tria esse, quæ ab omnibus ut certa habentur, nec ab hæreticis in dubium revocantur, videlicet:

a) *Certum est, aliquem divinâ revelatione omnimodâ certitudine scire posse se esse in gratiâ.* Quæ revelatio facta est B. Virgini Mariæ, quæ ab Angelo salutata est *plena gratiâ;* B. Paulo, cui dictum est, (II Cor. XII, 9): *Sufficit tibi gratia mea;* B. Mariæ Magdalenæ, quæ audivit a Domino peccata sibi esse dimissa; et quibusdam aliis Sanctis. « Revelat enim Deus hoc aliquando aliquibus Sanctis, *ait* » *S. Th.*, ex speciali privilegio, ut securitatis gaudium etiam in hac » vitâ in eis incipiat, et ut confidentius et fortius magnifica opera pro» sequantur, et mala præsentis vitæ sustineant, sicut Paulo dictum est: » *Sufficit tibi gratia mea.* » *(1. 2, q. 112, a. 5).*

951. — *b*) *Certum est, neminem posse evidenter scire scientiâ naturali, peccata sibi esse dimissa, seque gratiam justificantem esse consecutum.* Etenim: certitudo scientifica de aliquâ re acquiritur vel a priori vel a posteriori, id est, vel per causam rei, vel per effectus qui cum causâ necessariam habent connexionem. Sed præsentia gratiæ in animâ nec per causam nec per effectus certitudinaliter innotescere potest.

Non per causam: « Alio modo, *inquit S. Th.*, homo cognoscit ali» quid per seipsum, et hoc certitudinaliter; et sic nullus potest scire » se habere gratiam. Certitudo enim non potest haberi de aliquo, nisi » possit dijudicari per proprium principium. Sic enim certitudo habetur » de conclusionibus demonstrativis per indemonstrabilia universalia

» principia. Nullus autem posset scire se habere scientiam alicujus » conclusionis, si principium ignoraret. Principium autem gratiæ et » objectum ejus est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis » ignotus, secundum illud, (Job. XXXVI, 26): *Ecce Deus magnus vin-* » *cens scientiam nostram.* Et ideò ejus præsentia in nobis vel absentia » per certitudinem cognosci non potest, secundum illud, (Job. IX, 2): » *Si venerit ad me, non videbo eum; si autem abierit, non intelligam.* » Et ideò homo non potest per certitudinem dijudicare, utrum ipse » habeat gratiam. » *(Loc. cit.).*

Non per effectus: quia in nobis nullum experimur effectum, qui cum gratiâ necessariam connexionem habeat, vel qui ab alterâ causâ provenire non possit.

952. — *c) Certum est hominem posse certitudine conjecturali cognoscere se esse in gratiâ,* juxta illud, (Rom. VIII, 16): *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* « Tertio » modo cognoscitur aliquid conjecturaliter per aliqua signa, *ait Ange-* » *licus;* et hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, in- » quantum scilicet percipit se delectari in Deo et contemnere res mun- » danas, et in quantum homo non est conscius sibi alicujus peccati » mortalis. Secundum quem modum potest intelligi quod habetur » (Apocal. II, 17): *Vincenti dabo manna absconditum,... quod nemo* » *novit, nisi qui accipit;* quia scilicet ille qui accipit, per quamdam » experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille qui non ac- » cipit. » *(Loc. cit.).*

Quæ conjecturalis cognitio, quamvis non omnem formidinem tollat, secundum illud, (I Cor. IV, 4): *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum,* sufficiens tamen est ad nimiam anxietatem auferendam, et ad conferendum homini unde possit gloriari in spe filiorum Dei, (Rom. V, 2), et legitimâ pace in hâc lacrimarum valle perfrui, juxtà illud, (I Joan. III, 21): *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

953. — Hisce tribus extra controversiam positis, quæritur *utrum etiam certitudine fidei aliquis scire valeat, se esse in gratiâ.*

Protestantes, ut supra dictum est, absolute affirmant, justos omnes posse et debere credere se esse justificatos, eâdem fide divino-catholicâ, quâ credunt alia mysteria fidei.

Catharinus[1] in suis tractatibus *De certitudine Gratiæ,* affirmat, omnes justos posse credere fide divinâ et infallibili, non quidem ca-

[1] Cf. *Valentia,* Loc. cit., p. 1058 et 1086. - *Bellarm.,* De Justif. L. 3, cap. 3.

tholicâ, sed theologicâ seu privatâ, se accepisse gratiam; et hoc quidem ex duplici motivo: *primò*, propter generalem revelationem quâ scimus eos infallibiliter justificari, qui faciunt quæ ad justificationem requiruntur; et propter evidentiam, quâ aliquis cognoscit se omnia requisita fecisse. *Secundò*, propter particularem revelationem quâ quilibet justus de suâ gratiâ certus redditur, juxtà illud, (Rom. VIII, 16): *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* — Quæ Catharini sententia ab omnibus theologis meritò rejicitur tanquam heterodoxorum doctrinæ nimis affinis, atque a Concilio Tridentino profligata. Iisdem refutatur argumentis, ac commenta protestantium. Sit igitur sequens propositio.

Propositio.

Nemo, absque speciali revelatione,
scire potest certitudine fidei, se esse in gratiâ.

954. — Prop. est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, can. 13, 14 et 15; et cap. 9* in quo legimus: «Sicut nemo pius de Dei misericordiâ, de » Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficaciâ dubitare » debet: sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et » indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare et timere potest; » cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse fal- » sum, se gratiam Dei esse consecutum. »

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Multa præstò sunt Scripturæ testimonia, quibus manifeste declaratur, neminem de suâ justificatione certum esse possê. Aliqua seligere sat erit.

(Prov. XX, 9): *Quis potest dicere: Mundum est cor meum; purus sum a peccato.* Sed si nullus potest dicere se esse mundum a peccato, a fortiori nullus potest hoc credere certitudine fidei.

(Eccles. IX, 1): *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta* [1]. In quæ verba scribit *S. Hieronymus:*

[1] Hunc textum, licet aliquibus non placeat, retinendum esse putavimus, quia theologi, ad nostram propositionem probandam, eo communiter utuntur. Porro communis theologorum usus est ratio sufficiens accipiendi textum in eodem sensu, juxta regulam a P. Cornely propositam, scilicet: « Theologus Vulgatam ceu fontem genuinum revelationis semper adhibere potest atque ex omnibus textibus, *de quorum constanti usu dogmatico constat*, legitimum deducere argumentum. » *(Historicæ et criticæ Introd. in U. T. libros sacros Compendium, c. V, § 18, n. 6; p. 115).*

« Sensus est, inveni justorum quidem opera in manu Dei esse, et » tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos scire non posse, et » ambiguum fluctuare, utrum ad probationem sustineant, quæ susti- » nent, an ad supplicium. In futuro igitur scient, et in vultu eorum » sunt omnia, id est, antecedit eos, cum de vitâ hac recesserint, no- » titia istius rei, quia tunc est judicium, nunc certamen. Et quicumque » adversa sustinent, utrum per amorem Dei sustineant, ut Job, an » per odium, ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum. » *(M., 23, c. 1080).*

(I Cor. IV, 3): *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est.* Id est, ait Apostolus, non ideò justus sum, quia nullius peccati recordor, et bonam conscientiam habeo; solus autem Deus est verus judex, quia solus omnia noscit; et ideò tunc me justum putabo, cum Dominus me justum pronuntiabit. « Etsi nullius mihi iniquitatis sim conscius, *ait Theodo-* » *retus, (in hunc loc.)*, tamen nec judicare me ipsum, nec me a pec- » cato immunem pronuntiare in animum inducam, sed Dei sententiam » exspectabo... Sæpe enim evenit, ut etiam ignorantes peccent, æquum » justumque hoc esse existimantes. Sed hoc aliter videt universorum » Deus. » *(Migne, 82, c. 255).*

955. — PROB. II. **Ex Traditione.** Ait *S. Basilius:* « Itaque ne te » ipse præ altero justificaveris, nequando Dei sententiâ, etsi tuâ justi- » ficatus, condemnêre. » *(Serm. de humil., n. 4. M., 31, c. 534).*

S. Augustinus: « Quantalibet enim justitiâ sit præditus homo, co- » gitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse » culpandum. » *(De perf. justit., c. 15, M., 44, c. 309).*

S. Bernardus: « Quis potest dicere, ego de electis sum, ego de præ- » destinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, di- » cere potest, reclamante Scriptura, nescit homo si dignus sit amore, » an odio? Certitudinem utique non habemus, sed spei fiducia conso- » latur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur. » *(Serm. 1 de Septuag.).* — *Alia Patrum testimonia vide apud Bellarm., De Justif., L. 3, cap. 7.*

956. — PROB. III. **Ex Ratione** [1]. Ea sola possunt fide divinâ credi, quæ in verbo Dei revelato sive immediate continentur, sive per evidentem consequentiam ex verbo Dei deducuntur. Atqui: *a*) nusquam in verbo Dei immediate continetur, peccata cuilibet justo in particulari esse remissa; hoc enim de paucissimis tantum in Scripturis affirmatur,

[1] Cf. *Bellarm.*, L. 3, cap. 8; p. 866.

ut de B. Paulo, de B. Magdalena, de B. Latrone. — *b*) Nec ex principio revelato evidenter deduci potest, peccata esse dimissa. Ratiocinatio enim, quâ aliquis deducere posset se gratiam accepisse, hæc esse deberet: De fide est, vere pœnitentibus peccata remitti, atque sacramenta mortuorum gratiam semper producere in iis qui rite dispositi ea suscipiant. Atqui mihi evidens est, me verâ pœnitentiâ ad Deum esse conversum, aut cum debitis dispositionibus sacramentum suscepisse. Ergo fide divinâ credere possum peccata mihi esse remissa.

Jamverò, etsi major sit certa omninò, neganda tamen est minor, sicut et ipsa illatio. Homo enim, seclusâ revelatione, de suâ pœnitentiâ atque de suis dispositionibus tantam certitudinem habere nequit, quæ firmitatem fidei adæquet, et omnem prorsus formidinem excludat. Etenim, ut dicitur, (Jer. XVII, 9): *Pravum est cor omnium et inscrutabile, et quis cognoscet illud?* et sæpe contingit hominem æstimare se omnia fecisse, quando tamen non omnia præstitit; aut se ex motivo supernaturali dolorem concepisse, cum tamen ex naturali tantum atque insufficiente ad remissionem peccatorum de peccatis doleat. Apposite *S. Gregorius M.*: « Nam sæpe sibi de se mens ipsa » mentitur, et fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi » autem gloria non amare quod amat. » *(Pastor., P. 1, c. 9. M., 77, c. 22).* Ergo, licet divina promissio de peccati remissione sit infallibilis, cum tamen subordinetur conditionibus ab ipso homine sub influxu gratiæ actualis libere ponendis, nullusque talem evidentiam de suis dispositionibus habere valeat, quæ firmitatem fidei generare possit, nullus etiam potest fide divinâ credere, se esse justificatum [1].

QUÆSITA.

957. — Quæritur I. *Utrum aliquis possit scire certitudine morali se esse in gratiâ?* [2]

Resp. Certitudo moralis suos gradus habet; alia est *summa*, quæ non solum actualem formidinem, sed etiam potentiam formidandi excludit; qualem, v. gr., habemus per testimonium humanum de existentiâ Romæ. — Alia est *media*, quæ, etsi potentiam formidandi non excludat, excludit tamen actualem formidinem de opposito; qualis est, v. gr., de validitate consecrationis factæ a sacerdote pio, qui asserit se in Missâ reapse consecrare voluisse. — Alia est *infima*, quæ pro-

[1] Cf. *Vega*, L. 9, c. 47, p. 320. — [2] Cf. *Valentia*, Disp. 8, q. 4, punct. 4; p. 1054. - *Tanner*, Q. 4, dub. 5, n. 119; p. 1312. - *Gibbon*, Disp. 36, dub. 2; p. 462.

babilitatis limites non excedit, et sic adhæret uni parti, ut timorem de opposito non omninò expellat.

Ultimam hanc certitudinem, quæ eadem est cum certitudine conjecturali, justum de suâ gratiâ habere posse, suprà jam dictum est, *n. 952.*

Homines quosdam eximiæ sanctitatis habere posse de suâ justificatione certitudinem moralem summam, quæ tum actualem timorem, tum potentiam timendi excludit, docuerunt quidam antiquiores theologi, ut *Sotus, in cap. 2° suæ Apologiæ contra Catharinum; Ruardus, art. 9° contra protestantes.* Pro eadem sententiâ citari etiam solet *Vega, De Justif., L. 9, cap. 46;* de cujus tamen sententiâ dubitari potest, propter dicta in cap. 47 ejusdem libri, ubi aperte docet, moralem certitudinem, quam homo habere potest de suâ gratiâ, non excludere potentiam dubitandi, et per hoc certitudinem istam distingui a certitudine fidei. Quidquid sit de opinione Vegæ, hæc sententia communiter ab omnibus theologis rejicitur tanquam doctrinæ Tridentini contraria. Ait enim Concilium, *Sess. VI, cap. 9:* « Quilibet dum » se ipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, » de suâ gratiâ formidare et timere potest. » Dicendo autem *quilibet*, satis indicat se de omnibus loqui hominibus.

Si verò de certitudine morali, quæ potentiam dubitandi secum patitur, agunt, docent doctores communiter, posse aliquos viros eximiæ sanctitatis ad eum certitudinis gradum devenire, ut certò sciant se esse in gratiâ, neque ullâ hâc de re anxietate atque timore pulsentur. Propter intimam enim suam familiaritatem cum Deo, propter flagrantem caritatem erga Christum et Virginem Deiparam, propter constans studium puritatis conscientiæ quo vel levissima quæque peccata sedulò vitant, propter invictum ardorem quo omnibus vitæ spiritualis officiis incumbunt, usque adeò aliqui in certitudine suæ gratiæ proficiunt, ut sciant plenissime se Dei amicitiâ perfrui, nec ullum de suâ gratiâ dubium concipiant.

958. — Quæritur II. *Quænam sint signa præsentiæ gratiæ?* [1]

Resp. *S. Thomas, (1. 2, q. 112, a. 5),* tria indicat, scilicet: delectari in Domino, contemnere res mundanas, non esse conscium alicujus peccati mortalis. *(Cf. n 952).* Et *(Opusc. 53, alias 60, De Humanitate Christi, cap. 24),* ait: « Sunt autem tria signa hujus conjecturationis, » scilicet gratiæ Dei. Primum est testimonium conscientiæ; II ad Co-

[1] Cf. *Valentia,* Loc. cit., p. 1055. - *Habert Lud.,* Cap. 4, § 8; p. 310.

» rinth., I: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ...* » Secundum est verbi Dei auditus, non solum ad audiendum, sed etiam » ad faciendum: unde Joan. VIII: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* » Unde dicit Gregorius: *Cœlestem patriam veritatis desiderare jubet,* » *mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penset* » *apud se unusquisque, si hæc vox Domini in auribus suis invaluit, et* » *quod jam ex Deo sit, cognoscit.* Tertium signum est internus gustus » divinæ sapientiæ, quæ est quasi quædam prælibatio futuræ beati- » tudinis; unde in Psal. XXXIII: *Gustate et videte, quoniam suavis est* » *Dominus*, scilicet per gratiam suam in nobis. »

S. Basilius, (in quæstionibus brevioribus 12 et 126), tria etiam refert, scilicet: odium peccati, mortificationem carnis, et affectum caritatis.

S. Leo, (serm. 8° de Epiphaniâ), enumerat humilitatem, oblivionem injuriarum, dilectionem Dei et proximi.

S. Bernardus, (in libro de Conversat. Cleric., c. 6), tanquam signa refert: affectum devotionis erga Deum, contemptum rerum temporalium, et quod anima nihil ardentius amet præter Deum, aut nonnisi propter Deum. Et in sermone 1 et 2 in festo Paschæ, alia tria indicat, scilicet: in operibus spiritualibus exerceri; lacrimarum fonte sordes peccatorum abluere, et sanguinolento pœnitentiæ martyrio pravas affectiones perimere.

959. — Quæritur III. *Curnam relinquatur homo incertus de suâ gratiâ?*

Resp. Non est alia quærenda ratio quam misericors simul et sapientissima voluntas Dei, qui optime noscens intimas animi humani dispositiones, voluit suos etiam amicos in humilitate et fervore conservare. Tanta est enim naturæ humanæ fragilitas, ut si homines juxtà ordinariam providentiam certi forent de suâ gratiâ, in superbiam facile laberentur, aliosque ob levia momenta despicerent, ad instar Pharisæi, qui se justum credidit publicanumque despexit, *(Luc. XVII).* Etenim, ut ait *S. Augustinus:* « In hoc loco tentationis tanta est in- » firmitas, ut superbiam possit generare securitas. » *(De corrept. et gr., c. 13. M., 44, c. 941).*

Nimia securitas facile etiam generaret desidiam, hominesque periculo exponeret torpescendi in viâ salutis; dum contrà, incertitudo impellit ut peccata præterita sedulò semper plangant homines, futura verò cautius vitent; ut cum metu et tremore salutem suam operentur; et fortius satagant, ut per bona opera certam suam vocationem et

electionem faciant; atque ad Deum per fervidas preces indesinenter recurrant, ut usque ad finem misericordiam consequantur. « Ideò, *in-* » *quit S. Hieronymus*, ambiguum ponitur et incertum: ut dum homines » dubii sunt de salute, fortius agant pœnitentiam, et magis ad mise- » ricordiam provocent Deum. » *(In Jonam, cap. 3, ad verba:* Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus. *M., 25, c. 1141).*

Apposite *S. Thomas:* « Sciendum autem, *inquit*, quod expedit quan- » doque præsentiam Dei in nobis per gratiam ignorare. Primò quidem, » ut timor futuri judicii nos humiliet, secundum illud Prov. XXV: » *Beatus vir qui semper est pavidus*, Glossa *pro futurâ pœnâ.* Qui autem » est duræ mentis, scilicet, quem non afficit timor futuræ pœnæ, cor- » ruet in malum. Timor iste hominem humiliat: propter quod expedit » gratiam quandoque ignorare in nobis. Gregorius: *Ideò Deus bona* » *nostra nobis voluit esse incerta, ut unam certam gratiam teneamus*, » scilicet humilitatem. Secundò ne præsumpta securitas præcipitet: » unde Thess. V: *Cum dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis* » *superveniet interitus.* Hieronymus: *Timor custos virtutum est, secu-* » *ritas ad lapsum facilis.* Tertiò ut vigilanter et desideranter gratiam » Dei exspectemus. Prov. VIII: *Beatus qui audit me, et qui vigilat ad* » *fores*, etc. Bernardus: *Semper debemus vultus suspensos, et sinus* » *expansos habere ad largam Dei benedictionem.* » *(Opusc. 53 (al. 60) De humanit. Christi, c. 24).*

ARTICULUS II.

DE INÆQUALITATE GRATIÆ [1].

960. — Jovinianus, sicut constat ex libro 2° S. Hieronymi contra Jovinianum, videns in cap. 25° S. Matth., duas tantum hominum classes adfuturas fore in extremo judicio, unam scilicet bonorum ad dexteram judicis, alteram malorum ad ejus sinistram, inde deduxit omnes bonos esse pares in sanctitate, sicut et omnes reprobos æquales in improbitate.

Reformatores sæculi XVI, ut suprà dictum est, ex eo quod homo fiat justus justitiâ Christi, docere etiam coacti sunt omnes justos esse pares in gratiâ, hancque nullis operibus bonis posse augeri. Cum verò gloria in cœlis respondeat gratiæ in terris, docent etiam nullam inter cœlicolas esse differentiam, sed omnes eâdem perfrui gloriâ, eâdem beatitudine.

[1] Cf. *Vega*, De Justif., L. 10; p. 323. - *Valentia*, Disp. 8, q. 4, punct. 3; p. 1048. - *Tanner*, Disp. 6, q. 4, dub. 4; p. 1301.

Propositio.

Gratia sanctificans non est æqualis in omnibus justis.

961. — Prop. est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, cap. 7*, in quo legimus: « Justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum » mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et » secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. » Quibus verbis clare docet Concilium, justitiam receptam seu gratiam in diversis justis diversificari quoad gradum. — Et *can. 24* ait: « Si » quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri » coram Deo per bona opera.., A. S. » Cum autem gratia in uno magis, in alio minus juxtà cujusque merita augeatur, necessariò sequitur gratiam in diversis justis esse inæqualem.

962. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Propositio ex S. Scripturâ triplici viâ probari potest.

1° Ex iis textibus, quibus alii præ cæteris laudantur. (Luc. I, 28): *Ave, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* His verbis, quibus Angelus salutavit Mariam, manifestum est, gratiam Mariæ Virginis fuisse majorem gratiâ omnium aliorum; ac proinde Lutherum horrendam protulisse blasphemiam, quando in concione quâdam de Nativitate B. Virginis dixit: « Omnes nos æque justi et sancti sumus, atque beata Virgo. »

De B. Job dixit ipse Deus, (Job. I, 8): *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo.* — Et Christus de B. Joanne Baptistâ, (Luc. XI, 11): *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista;* qui textus est de officio præcursoris, sed supponit in eo sanctitatem correspondentem. Ubi autem est comparatio, ibi est inæqualitas.

2° Ex testimoniis S. Pauli, quæ, nisi admittatur inæqualitas in justitiâ, perfecte nequeunt explicari. Legimus, (Eph. IV, 7): *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Mensura autem donationis inæqualitatem in dono supponit. — (I Cor. III, 1, 2): *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis.* Ergo supponit, præter parvulos in Christo, adesse adultos seu magnos, id est, provectiores in gratiâ et caritate.

(II Tim. II, 20): *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia.* In quæ verba scribit *S. Ambro-*

sius: « Hoc dicto significavit in Ecclesiâ diversos esse homines: quosdam » bonos et summos viros, quos in auro intelligi vult; quosdam bonos » tantum, quos in argento designat; alios verò non bonos, quos vasa » lignea et fictilia appellat. » *(M., 17, c. 491).*

3° Ex textibus, quibus docetur gratiam augeri posse. Legimus, (Apoc. XXII, 11): *Qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus, sanctificetur adhuc.* — (II Cor. IX, 10): *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* — (Prov. IV, 18): *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* — (II Petr. III, 18): *Crescite in gratia, et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.*

963. — Prob. II. **Ex Traditione.** SS. Patres gratiæ sanctificantis inæqualitatem uno ore celebrant.

Scribit *S. Hieronymus:* « Unicuique nostrum data est gratia juxta » mensuram donationis Christi: non quod mensura Christi diversa sit, » sed tantum gratiæ ejus infunditur, quantum valemus haurire. » *(Lib. 2 cont. Jovinian, n. 23. M. 23, c. 320).*

S. Augustinus: « Induti sunt Sancti justitiâ, alius magis, alius » minus. » *(Ep. 167, ad Hieronymum, n. 13. M., 33, c. 738).* — Et *(Epist. 57, ad Dardanum, n. 17. M., 33, c. 838):* « Deus etiam in quibus » habitat, non æqualiter habitat. Nam unde est illud, quod Elisæus » poposcit, ut dupliciter in eo fieret Spiritus Dei, qui erat in Elia? » Et unde in omnibus Sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundan- » tius habendo habitatorem Deum? »

964. — Prob. III. **Ex Ratione.** 1° Ecclesia recte dicitur cœlestis urbs Jerusalem, in cujus ædificationem tanquam lapides vivi intrant omnes electi, sicut canit Ecclesia: *Cœlestis urbs Jerusalem... quæ celsa de viventibus saxis ad astra tolleris. (In off. Dedic. Eccl.).* Sed, sicut ad ædificationem templi materialis necesse est, ut omnes lapides non eodem splendeant ornatu; aut sicut ad perfectionem et pulchritudinem universi necesse est, ut multæ adsint creaturæ in perfectione inæquales; ita etiam ad perfectionem et pulchritudinem Ecclesiæ necesse est, ut inter justos adsit inæqualitas, ut alii aliis sint sanctiores, alii aliis Deo propinquiores. « Unde prima causa hujus diversitatis, » *ait S. Thomas*, accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode » suæ gratiæ dona dispensat, ad hoc quod ex diversis gradibus pul- » chritudo et perfectio Ecclesiæ consurgat; sicut etiam diversos gradus » rerum instituit, ut esset universum perfectum. » *(1. 2, q. 112, a. 4. Cf. dicta n. 382).*

2° Conveniens est omninò tum divinæ misericordiæ atque justitiæ, tum hominum indoli, ut gratia sanctificans cuique concedatur juxtà propriam cujusque dispositionem et præparationem, vel augeatur juxtà proprium cujusque laborem et meritum. Decet equidem, ut qui, actuali auxilio excitatus, perfectissime ad justificationem sese præparat, a divinâ misericordiâ majus accipiat gratiæ donum, quam qui remisse sese præparet. Hæc divina dispositio eos, qui sunt suæ sanctitatis solliciti, multum exstimulat, ut cum magnâ contentione ad justificationem se disponant, et ad eam augendam sedulò adlaborent. Dum contrà, si eâdem mensurâ gratia infunderetur, sive multum sive parum ad eam habendam vel augendam adlaboret homo, homines ad sese sanctificandos nullos conatus adhiberent, sed in turpi torpescerent socordiâ.

ARTICULUS III.

DE AMISSIBILITATE GRATIÆ.

965. — Novatianus primus docuisse refertur, hominem semel justificatum acceptam justitiam jam non posse amittere, sicuti patet ex libro secundo, quem contrà ipsum scripsit S. Hieronymus. — Novatiani errorem renovavit Calvinus, ut suprà notatum est.

Propositio.

Accepta justitia amitti potest,
et per quodlibet peccatum mortale revera amittitur[1].

966. — Prop. est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, can. 23:* « Si » quis hominem, semel justificatum, dixerit amplius peccare non posse, » neque gratiam amittere, atque ideò eum qui labitur et peccat nun» quam vere fuisse justificatum.., A. S. » — Et *can. 27:* « Si quis » dixerit, nullum esse peccatum mortale, nisi infidelitatis, aut nullo » alio, quantumvis gravi et enormi, præterquam infidelitatis peccato, » semel acceptam justitiam amitti, A. S. » Cf. etiam cap. 15 ejusdem Sessionis.

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus, (Ezech. XVIII, 26): *Cum averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis.*

[1] Cf. *Bellarm.*, De Justif., L. 3, c. 14; p. 897. — *Frassen*, Disp. 3, a. 2, q. 2; p. 339. - *L. Habert.*, C. 4, § 9; p. 312.

— (Ibid., XXXIII, 12): *Justus non poterit vivere in justitiâ suâ, in quacumque die peccaverit.* His certe testimoniis nihil clarius.

(Matth. XXIV, 12, 13): *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ergo, multi habentes caritatem ac proinde justitiam, salvi non erunt, propter caritatis amissionem.

(Gal. V, 4): *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis.* Sed, ut ait Bellarminus, « quomodo possent evacuari » a Christo, et a gratiâ excidere, si in Christo et in gratiâ verè nun- » quam fuissent? » *(Loc. cit.).*

(Rom. XI, 20 et ss.): *Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin et tu excideris.* Ergo qui stant in fide et justitiâ, excidere possunt.

967. — Prob. II. **Ex Traditione.** Ait *S. Augustinus:* « Credendum » est, quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverandi » usque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vi- » vere, et aliquandiu fideliter et juste vivere, et postea cadere, neque » de hac vitâ priusquam eis id contingat, auferri. » *(De corr. et grat., c. 13. M., 44, c. 941).*

S. Cyrillus Alex., ad verba: *Manete in me*, etc., scribit: « Quoniam » igitur dictum est, mundos illos fuisse propter sermonem Christi, ne » quis putet nequaquam se posse, si semel purgatus fuerit, ad pejora » delabi, in eo permanere imperavit... Mille namque pericula, nisi » vigilanter studeamus, etiam stantibus imminent. Quare oportet omni » curâ, operâ, studio, ad majora semper niti. Quam magnum enim de- » trimentum patiatur qui per negligentiam a Christo decidit! » *(In Joan., L. 10, c. 16, p. 647).*

968. — Prob. III. **Ex Ratione.** 1° « Unum contrarium, *ait S. Tho-* » *mas*, per aliud contrarium superveniens tollitur. Quilibet autem actus » peccati mortalis contrariatur caritati. » *(2. 2, q. 24, a. 12).* Ergo, concludit S. Doctor, per quodlibet peccatum mortale caritas amittitur, et ipse Deus hominem cessat diligere. Sed gratia sanctificans nihil est aliud quam effectus, quem divina dilectio operatur in animâ. Sicut igitur Deus diligentes se diligit, et diligendo gratiam habitualem infundit, ita eos, qui eum cessant diligere peccando mortaliter, et ipse diligere cessat; et consequenter effectus hujus divinæ dilectionis, gra-

tia scilicet justificans, destruitur in animâ. Igitur quolibet peccato mortali justitia amittitur.

2° Justus, sicut cognoscimus ex fide, præcepta divina tam naturalia quam positiva observare tenetur; horum verò prævaricatio, si graviter obligant, peccatum mortale constituit. Sed juxtà ordinariam divinam providentiam, nec gratia sanctificans reddit hominem impeccabilem; nec gratia actualis voluntatem ad legem servandam necessitat, sed homini plenam suam libertatem relinquit. Potest igitur justus, urgente præcepto graviter obligante, suâ libertate abuti, legem transgredi, et grave peccatum committere. Cum autem, saltem in præsenti rerum ordine, gratia sanctificans sit in eodem subjecto absolute incompossibilis cum peccato mortali, commisso peccato, ipsa necessariò expellitur. Justus igitur suam justitiam amittere potest.

PARS TERTIA.

DE MERITO

969. — Gratia sanctificans hominem constituit hæredem vitæ æternæ. Hæc autem cœlestis beatitudo, quæ infantulis baptizatis ante usum rationis decedentibus solo titulo hæreditatis conceditur, adultis ex decreto Dei concedenda est et titulo hæreditatis tanquam filiis, et titulo mercedis tanquam militibus, qui laborando et certando cœlestem coronam reportare debent.

Ut igitur doctrina de divinâ gratiâ, ad vitam æternam promerendam nobis concessâ, ad apicem ducatur, post considerationem gratiæ actualis et habitualis, restat ut de effectu quoque gratiæ, de merito scilicet, sermo instituatur.

De merito igitur in hac tertiâ parte nostri Tractatûs disserendum est; de quo quatuor sunt investiganda, scilicet:

I. Notio Meriti.
II. Ejus existentia.
III. Ejus objectum.
IV. Ejus reviviscentia.

CAPUT I.

DE NOTIONE MERITI.

Ut elucescat quid sit meritum, duo sunt præstanda: primò quidem tradenda est meriti definitio, necnon ejus divisio; deinde indicandæ sunt conditiones requisitæ ut opus aliquod rationem meriti habeat. Igitur in ART. I. De meriti definitione et divisione; et in ART. II. De ejus conditionibus dicemus.

ARTICULUS I.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE MERITI.

970. — Meritum considerari potest sive in concreto sive in abstracto. In *concreto* sumptum, est opus seu actus moralis, quo aliquis fit dignus ut sibi ab alio aliquid retribuatur. « Meritum, *inquit S. Thomas*, pro» prie dicitur actio quâ efficitur, ut ei qui agit, sit justum aliquid » dari. » *(In 4. Sent., D. 15, q. 1, a. 3, ad 4).* — In *abstracto*, est valor seu qualitas quædam moralis inhærens operi, vi cujus est dignum ut pro eo aliquid retribuatur.

Meritum, ut patet, tam in bonam quam in malam partem intelligi potest; quia justum est ut et bonis et malis actibus aliquid retribuatur. Sic, v. gr., agentes de peccatore, dicere solemus *meruit gehennam;* aut de malefactore, *meruit carcerem aut mortem.* Et S. Augustinus agens de vocatione B. Pauli, dicit ipsum habuisse multa merita, sed mala. *(De Grat. et lib. arb., cap. 6).* — Usu tamen theologorum receptum est, ut meritum malum vocetur potius *demeritum;* meritum verò, absolute et absque additamento sumptum, in bonam partem semper intelligatur. — Meritum igitur apte definitur: *Opus bonum mercede dignum.*

971. — Meritum potest esse vel hominis ad Deum, vel hominis ad alium hominem; potest enim homo opus quoddam bonum ponere in obsequium Dei aut alterius hominis, et sic dignus fieri cui aliqua merces retribuatur. In hoc nostro tractatu de solo merito apud Deum agemus, et quidem de solo merito supernaturali, seu theologico. Meritum enim hominis apud Deum potest esse vel naturale, vel supernaturale. *Naturale* est opus bonum in obsequium Dei factum, procedens ex solius naturæ viribus. Hujusmodi enim opus, etsi imperfecte tantum rationem meriti habeat, nonnullo tamen præmio temporali Deus donare solet. — Meritum *supernaturale* est quod procedit a gratiâ entitative supernaturali, ordinaturque in vitam æternam.

Meritum igitur, de quo agimus, concrete sumptum, definiri potest: *Opus bonum in obsequium Dei factum, ex se potens Deum movere ad doni supernaturalis retributionem.* — Abstracte verò: *Est valor, aut dignitas inhærens operi, vi cujus opus Deum ad doni supernaturalis retributionem movet.*

972. — Duplex distingui solet meritum, *de condigno* scilicet, et *de congruo.*

Meritum *de condigno* illud est, quod talem habet valorem et æqualitatem cum præmio, ut hoc ei ex justitiâ debeatur. « Meritum de » condigno, *inquit S. Alphonsus*, illud est cui, positâ Dei promissione, ex » justitia præmium debetur. » *(Contr. hær., Sess. VI, n. 86. T. 1, p. 514).* Et: « Ex merito de condigno nascitur in remunerante debitum justi- » tiæ, quo mercedem tribuere tenetur. » *(Hist. hær. P. 2, Conf. 11, n. 14; T. 2, p. 417).* — Hujusmodi meritum est duplex: *a*) Si inter opus et mercedem adest perfecta et absoluta æqualitas, meritum de condigno est ex rigorosâ justitiâ. Istud est solius Christi meritum, cujus opera, propter infinitam dignitatem personæ, infinitam et absolutam æqualitatem cum præmio habent. Illud Christi meritum vocatur etiam *essentiale, imparticipatum;* nostrum verò vocatur *participatum*, quia opera nostra ex meritis Christi virtutem merendi participant.

b) Si inter opus et mercedem non adest perfecta et absoluta æqualitas, sed tantum æqualitas proportionis, cujusmodi est inter semen et fructum qui ex semine nascitur, meritum est quidem de condigno, et merces ei ex justitiâ, saltem suppositâ promissione præmiantis, debetur; non est tamen meritum ex rigore justitiæ. Hujusmodi est meritum justorum ad Deum. « Inter Deum et hominem, *ait* » *S. Thomas*, est maxima inæqualitas (in infinitum enim distant), et » totum quod est hominis bonum, est a Deo. Unde non potest hominis » ad Deum esse justitia secundum absolutam quantitatem, sed secun- » dum proportionem quamdam. » *(1. 2, q. 114, a. 1).*

Justorum igitur meritum de condigno perfectam rationem meriti habet, atque justitiâ innititur. « Meritum et merces ad idem referuntur, » *inquit Angelicus.* Id enim merces dicitur, quod alicui recompensatur » pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius. » Unde sicut reddere justum pretium pro re acceptâ ab aliquo, est » actus justitiæ, ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris, » est actus justitiæ. » *(Loc. cit.).* Merentibus igitur de condigno merces non posset absque injustitiâ denegari.

973. — Meritum *de congruo*, (quod improprie tantum vocatur meritum), illud est, cui, vel ex defectu æqualitatis cum præmio, vel saltem ex defectu promissionis, jus ad mercedem deest. Merces proinde absque læsione justitiæ homini de congruo merenti denegari posset; illi tamen præmium aliquod ex decentiâ quadam atque congruitate debetur. Meritum istud non justitiâ, sed decentiâ atque liberalitate præmiantis innititur. Decet enim ut qui ab alio obsequium accepit, aliquid ei rependat, licet nullo jure ad recompensationem teneatur.

Duplicis prædicti meriti exemplum cernere est in milite, qui contra hostes præclarissime dimicavit. De condigno solum stipendium, quod ei absque injustitiâ denegari non posset, meretur; de congruo autem meretur aliquam honoris distinctionem; decet quippe principis liberalitatem, ut fortiter pugnantes aliquo honore insigniat; quod tamen præmium, illæsâ justitiâ, potest non concedere.

Meritum de congruo aliud est *de congruo infallibili*, aliud *de congruo fallibili*. — Meritum *de congruo infallibili* illud est, quod vi divinæ promissionis infallibilem habet retributionem, quale, v. gr., est meritum actûs caritatis aut contritionis perfectæ, quo peccator justificationem meretur. — Meritum *de congruo fallibili* illud est, cui nulla facta est divina promissio, et quod proinde infallibilem retributionem non habet; quale, v. gr., est meritum in dispositionibus remotis ad justificationem.

974. — **Scholium:** *De distinctione meriti ab oratione*[1].

Docent communiter theologi, omne opus meritorium esse etiam impetratorium, sicut et omnem orationem esse meritoriam.

Etenim, qui in Dei obsequium ponit opus bonum et meritorium, ille saltem implicite et interpretative vult a Deo aliquid postulare; Deusque intuitu operis inclinatur non solum ad erogandam mercedem promeritam, sed etiam ad supererogandum aliquid amplius. Proinde quodlibet opus meritorium est postulatio quædam tacita et interpretativa.

Similiter qui orat, meretur merito proprie dicto, sive de condigno sive de congruo. Oratio enim est actus religionis Deum honorificans, et quà talis, virtutem merendi possidet sicut alia quælibet opera bona. « Oratio, *ait S. Th.*, duplicem habet virtutem respectu futuri effectûs, » scilicet virtutem merendi, et virtutem impetrandi. » *(2. 2, q. 83, a. 15)*.

Meritum igitur non distinguitur ab oratione latâ et interpretativâ; et oratio quà actus bonus non distinguitur a merito. — Si verò meritum et oratio formaliter sumuntur, omninò inter se differunt.

Meritum est opus factum in Dei obsequium, et innititur vel justitiâ, vel decentiâ quadam et liberalitate Dei, prout est de condigno aut de congruo. Oratio verò, quà impetratoria, solâ Dei misericordiâ innititur, et latius patet quam meritum; plura enim obtinemus efflagitando, ad quæ meritum sese non extendit. « Opera nostra, *ait S. Th.*, » non sunt sufficientia a seipsis ad obtinendum omne illud quo indi- » gemus; et ideò oportet quod illud quod nobis deest, ex divinâ mi-

[1] Cf. *S. Th.*, 2. 2, q. 83, a 15.

» sericordiâ suppleatur; et hanc oratio pulsat; et ideò orationis me» ritum exigitur ad supplendum defectum omnium aliorum meritorum.» *(4 Sent., D. 15, q. 4, a. 7, q. 1, ad 3).*

ARTICULUS II.

DE CONDITIONIBUS MERITI.

In merito adæquate sumpto tria possunt considerari, scilicet: subjectum merens, opus meritorium, et Deus remunerans; et ex unoquoque horum capitum aliquæ requiruntur conditiones, quarum quædam sunt propriæ merito de condigno, aliæ verò sunt communes merito tam de condigno quam de congruo, sicuti indicabitur in decursu hujusce disceptationis.

§ 1. *De conditionibus ex parte subjecti* [1].

Si de solo merito congrui sermo est, ex parte subjecti una tantum requiritur conditio, scilicet *status viæ;* si autem de merito condigni agitur, præter statum viæ requiritur etiam *status gratiæ.*

Propositio I.

Pro utroque merito requiritur status viæ.

975. — Prob. I. **Ex S. Scriptura et Traditione.** Juxtà ordinariam Dei providentiam, tempus merendi quocumque merito esse tempus præsentis vitæ, spatium scilicet illud quod pro quolibet homine currit usque ad separationem animæ a corpore, in SS. Scripturis et a Patribus haud dubitanter promulgatur.

Legimus (Gal. VI, 10): *Dum tempus habemus, operemur bonum.* In quæ verba scribit *S. Hieronymus:* « Tempus sementis tempus est præ» sens, et vita quam currimus. In hac licet nobis, quod volumus, semi» nare; cum ista vita transierit, operandi tempus aufertur; unde et » Salvator ait: Operamini dum dies est; veniet nox, quando jam nullus » poterit operari. » *(Mign. 26, c. 432).*

(Eccles. IX, 10): *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt*

[1] Cf. *Salmant.,* Tr. XVI, Disp. 1, dub. 4; Tom. 10, p. 682. - *Tanner,* Disp. 6, q. 6, dub. 2; p. 1376. - *Wenzl,* Contr. 8, q. 2; p. 220. - *Suarez,* De Aux., L. 12, cap. 15; T. 10, p. 89.

apud inferos, quo tu properas; scilicet ad merendum, sicut exponunt S. Hieronymus *(in hunc locum)*, et S. Gregorius, *(Dial., L. 4, c. 39)*. (Eccli. XI, 28): *Facile est coram Deo in die obitûs retribuere unicuique secundum vias suas.* — (Ibid. XIV, 17): *Ante obitum operare justitiam.* — (Ibid. XVIII, 19): *Ante judicium para justitiam tibi.* Hæc aliaque ejusdem generis testimonia invicte probant, nullum post mortem præstò esse tempus merendi; ideoque SS. Patres et Ecclesiæ Doctores unanimi ore docent in hac solâ vitâ mortali, nequaquam autem in alterâ, merita posse comparari: « Frustra, *inquit S. Prosper*, sibi » homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare ne» glexit. » *(Sent. 172. M., 51, c. 451)*. — Et *S. Cyprianus:* « Quando » isthinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus » satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur. » *(Lib. ad Demetrianum, n. 25. M., 4, c. 563)*. — Et *S. Augustinus:* « Frustra » homo post hoc corpus inquirit, quod in hoc corpore sibi comparare » neglexit. » *(De Civ. Dei, L. 21, c. 24, n. 5. M., 41, c. 740)*.

976. — Prob. II. **Ex auctoritate theologorum.** Hanc ipsam conditionem communiter adstruunt theologi. « Mereri et demereri, *inquit* » *S. Th.*, pertinent ad statum viæ: unde bona in viatoribus sunt me» ritoria, mala verò demeritoria. In beatis autem bona non sunt me» ritoria, sed pertinentia ad eorum beatitudinis præmium; et similiter » mala in damnatis non sunt demeritoria, sed pertinent ad damna» tionis pœnam. » *(2. 2, q. 13, a. 4, ad 2)*. — Et agens de gaudio, quod Angeli boni percipiunt de salute eorum qui per eorum ministerium salvantur, ait: « Sed hoc gaudium ad præmium accidentale pertinet, » quod quidem augeri potest usque ad diem judicii. Unde quidam » dicunt quod, quantum ad præmium accidentale, etiam mereri pos» sunt. Sed melius est ut dicatur quod nullo modo aliquis beatus » mereri potest, nisi sit simul viator et comprehensor, ut Christus, qui » solus fuit viator et comprehensor. Prædictum enim gaudium magis » acquirunt ex virtute beatitudinis quam illud mereantur. » *(P. 1, q. 62, a. 9, ad 3)*.

977. — Prob. III. **Ex Ratione.** 1° Ratio adæquata cur præsentis vitæ spatium sit unice tempus merendi, est divina ordinatio, quæ mortalem hanc vitam designavit ad laborem et certamen, futuram verò ad quiete fruendum fructibus suis et de partâ victoriâ gaudendum. Quare Deus, si voluisset, potentiâ suâ absolutâ potuisset tempus merendi etiam ultrà mortem protrahere. Ex una enim parte, de ratione meriti non est ut fiat opus a viatore; ex alterâ verò, justi sive beatitudine jam fruentes, sive in purgatorio adhuc patientes, possunt eli-

cere et de facto eliciunt plures actus liberos moraliter bonos et ad Deum intensâ caritate relatos, et proinde quantum est de se præmio dignos. Potuisset autem Deus horum, non secus ac viatorum, actus ordinare ad præmium eosque acceptare in ordine ad retributionem: quod est prædictos actus esse meritorios. Ex solius igitur divinæ ordinationis defectu, justorum actus post mortem carent merito. Quâ de causâ supra diximus, *juxtà ordinariam Dei providentiam* statum viæ requiri ad meritum.

2° Accedit ratio convenientiæ, quam delibat *S. Thomas, P. 1, q. 62, a. 9, ad 1;* scilicet: Meritum importat rationem cujusdam motûs in finem. « Mereri, *ait Angelicus*, est ejus quod movetur ad finem.» Motus autem ad finem, ad quem tendimus per meritum, non potest esse nisi in statu viæ; etenim, ut ait *S. Thomas:* « Ei quod est in ultimo termino, non convenit moveri, sed mutatum esse. » Convenienter igitur sola vita præsens assignatur merito.

978. — Corollarium. Ex dictis sequitur Beatos in gloriâ nec sibi nec nobis quidquam mereri posse, nec quoad præmium essentiale, nec quoad præmium accidentale, easque orationes, quas pro nobis fundunt ad Deum, habere solam virtutem impetratoriam, nullatenus autem meritoriam. Et quandò Ecclesia in natalitiis aliquorum Sanctorum Deum orat, ut nobis per merita Sanctorum gratias elargiri dignetur, per hæc merita non sunt intelligenda merita nova, quæ nunc in cœlis Sancti acquirant, sed illa quæ, dum adhuc viverent in terris, acquisiivrunt, quæque Deus virtute communionis Sanctorum acceptavit non solum ad bonum merentium, sed etiam ad utilitatem totius corporis mystici Christi, cujus remanent membra.

980. — Scholium: *De Enoch et Elia.* — Occasione hujus conditionis, inquirere solent auctores utrum Enoch et Elias, qui vivi a Deo translati sunt ut in fine temporum gentibus prædicent pœnitentiam, sint adhuc in statu merendi et de facto mereantur.

In hujus dubii solutione scinduntur auctores.

Sententiam *affirmantem* tenent omnes theologi Carmelitani [1]; cum eis consentiunt plures extranei [2]. *Ratio* est: quia hi duo sancti mortem

[1] Cf. *Salmant.*, Tr. XVI, Disp. 1, dub. 5; p. 687. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 19, q. 5; p. 446. - *Paulus a Conc.*, Tr. XIV, Disp. 2, dub. 3; p. 273. - *Philipp. a SS. Trin.*, Disp. 7; p. 571. — [2] V. gr. *Viegas*, In Apoc., cap. 11, comment. 5, sect. 4; p. 485, edit. Paris. 1606. - *Malvenda*, De Antichr., L. 9, cap. 5; p. 460; qui tamen oppositam sententiam non rejicit absolute; et alii quos citant Salmantic., loco cit.

nondum gustarunt, ac proinde sunt vere viatores. Et cum de cæteris conditionibus ad meritum requisitis nullum possit moveri dubium, affirmandum est illos, utpote adhuc in carne mortali existentes et veros viatores, vere posse mereri, non secus ac alios homines viatores. — *Præterea*, videtur contra divinam bonitatem, viros tantæ sanctitatis usque ad finem mundi divinâ visione privari, et in statu mortalitatis conservari, posteà communi legi mortis subjiciendos, quin ad eos simul extendatur lex communis statuta hominibus ad merendum.

Sententiam *negantem tanquam probabiliorem* sequuntur *Suarez* [1], *Mæratius* [2], *Oviedo* [3], *Gibbon* [4], *Frassen* [5], aliique bene multi. *Ratio* est: quia, etsi Enoch et Elias nondum sint mortui, non vivunt tamen amplius sub communi lege mortalitatis sicut alii viatores; ac proinde, sicut mors naturalis terminat meritum in aliis viatoribus, ita pro eis terminavit ea translatio, quâ a Deo positi sunt extra communem statum viatorum. — *Præterea*, si adhuc possint mereri, cum sint viri sanctissimi et per tot sæcula merita cumularent, gratiâ et meritorum cumulo Apostolos, imò et B. Joannem Baptistam, superare possent, quod tamen theologi generaliter negant, nisi dicere velimus Deum ipsis gratias excitantes parce admodum dare, aut eorum bona opera ad plenum meritum non acceptare. — Concedunt tamen hujus sententiæ auctores, patriarchas illos tempore suæ prædicationis in fine mundi mereri posse, quia sicut tunc temporis communem vitam viatorum ducent, communi etiam lege ad merendum statutâ fruentur.

Utramque sententiam probabilem judicant *Tanner* [6], *Pereyra* [7], *Turrianus* [8], cum aliis. *Gonet* [9], an mereantur necne, omninò incertum esse dicit. Quorum sententia videtur aliis anteponenda. Ratio: quia ex unâ parte, pro et contra affirmantem aut negantem sententiam militant rationes gravissimæ, et pro qualibet stant auctores graves; et ex alterâ parte, nec ex SS. Scripturis nec ex Traditione ad quæstionem dirimendam quidquam afferri potest. Quare satius est dicere, nobis esse omninò ignotum, in quonam statu relate ad meritum existant beati illi Patres.

[1] In 3 Part., Disp. 55, sect. 1; et: De Aux. L. XII, cap. 15, n. 8; p. 91. — [2] Disp. 14, sect. 3; p. 218. — [3] Tr. 9, Contr. 4, punct. 2, n. 27; p. 891. — [4] De Mer., Tr. 1, disp. 2, dub. 9, n. 17; p. 33. — [5] App. de Merito, Q. 3, concl. 2; p. 373. — [6] Disp. 6, Q. 6, dub. 2, n. 45; p. 1377. — [7] In Genes. Tom. I, Lib. 7, Disp. de Elia, q. 5, p. 270, edit. Moguntiæ 1612. — [8] Opusc. 8, disp. 2, dub. 7; p. 429. — [9] Disp. 2, art. 2, § 4; p. 65.

Propositio II.

Pro merito de condigno requiritur status gratiæ.

981. — Docuit Baius, gratiam sanctificantem non esse necessariam ad meritum de condigno, sed sufficere ad vitam æternam promerendam, ut actus sit legi conformis.

Unanimis autem omnium catholicorum sententia, quam multi [1] censent esse de fide ex Tridentino infra citando, docet, in præsenti providentiâ gratiam sanctificantem esse absolute necessariam in operante, ut sibi de condigno vitam æternam possit promereri.

982. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus (Gen. IV, 4): *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus.* Ubi videmus, ut notat S. Gregorius *(Mor., l. 22, cap. 8)*, Deum non personam propter munera, sed munera propter personam acceptare; nec munera ipsi esse grata, nisi ipsa offerentis persona fuerit prius grata, quod fit per solam gratiam justificantem. Apposite S. Thomas: « Ipsi actus, *inquit*, non sunt ratio » acceptationis divinæ; sed prius homo acceptatur a Deo, deinde actus » ejus, ut habetur Genes. IV, 4: *Respexit Deus ad Abel et ad munera* » *ejus.* Unde illud donum quod Deus tribuit his quos acceptat in suum » regnum et gloriam, præsupponitur ad perfectiones vel habitus, quibus » humani actus perficiuntur, ut sint digni acceptari a Deo.» *(De Verit., q. 27, a. 5).*

(Joan. XIV, 4, 5): *Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.* Qui igitur non manet in Christo, et in quo Christus non manet, hic non potest facere fructum, id est, colligere merita ad vitam. Sed nec Christus in homine, nec homo in Christo manet, nisi per gratiam justificantem. Ergo nequit sine gratiâ justificante adesse in homine meritum ad vitam æternam.

Hæc eadem veritas multis aliis testimoniis confirmari potest, ut, v. gr., (Rom. VIII, 17): *Si filii et hæredes*, etc.; ubi indicatur solis filiis, id est, justificatis, deberi cœlestem hæreditatem.— (I Cor. XIII, 1-3), ubi Apostolus confitetur: etsi in pauperes distribueret omnes suas facultates, imò etsi igni corpus traderet, caritatem verò non haberet, se nihil

[1] Cf. *Salmant.*, Disp. 3, dub. 1; p. 706. — *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 19, q. 3; p. 437.

fecisse censeretur. Caritas igitur est omninò necessaria ut homo de condigno sibi quidquam possit mereri.

983. — Prob. II. **Ex Tridentino.** Legimus, *Sess. VI, cap. 16:* « Hac » igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò » conservarint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli » verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non » est inanis in Domino. » Quibus in verbis, sicut in toto citato capite, supponit Tridentinum solos justificatos de condigno mereri posse; quocirca *in can. 32 ejusdem Sessionis*, quando definit hominem per bona opera posse mereri augmentum gratiæ et ipsam vitam æternam, de solius hominis justificati operibus explicite loquitur. Quo satis innuit Concilium, se in solis justorum operibus verum meritum agnoscere.

Præterea, *in cap. 8 ejusdem Sessionis* docet: « Gratis autem justi- » ficari ideò dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, » sive fides sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. » Si autem gratiam justificantem non potest promereri, ergo nec gloriam quæ est gratia consummata. — *Præterea*, cum solus justificatus possit admitti in cœlum, et cum meritum de condigno det jus ad gloriam, sequeretur, hominem, si posset absque gratiâ mereri gloriam, posse etiam mereri gratiam justificantem, in quâ solâ radicatur jus ad gloriam.

984. — Prob. III. **Ex condemnatione propositionum Baii.** Inter baianas propositiones a S. Pio V, Gregorio XIII, et Urbano VIII damnatas, quatuor quoad scopum nostrum sunt notandæ, scilicet:

12ª « Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium. » *(Denz., n. 892).*

13ª « Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum eo quod sint conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi. » *(Denz., n. 893).*

15ª « Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operantur, habeant gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obediunt divinæ legi. » *(Denz., 895).*

18ª « Opera catechumenorum, ut fides et pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita. » *(Denz., 898).*

985. — Prob. IV. **Ex Traditione.** Scribit *S. Augustinus:* « Cui red- » deret coronam justus judex, si non dedisset gratiam misericors Pater? » Et quomodo esset ista corona justitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ » justificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi prius ista » gratuita donaretur. » *(De Grat. et lib. arb., c. 6. M., 44, c. 890).*

Et: « Sequuntur bona opera hominem justificatum, non præcedunt » justificandum. » *(De fide et operibus, c. 14. M., 40, c. 211).*

S. Prosper: « Justificatus homo, id est, ex impio pius factus, nullo » præcedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirat et meri- » tum. » *(Ad cap. Gallorum, cap. 6. M., 51, c. 161).*

986. — Prob. IV. **Ex Ratione.** Ad necessitatem gratiæ sanctificantis probandam pro merito de condigno, duplicem rationem affert S. Thomas.

1° Prima ratio, quæ valet pro omni statu, desumitur ex inæqualitate principii operativi ad præmium supernaturale. « Si loquamur » de homine quoad primum statum (scilicet naturæ integræ), *inquit* » *S. Doctor*, sic unâ ratione non potest homo mereri absque gratiâ » vitam æternam per pura naturalia; quia scilicet meritum hominis » dependet ex præordinatione divinâ. Actus autem cujuscumque rei » non ordinatur divinitùs ad aliquid excedens proportionem virtutis » quæ est principium actûs; hoc enim est ex institutione divinæ pro- » videntiæ, ut nihil agat ultrà suam virtutem. Vita autem æterna est » quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ... Et inde » est, quod nulla natura creata est sufficiens principium actûs meri- » torii vitæ æternæ, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, » quod gratia dicitur. » *(Q. 114, a. 2).* Gratiam autem, quam S. Doctor hic necessariam dicit, esse gratiam sanctificantem, ex eo constat quod in fine ejusdem articuli talem requirit gratiam, quæ peccatum expellat, quæ est sola gratia sanctificans.

2° Secunda ratio, quæ speciatim valet pro homine in peccato existente, sic proponi potest: Qui de condigno vitam æternam meretur, ille est dignus vitâ æternâ, atque ad eam jus habet. Sed in statu naturæ lapsæ, ubi non est gratia, ibi necessariò adest peccatum mortale, quod hominem reddit indignum gloriâ, ipsum omni jure ad eam privat, atque eum in gehennam ordinat. Sed illud absolute repugnat, eumdem hominem esse simul dignum et indignum vitâ æternâ, eum habere jus ad cœlum et esse simul deputatum ad infernum. Impossibile est igitur, ut homo existens in peccato mortali possit de condigno vitam æternam mereri.

Et hac de causâ nec ipse actus caritatis, si non procedit a personâ gratâ Deo per gratiam sanctificantem, potest de condigno vitam æternam mereri. « Dicendum, *ait Angelicus*, quod caritas non suffi- » ceret ad merendum bonum æternum, nisi præsuppositâ idoneitate » merentis, quæ est per gratiam; aliter enim dilectio nostra non esset » tanto præmio digna. » *(De Verit., q. 27, art. 2, ad 4).*

QUÆSITA.

987. — Quæritur I. *Utrum, de potentiâ Dei absolutâ, homo posset absque gratiâ sanctificante aliquid mereri de condigno?*

Resp. Si sermo est de homine existente in mortali, omnes unanimiter respondent *negative*. *Ratio*, quia intrinsece repugnat eum, qui habet positivam indignitatem ad cœlum, sicut peccator, habere simul dignitatem ad cœlum, quæ provenit ex merito de condigno, sicut dictum est in ratione 2ª supra allatâ.

Si sermo est de homine existente sine gratiâ et sine peccato, qualis foret homo in puris naturalibus aut in statu naturæ integræ, dissentiunt auctores.

Docet *Scotus* [1] cum Scotistis [2] et quibusdam aliis [3], de potentiâ absolutâ posse hominem absque gratiâ sanctificante, sed vel ex puris naturalibus, vel cum solâ gratiâ actuali, mereri de condigno vitam æternam. — *Ratio:* quia meritum dependet non ab intrinsecâ naturâ operis, sed ab acceptatione et promissione divinâ. Sed Deus, si vellet, posset acceptare ad vitam æternam opus positum ex puris naturalibus aut cum solâ gratiâ actuali: quo in casu tale opus de condigno meritorium foret vitæ æternæ.

Alii contrà docent, ne de absolutâ quidem Dei potentiâ fieri posse, ut homo sine gratiâ possit mereri de condigno. *Ratio:* quia, ut opus sit meritorium de condigno, non sufficit externa Dei acceptatio, sed requiritur necessariò ut habeat proportionem quamdam ad præmium, ac proinde ut procedat a principio dignificato et proportionato, ut supra in ratione 1ª dictum est. Hæc autem principii operantis dignificatio non potest haberi nisi a gratiâ sanctificante, vel ab aliâ formâ superiori quæ gratiam suppleat, ut, v. gr., factum fuisset in Christo per gratiam unionis, si gratiam sanctificantem non habuisset. — Hæc est sententia *D. Thomæ, q. 114, a. 2*, et majoris partis theologorum [4].

[1] In I Sent., D. 17, q. 2, § De secundo articulo; p. 214. — [2] Ita *Panger*, Disp. 5, q. 3, n. 33; p. 555. - *Dupasquier*, Disp. 7, concl. 2; p. 346 - *Herincx*, Disp. 6, q. 1; p. 458. — [3] Ita *Tanner*, Disp. 6, q. 6, dub. 2, n. 39; p. 1375. - *Suarez*, L. XII, cap. 14, n. 8; p. 85. - *Medina*, In q. 114, a. 2; p. 1114. — [4] Ita *Salmant.*, Disp. 3, dub. 1, § 2 et 3; p. 707. - *Paul a Concept.*, Disp. 2, dub. 4; p. 278. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 19, q. 3, n. 37 et 38; p. 441. - *Gibbon*, Disp. 2, dub. 7; p. 25. - *Turrianus*, Opusc. 8, Disp. 1, dub. 8; p. 401. - *Muniessa*, Disp. 26, sect. 1, n. 7; p. 514. - *Vasquez*, Disp. 216, c. 2. - *Arriaga*, Disp. 54, sect. 1; p. 631.

988. — **Quæritur II.** *An, cæteris paribus, quò major est gratia sanctificans in homine, eò majus est etiam operis meritum?*

NB. Sensus quæsiti est, an idem opus positum in iisdem circumstantiis, cum eodem influxu caritatis eâdemque bonâ intentione, sit magis meritorium in eo qui habet majorem gratiam, quam in eo qui minorem habet.

Resp. Scinduntur auctores, duæque existunt sententiæ.

Prima docet, hominem sanctiorem eodem opere, cæteris paribus, propter solam præsentiam majoris gratiæ, majus meritum de condigno habere, quam ille qui est minor in sanctitate. *Ratio:* Quia meritum de condigno fundatur in dignitate personæ, sicut manifestum est de Christo Domino, cujus opera propter infinitam dignitatem personæ, infinitum habuerunt valorem ad merendum. Cum igitur major gratia personam magis dignificet, sequitur opera ejus, qui est major in gratiâ, habere etiam valorem majorem ad merendum. — *Præterea*, quò opera sunt gratiora ei, a quo meretur aliquis, eò magis etiam operans meretur. Sed opera amici magis dilecti sunt gratiora operibus minus dilecti. Cum igitur major gratia reddat hominem Deo amiciorem, sequitur, ejus opera esse etiam Deo gratiora atque majus mereri præmium. — Ita *Suarez* [1], *Valentia* [2], *Oviedo* [3], *Ripalda* [4], *De Lugo* [5], etc.

989. — *Secunda sententia* multò probabilior affirmat majorem gratiam, cæteris paribus, non tribuere operibus majorem valorem ad merendum; sed diversitatem meritorum desumi ex majori bonitate ipsius operis, perpensis objecto, fine, circumstantiis, et præsertim fervore quo aliquis opus bonum exsequitur illudque in Deum ordinat; ita ut, v. gr., habens gratiam ut decem, si operatur cum quatuor gradibus intensionis, non meretur plus quam qui, habens tantum gratiam ut quatuor, cum illis quatuor gradibus operatur; imò, qui habet gratiam ut quatuor, si operatur cum quatuor gradibus fervoris, magis meretur quam habens decem sed operans tantum cum tribus gradibus intensionis. — Ita *Salmantic.* [6], *Medina* [7], *Vasquez* [8], *Arriaga* [9], *Paulus a Concept.* [10], *Gibbon* [11], *Muniessa* [12], et multi alii.

Ratio: In SS. Scripturis, non habitibus sed solis operibus promittitur merces. (Matth. XVI, 27): *Reddet unicuique secundum opera ejus.*

[1] De Aux., L. 12, cap. 22; p. 134. — [2] Disp. 8, q. 6, punct. 3; p. 1170. — [3] Tract. IX, contr. 5, punct. 2; p. 895. — [4] Tom. II, disp. 81; p. 102. — [5] De Incarn., Disp. 6, sect. 2; p. 115. — [6] Disp. 4, dub. 4; p. 747. — [7] In q. 114, a. 8; p. 1130. — [8] In III P., Disp. 6, c. 4, n. 24; p. 66. — [9] Disp. 55, p. 637. — [10] Disp. 2, dub. 5, § 9, n. 94; p. 292. — [11] Disp. 2, dub. 8; p. 528. — [12] Disp. 27, sect. 1; p. 528.

— (I Cor. III, 8): *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Exinde adagium: Non habitibus, sed actibus meremur. Ergo, ubi est omninò idem opus, idem omninò redditur etiam præmium.

Confirmatur hæc ratio: Merces correspondet pretio quod pro eâ offertur, et non conditionibus personæ. Sed pretium mercedis est opus bonum, non autem habitus qui est conditio operantis. Licet igitur habitus gratiæ sit diversus gradibus, si idem ponitur opus, idem offertur pretium, et idem retribuetur præmium.

Præterea: Demeritum non augetur ex eo quod peccans graviora habeat vitia, sed ex eo quod actus peccaminosus majorem in se contineat malitiam. Sed sicut se habet culpa ad demeritum, ita actus bonus ad meritum. Sicut igitur præsentia majoris vitii non reddit actum magis demeritorium, nisi fortius in illum influat illumque pejorem reddat, ita etiam præsentia majoris gratiæ non reddit actum magis meritorium, nisi fortius influat in actum ipsumque meliorem reddat.

990. — Ad primum igitur argumentum prioris sententiæ respondendum: Meritum de condigno fundatur in dignitate personæ: *dist.:* eo sensu quod dignitas illa, seu præsentia gratiæ, prærequiratur ut ponatur homo in statum merendi, *conc.;* et sub hoc respectu dignitas personæ recte dicitur fundamentum meriti; — in eo sensu quod dignitas illa, seu gratia sit mensura valoris meritorii actûs boni, *subdist:* si gratia consideratur ut se habens solum *concomitanter* ad actum, *nego;* si consideratur ut *influens* in actum, mediante quo influxu constituit opus pretium vitæ æternæ, *conc.* Proinde quò major est influxus gratiæ in actum, eò magis actus erit meritorius; si verò in diversis habentibus inæqualem gratiam, gratia cujusque influit in opus eadem intensione, cujusque opus erit ejusdem meriti de condigno.

Ad confirmationem autem ductam ex merito Christi, dicendum, exemplum non esse ad rem, ut ultrò fatentur aliqui patroni prioris sententiæ, v. gr. *Oviedo (loc. cit.). Ratio:* quia sanctitas Christi utpote Dei-Hominis, et sanctitas puri hominis differunt naturâ. Unde ex eo quod infinita dignitas Christi suis operibus tribuit valorem infinitum, argui non licet, majorem hominis dignitatem suâ solius præsentiâ majorem etiam ejus operibus tribuere valorem meritorium.

991. — Ad secundum argumentum dicendum, ipsum fore optimum si meritum esset jus amicitiæ. Porro, meritum de condigno, etsi præsupponat amicitiam, non est tamen simpliciter jus amicitiæ, sed jus justitiæ, nixum in quadam æqualitate pretii cum præmio. Ubi igitur est æquale pretium, ibi etiam æquale debetur præmium. Et sic pro

æquali opere meritorio æquale redditur præmium, et non majus uni, quia magis sanctus, et minus alteri, quia minus sanctus, sed unicuique juxta opera sua, ut ait Scriptura.

Si sermo esset de impetratione, cum hæc non nitatur justitiâ, sed misericordiâ, fatendum est orationes hominis sanctioris, cæteris paribus, esse majoris efficaciæ quam hominis minus sancti.

§ 2. *De Conditionibus meriti ex parte operis.*

992. — In primâ hujusce operis parte, cum contra Pelagianos egimus, jam probavimus nullum opus posse esse salutare, id est, conducens ad vitam æternam, nisi sit entitative supernaturale, ponaturque a voluntate sub influxu gratiæ excitantis et cum adjutorio gratiæ concomitantis. *(Cf. n. 170 et ss., præs. n. 177).* Non est igitur cur de actûs meritorii supernaturalitate iterum agamus.

Sed ut actus sit meritorius sive de condigno sive solum de congruo, tres aliæ assignantur conditiones. Oportet nimirum actum meritorium esse *liberum, undequaque bonum* saltem in individuo, et *in obsequium Dei factum.*

Propositio.

Actus meritorius debet esse liber, bonus, atque in obsequium Dei factus.

Propositio est *de fide* quoad 1^m^ conditionem, ex condemnatione 3^æ^ propositionis Jansenii: « Ad merendum vel demerendum in statu » naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed » sufficit libertas a coactione. » — *Certa*, quoad 2^m^ et 3^m^ conditionem.

993. — Prob. I^a^ Pars: *Actus debet esse liber.*

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Libertatem esse conditionem ad meritum, in SS. Scripturis aperte declaratur. Legimus, (Eccli. XXXI, 10, 11): *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Ergo, ideò stabilita sunt bona illius, seu meruit, quia erat liber ad faciendum et non faciendum. — (Eccli. XV, 14-18): *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te... Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi.*

Prob. II. **Ex Traditione.** Scribit *S. Hieronymus:* « Liberi arbitrii » nos condidit Deus, nec ad vitia, nec ad virtutes necessitate trahi-

» mur: alioquin ubi necessitas est, nec corona, nec damnatio est. » *(Contr. Jovinian., L. 2. M., 23, c. 286).*

S. Augustinus: « Ipsa divina præscripta homini non prodessent, » nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad pro- » missa præmia perveniret. » *(De Grat. et lib. arb., cap. 2. M., 44, c. 882).*

S. Bernardus: « Ubi non est libertas, nec meritum. Propterea » quæ sunt carentia ratione animalia nihil merentur, quia sicut deli- » beratione, ita et libertate carent. » *(Serm. 81 in Cant. M., 183, c. 1174).*

Prob. III. **Ex Ratione.** Meritum est sicut quoddam pretium ad aliquid emendum. Sed nullus potest dare in pretium nisi quod est suum. Actus autem humanus non aliter est hominis, nisi quia est in potestate voluntatis, seu nisi quia est liber. Cum igitur ille actus offeratur Deo tanquam pretium mercedis, necessariò debet esse liber. Apposite *S. Thomas:* « Cum mereri, *inquit*, respectu mercedis dicatur, » proprie mereri est aliquid sibi magis acquirere pro mercede; quod » quidem non fit nisi cum aliquid damus quod est condignum ei quod » mereri dicimur; dare autem non possumus nisi id quod nostrum » est, cujus domini sumus. Sumus autem domini nostrorum actuum » per voluntatem;... unde ad hoc quod aliquis actus sit per se me- » ritorius, oportet quod sit actus voluntatis vel imperantis vel eli- » cientis. » *(De Verit., q. 26, a. 6).*

994. — **NB.** 1° Ex allatâ ratione sequitur, de essentiâ operis meritorii esse ut sit liberum, ac proinde actum necessarium ne de absolutâ quidem Dei potentiâ fieri posse meritorium. Potest equidem Deus acceptare ad gloriam actum non liberum, sicut de facto ex speciali privilegio mortem SS. Innocentium, quæ nec libera nec voluntaria erat in eis, acceptavit ad gloriam. Sed hæc operis acceptatio ei non confert rationem meriti; et gloria pro eo retributa, donum est, non merces; est actus misericordiæ, non justitiæ.

2° Ad rationem meriti non requiritur in operante libertas contrarietatis, quæ se habet ad bonum et malum: secus Christus Dominus, in quo nullum potuit esse peccatum, nihil potuisset mereri; sed sufficit libertas exercitii, quâ aliquis pro arbitrio suo actum ponere vel ab eo abstinere potest. Ratio: Ad meritum ea sufficit libertas, quæ hominem constituit vere dominum sui actûs; sed hoc præstatur per libertatem exercitii, ut per se patet.

995. — Prob. II^a^ Pars: *Actus debet esse bonus et honestus.*

Prob. **Ex Tridentino.** Legimus, *Sess. VI, cap. 16:* « Bene operan- » tibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita

» æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericor-» diter promissa; et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis » ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. »

Prob. II. **Ex Ratione.** Ut actus sit meritorius et præmio dignus, debet esse gratus ei, a quo aliquis meretur. Sed solus actus moraliter bonus, potest esse Deo gratus. Actus enim indifferens (etiamsi in individuo esset possibilis) nec præmio nec castigatione dignus est, ut nomen indicat; actus verò malus, seu peccatum tam veniale quam mortale, Deo maxime displicet; quare non mercedem, sed castigationem meretur. Restat igitur ut solus actus bonus sit meritorius. Unde et in SS. Scripturis merces solis bonis operibus repromittitur.

996. Prob. III[a] Pars. *Opus debet fieri in obsequium Dei.*

Prob. Meritum est quasi pretium ad obtinendum a Deo boni supernaturalis retributionem. Sed pretium debet ei offerri, a quo aliquid pro illo exspectatur; secus enim nec ex justitiâ, nec ex condecentiâ hic teneretur ad aliquid retribuendum, cum nihil accepisset. Opus igitur ut sit meritorium apud Deum, Ipsumque possit movere ad aliquid retribuendum, debet ad Ipsum dirigi, seu fieri in ejus obsequium.

QUÆSITA.

997. — Quæritur I. *Utrum ad meritum requiratur actus positivus, an sufficiat pura negatio*[1] *?*

Resp. Unus alterve theologus docet, puram negationem sufficere posse ad meritum[2]. Sed communis theologorum sententia docet, ad meritum requiri actum positivum. « Bonum contingit ex integrâ causâ, » *inquit S. Th.*, malum autem ex singulis defectibus, ut Dionysius » dicit (De Div. Nom. cap. 4). Et ideò peccatum potest contingere, » sive aliquis faciat quod non debet, sive non faciendo quod debet; » sed meritum non potest esse, nisi aliquis faciat voluntarie quod » debet. Et ideò meritum non potest esse sine actu; sed peccatum » potest esse sine actu. » *(1. 2, q. 71, a. 5, ad 1).*

Ratio est, quia actus meritorius præmii supernaturalis debet esse entitative supernaturalis. Sed pura omissio, cum sit negatio actûs, non potest esse entitative supernaturalis; proinde nec meritoria.

[1] Cf. *Suarez*, L. XII, cap. 2; p. 12. - *Oviedo*, Tr. 9, contr. 3, punct. 2; p. 873. - *Gibbon*, Tr. 1, dub. 3; p. 11. — [2] Ita *Ripalda*, De Ente supern., Tom. I, disp. 70, sect. 2 et ss.; p. 591.

Nec opponi potest, hominem laudari a Spiritu Sancto, eo quod *potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala et non fecit.* Hæc abstinentia a malo est pura omissio; si autem laudabilis, ergo et meritoria apud Deum. Unde etiam duo enumerantur actus virtutis justitiæ, scilicet *declinare a malo*, quod est omissio, et *facere bonum*, quod est quid positivum: utrumque autem meritorium.

Respondetur enim, hominem tentatum non eò præcise mereri abstinendo se a malo, quia nihil agit, sed mereri per actum voluntatis quo a malo abstinet; qui actus est quid positivum. « Declinare a malo, » *ait S. Th.*, secundum quod ponitur pars justitiæ, non importat ne- » gationem puram, quod est non facere malum; hoc enim non me- » retur palmam, sed solum vitat pœnam. Importat autem motum vo- » luntatis repudiantis malum, ut ipsum nomen declinationis ostendit; » et hoc est meritorium, præcipue quando aliquis impugnatur ut ma- » lum faciat, et resistit. » *(2. 2, q. 79, a. 1, ad 2).*

998. — **Quæritur II.** *An opus lege præscriptum possit esse meritorium*[1]*?*

Resp. Fuit singularis opinio Dionysii Cisterciensis docentis, opus lege præscriptum non esse meritorium; sed ad meritum requiri opus supererogationis vel consilii. Quam opinionem Suarez vocat temerariam et erroneam.

Excepto Dionysio, omnes theologi unanimiter docent, opus præscriptum esse meritorium; imò major pars docet tale opus, cæteris paribus, esse magis meritorium quam opus liberâ voluntate susceptum.

Ipsum esse meritorium ex SS. Scripturis adeò clare constat, ut probatione non indigeat.

Ipsum, cæteris paribus, esse magis meritorium quam opus liberâ voluntate susceptum, ex eo patet, quod opus præscriptum, præter bonitatem quam habet ex virtute cujus est actus, specialem participat bonitatem obedientiæ, quæ super omnia Deo placet, juxta illud (I Reg. XV, 22): *Melior est enim obedientia, quam victimæ.* Inde est cur SS. Patres et Doctores ascetici[2] obedientiam tantopere extollant, eique ad merendum tantam tribuant virtutem. « Majoris est meriti » caritatis, *ait S. Gregorius*, injuncta refectio, jejunio propriâ delibe- » ratione suscepto. » *(In I Reg., L. 2, c. 4, n. 12. M., 79, c. 132).*

[1] Cf. *Suarez*, L. XII, cap. 5; p. 25. - *Salmant.*, Disp. 1, dub. 3, n. 18; p. 679. - *Mazzella*, De Gr., n. 1147. — [2] Cf. *S. Alph.*, Vera sponsa, cap. 7.

999. — **Quæritur III.** *Utrum ad meritum de condigno requiratur ut opus in Deum per imperium caritatis referatur?*

Resp. Quæstio apud auctores valde controvertitur. Ad cujus solutionem quædam sunt prænotanda.

1° Docent omnes doctores, actum a caritate elicitum aut imperatum esse de condigno meritorium; atque cæteris paribus, actum quemlibet eò magis esse meritorium, quò intensius caritas in eum influat eumque perfectius in Deum ordinet. « Qui ex majori caritate » laborat, *ait S. Thomas*, licet minorem laborem patiatur, plus de » præmio essentiali accipiet. » *(Ep. I ad Cor., c. 3, lect. 3).*

2° Omnes doctores, uno aliove excepto, docent, non solum actum caritatis, sed etiam actus aliarum virtutum, tam infusarum quam acquisitarum, esse meritorios de condigno, dummodo actus virtutis acquisitæ ponantur ex motivo supernaturali sub influxu gratiæ; secus enim forent actus naturales ad salutem non conducentes.

1000. *Sed controvertitur* utrum illud motivum supernaturale, ob quod actus virtutis acquisitæ ponuntur, debeat esse motivum caritatis referentis actus in Deum, an vero sufficiat motivum cujusque virtutis per se infusæ. — *Item*, controvertitur utrum actus virtutum infusarum habeant ex proprio suo motivo sufficientem rationem meriti de condigno, quin per caritatem in Deum ordinentur; vel an debeant mediante caritate in Deum ordinari.

Quibus notatis, respondetur, tres hac de re proferri sententias, duas scilicet extremas, et mediam.

1001. — *Prima sententia extrema* docet, ad meritum de condigno requiri actuale imperium caritatis, seu actualem intentionem faciendi opus ob gloriam Dei. Hæc sententia a *Tanner* [1] attribuitur Durando, Scoto, Gabrieli Biel, Alensi aliisque paucis. Sed attente legenti constat, allegatos auctores non clare docere actuale requiri imperium caritatis, sed solum exigere, sicut optime notat *Suaresius* [2], ut opus ordinetur in Deum, quod virtuali intentione fieri potest. Huic favere videtur *Ricardus a Mediavilla*, qui sequentem ponit conclusionem: « Actualis » intentio ad merendum explicita est omninò necessaria in incipiendo » opere, in continuando autem ipsum usque in finem sufficit impli- » cita [3]. »

Sed hæc sententia est rejicienda tanquam omninò improbabilis; omnes enim tanquam certum tenent, actuale imperium caritatis in

[1] Disp. 6, q. 6, dub. 4, n. 73, p. 1386. — [2] De Aux., L. XII, cap. 10, n. 10; p. 55. — [3] In II S., D. 41, q. 2; p. 502.

omni opere, ad hoc ut sit meritorium, non requiri: ad impossibile enim nemo tenetur; sed hominem in omni opere semper actualiter de Deo cogitare, nisi adsit speciale gratiæ privilegium, prorsus est impossibile.

1002. — *Secunda sententia extrema* docet, nec actuale nec virtuale caritatis imperium requiri, sed relationem habitualem omninò sufficere ad meritum de condigno; ac proinde actus virtutum infusarum, necnon et actus virtutum acquisitarum si fiunt ex imperio alicujus virtutis infusæ, mereri de condigno præmium essentiale, etiamsi nullus actus caritatis, quæ eos actu vel virtute in Deum ordinet, præcesserit. Ratio est, quia per gratiam sanctificantem homo est dignificatus atque perfecte ordinatus in Deum, propter quam ordinationem, quidquid facit ex motivo supernaturali, sufficienter censetur factum propter Deum summe dilectum, ut meritum de condigno ei recte attribuatur.

Innui videtur hæc sententia in SS. Scripturis et a Tridentino. Legimus (Matth. XXV): *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum... esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere*, etc. — (I Cor. XV, 58): *Abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Quo textu utitur Tridentinum, *Sess. VI, cap. 16*, ut fideles spe præmii ad bona opera adhortetur, et subjungit: « Nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum » est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, » divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo » etiam tempore, si tamen in gratiâ decesserint, consequendam, vere » promeruisse censeantur. » — In his autem verbis præmium promittitur bonis operibus, nullâ mentione factâ de caritate. Hujus igitur influxus non est ad merendum necessarius.

Hæc secunda sententia est valde probabilis; ipsam explicite tradit *S. Franciscus Salesius* [1], eamque amplexi sunt multi magni nominis theologi [2].

[1] Traité de l'Amour de Dieu, L. XII, chap. 8. — [2] V. gr. *Aguirre*, Tom. 3, Disp. 131, sect. 3; p. 627. - *Oviedo*, Contr. 3, punct. 3. p. 875. - *Mæratius*, Disp. 14, sect. 4; p. 220. - *Schmier*, App. ad tract. VIII, De Merito, thes. 7; p. 52. - *Wenzl*, P. 8, q. 5; p. 241. - *Puteobonelli*, De Grat., q. 4, a. 2, concl. 2; p. 468. - *Wiggers*, In 1. 2, q. 114, a. 4, n. 59; p. 494. - *Panger*, Disp. 5, q. 4, ass. 2; p. 552. - *Mastrius*, In 2 Sent., Disp. 7, q. 9; p. 614. - *Gaudentius*, Tr. 5, disp. 4, q. 8; p. 228. - *Gabriel a S. Vinc.*, Q. 3; p. 521. - *Gibbon*, Disp. 2, dub. 5; p. 19. - *Muniessa*, Disp. 24, sect. 1; p. 455. - *Vasquez*, Disp. 217. - Hi tamen auctores non in omnibus perfecte inter se concordant. Sic, v. gr., *Vasquez*, *Mæratius*, et alii pauci, dicunt actus virtutum acquisitarum esse de condigno meritorios non solum sine influxu caritatis, sed etiam sine influxu alterius virtutis infusæ, quod alii communiter negant.

1003. — *Tertia sententia, media,* docet, nullum actum cujusque virtutis, sive infusæ sive acquisitæ, esse de condigno meritorium præmii essentialis beatitudinis, nisi per caritatem virtuali saltem relatione in Deum referatur. Huic sententiæ, tanquam probabiliori et præsertim tanquam multò tutiori, subscribimus. Eam tradunt *S. Thomas,* (locis infra citandis); *S. Bonaventura* [1], licet quidam Scotistæ eum in secundam sententiam trahere conentur; *S. Alphonsus* [2], multique theologi cujusque scholæ, præsertim theologi antiquiores ut *Albertus Magnus* [3], *Scotus* [4], *Durandus* [5], *Gabriel* [6], *Dionysius Carth.* [7], etc.

1004. — PROB. I. **Ex S. Scriptura.** S. Scriptura omnibus justorum operibus mercedem promittit, sed non rarò particulam adjicit quæ in eisdem operibus caritatis influxum denotat. Legimus, (Luc. IX, 48): *Quicumque susceperit puerum istum* IN NOMINE MEO, *me recipit.* — (Matth. XIX, 29): *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres...* PROPTER NOMEN MEUM... *vitam æternam possidebit.* — (Marc. IX, 40): *Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ* IN NOMINE MEO, *quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* — (Gal. V, 6): *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ* PER CARITATEM OPERATUR. Atverò verba *in nomine meo, propter nomen meum, per caritatem operatur,* haud dubie declarant satis non esse si quis operetur *cum* caritate, sed debere eum operari *ex* caritate, seu referre opus suum in Deum relatione saltem virtuali.

1005. — PROB. II. **Ex Auctoritate.** Agens de actibus virtutum infusarum, ait *S. Thomas:* « Fidei actus non est meritorius, nisi fides » per dilectionem operetur, ut dicitur Gal. V. Similiter etiam actus » patientiæ et fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex caritate » hæc operetur. » *(1. 2, q. 114, a. 4, ad 3).* — Et agens de ordinatione actuum nostrorum in Deum, scribit: « Non sufficit omninò habitualis » ordinatio actûs in Deum: quia ex hoc quod est in habitu, nullus

[1] In II. S., D. 40, a. 1, q. 3; p. 946 — [2] Contr. hær., sess. VI, n. 88; Mor., L. V, n. XLIV. — [3] II Sent., D. 40, a. 4; p. 357. — [4] II. S., D. 41; p 98. — [5] II. S., D. 40; p. 151. — [6] II. S., D. 40, fol. 180. — [7] II. S., D. 40, q. 3; p. 574. - Ita etiam: *Salmant.,* Disp. 6, dub. 1; p. 717. - *Paulus a Concept.,* Disp. 2, dub. 5; p. 289. - *Valentia,* Q. 6, punct. 3; p. 1169. - *Bellarm.,* De Justif., L. V, c. 15. - *Sylvius,* In q. 114, a. 4. q. 2, concl. 2; p. 601. - *Gonet,* Disp. 2, a. 6; p. 84. - *Serra,* In q. 114, a. 4, disp. 2; p. 503. - *Tanner,* Q. 6, dub. 4; p. 1386. - *Mezger,* Tr. IX, disp. 9, a. 4; p. 108. - *Dupasquier,* Disp. 7, concl. 4; p. 331; qui hanc sententiam dicit esse communem apud Scotistas. - *Poncius,* Disp. 36, q. 7, concl. 3; p. 446. - *Barth. Durand,* Tr. V, disp. 2, q. 6; p. 378. - *Becerra,* Tr. IV, disp. 2, q. 7, § 2; p. 610. - *Malderus,* In q. 114, a. 2, dub. 8; p. 609. *Grandin,* Q. 6, a. 2; p. 308.

» meretur, sed ex hoc quod actu operatur. Nec tamen oportet quod » intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta » cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem finem proximum, sed suf- » ficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum » referantur; sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectio- » nem dirigere; tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, in Deum » ordinatum erit. » *(II S., D. 40, a. 5, ad 6).*

S. Bonaventura: « Notandum est, *inquit*, quod ad hoc quod aliqua » actio sit meritoria, non oportet, quod semper quis eam referat actua- » liter in Deum, sed sufficit relatio *habitualis*. Habitualem autem re- » lationem voco, non quia habet caritatem, per quam sit habilis ad » referendum; sed quia in primordio operationis illius vel alterius ad » quam illa consequenter se habet, intentionem habet ad Deum di- » rectam. Unde si aliquis intendit dare pro Deo centum marcas et » incipit dare et cogitat de Deo in prima marca, et in aliis non co- » gitat; nihilominus tamen omnes dationes illæ sunt ei meritoriæ et » fructuosæ. Si autem opus alterius generis inciperet, oporteret quod » intentio renovaretur ad hoc, quod hoc opus esset meritorium.» *(II S., D. 41, a. 1. q. 3, ad 6; p. 946).* — Per intentionem *habitualem*, ut ex ejus explicatione patet, S. Doctor eam intelligit quam hodie theologi virtualem dicunt.

Et agendo de fide, ait: « Motus fidei... non habet plenam et per- » fectam tendentiam et ordinationem in finem, quousque adjungatur » ei motus caritatis, qui det ei pondus et inclinationem; unde ex ad- » miniculo caritatis inest ipsi fidei perfectio meriti. » *(III S., D. 27, a. 2, q. 1, ad 1; p. 604).*

1006. — Prob. III. **Ex Ratione.** 1° Nulla virtus objectum alterius virtutis attingere potest, nisi ex illius imperio. Porrò, sola caritas Deum, quatenus finem ultimum, pro objecto habet. Ergo nulla virtus, nisi mota sit a caritate, Deum ut objectum beatitudinis attingere potest. Apposite *S. Thomas:* « Vita æterna, *inquit*, in Dei fruitione consistit. » Motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius » actus caritatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur » in hunc finem, secundum quod aliæ virtutes imperantur a caritate. » Et ideò meritum vitæ æternæ primò pertinet ad caritatem, ad alias » autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a caritate » imperantur. » *(1. 2, q. 114, a. 4).*

2° Ad meritum requiritur ut opus fiat in obsequium Dei. Atqui opus nequit fieri in obsequium Dei nisi eidem aliquo modo offeratur. Actionis autem oblatio facta Deo pertinet ad caritatem, non quidem

habitualem, sed actualiter aut saltem virtualiter influentem in actum, eumque dirigentem ad Deum. Ut igitur actio sit meritoria, debet ex imperio saltem virtuali caritatis fieri.

3° Denique, « ut hanc sententiam amplectar, *ait Tanner*, suadet » etiam hæc ratio, quia hæc sententia in praxi tutior est, nec quicquam » incommodi habet. Sive enim vera sit, sive falsa, non potest operanti » obesse, sed solum prodesse ... E contrariò opposita sententia, si quis » eam in praxi sequatur, potest esse noxia. Nam si forte divino ju- » dicio falsa sit, sane utcumque interim eam probabiliter sibi quis » persuadeat, nunquam efficiet, ut is præmium pro operibus ex cari- » tatis affectu non procedentibus consequatur. Quo fit, ut si quis ei se » in praxi accommodet, aut magnam præmiorum jacturam faciat, aut » certe periculo se ejus jacturæ exponat. » *(Loc. cit., n. 95; p. 1392).*

1007. — **NB.** — 1° Patroni hujus tertiæ sententiæ concorditer docent, ad meritum requiri relationem virtualem operis in Deum. Cum autem relatio virtualis supponat actualem antea factam, si ab eisdem quæritur, quandonam debeat homo *actu* se suaque in Deum ordinare, ita ut virtute hujus actualis relationis opera sequentia censeantur relata ad Deum, non amplius concordant.

Plures, ut *Valentia, Dupasquier, Serra*, docent, sat esse ut homo semel in vitâ, v. gr., quandò accipit usum rationis, vel quandò justificatur, explicite et actualiter se suaque in Deum referat, quæ relatio, nisi sit per peccatum mortale retractata, sufficit ut ejus virtute actus totius vitæ referantur in Deum et sint meritorii. — Hæc sententia a secundâ supradictâ opinione vix differt, ideoque a multis hæc relatio virtualis remota vocatur simpliciter relatio habitualis. Quare quæ dicta sunt de habituali, etiam de virtuali remotâ sunt dicenda.

Alii expostulant ut homo semel in anno, alii semel in mense, aut semel in hebdomadâ, aut quolibet die, suam intentionem renovet, suasque actiones Deo collective offerat.

Docet Angelicus relationem actualem toties renovari debere, quoties renovari debet actus caritatis, in quo illa continetur. « Si quæ- » ratur, *inquit*, quandò oporteat actum referre in finem ultimum, hoc » nihil aliud est quam quærere quandò oportet habitum caritatis exire » in actum: quia quandocumque habitus caritatis in actum exit, fit » ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium » eorum quæ in ipsum ordinantur ut bona sint. » *(II. S., D. 40, q. 1, a. 5, ad 6).* — Sed hic iterum quæritur: quandonam oporteat elicere actum caritatis? Alii dicunt semel in anno, alii semel in hebdomadâ.

Sed ait *S. Alphonsus:* « Circa actum caritatis magis mihi arridet » sententia eorum, qui eum requirunt semel in mense. » *(Hom. Ap., IV, 13).*

1008. — 2° Quidquid sit de hac quæstione speculative consideratâ, duo sunt certa, scilicet: *a*) actum caritatis cæteris esse magis meritorium. « Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad caritatem, » ait *S. Thomas, (1. 2, q. 114, a. 4).* Et *S. Bonaventura:* « Meritum » præmii substantialis potissime consistit in actu et affectu caritatis, » secundum quem anima habet in Deum moveri. » *(In III. S., D. 18, a. 2, q. 1; p. 388).* — *b*) Actus aliarum virtutum eò magis esse meritorios, quò efficacius caritas in eos influit, eosque perfectius in Deum ordinat; « pondus enim amoris est quod dat valorem operibus meri- » toriis », ut ait *S. Bonaventura. (II S., D. 29, a. 3, q. 2; p. 707).*

Eâ de causâ, qui de suâ sanctificatione vere sunt solliciti, nihil antiquius habent, quam ut, quantum fieri potest, ex actuali caritatis imperio omnia sua opera perficiant, eaque frequentissime actuali intentione Deo offerant, ut sic perfectius obtemperent Apostolo dicenti, (I Cor. X, 31): *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et (Colos. III, 17): *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi.* — « Pro praxi colligimus, *inquit S. Alphonsus:* Oportet sæpius in die, » saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adim- » pleatur præceptum Apostoli, saltem intentione virtuali omnia faciendi » in gloriam Dei. Hoc modo omnis actus etiam indifferens in specie » fit bonus et virtuosus in individuo. » *(Mor., L. V, n. XLIV)* [1].

§ 3. *De conditionibus meriti ex parte Dei præmiantis.*

1009. — Ex parte Dei præmiantis una requiritur conditio, scilicet pactum seu promissio de reddendâ mercede. Quæ conditio necessaria est pro merito de condigno sicut et pro merito de congruo infallibili, non autem pro merito de congruo fallibili.

Cum gratia sanctificans ex intrinsecâ suâ naturâ hominem ad vitam æternam ordinet, omne opus in statu gratiæ et ex gratiâ factum, habet in se et ex se quamdam æqualitatem proportionis cum gloriâ, et possidet in se valorem condignum ad vitam æternam. Proinde opera hominis justi, antecedenter ad extrinsecam Dei ordinationem per pactum

[1] Cf. etiam: Vera sponsa, cap. 19. Et *S. Francisc. Sales.*, Traité de l'Amour de Dieu, L. XII, chap. 9.

aut promissionem, sunt *in actu primo remoto* vitæ æternæ meritoria. Non secus, v. gr., ac labor alicujus, qui per diem in aliena vineâ laboravit, habet in se valorem ad præmium proportionatum, et est, antecedenter ad pactum, meritorius in actu primo.

Hæc verò intrinseca operum ordinatio et proportio ad mercedem non sufficit ad inducendam completam atque proximam rationem meriti de condigno, seu non sufficit ad meritum *in actu secundo*, ita ut homo habeat jus ad mercedem; sed insuper requiritur ut ex parte Dei accedat pactum seu promissio, quâ Deus se obligat ad reddendam mercedem pro opere bono. Sicut homo, de quo suprà, licet suum opus habeat in se valorem ad præmium, nullum tamen habet jus ad præmium, nisi pactio saltem tacita inter ipsum et dominum vineæ intervenerit.

Propositio.

Ad completam rationem meriti de condigno divina requiritur promissio [1].

1010. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Vitam æternam propter divinam promissionem nobis esse reddendam, sæpius testantur SS. Scripturæ. In parabolâ de operariis a patrefamilias in vineam missis legimus, (Matth. XX, 2, 13, 14): *Conventione factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam... Amice, non facio tibi injuriam; nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade.* — (Jac. I, 12): *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* — (I Tim. IV, 8): *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* — Unde et Apostolus vitam æternam sæpe vocat simpliciter *promissionem*, ut. (Hebr. VI, 12): *Fide et patientiâ hæreditabunt promissiones;* et (X, 36): *Ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.*

1011. — Prob. II. **Ex Conc. Trid., et Traditione.** Legimus in Tridentino, *Sess. VI, cap. 16:* « Bene operantibus usque in finem, et in » Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis » Dei per Jesum Christum misericorditer promissa, et tanquam merces » ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter » reddenda. »

« Debitorem Dominus ipse se fecit, *ait S. Augustinus*, non acci- » piendo, sed promittendo; non ei dicitur: *Redde quod accepisti*, sed: » *Redde quod promisisti.* » *(In Ps. 83, n. 16. M., 37, c. 1068).*

[1] Cf. *Salmant.*, Disp. 1, dub. 6; p. 692. - *Bellarm.*, De Justif., L. V, cap. 14.

S. Fulgentius: « Nam et seipsum suâ largitate dignatus est facere » debitorem. » *(Prol. ad libr. ad Monimum. M., 65, c. 152).*

1012. — Prob. III. **Ex Ratione.** Meritum de condigno, sicut homini confert jus ad mercedem, ita ex parte Dei inducit quamdam obligationem justitiæ dandi gloriam, juxta illud Apostoli, (Rom. IV, 4): *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Quare vita æterna vocatur *corona justitiæ, quam reddet Dominus justus judex.* (II Tim. IV, 8). Porro, Deus erga nullam creaturam quantumvis perfectam ex justitiâ obligari potest, nisi ipse pacto vel promissione sese prius ad hoc obligaverit. Ergo ut adsit meritum de condigno, requiritur ex parte Dei promissio vel pactum, quo fit ut Deus non « efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in- » quantum debitum est ut sua ordinatio impleatur. » *(S. Th., q. 114, a. 1, ad 3).*

Præterea, inter homines quantumvis sit pretium oblatum pro re aliquâ, aut opus pro eâ exhibitum, nullum exinde in offerente aut operante enascitur jus ad rem, nisi possessor rei ex pacto aut promissione sese prius obligaverit. Sic, v. gr., dominus vineæ, præciso pacto aut promissione, ex justitiâ ad nihil tenetur erga eum qui in suâ vineâ laboravit. Ergo a fortiori Deus, cui opera nostra aliis titulis, ut creationis, conservationis, jam debentur, non potest obligari ad aliquid nobis retribuendum pro bonis nostris operibus, nisi præsupposito ex parte ipsius pacto aut promissione. Ad completam igitur rationem meriti de condigno necessaria est divina promissio.

Nec opponi potest, parem esse rationem meriti et demeriti; sed homo peccans meretur infernum quin interveniat pactum; ergo a pari, homo faciens bonum meretur cœlum absque prævia promissione. Magna enim est disparilitas demeritum inter et meritum. Peccando, homo constituitur debitor erga Deum, cujus honorem lædit, et quem ex jure tenetur resarcire; proinde sine pacto prævio, qui peccat, tenetur Deo satisfacere et meretur punitionem. Sicut qui furatur bonum alienum, tenetur restituere et meretur puniri, licet nullum pactum præcesserit. — In merito autem obligatio reddendi nascitur non in operante, sed in alio. Sed nemo obligari potest ex justitiâ ut pro pretio oblato quidquam retribuat, nisi pactio quædam prius intervenerit. Et ita, licet ad demeritum nulla requiratur pactio aut promissio, ad meritum tamen requiritur.

CAPUT II.

DE MERITI EXISTENTIA, ATQUE BONORUM OPERUM NECESSITATE.

1013. — Docuerunt Lutherus, Calvinus, aliique reformatores sæculi XVI, naturam humanam per peccatum Adami fuisse penitus et intrinsece corruptam, ideoque omnia hominis opera, utpote a principio vitiato orta, esse penitus vitiata et vera peccata; — hancque naturæ corruptionem etiam post justificationem remanere, quia, ut supra vidimus *(n. 761 et ss.)*, in justificatione nec peccata auferantur ab animâ, nec forma sanctificans imprimatur animæ quâ intrinsece reparetur; proinde etiam justificatorum opera totidem esse peccata, licet Deus ex suâ misericordiâ illa eis non imputet.

Ex hisce suis principiis deducunt: 1° Hominem vitam æternam nullo opere promereri posse; seu nullum dari meritum in operibus justorum: peccato enim nemo quidquam sibi promereri potest. — 2° Opera bona esse ad salutem minime necessaria, imò ea esse nociva, cum sint peccata; sed hominem, sicut solâ fide justificatur, ita etiam solâ fide salvari [1].

Probandum est igitur: 1° in operibus bonis verum adesse meritum ad vitam æternam, et 2° opera bona esse ad vitam necessaria.

ARTICULUS I.

DE MERITI EXISTENTIA.

Propositio I.

Justorum opera supernaturalia sunt vitæ æternæ meritoria [2].

1014. — Prop. est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, can. 26:* « Si » quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fue» rint facta, exspectare et sperare æternam retributionem a Deo per » ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et di» vina mandata custodiendo usque ad finem perseveraverint, A. S. »

[1] Cf. *Bellarm.*, De Justif., L. IV, c. 1; et L. V, c. 1. — [2] Cf. *Bellarm.*, De Justif., L. V, cap. 2 et ss.

— Et, *can. 32:* « Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita » esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut » ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et » Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere » mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, » si tamen in gratiâ decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ » augmentum, A. S. » — Cf. etiam cap. 16 ejusdem Sessionis.

1015. — PROB. I. **Ex S. Scriptura.** 1° Vita æterna in SS. Scripturis vocatur MERCES. (Matth. V, 12): *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* — (Sap. V, 16): *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.* — (Eccles. XVIII, 22): *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Sed, ut ait S. Thomas, « merces dicitur quod merito red- » ditur; » et: « meritum et merces ad idem referuntur. Id enim merces » dicitur, quod alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, » quasi quoddam pretium ejus. » *(Q. 114, a. 1).* Igitur, quia vita æterna est merces, justi eam suis operibus vere promerentur.

2° Affirmant Scripturæ, in alterâ vitâ cuique retribui juxta mensuram operis et laboris. (Matth. XVI, 27): *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* — (I Cor. III, 8): *Unusquisque propriam mercedem recipiet secundum suum laborem.* — (Gal. VI, 8): *Quæ seminaverit homo, hæc et metet.* — (Apoc., ult. 12): *Ecce venio citò, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* Sed quod redditur et distribuitur juxta mensuram operum et laboris, redditur ut præmium.

3° Opera bona exhibentur tanquam ratio, ob quam justis redditur vita æterna, vel tanquam causa cui vita æterna respondet tanquam effectus. (Matth. XIX, 17): *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* — (I Tim. IV, 8): *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.* — (Matth. XXV, 34): *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare,* etc. — (Ibid., 21): *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* In his verbis particulæ *enim, quia,* veram causalitatem denotant. Si ergo opera sunt causa cur reddatur vita æterna, ipsa sunt vere meritoria vitæ æternæ.

4° Vita æterna vocatur BRAVIUM, CORONA, CORONA JUSTITIÆ quam reddet Dominus justus judex. (I Cor. IX, 24): *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic*

currite ut comprehendatis. — (Apoc. II, 10): *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* — (Jacob. I, 12): *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* — (Tim. IV, 7, 8): *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.* Sed quod datur ut bravium, ut corona, ut corona justitiæ, non datur secundum gratiam, sed secundum debitum. Cum igitur justorum operibus debeatur vita æterna tanquam corona justitiæ, ea opera sunt vitæ æternæ vere meritoria.

1016. — Prob. II. **Ex Traditione.** Concilia et SS. Patres unanimi ore semper docuerunt, hominem bonis suis operibus vitam æternam promereri posse. Legimus in *Conc. Arausic. II, can. 18:* « Debetur » merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præ» cedit ut fiant. » — Et in *Later. IV, cap. Firmiter:* « Per rectam » fidem, et operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur » beatitudinem pervenire. »

Scribit *S. Ignatius:* « Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum » consequi licet. » *(Epist. ad Rom., n. 4. M., 5, c. 690).*

Origenes: « Primò, *ait*, excludantur hæretici, qui dicunt bonas vel » malas animarum naturas, et audiant, quia non pro natura unicuique » Deus, sed pro operibus suis reddet. Secundo in loco ædificentur fi» deles, ne putent sibi hoc solum sufficere posse quod credunt; sed » sciant, justum judicium Dei reddere unicuique secundum opera sua. » *(L. II in Ep. ad Rom., in cap. 2. M., 14, c. 878).*

S. Gregorius Nyssenus: « Denique pro suis quemque meritis orna» tum cerno. Illis, qui boni benignique fuerint, summa et perpetua » requies tribuitur in regno cœlesti; inhumanis autem et improbis » ignis supplicium, idque sempiternum. » *(Orat. 1ª, de amandis pauperibus. M., 46, c. 462).*

S. Ambrosius: « Nonne evidens est, meritorum aut præmia aut » supplicia post mortem manere? » *(De officiis, L. I, c. 15. M., 16, c. 40).*

S. Augustinus: « Post hanc autem vitam merces perficiens redditur, » sed eis tantum, a quibus in hac vita ejusdem mercedis meritum » comparatur. » *(De perfect. just., c. 8. M., 44, c. 299).*

S. Gregorius: « Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit » in illa procul dubio discretio dignitatum, ut qui hìc alius alium » merito superat, illìc alius alium retributione transscendat. » *(Mor., L. IV, c. 36. M. 75, c. 677).*

1017. — Prob. III. Ex Ratione. 1° Ea opera sunt vere meritoria, quæ omnes conditiones ad meritum requisitas continent. Talia autem sunt justorum opera supernaturalia: sunt enim ex gratiâ, libera, in obsequium Dei facta. Proinde, accedente divinâ promissione, verum sunt pretium ad vitam æternam emendam.

2° Sicut se habent opera mala ad punitionem, ita et opera bona se habent ad præmium. « Sicut merito peccati, *ait S. August.*, tan» quam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ, tanquam sti» pendium, vita æterna.» *(Epist. 194, n. 20. M., 33, c. 881).* Sed homo peccando vere meretur infernum; ergo et bene agendo vere meretur cœlum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

1018. — **Objicitur I.** Legimus, (Ps. CII, 4): *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* — (Rom. VI, 23): *Gratia autem Dei vita æterna.* Ergo, aiunt hæretici, licet vita æterna sit corona, non tamen propter merita, sed ex purâ Dei misericordiâ atque gratiâ confertur.

Resp. Nihil prohibet unam eamdemque rem, sub diversis respectibus consideratam, vocari posse donum et debitum. Et ita sub diverso respectu considerata, vita æterna est corona simul et pura misericordia seu gratia. Est *corona*, merces scilicet debita, si consideratur relate ad opera bona; ut enim ait Apostolus, (Rom. IV, 4): *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* — Sed cum nostra opera virtutem merendi non habeant nisi ex gratiâ, hæcque nullo opere possit mereri, sed detur ex gratuitâ Dei misericordiâ et purâ liberalitate, ideò si vita æterna consideratur relate ad radicem meriti, dici debet et vere est gratia et pura misericordia. « Sine ullâ dubitatione, *inquit S. Augustinus*, confitendum » est ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, » quæ gratia contulit homini. » *(De Corrept. et Grat., c. 13. M., 44, c. 942).* Et *S. Cœlestinus Papa:* « Tanta enim est erga omnes homines » bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, atque » pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. » *(Ep. ad Gallos, c. 12. M. 50, c. 536).* — Ac proinde, ut ait S. Augustinus: « Cum » Deus coronat merita nostra, nihil coronat quam munera sua.» *(Ep. 194, n. 19. M., 33, c. 880. — Cf. supra, n. 8).*

1019. — **Obj. II.** Homo illud, quod sibi titulo hæreditatis jam debetur, merito non acquirit. Atqui fidelibus vita æterna debetur titulo hæreditatis, secundum illud: *Si filii et hæredes.* Ergo nullus vitam æternam operibus meretur.

Resp. Vita æterna est hæreditas; sed est hæreditas subjecta conditioni, quod nempe non concedatur nisi illis, qui suis operibus in illam de facto intrare meruerint. « Respondetur, *inquit S. Alphonsus*, » parvulis gloriam concedi solo titulo hæreditatis, adultis vero et in » hæreditatem, quum sint filii adoptivi, et simul in eorum operum » mercedem, quod Deus eam hæreditatem iis promiserit, si servaverint » legem; atque ita eadem hæreditas et donum est et retributio, me» ritis eorum debita. Quod utique significavit Apostolus, quum diceret: » *a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* (Colos. III, 24).» *(Hist. hær., P. 2; Conf. 11, n. 20. T. 2, p. 419).*

1020. — **Obj. III.** Opere quod est totum a Deo et Deo totum debetur, nullus quidquam a Deo mereri potest. Sed opera nostra bona sunt tota a Deo, qui ea nobiscum per gratiam producit; sunt etiam tota Dei, cui titulo creationis, conservationis, etc., jam debentur. Ergo nullum dari potest meritum.

Resp. *Quoad majorem:* 1° Opere quod est totum simul et totaliter a Deo, nullus potest mereri, *conc.;* quod est quidem totum a Deo, sed non totaliter, *nego.* Atqui sic se habent opera nostra bona, ut sint tota a Deo, sed non totaliter; et tota simul a nobis, sed non totaliter. « Opus » bonum, *inquit S. Alphonsus*, totum est a Deo, sed non totaliter; » sicut etiam totum est a nobis, sed non totaliter: Deus enim operatur » nobiscum et nos cooperamur Deo; et huic nostræ cooperationi Deus » gratuitò vitam æternam tanquam mercedem repromittere dignatus » est. » *(Loc. cit., n. 22).*

2° Opera nostra Deo sunt jam debita titulo creationis, *conc.;* et ideò supra docuimus, hominem nihil apud Deum de condigno mereri posse, nisi Deus gratuitâ promissione sese ad mercedem retribuendam obligaverit. Sed hac promissione semel factâ, nihil vetat quominus opera, aliàs jam debita, vere sint meritoria.

1021. — **Obj. IV.** Meritum debet esse in obsequium et utilitatem retributoris; est enim quasi quoddam pretium exhibitum pro mercede. Sed nihil facere possumus quod in Dei utilitatem cedat, juxta illud, (Job. XXXV, 7): *Si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Ergo nullum datur meritum.

Resp. Ad meritum utique requiritur ut opus fiat in obsequium Dei, id est, ut homo operetur propter Dei gloriam extrinsece manifestandam: nequaquam autem necesse est ut fiat in ejus utilitatem. « Deus, » *inquit S. Thomas*, ex bonis nostris non quærit utilitatem, sed glo» riam, id est, manifestationem suæ bonitatis, quod etiam ex suis ope» ribus quærit. Ex hoc autem quod eum colimus, nihil ei accrescit,

» sed nobis; et ideò meremur aliquid a Deo, non quasi ex nostris ope» ribus aliquid ei accrescat, sed inquantum propter ejus gloriam ope» ramur. » *(Q. 114, a. 1, ad 2).*

1022. — **Obj. V.** Si vita æterna meritis retribuitur, homo qui salvatur, gloriari potest se suis meritis salvum factum esse: quod est contra Apostolum, (I Cor. IV, 7): *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* — Et (Ephes. II, 8, 9): *Gratia enim estis salvati per fidem; et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

Resp. 1° Verba Apostoli non esse intelligenda de gloriâ, sed de gratiâ; ac proinde non probare propositum.

2° Posito etiam ea pertinere ad propositum, dicendum: duplicem dari gloriationem de meritis, unam quâ quis de eis gloriatur tanquam a se et ex se factis, et hanc prohibet Apostolus; alteram quâ quis de eis gloriatur ut productis per gratiam Dei, et hanc non prohibet Apostolus, sed commendat, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur;* hæc enim redundat in gloriam Dei et in gratiæ commendationem. (*Cf. supra n. 727).*

« Licet bonis operibus (merces) tribuatur, *ait Tridentinum, Sess. VI,* » *cap. 16,...* absit tamen ut christianus homo in seipso vel confidat, » vel glorietur, et non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines » bonitas, ut eorum esse velit merita, quæ sunt ipsius dona. » — Nullus igitur de suis meritis proprie gloriari potest, quandoquidem non a se, sed a gratiâ habet unde mereri possit; gratia autem, cui datur, misericorditer et gratuitò, non autem ex meritis, datur. Omnis igitur nostra gloriatio consistit in Dei gratiâ, quæ nobis dat ut mereri possimus, et in meritis Christi qui passione suâ gratias nobis promeruit.

Propositio II.

Justorum opera supernaturalia sunt vitæ æternæ meritoria de condigno [1].

1024. — Prop. est sententia *communis*, contra protestantes primùm qui meritum absolute negant, deinde contra antiquiores quosdam theologos, qui bonis operibus relate ad vitam æternam solum meritum de congruo tribuere videntur.

[1] Cf. *S. Th*, Q. 114, a. 3; et II Sent., D. 27, a. 3. - *S. Alph.*, Confut. XI, a. 3, n. 17 et ss. - *Paul. a Concept*, Disp. 2, dub. 1; p. 265. - *Bellarm.*, De

Prob. I. **Ex Conc. Tridentino,** in quo definitum est, ut in superiori propositione vidimus, justos suis operibus vitam æternam *vere* mereri. Sed *verum meritum* non dicitur nisi meritum de condigno, cum juxta omnes meritum de congruo dicatur tantum meritum secundum quid. — *Præterea,* cum, ut infra dicetur, primam gratiam sanctificantem mereri possimus de congruo, si Tridentinum locis citatis de solo merito congruo loqui intendisset, non omisisset inter objecta meriti etiam primam gratiam sanctificantem enumerare. Cum ergo istam gratiam taceat, sed ponat ejusdem augmentum sicut et vitam æternam, manifeste ostendit, se agnoscere relate ad vitam æternam meritum altioris ordinis quam meritum de congruo. Sed illud altius meritum non potest esse nisi meritum de condigno.

1025. — Prob. II. **Ex S. Scriptura.** 1° Meritum de condigno est illud quod in homine fundat jus ad mercedem, quodque innititur justitiâ. Atqui tale meritum attribuitur bonis operibus. Legimus, (Rom. IV, 4): *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* — (Hebr. VI, 10): *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* — (II Tim. IV, 8): *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Sed, ut ait *S. Thomas,* « quod red- » ditur secundum justum judicium, videtur esse merces condigna. » *(Q. 114, a. 3).*

2° Meritum quod reddit hominem dignum Deo, est vere meritum de condigno. Sed justi propter sua opera dicuntur digni Deo. Legimus, (II Thess. I, 5): *Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini.* — (Sap. III, 5): *Quoniam tentavit eos Deus, et invenit eos dignos se.* — (Coloss. I, 10): *Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes; in omni opere bono fructificantes.*

3° Opus quod operatur gloriam, meritorie scilicet, est non solum meritorium de congruo, sed meritorium de condigno. Talia autem sunt sanctorum opera et passiones, teste Apostolo, (II Cor. IV, 17): *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Demum, condignitatem meriti probant omnes illi textus quos in superiori propositione attulimus.

1026. — Prob. III. **Ex Traditione.** Etsi SS. Patres vocabulum *de condigno* non adhibeant, de merito tamen ita loquuntur ut eorum te-

Justif., L. V, c. 16; p. 1010. - *Gonet,* Disp. 2, a. 5; p. 81. - *Maderni,* Disp. 9, a. 3; p. 484. - *Valentia,* Disp. 8, q. 6, punct. 2; p. 1161. - *Oviedo,* Contr. 5, punct. 5; p. 901. - *Arriaga,* Disp. 53, sect. 1; p. 621.

stimonia meritum, quod hodiedum de condigno vocamus, aperte designent.

Ait *S. Joan. Chrysost.:* « Numquam profectò, cum justus sit Deus, » bonos hìc cruciatibus affici sineret, si non in futuro sæculo præmia » pro meritis parasset. » *(De Provid., l. I. Edit. Antv., 1614; tom. 5, p. 247).*

S. Augustinus: « Non enim injustus Deus, qui justos fraudet mer- » cede justitiæ. » *(De Nat. et Grat., c. 2. M., 44, c. 249).*

S. Basilius: « Opera ostende, et reposce remunerationem. » *(Orat. ad divites, n. 8. M., 31, c. 302).*

Et Patres Concilii Araus. II, *can. 18*, aiunt: « Debetur merces bonis » operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, præcedit ut fiant. »

1027. — Prob. **Ex Ratione.** 1° « Sicut se habet culpa ad pœnam, » *inquit S. Th.*, ita se habet opus virtutis ad gloriam. Sed culpa ex » condigno pœnam æternam meretur. Ergo et actus virtutis ex con- » digno vitam æternam meretur. » *(II Sent., D. 27, a. 3).* — Confirmatur hæc ratio verbis S. Augustini, qui in verba Apostoli, Rom. VI, 23: *Stipendia enim peccati, mors*, scribit: « Cum dixisset stipendium » peccati mors, quis eum non congruentissime et consequenter addere » judicaret: stipendium autem justitiæ vita æterna? Et verum est, quia » sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors; ita merito » justitiæ vita æterna. » *(Epist. 194, ad Sixtum, c. 5. M., 33, c. 881).*

2° Justorum opera supernaturalia omnes conditiones possident, quæ ad meritum de condigno requiruntur. Ergo sunt vere meritoria de condigno. — Antecedens discurrenti per singulas conditiones manifestum est. Una tantum superest difficultas, ex parte scilicet æqualitatis meriti cum præmio; quia, ut ait *S. Thomas:* « Dicitur aliquis » mereri ex condigno, quando invenitur æqualitas inter præmium et » meritum secundum rectam æstimationem. » *(II Sent., D. 27, a. 3).* Sed inter meritum, quod est finitum, et gloriam quæ est infinita, nulla videtur esse æqualitas; unde dixit ipse Apostolus, (Rom. VIII, 18): *Quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Videtur ergo, propter maximam inæqualitatem meriti ad præmium, nemo posse de condigno vitam æternam mereri.

1028. — Ad propositam difficultatem solvendam dicendum est, duplicem dari æqualitatem, quantitatis scilicet seu entitatis, et proportionis seu virtutis.

Æqualitas quantitatis seu entitatis requiritur in justitiâ commutativâ, in quâ tantum debet dari quantum accipitur. Hæc æqualitas in operibus meritoriis adesse nequit. « Secundum quantitatis æquali-

» tatem, *ait S. Th.*, ex actibus virtutum vitam æternam ex condigno » non meremur: non enim tantum bonum est in quantitate actûs vir- » tutis, quantum præmium gloriæ, quod est finis ejus. » *(II Sent., D. 27, a. 3).* De istâ æqualitate loquitur Apostolus, (Rom. VIII, 18), quando affirmat passiones hujus temporis non esse condignas ad futuram gloriam, ut notat S. Thomas, *loc. cit., ad 1; et q. 114, a. 3, ad 1.*

In justitiâ autem distributivâ non requiritur æqualitas quantitatis, sed sufficit æqualitas proportionis et virtutis, ut ait *S. Thomas, loc. cit. ad 3.* Cum igitur reddere justam mercedem pro merito pertineat ad justitiam distributivam, sufficit ad meritum de condigno æqualitas proportionis. « Secundum æqualitatem proportionis, *inquit Angelicus,* » de condigno meremur vitam æternam. » *(Loc. cit.).* — Hanc verò æqualitatem proportionis ad gloriam adesse in operibus supernaturalibus justorum, multipliciter patet.

1° Gratia præsentis vitæ et opera ex eâ fluentia in SS. Scripturis vocantur semina, semina vitæ æternæ. Sed semen, etsi non habeat cum fructu æqualitatem quantitatis et molis, habet tamen cum eo æqualitatem proportionis et virtutis. Ita et bona opera habent proinde cum gloriâ æqualitatem proportionis et virtutis.

De gratiâ legimus, (I Joan. III, 9): *Semen Dei in eo manet.* — De bonis verò operibus, (Gal. VI, 8): *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet... qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* — (Ps. CXXV, 5, 6): *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* In quæ verba scribit *S. Augustinus:* « In istâ vitâ, quæ plena est lacrymis, seminemus. » Quid seminabimus? Opera bona. Opera misericordiæ semina nostra » sunt: de quibus seminibus ait Apostolus: *Bonum autem facientes,* » *non deficiamus; tempore enim proprio metemus infatigabiles. Itaque* » *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad* » *domesticos fidei.* (Gal. VI, 8, 10). Loquens itaque de ipsis eleemo- » synis, quid ait? *Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce et metet.* » (II Cor. IX, 6). Ergo qui multum seminat, multum metet; qui parce » seminat, parce et metet; et qui nihil seminat, nihil metet... Etsi » cum fletu seminamus, tamen cum gaudio metemus. In illa enim » resurrectione mortuorum recipiet quisque manipulos suos, id est fru- » ctum seminis, coronam gaudiorum et exultationis. » *(In Ps. 125, n. 11 et 14. M., 37, c. 1664).*

De eodem argumento agens *S. Thomas,* ait: « Gratia Spiritûs San- » cti, quam in præsenti habemus, etsi non sit æqualis gloriæ in actu,

» est tamen æqualis in virtute, sicut semen arboris, in quo est virtus » ad totam arborem. » *(Q. 114, a. 3, ad 3).*

2° Vita æterna seu gloria cœlestis vocatur flumen lætificans civitatem Dei, (Ps. XLV, 5); gratia verò sanctificans, fons aquæ salientis in vitam æternam, (Joan. IV, 14). Sed fons habet æqualitatem proportionis et virtutis cum flumine; ac proinde a pari, ipsa gratia cum gloriâ; ac proinde et opera ex hac gratiâ procedentia cum gloriâ æqualitatem proportionis habent. — *Præterea*, passiones justorum dicuntur operari æternum pondus gloriæ; (II Cor. IV, 17): *Momentaneum et leve tribulationis nostræ,... æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Sicut igitur causa virtute suum effectum continet, et cum eo quamdam habet æqualitatem, ita et passiones justorum, quia gloriam operantur, eam virtute continent, et cum eâ quamdam habent æqualitatem.

3° Merita bona se habent ad præmium sicut peccata ad pœnam. Sed inter peccatum et punitionem adest æqualitas, non quidem quantitatis, sed proportionis et virtutis, secundum illud, (Apoc. XVIII, 7): *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Ergo et in meritis bonis eadem est æqualitas cum gloriâ.

QUÆSITA.

1029. — Quæritur I. *Utrum retributio vitæ æternæ pro meritis sit ex parte Dei actus justitiæ*[1]*?*

Resp. Retributionem vitæ æternæ pro meritis *a)* non esse actum gratitudinis; *b)* nec solum actum fidelitatis; *c)* sed esse etiam verum actum justitiæ, *d)* non quidem justitiæ commutativæ, *e)* sed distributivæ; *f)* in eo tamen servari aliquem modum justitiæ commutativæ. — Probatur responsum per partes.

A. — *Retributio vitæ æternæ non est actus gratitudinis.* — Gratitudo definitur *virtus inclinans ad beneficii accepti æstimationem et repensionem.* (Polm.) Beneficium autem est *res donatario grata, gratisque donata*, id est, absque debito et absque intuitu remunerationis.

Ex qua definitione invicte deducitur retributionem, quâ Deus bona opera remunerat, non esse actum gratitudinis. Etenim:

[1] Cf. *S. Th.*, q. 114, a. 1; 2 Sent., Dist. 27, a. 3; 4 Sent., Dist. 46, q. 1, a. 1. - *Grandi*, In q. 114, a. 3, dub. 3; p. 477. - *Gotti*, Q. 1, dub. 3; p. 261. - *Gonet*, Disp. 2, a. 4; p. 71.

1° Virtus gratitudinis respicit alterum, nempe benefactorem, ut superiorem et excellentem, quia ut ait S. Thomas, *2. 2, q. 106, a. 3*, « Benefactor in quantum hujusmodi est causa beneficiati. » Porro, virtutes quæ sunt ad alterum, ut superiorem aut æqualem, nequeunt esse formaliter in Deo, nec proinde earum actus. Retributio igitur vitæ æternæ pro meritis nequit esse actus gratitudinis.

2° Ut patet ex definitione, objectum gratitudinis est beneficium receptum ab alio. Sed Deus nequit ab ullâ creaturâ ullum beneficium recipere. Proinde, deficiente virtutis objecto, deficit ipsa virtus in Deo. Nequit igitur Deus ex gratitudine quidquam homini recompensare.

Neque dici potest cum *Montesino* [1], Deum ab homine justo recipere obsequium et gloriam externam, quæ sunt quasi beneficium Deo exhibitum, cujus ratione lege gratitudinis debet homini bona quædam rependere. De ratione enim beneficii est ut gratis, absque ullo debito, exhibeatur. Sed omnia nostra obsequia sunt Deo jam debita ratione creationis, conservationis, atque innumerabilium donorum, quæ nobis tam in ordine naturæ quam gratiæ confert. Proinde nihil possumus gratis Deo offerre, ratione cujus aliquid ex gratitudine nobis conferat.

1030. — **B.** — *Retributio vitæ æternæ est actus fidelitatis.* — Sequitur ex dictis *n. 1010 et ss.* de conditione ad meritum requisitâ ex parte præmiantis. Deus enim promisit se daturum gloriam iis, qui bonum ad finem usque operati essent. Cum autem Deus non possit non stare suis promissis, sequitur collationem gloriæ esse verum actum fidelitatis. Quare Tridentinum, *Sess. VI, cap. 16*, postquam divinas promissiones factas operibus justorum retulit, addit: « Atque ideò bene » operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est » vitâ æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum mi- » sericorditer promissa. » In quibus verbis satis indicat Tridentinum, retributionem vitæ æternæ esse actum fidelitatis. Sed statim addit: « Et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum ope- » ribus fideliter reddenda: hæc enim est illa corona justitiæ, quam » post suum certamen et cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, » a justo judice sibi reddendam. » Quibus verbis Tridentinum aperte agnoscit, illam retributionem sic esse actum fidelitatis, ut sit etiam actus justitiæ. Unde:

1031. — **C.** — *Retributio vitæ æternæ est actus justitiæ.* — Constat propositio ex textibus, in quibus vita æterna vocatur *corona vitæ, corona justitiæ quam reddet justus judex.* Quod enim datur ut corona,

[1] In q. 114, disp. 35. q. 8; p. 998.

a justo judice, datur ex verâ justitiâ. « Corona justitiæ dicitur, *ait S. Th.*, » quam Deus ex suâ justitiâ reddit. » *(Lect. II in II ad Tim., IV).* Et *S. Augustinus*, expendens verba Apostoli II Tim. IV, 8, ait: « Jam » debitum flagitat, jam debitum exigit. Ut ante susciperet gratiam, » misericordem patrem opus habebat; ut præmium gratiæ, justum » judicem. » *(Tract. 3 in Joan., n. 10 M., 35, c. 1401).*

Idem suadetur ratione. Ubi inter duos intervenit pactum vel promissio de mercede sub conditione operis vel laboris, impletâ conditione onerosâ ex unâ parte, altera pars, quod promisit, ex justitiâ reddere tenetur. Sed Deus vitam æternam omnibus justis sub conditione bonæ operationis promisit. Positis igitur operibus meritoriis, Deus vitam æternam, quam promisit, retribuere tenetur. Apposite S. Thomas: « Meritum et merces, *inquit*, ad idem referuntur. Id enim » merces dicitur, quod alicui recompensatur pro retributione operis » vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius. Unde sicut reddere jus- » tum pretium pro re acceptâ ab aliquo, est actus justitiæ, ita etiam » recompensare mercedem operis vel laboris, est actus justitiæ. » *(Q. 114, a. 1).*

Nec opponi potest, Deum nemini posse esse debitorem, juxta verba Apostoli, (Rom. XI, 35): *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* nec proinde teneri reddere cuiquam mercedem. — Respondetur enim, Deum propter nostra opera non fieri proprie debitorem nobis, sed sibi ipsi. « Quia actio nostra, *ait S. Thomas*, non habet rationem meriti nisi » ex præsuppositione divinæ ordinationis, non sequitur quod Deus effi- » ciatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, inquantum debitum » est ut sua ordinatio impleatur. » *(Q. 114, a. 1, ad 3).*

Nihil tamen obstare videtur quominus Deus dicatur aliquo modo noster etiam debitor. « Deus non efficitur debitor nobis, *ait Angelicus*, » nisi forte ex promisso, quia ipse bona operantibus præmium repro- » misit: et ideo non est inconveniens, si ab ipso quis mereri possit, » ex quo aliquo modo debitor est. » *(II Sent., D. 27, q. 1, a. 3, ad 4).*

1032. — D. — *Retributio vitæ æternæ non est actus justitiæ commutativæ.* — Eruitur propositionis veritas ex ipsâ notione justitiæ commutativæ. Definitur justitia commutativa: *Virtus tribuens unicuique quod suum est, servatâ æqualitate rei ad rem* (Polm.). Hæc justitia non potest esse nisi inter æquales. « Justitia æqualitas quæ- » dam est, *ait S. Th.;* et ideò simpliciter est justitia inter eos quorum » est simpliciter æqualitas; eorum verò quorum non est simpliciter » æqualitas, non est simpliciter justitia, sed quidam justitiæ modus » potest esse... Manifestum est autem quod inter Deum et hominem

» est maxima inæqualitas, in infinitum enim distant. Unde non potest » hominis ad Deum esse justitia secundum absolutam æqualitatem, » sed secundum proportionem quamdam. » *(Q. 114, a. 1).*

Præterea, justitia commutativa respicit æqualitatem rei ad rem. « Justitia commutativa, *ait S. Th.*, respicit æqualitatem arithmeticam, » quæ tendit in æqualitatem quantitatis. » *(II Sent., D. 27, q. 1, a. 3).* Sed merita hominis non habent æqualitatem quantitatis cum gloriâ, « non enim tantum bonum est in quantitate actûs virtutis, quantum » præmium gloriæ, quod est finis ejus » *(S. Th., loc. cit.).* Ob deficientiam igitur æqualitatis rigorosæ, retributio gloriæ nequit esse actus justitiæ commutativæ. Apposite S. Thomas: « Justitia commutativa, » per quam æqualitas constituitur inter Deum dantem et creaturam » recipientem, Deo competere non potest secundum propriam acceptionem, quia beneficia Dei semper excedunt meritum creaturæ.» *(IV Sent., D. 46, q. 1, a. 1, q. 1).*

1033. — **E.** — *Retributio vitæ æternæ est actus justitiæ distributivæ.* — Ita explicite *S. Thomas.* « In quantum Deus, *ait*, præmium » reddit pro meritis, hoc ad justitiam distributivam pertinet, cujus est » distribuere omnibus proportionaliter secundum suam dignitatem. » *(IV Sent., D. 46, q. 1, a. 1, q. 1).* — « In redditione præmii ad merita, » magis servatur forma distributionis, cum ipse (Deus) unicuique se» cundum opera sua reddat, quam commutationis, cum Deus a nobis » nihil accipiat. » *(II Sent., D. 27, q. 1, a. 3).*

Idem ex ipsâ notione justitiæ distributivæ eruitur. Justitia distributiva est virtus inclinans ad tribuendum cuique juxta sua merita, nec exigit æqualitatem arithmeticam, sed geometricam seu proportionalem, ut scilicet ei qui plus meruerit, plus tribuat, ei verò qui minus meruerit, minus tribuat. Cum igitur Deus, in justorum remuneratione, æqualitatem inter proportionem præmiorum et proportionem meritorum constituat, atque efficiat ut eadem sit proportio inter præmia, quæ est inter merita, proprium actum justitiæ distributivæ exercet.

1034. — **F.** — *In retributione vitæ æternæ pro meritis servatur quidam modus justitiæ commutativæ.* — Justitia commutativa exigit perfectam æqualitatem inter rem datam et acceptam. In retributione vitæ æternæ, meritum quidem exhibitum suâ quantitate non æquivalet vitæ æternæ; attamen Deus commensurat gradum gloriæ gradui meritorum, et cuilibet dat juxtâ ipsius merita; in quo actu justitia distributiva quamdam habet similitudinem cum commutativâ: « Illa » forma divini judicii, *inquit S. Thomas*, attenditur secundum ratio-

» nem commutativæ justitiæ, prout scilicet recompensantur præmia » meritis, et supplicia peccatis. » *(2. 2, q. 61, a. 1, ad 1).* Et: « Justitia » commutativa, per quam æqualitas constituitur inter Deum dantem » et creaturam recipientem, Deo competere non potest secundum pro- » priam acceptionem, quia beneficia Dei semper excedunt meritum » creaturæ; sed tamen servatur etiam proportionis quædam æqualitas » inter Deum dantem et creaturam recipientem, inquantum scilicet » se habet ad suam superabundantiam, sicut creatura ad id quod » competit ei secundum suam parvitatem. » *(IV Sent., D. 46, q. 1, a. 1, q. 1).*

1035. — **Quæritur II.** *Utrum Deus bona opera remuneret supra condignum, mala verò puniat citra condignum?*

Resp. Viget in scholis axioma: *Deus præmia supra condignum et pœnas citra condignum decernit.*

I. De Remuneratione supra condignum [1]. Prima pars axiomatis, paucissimos theologos si excipias, est ab omnibus recepta; et probari solet verbis, (Matth. V, 12): *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* — Et, (Luc. VII, 38): *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Ubi verba *copiosa, coagitata, supereffluens*, indicant aliquid plus conferri quam rigorosa justitia exigeret.

Idem constat, ut ait *Bellarminus, (loc. cit.),* ex Luc. XIX, ubi legimus servum fidelem, qui decem mnas lucratus erat, supra suam mercedem recepisse mnam quam Dominus a servo infideli abstulit; — et ex parabolâ vineæ, Matth. XX, in quâ legimus denarium diurnum omnibus operariis fuisse datum, quamvis multi ex eis per diem integrum non laboravissent.

Eamdem superabundantem remunerationem laudibus extollunt SS. Patres. *S. Fulgentius*, explanans verba S. Pauli, (Rom. VI), *Gratia Dei, vita æterna*, postquam dixit gloriam vocari gratiam quia meritis gratiæ redditur, addit: « Gratia autem etiam ipsa (glorificatio) ideo » non injuste dicitur, quia non solum donis suis Deus dona sua reddit, » sed quia tantum etiam ibi gratia divinæ retributionis exuberat, ut » incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamvis bonæ » et ex Deo datæ, humanæ voluntatis atque operationis excedat. » *(Ad Monim., L. I, c. 10. M., 61, c. 159).*

[1] Cf. *Bellarm.*, De Justif., L. V, cap, 19; p. 1017. - *Montesinus*, In q. 114, disp. 35, q. 8, § 3; p. 1007. - *Tanner*, Disp. 6, q. 6, dub. 10; p. 1441. - *Gibbon*, Disp. 3, dub. 2; p. 41. - *Gabr. a S. Vinc.*, Disp. 19, q. 9; p. 474.

1036. — Jamverò, si inquiritur in quo consistat illud, quod Deus supra merita ex purâ liberalitate adjicit gloriæ sanctorum, non est una auctorum sententia. Tres principaliores sententias referre sat erit.

Prima dicit, Deum remunerare supra condignum, non per additionem alicujus gradûs gloriæ supra eam, quam stricte meruerunt Beati, sed per collationem gloriæ cujusdam accidentalis, ad quam merita sese non extendunt.

Secunda docet, Deum remunerare supra condignum, quia supra gloriam essentialem, quam ex justitiâ meruerunt Beati, novos quosdam gloriæ essentialis gradus ex merâ liberalitate adjicit; ita, v. gr., ut qui meruit centum gradus gloriæ, recipiat aliquos supra centum.

Tertia tuetur, Deum remunerare supra condignum, quia in redditione præmii supremum pretium solvit. Est enim meritum sicut quoddam pretium quo emitur gloria. Sed in emptione triplex intra limites justitiæ distinguitur pretium, infimum scilicet, medium et summum. Et cum Deus potuisset absque læsione justitiæ, minorem gloriæ gradum pro meritis retribuere, per hoc quod summum gradum gloriæ retribuere statuit, dicitur retribuere supra condignum.

Quælibet ex his opinionibus est probabilis; quænam verò sit probabilior, difficile est dictu; quare eligat diligens lector quæ ei magis arriserit.

1037. — II. De punitione citra condignum. « Utrum autem ope» ribus malis, *inquit Bellarminus, (loc. cit.)*, Deus pœnam reddat citra » condignum, non videtur ita certum; nam nec inveniuntur loca Scri» pturæ, quibus id facile confirmetur. »

Antiquiores theologi, ut *S. Thomas* [1], *S. Bonaventura* [2], *Scotus* [3], *Ricardus a Mediavilla* [4], etc., satis communiter docent, Deum, sicut justos supra condignum remunerat, ita malos punire citra condignum, ut sic in operibus Dei, etiam in punitione malorum, concurrant misericordia et justitia. — Cum antiquioribus magna etiam pars recentiorum concordat.

Alii verò, quorum opinionem *S. Alphonsus* vocat probabiliorem [5], docent, Deum damnatos semper punire juxta condignum, ex omni rigore justitiæ, nihilque de pœnâ eis relaxare. Quæ opinio in SS. Scripturis insinuari videtur. Verba enim, (Jac. II, 13): *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam;* et (Apoc. XVIII, 7): *Quan-*

[1] In IV Sent., D. 46, q. 2, a. 2, q. 1 et 2. — [2] In IV. Sent., D. 46, a. 2, q. 2; p. 963. — [3] In IV. Sent., D. 46; p. 69. — [4] In IV. Sent., D. 46, a. 2, q. 3 et 4; p. 621. — [5] Diss. dogm. mor., Diss. 8, n. 43.

tum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum, insinuare videntur, nihil de pœnâ relaxari, sed eam rigorose juxta peccatorum mensuram retribui. — Idem ratione comprobatur. Inflictio minoris pœnæ habet rationem beneficii, non secus ac collatio majoris gloriæ. Quidquid autem in ordine supernaturali rationem habet beneficii, illud a Deo vi meritorum Christi Redemptoris accipimus. Cum igitur Beati sint perfecte de corpore Christi, merita Christi ad eos perfecte extenduntur, et ideò intuitu illorum meritorum Deus eisdem bonum gloriæ supra condignum concedit. Ad damnatos autem, quippe qui sunt a corpore Christi omninò abscissi, merita Redemptoris nullatenus extenduntur, et ideò nec Deus propter illa merita eis quidquam de pœnâ relaxat.

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE BONORUM OPERUM.

1038. — Quatuor distinguuntur genera operum, nempe: opera *viva*, *mortua*, *mortificata*, et *mortifera*. — *Viva*, dicuntur, quæ ab homine in gratiâ existente ponuntur, et vim possident illum in vitam æternam perducendi: sunt ea opera meritoria de quibus supra egimus. — *Mortua* dicuntur, quæ sunt quidem bona ex parte objecti, sed ponuntur vel ope solius naturæ virium, vel etiam ope gratiæ actualis sed ab homine existente in mortali peccato, quæ proinde nequeunt esse vitæ æternæ meritoria. — *Mortificata* dicuntur ea opera, quæ ab homine gratiâ sanctificante ornato posita sunt, sed quæ per subsequens peccatum mortale impediuntur, ne mercedem vitæ æternæ, quam meruerant, consequantur. — *Mortifera* dicuntur ipsa peccata, quæ animæ mortem spiritualem inferunt.

In præsenti articulo agitur imprimis de operibus vivis, quippe quæ sola jus tribuant ad vitam æternam; agitur etiam saltem secundario, de operibus supernaturalibus mortuis a peccatore fideli factis, quippe quæ, etsi jus non concedant ad vitam, sunt tamen necessaria ut nova vitentur peccata.

Propositio.

Bona opera et legis observantia sunt ad salutem necessaria.[1]

1039. — Prop. est *de fide*, ex Tridentino, *Sess. VI, can. 19:* « Si » quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cæ-

[1] Cf. *Bellarm.*, De Justif. L. IV.

» tera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; » aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, A. S. » — *Can. 20:* « Si quis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum, dixerit non » teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad » credendum; quasi verò Evangelium sit nuda et absoluta promissio » vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, A. S. » — *Can. 21:* « Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum » fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non autem ut Legislatorem, cui » obediant, A. S. »

1040. — Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Variis multisque modis SS. Scripturæ nobis ostendunt, bona opera esse ad salutem necessaria.

1° Disertis verbis testantur solam fidem ad salutem non sufficere, sed opera requiri. (Jac. II, 14): *Quid prodest, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?*

2° Aperte pronuntiant observantiam mandatorum esse conditionem, sine quâ salus est impossibilis. (Matth. XIX, 17): *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* — (Matth. VII, 21): *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.*

3° Ea quorum omissio severissime punitur, sunt ad salutem necessaria. Sed omissio bonorum operum severissime punitur. (Matth. VII, 19): *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.*

4° Testantur SS. Scripturæ beatitudinem iis solis concedi, qui bona opera fecerint. (Rom. VIII, 13, 17): *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis... Cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

5° In extremo judicio, Judex bona justorum opera allegabit tanquam causam eorum salutis; eorumdem verò operum omissionem tanquam causam reprobationis impiorum: ex quo manifeste sequitur, absque bonis operibus salutem esse impossibilem. (Matth. XXV): *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc.... Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc.*

Demum, ut notat S. Augustinus, integræ epistolæ B. Petri, Joannis, Jacobi et Judæ, eò potissimum diriguntur, ut ostendant opera esse justificatis necessaria ad salutem.

1041. — Prob. II. **Ex Traditione.** Omnes SS. Patres et Ecclesiæ Doctores necessitatem bonorum operum proclamant. Soli audiantur S. Joan. Chrysostomus et S. Cyrillus Alex., qui Protestantium commenta, quasi hæc eorum tempore jam fuissent prolata, refutavêre.

S. Joan. Chrysostomus, tractans verba: *qui credit in filium, habet vitam æternam*, scribit: « Num ergo sufficit, inquies, in Filium cre» dere, ut vita æterna habeatur? Nequaquam. Audi Christum hoc » ipsum declarantem his verbis: *Non omnis qui dicit mihi, Domine,* » *Domine, intrabit in regnum cœlorum*... Nam et si quis recte credat » in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, si recte non vivat, nihil » ipsi fides proderit ad salutem. Ergo quando dicit: *Hæc est enim vita* » *æterna, ut cognoscant te solum verum Deum*, ne putemus id nobis » ad salutem satis esse. Opus namque nobis est et vitæ et morum » instituto probo. » *(Serm. 31 in Joan., n. 1. M., 59, c. 175).*

S. Cyrillus Alex.: « Qui verbis nudis Christum confitentur, *inquit,* » sed mandatorum observatione, id est, caritate, ad perfectionem non » conformantur, quamvis Christo fide inhæreant, inque eo hac ratione » maneant, verba tamen ejus non habent. Non obliti quidem illi præ» dicationis evangelicæ, sed illecebris voluptatum capti, Spiritus gra» tiam abjiciunt. De quibus ipse Salvator ait: *Non omnis qui dicit* » *mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum; sed qui facit* » *voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* Quod autem fides ad salu» tem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit scribens: *Tu cre*» *dis quia unus Deus est, dæmonia etiam credunt et horrescunt.* Si ergo » fides sola sufficeret, multitudo dæmonum perire non posset. Quare » oportet ad fidem opera caritatis accedere. » *(In Joan., L. X, c. 18. Edit. Paris., 1604; T. 1, p. 648).*

1042. — **Objiciunt** protestantes: Merita Christi superabundantia fuerunt ad salutem nostram. Ergo non est necesse, ut per bona opera nobis cumulemus merita in cœlo: si enim nostra opera et merita essent necessaria, sequeretur merita Christi non fuisse sufficientia.

Resp. Christi merita fuerunt superabundantia ad nostram salutem *quoad sufficientiam;* sunt enim infiniti valoris, et sufficiunt perfecte ad totius mundi salutem, imò ad salutem mundorum infinitorum, si existerent. Sed ex lege a Deo libere latâ, illa Christi merita *quoad efficaciam* eis tantum prosunt qui per bona opera, per mandatorum observationem, et Sacramentorum susceptionem, ea sibi appropriant et applicant. — Nec per hoc dignitati meritorum Christi quidquam derogatur, quia merita nostra efficaciam et valorem unice a Christi

meritis et a gratiâ per Christum nobis collata mutuantur; sicut, v. gr., nec divinæ omnipotentiæ quidquam derogatur eo quod causæ secundæ, quibus Deus operandi virtutem elargitus est, aliquid de facto operentur. — Imò, per merita nostra magis extolluntur merita Christi, quippe quæ sint tantæ virtutis, ut non solum in ipso Capite sint operatoria, sed etiam in omnibus ejus membris, quæ veraciter ipsi adhærent, tantos fructus afferant; sicut, v. gr., eo potentior virtus apparet vitis, quò palmites, quæ ab eâ virtutem frugiferam hauriunt, fructus afferunt uberiores.

CAPUT III.

DE OBJECTO MERITI.

1043. — Tria enumerat Tridentinum, quæ constituunt objectum meriti de condigno, videlicet: augmentum gratiæ sanctificantis, vitam æternam, et augmentum gloriæ. « Si quis dixerit, *inquit*,... ipsum » justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu » Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri » augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen » in gratiâ decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmen- » tum, A. S. »

Vitam æternam esse objectum meriti de condigno, ex supradictis abunde constat.

Gratiæ sanctificantis augmentum esse objectum ejusdem meriti, ex SS. Scripturis aperte constat. Christus, postquam se viti, justos verò palmitibus comparavit, subjunxit, (Joan. XV, 1, 2): *Omnem* (palmitem) *qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* — Idem patet ex parabolâ de talentis, (Luc. XIX, 26): *Omni habenti dabitur, et abundabit.* Quos textus SS. Patres de augmento caritatis intelligunt. — Scribit etiam Apostolus, (Eph. VI, 15): *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus.* — Et (I Thessal. IV, 1): *Rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.*

Apposite *S. Thomas:* « Illud, *inquit*, cadit sub merito condigni, ad » quod motio gratiæ se extendit. Motio autem alicujus moventis non » solum se extendit ad ultimum terminum motûs, sed etiam ad totum

» progressum in motu. Terminus autem motûs gratiæ est vita æterna. » Progressus autem in hoc motu est secundum augmentum caritatis » vel gratiæ, secundum illud, (Prov. IV, 18): *Justorum semita, quasi » lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem,* qui est » dies gloriæ. Sic igitur augmentum gratiæ cadit sub merito condigni. » *(Q. 114, a. 8).*

Gloriæ augmentum esse etiam objectum meriti de condigno, sequitur ex dictis. Probavimus suprà, mercedem in patriâ cuilibet dari secundum merita, quæ sibi comparavit in viâ, juxta illud Apostoli, (I Cor. III, 8): *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Quò magis igitur creverit labor, eò major etiam retribuetur merces. — *Præterea,* cœlestis gloria cuilibet juxtà gradum gratiæ et caritatis præsentis vitæ conceditur. Qui igitur gratiæ augmentum meretur, ille consequenter gloriæ quoque meretur augmentum.

Hæc de objectis meriti a Tridentino enumeratis dicta sufficiunt, quandoquidem nulla, præter eas quæ antea jam solutæ sunt, de hujus meriti existentiâ viget specialis difficultas. Superest solum, ut quæstiones quædam scholasticæ de objecto meriti breviter enodentur.

1044. — Quæritur I. *Quibusnam actibus homo mereatur augmentum gratiæ sanctificantis.*

Resp. Concedunt omnes auctores actus omnium virtutum, saltem quandò sunt imperati a caritate, si intensione superant habitum gratiæ præexistentis, esse meritorios de condigno augmenti gratiæ, atque de facto augere habitum gratiæ, non quidem efficienter physice, sicuti contingit pro habitibus acquisitis, sed efficienter moraliter, quia scilicet movent Deum ut gratiam et caritatem augeat.

Aliqui, præsertim ex antiquioribus, ut *S. Bonaventura* [1], *Ricardus a Mediavilla* [2], *Durandus* [3], *Dionysius Carth.* [4], *Conradus Koellin* [5], *Bannez* [6], docuerunt justos per actus remissiores habitu gratiæ, non mereri augmentum gratiæ et gloriæ. Ratio: Qui non utitur bene beneficio accepto, non meretur ut illud augeatur. Sed qui non operatur juxtà totam latitudinem gratiæ præexistentis, acceptà gratiâ non bene utitur, nec proinde meretur illius augmentum. — *Præterea,* de rebus supernaturalibus philosophandum est sicut de naturalibus, nisi fides aliud præscribat. Sed ex unâ parte, fides tacet de augmento gratiæ

[1] II. Sent., D. 40, a. 2, q. 3; p. 931. — [2] I. Sent., D. 17, a. 2, q. 3. — [3] I. Sent., D. 17, q. 8; p. 46. — [4] I. Sent., D. 17, q. 7, ad 3; p. 319. — [5] In q. 114, a. 8; p. 979. — [6] 2. 2, q. 24, a. 6, de augmento caritatis, q. 3; p. 377.

per actus remissos; ex alterâ verò parte, habitus acquisiti non augentur actibus remissioribus, quin potius per eos disponuntur ad corruptionem. Ergo a pari nec actus remissi merentur augmentum gratiæ. ⊢ Hanc sententiam prius tenuit *S. Thomas* I Sent., D. 17, q. 2, a. 3; et II Sent., D. 27, q. 1, a. 5, ad 2; sed eam postea deseruit et retractavit.

1045. — *Communis* tamen et *vera sententia* docet, hominem justum non solum per actus intensiores, sed etiam per remissiores, vere mereri augmentum gratiæ et gloriæ [1].

Ita explicite S. Thomas, *q. 114, a. 8, ad 3:* « Quolibet actu meri» torio, *inquit*, meretur homo augmentum gratiæ, sicut et gratiæ con» summationem, quæ est vita æterna. » Et *2. 2, q. 24, a. 6, ad 1:* « Qui» libet actus caritatis meretur caritatis augmentum. »

Prob. I. **Ex S. Scriptura.** Legimus apud Matth. X, illum qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine Christi, suam recipere mercedem. Sed poculum aquæ frigidæ est res minima. Ergo et minimi actus merentur mercedem, id est, gratiæ augmentum in præsenti, et gloriæ in futuro. « Bonis operibus, *ait Tridentinum, (Sess. VI, cap. 16)*, in » sacris Litteris usque adeò tribuitur, ut etiam qui uni ex minimis » suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse » suâ mercede carituruni. »

Et, (I Cor. III, 8), legimus unumquemque suam mercedem recipere juxtà suum laborem. Sed licet opus bonum sit exiguum, est tamen verus labor hominis, unde et mercedem recipiet. Hæc autem merces, juxtà Tridentinum, est in præsenti vitâ gratiæ augmentum.

II. **Ex Tridentino.** Tridentinum, *Sess. VI, can. 32*, definiens justificatum bonis operibus vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et gloriæ augmentum, non distinguit inter opera ferventiora et remissiora, sed loquitur universaliter de omnibus operibus bonis. Ergo juxtà Tridentinum, etiam opera remissiora merentur augmentum gratiæ.

III. **Ex Ratione.** 1° Opera bona minus intensa omnes conditiones ad meritum requisitas possident; ergo sunt etiam meritoria.

[1] Cf. *Duval,* In 2. 2, De Carit., q. 2, a. 4; p. 476. - *Gibbon,* Tr. IV, disp. 27, dub. 1, § 2; p. 412. - *Salmant.,* De Carit., disp. 5, dub. 3; Tom. 12, p. 169, præsertim p. 181. - *Joan. a S. Th.,* De Carit., disp. 9, a. 3; T. 7; p. 443. - *Billuart,* De Carit., Diss. 2, a. 2. T. 3; p. 473. - *Serra,* In 2. 2, q. 24, a. 6, concl. 3; Tom. 9; p. 428. - *Gonet,* De Virt., Disp. 10, a. 7; p. 338. - *Suarez,* De Aux., L. IX, c. 3.

2° Si opera minus intensa nihil mererentur, magnum sequeretur inconveniens, scilicet, unum et idem opus in uno fore meritorium vitæ æternæ, in altero verò non; imò opus majus in uno non esse meritorium, in altero autem minus opus fore meritorium. Opus, v. gr., ut tria, in eo qui habet duos gradus gratiæ, foret meritorium, dum in eo qui habet centum gradus, opus ut nonaginta novem nihil mereretur; quod certe nequit admitti. Dicendum est igitur, quodcumque opus bonum, quantumvis remissum, esse vere meritorium.

Ad primam igitur rationem oppositæ sententiæ dicendum, quod aliud est *bene uti* beneficio accepto, et aliud *uti perfecte.* Qui remisse operatur non utitur quidem perfecte beneficio accepto, quia non juxtà totam latitudinem gratiæ habitualis operatur; utitur tamen bene illo beneficio, quia ponit opus bonum et Deo gratum; secus dicendum foret, illius opus bonum esse peccatum veniale.

Ad secundam rationem dicendum, negandam esse analogiam habitus infusos inter et acquisitos. Acquisiti augentur physice efficienter per actus; et ideò non possunt augeri nisi per actus intensiores; per remissiores verò disponuntur ad corruptionem. Habitus autem infusi per actus augentur tantum meritorie; et Deus est, qui, sicut habitum infudit, ipsum etiam efficienter auget; unde nihil obstat quominus, propter meritum actûs remissi, proportionaliter a Deo augeatur habitus gratiæ.

1046. — **Quæritur II.** *Quonam tempore conferatur augmentum gratiæ actibus bonis promeritum?*

Resp. Si actus meritorius est intensior habitu, gratia statim augetur ac positus est actus. Ita omnes. — Si actus est æqualis habitui, statim augeri gratiam docent etiam fere omnes. — Si verò actus meritorius est remissior, digladiantur auctores.

Aliqui docent augmentum gratiæ non statim conferri, sed tunc solum quandò anima per actum ferventiorem fuerit disposita ad tale augmentum accipiendum: « Quolibet actu meritorio, *ait S. Th.*, me» retur homo augmentum gratiæ, sicut et gratiæ consummationem, » quæ est vita æterna. Sed sicut vita æterna non statim redditur, sed » suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum sci» licet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum. » *(Q. 114, a. 8, ad 3)*

Sed, quandonam homo per actum ferventiorem erit dispositus ad recipiendum augmentum gratiæ? Illud non declarat S. Doctor; quo-

circà duplex apud Thomistas viget sententia, quarum utraque gloriatur de patrocinio D. Thomæ.

Prior docet, augmentum gratiæ actibus remissis promeritum in hac vitâ concedi, quandò scilicet anima actum intensiorem elicit. Actus enim ferventior, aiunt patroni hujus sententiæ, est sufficiens dispositio ut præparetur anima ad illud augmentum recipiendum. Ita *Sylvius* [1], *Joannes a S. Th.* [2], *Contenson* [3], et alii pauci.

Altera docet, illud augmentum in præsenti vitâ nunquam conferri, quia ab homine viatore nunquam potest poni actus adeò perfectus, qui disponat ad recipiendum simul et augmentum isti actui debitum et augmentum debitum actibus remissis præcedentibus; sed conferri tantum in alterâ vitâ, sive in momento quo anima separatur a corpore, sive in initio beatitudinis; quia tunc temporis anima justa in perfectissimum prorumpit actum caritatis, qui, quia non est amplius meritorius novi augmenti gratiæ, disponit perfecte animam, ut possit recipere totum cumulum augmenti, quem actibus remissis promeruit in vitâ. Ita *Salmantic.* [4], *Serra* [5], *Alvarez* [6], *Billuart* [7], *Grandi* [8], *Wenzl* [9], *Philippus a SS. Trinit.* [10], et major pars Thomistarum.

1047. — Non obstante auctoritate D. Thomæ, multi theologi, sive Scotistæ, sive ex Soc. Jesu, sive extranei, docent augmentum gratiæ per actus remissos promeritum, statim conferri ac actus ponuntur. Ita *Suarez* [11], *Mœratius* [12], *Arriaga* [13], *Tanner* [14], *Vasquez* [15], *Turrianus* [16], *Oviedo* [17], *Did. Gonzalez* [18], *Caspensis* [19], *Mastrius* [20], *Puteanus* [21], *Wiggers* [22], etc.

Huic opinioni tanquam multò probabiliori adhærendum esse censemus, præsertim ob auctoritatem Tridentini, quod eidem aperte favet. Docet Concilium, *Sess. VI, cap. 10*, semel justificatos euntes de virtute in virtutem renovari de die in diem, hoc est, per observationem man-

[1] In 2. 2, q. 24, a. 6, concl. 2; p. 129. — [2] In 2. 2, Disp. 9, a. 4; T. 7; p. 448. — [3] L. VIII, Diss. 6, c. 2, spec. 1; p. 492. — [4] De Carit., Disp. 5, dub. 4, § 2 et 3; T. 12, p. 253. — [5] In 2, 2, q. 24, a. 6, 4°; p. 430. — [6] De Auxil., Disp. 60, n. 24; p. 439. — [7] Diss. 2, a. 3; p. 474. — [8] In 2. 2, q. 24, a. 6, dub. 3, in fine; p. 601. — [9] De Carit., q. 3; p. 440. — [10] In 1. 2, q. 114, disp. 7, dub. 6; p. 569. — [11] De Aux., L. IX, c. 3; p. 473; et, De Reviviscentia merit., Disp. 2, sect. 3, — [12] Disp. 50, sect. 3; p. 450. — [13] Disp. 51, sect. 2, subs. 5; p. 598. — [14] De Grat., Disp. 6, q. 6, dub. 8; p. 1427; et De Carit., q. 2, dub. 5, n. 143; T. 3; p. 605. — [15] In 1. 2, Disp. 220, c. 5; p. 885. — [16] Opusc. 8, disp. 2, dub. 13; p. 449. — [17] Tr. IX, Contr. 3, punct. 4, n. 47; p. 878. — [18] In II. Sent., Tr. VI, disp. 4, q. 2; p. 418. — [19] Tract. 17, disp. 2, sect. 6; p. 109. — [20] Tom. II, disp. 7, q. 11, a. 1; p. 637. — [21] In 2. 2, q. 24, a. 6, dub. ult.; p. 681. — [22] In 2. 2, q. 24, a. 6, concl. 2; p. 250.

datorum Dei et Ecclesiæ, in ipsâ justitiâ bonis operibus crescere atque magis justificari. — In *can. 24*, definit acceptam justitiam augeri coram Deo per bona opera; — et *can. 32*, definit bona opera vere mereri augmentum gratiæ. Constat his definitionibus gratiam augeri in præsenti vitâ, et augeri quia bona opera merentur illud augmentum. Sed Concilium universaliter loquitur de omnibus operibus bonis, nullumque discrimen ponit inter actus ferventiores et remissiores; juxta Concilium igitur omnes actus boni eodem modo, etsi gradu diverso, augent gratiam. Sed juxta Thomistas, augmentum promeritum actibus ferventioribus confertur statim; ergo et augmentum promeritum actibus remissis statim confertur [1].

Hac Concilii Tridentini doctrinâ refellitur etiam distinctio, quam quidam Thomistæ ponunt inter gratiam in esse habitûs, et gratiam in esse gratiæ. Actibus remissis, inquiunt, gratia non statim augetur in esse habitûs, id est, ipse habitus gratiæ non augetur; sed augetur statim in esse gratiæ, quia actibus illis remissis homo redditur gratior Deo, atque jus acquirit ad novum gradum gloriæ essentialis [2]. Tridentinum enim loquitur de gratiâ quæ formaliter inhæret in animâ, eamque formaliter justam reddit. Hæc autem gratia est gratia in esse habitûs. Quare, quæ dicit Concilium de augmento gratiæ, dicta sunt de ipso habitu gratiæ; proinde juxtà Tridentinum dicendum est, per actus remissos ipsum habitum gratiæ habitualis statim augeri.

Sententia nostra probatur etiam ratione. Actus meritorii non concurrunt ad augmentum gratiæ per modum causæ efficientis physicæ, nec per modum dispositionis, sed unice per modum meriti. Sed, merito posito, nihil prohibet mercedem statim conferri. Si igitur ob meritum actûs intensioris augmentum statim confertur, sicut omnes concedunt, dicendum est illud etiam statim conferri ob meritum actûs remissi, cum utriusque meriti eadem sit ratio.

1048. — Quæritur III. *Quanam proportione augeatur gratia per actus meritorios?*

Resp. Controvertitur inter doctos utrum augmentum gratiæ fiat juxtà totam latitudinem actûs meritorii.

Sedulò notandum est, hanc propositionem: *Gratiam augeri juxta totam latitudinem actûs*, duplici sensu accipi posse. *Primò* enim significare potest, augmentum gratiæ ita toti latitudini seu intensioni

[1] Cf. *Gibbon*, Disp. 27, dub. 2; p. 420. — [2] Ita *Alvarez*, Disp. 60, n. 9 et ss.; p. 433. - *Gonet*, De Carit., Disp. 10, art. 8; p. 344.

actûs respondere, ut actus juxtà totam suam entitatem mereatur augmentum, nullusque sit gradus in actu cui non respondeat aliquid mercedis. *Secundò* significare potest, augmentum gratiæ ita toti latitudini actûs respondere, ut quot sunt gradus intensionis in actu, tot etiam sint gradus augmenti gratiæ, ita, v. gr., ut actus decem graduum mereatur decem novos gradus gratiæ.

In solutione hujus dubii plures adsunt sententiæ.

1049. — *Prima* docet, actum non esse meritorium juxtà totam suam latitudinem, sed tantum juxtà suum excessum suprà habitum præexistentem; ac proinde gratiam non augeri juxtà totam latitudinem actûs, sed solum juxtà ipsius excessum, et augeri tot gradibus, quot sint gradus intensionis in illo excessu. Sic, v. gr., habens gratiam ut decem, si operatur ut duodecim, actus juxtà priores decem gradus non meretur augmentum, sed tantum juxtà gradum undecimum et duodecimum; et gratia augetur duobus gradibus, ita ut homo ille habeat deinde gradus duodecim gratiæ. Ita *Bannez* [1], *Sylvius* [2], et generatim illi qui actibus remissis virtutem merendi augmentum denegant. — Ratio præcipua est, quia de habitibus infusis disserendum est sicut de acquisitis. Sed actus habitum acquisitum non auget, nisi sit eo intensior. Ergo idem dicendum de habitibus infusis.

Hæc opinio meritò respuitur. Ut enim jam suprà dictum est, neganda est paritas inter habitum infusum et acquisitum, cum unus meritorie tantum, alter verò efficienter physice augeatur actibus. — *Præterea,* actus bonus est meritorius non solum juxtà suum excessum, sed juxtà omnes gradus suos; omnibus enim istis gradibus perfecte conveniunt conditiones requisitæ ad meritum, sicut etiam actibus remissis. Si autem actus est meritorius juxtà omnes suos gradus, meretur etiam augmentum juxtà omnes suos gradus, seu juxtà totam suam latitudinem, et non solum juxtà excessum; secus dicendum foret, majorem partem operis absque mercede dimitti.

1050. — *Secunda sententia,* quæ est *Contensonii* [3], docet, actus bonos, tam remissos quam intensiores, esse meritorios augmenti gratiæ juxtà omnes suos gradus, et augmentum dari juxtà totam latitudinem actuum; sumendo illud *juxta totam latitudinem,* in priori sensu suprà explicato. Sed, addit Contenson, actus remissi non producunt augmentum statim, sed quandò positus fuerit actus ferventior; quo posito, gratia augetur tot gradibus quot sunt gradus in actu intensiori; et

[1] Loc. supra cit.; p. 372. — [2] Loc. cit., concl. 3; p. 130. — [3] L. 8, diss. 4, c. 2, spec. 1; p. 492.

illud augmentum conceditur duplici titulo, scilicet ob meritum actûs ferventioris, et ob meritum actuum remissiorum præcedentium. Sic, v. gr., homo habens gratiam ut decem, ponit centum actus intensos ut octo, meretur per omnes illos actus aliquod augmentum gratiæ, sed non recipit statim; deinde ponit actum intensum ut duodecim, et meretur augmentum ut duodecim, et statim accipit, ita ut habeat viginti duos gradus gratiæ; sed illos duodecim gradus augmenti accipit tanquam mercedem actûs ferventioris, et simul tanquam mercedem centum actuum remissiorum præcedentium.

Hæc singularis opinio fere ab omnibus rejicitur, et meritò. Juxtà ipsam enim, actus remissi de facto frustrantur omni mercede. Duplex enim titulus accipiendi mercedem non auget ipsam mercedem; et qui supradictum actum intensum ut duodecim posuit, augmentum gratiæ ad duodecim gradus accepisset, etiamsi nullum actum remissum anteà posuisset.

1051. — *Tertia sententia* tenet: 1° omnem actum, sive remissum sive intensum, mereri augmentum gratiæ juxtà totam suam latitudinem, ita ut nullus sit gradus in actu, cui non correspondeat quoddam gratiæ augmentum, vel statim vel posteà concedendum juxtà dicta de tempore quo confertur augmentum. Ratio: quia quilibet gradus actûs habet conditiones requisitas ad meritum.

2° Si augmentum gratiæ juxtà totam latitudinem actûs intelligitur in secundo sensu suprà explicato, docent omnes patroni hujus sententiæ, actum ferventissimum caritatis semper augere habitum gratiæ et caritatis juxtà omnes gradus suæ intensionis, ita ut si actus gradibus æquet habitum, ipsum duplicet.

Ad actus remissiores caritatis, aut actus aliarum virtutum quod attinet, dicunt aliqui cum *Suarez* [1], eos non augere habitum juxtà omnes gradus suæ intensionis. — Alii verò, ut *Duval* [2], *Gibbon* [3], etiam hos actus affirmant semper augere habitum juxtà totam intensionem suam, ita ut, habens gratiam ut decem, et operans ut quatuor, recipiat quatuor novos gradus; operans verò ut decem, duplicet habitum. — *Ratio:* quilibet gradus operis est meritorius; si igitur primo gradui correspondet aliquod augmentum, gradui secundo idem augmentum debet correspondere, et sic de aliis; non est enim assignabilis ratio denegandi secundo vel tertio gradui augmentum, quod tribuitur primo, cum ratio meriti sit eadem in omnibus gradibus.

[1] De Reviviscentia merit., disp. 2, sect. 3, n. 29. T. 11; p. 500; et n. 43; p. 506. — [2] De Carit., q. 2, a. 4; p. 480. — [3] Disp. 27, dub. 1, § 4; p. 417.

1052. — **Quæritur IV.** *Utrum aliquis primam gratiam sibi mereri possit?*

Resp. Nomine primæ gratiæ, intelligere possumus vel primam gratiam actualem quæ homini conceditur, vel gratiam sanctificantem quæ homini in justificatione infunditur, sive justificetur primâ vice, sive iterum justificetur postquam gratiam per peccatum amiserat.

1° Si agitur *de primâ gratiâ actuali*, quâ homo ad justificationem vocatur, *de fide* est, hominem eam nec de condigno, nec de congruo mereri posse; imò eam nec impetrationis merito posse consequi, sicuti in Parte I^a^ hujus tractatus abunde probatum est, quandò contra Pelagianos et Semipelagianos egimus. — Confirmatur hæc doctrina ex axiomate ab omnibus recepto: *Principium meriti non cadit sub meritum*, id est, illud, quod ex parte principii necessariò prærequiritur ad meritum, sub merito illius actûs, cujus est principium, cadere nequit. Atqui ad omne meritum supernaturale gratia actualis jam prærequiritur, tanquam illius principium. Prima igitur gratia actualis sub nullum meritum cadere potest.

1053. — 2° Si agitur *de primâ gratiâ sanctificante*, distinguendum est.

a) Vel ponitur quæstio *de merito condigni:* tunc respondendum est absolute, hominem suis operibus, etiam ex gratiâ positis, gratiam sanctificantem nullatenus mereri posse. Ita omnes absque exceptione; imò plures eam conclusionem æstimant esse de fide. — Constat ex verbis Apostoli, (Rom. III, 24): *Justificati gratis per gratiam ipsius;* quæ verba explicat Tridentinum, dicens, *(Sess. VI, cap. 8):* « Gratis » autem justificari ideò dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem » præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam pro» meretur. » — *Idem evincitur ratione:* Ut possit esse meritum de condigno, una ex conditionibus ex parte principii absolute requisitis, est præsentia gratiæ sanctificantis in ipso operante. Cum autem principium meriti non cadat sub merito, sequitur, neminem sibi posse primam gratiam sanctificantem promereri de condigno.

1054. — *b*) Si quæstio moveatur *de merito congruo*, non tam perfecta viget inter auctores concordia. Alii affirmant absolute, hominem posse, ex auxilio gratiæ actualis, promereri de congruo primam gratiam habitualem; alii contra, negant hominem posse eam mereri merito de congruo proprie dicto, posse tamen eam mereri merito de congruo late et improprie dicto.

Sed hæc dissensio est potius de nomine quam de re, fundaturque in diversâ ratione definiendi meritum de congruo.

Thomistæ meritum de congruo definiunt opus cui debetur retributio, non quidem ex jure justitiæ, sed ex jure amicitiæ; unde et in opere et in operante quamdam expostulant congruitatem ad præmium. Sed congruitas in operante, et jus amicitiæ non fundantur nisi in gratiâ sanctificante. Ergo et meritum de congruo proprie dictum nequit esse in peccatore [1]. — Quod peccator non habeat jus amicitiæ ad aliquid a Deo obtinendum, in hoc omnes conveniunt; et sic omnes dicunt, neminem posse mereri primam gratiam merito congrui, fundato in jure amicitiæ.

Alii verò theologi [2] meritum de congruo vocant opus bonum, cui nec ex justitiâ, nec ex jure amicitiæ, sed solum ex condecentiâ quadam debetur retributio; unde et congruitatem ex parte solius operis expostulant, et ex parte operantis gratiam sanctificantem non dicunt necessariam; quo in sensu meritum de congruo supra explicavimus. Tali merito etiam Thomistæ dicunt, hominem primam gratiam mereri posse [3].

Sumendo igitur meritum de congruo in hac secundâ acceptione, dicendum est, hominem per actum caritatis aut contritionis perfectæ mereri, et quidem de congruo infallibili, primam gratiam sanctificantem. *Ratio* est, quia faciente homine ex virtute gratiæ actualis totum quod est in se, ut ad Deum redeat eumque ex toto corde diligat, condecens est ut et Deus ipsum suscipiat atque diligat. Adest igitur in prædictis actibus meritum quoddam de congruo ad primam justificationem. Unde et SS. Patres agentes de quibusdam peccatoribus, dixerunt eos justificationem meruisse. Sic *S. Ambrosius* ait de filio prodigo, quod pœnitentiam agendo meruit stolam. *(De Pœnit., L. II, c. 3. M., 16, c. 500).* Et *S. Augustinus* de Ninivitis: « Pœnitentiam egerunt, et certam misericordiam meruerunt; » *(In Ps. 50, n. 11. M., 36, c. 592);* et de publicano ait: « Si peccatores Deus non » exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram dimittens diceret: » *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Et ista confessio meruit justi» ficationem, quomodo iste cæcus illuminationem. » *(Tract. 44 in Joan., n. 13. M., 35, c. 1718).*

[1] Cf. *Salmant.*, Disp. 6, a. 1; p. 791, - *Gonet,* Disp. 2, a. 7; p. 97. - *Grandi,* In q. 114, a. 5, dub. 2; p. 488. - *Wenzl,* Contr. 8, q. 6, concl. 2; p. 257. - *Sylvius,* In q. 114, a. 5, concl. 4; p. 803. — [2] Cf. *Gibbon,* Tr. I, disp. 3, dub. 3; p. 43. - *Oviedo,* Contr. 7, punct. 1; p. 927. - *Mæratius,* Disp. 15, sect. 1; p. 223. - *Valentia,* Disp. 8, q. 6, punct. 4, § 2; p. 1181. - *Muniessa,* Disp. 28, sect. 4; p. 549. - *Barth. Durandus,* Tr. 3, disp. 2, q. 7; p. 385. — [3] Cf. *Serra,* In. q. 114, a. 5; p. 518.

Illud autem meritum esse de congruo infallibili, ex divinâ promissione manifestum est; siquidem Deus caritati et contritioni perfectæ gratiam justificationis repromisit, teste Scriptura, (Deut. IV, 29): *Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ.* — (Ps. 50, 19): *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* — (Joan. XIV, 23): *Si quis diligit me,... et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

1055. — **Quæritur V.** *Utrum homo possit gratias actuales, primâ exceptâ, sibi mereri?*

Resp. Hæc quæstio movetur speciatim de gratiâ efficaci; gratia enim sufficiens, ut supra late probatum est, *n. 312 ss.*, urgente præcepto, nemini unquam denegatur, sed sufficienter a Deo omnibus misericorditer conceditur; secus præcepti transgressio delinquenti non posset imputari ad peccatum. Gratias autem efficaces, quæ effectum infallibiliter producunt, diximus non concedi indiscriminatim omnibus; cum tamen istæ gratiæ efficaces sint homini necessariæ ad salutem, ideò de istis specialius inquiritur an cadant sub merito.

1056. — I. *Unanimis sententia docet, neminem posse sibi de condigno gratias efficaces promereri.* Etenim:

a) Nullam habemus divinam promissionem de gratiis efficacibus obtinendis in præmium nostrorum operum; cum autem hæc promissio sit necessaria ad meritum de condigno, patet gratias efficaces non cadere sub meritum de condigno.

b) Illud solum cadit sub meritum de condigno, ad quod gratia ex divinâ ordinatione ordinatur. Porro, ut ait S. Thomas, *q. 114, a. 9*, ex divinâ ordinatione gratia ad ea solum ordinatur, quæ se habent per modum termini, cujusmodi est vita æterna, non autem ad ea, quæ se habent per modum principii motûs. Sed gratia actualis semper se habet per modum principii meriti; unde et ipsa sub meritum de condigno cadere nequit.

c) Si gratia efficax caderet sub meritum de condigno, sequeretur hominem, semel justificatum et bona opera facientem, gratiam sanctificantem non amplius amittere posse, ac infallibiliter salvari. Atqui hoc videtur contra Tridentinum, *Sess. VI, can. 23*, et manifeste est contra experientiam, cum constet sæpe contingere, homines valde pios post multa opera bona in peccatum prolabi et in æternum perire. Ergo gratia efficax nequit cadere sub meritum de condigno.

Prob. major. Peccatum mortale, per quod solum amittitur justitia, accidit quia homo non habuit gratiam efficacem, sive gratia dicatur efficax ex consensu voluntatis, sive ex naturâ suâ: si enim eam habuisset, homo certe non peccasset, cum gratia efficax suum effectum producat infallibiliter. Sed si justus suis operibus mereretur de condigno auxilium efficax, hoc semper infallibiliter adesset, quando adest necessitas. Cum enim meritum nitatur justitiâ, merces ipsi infallibiliter conceditur, nisi meritum interrumpatur peccato, quod in casu dici nequit, quia agitur præcise de auxilio ad peccatum vitandum. Unde, si quis mereri posset de condigno gratiam efficacem, necessariò sequeretur, ipsum in peccatum infallibiliter non lapsurum amplius, bonum infallibiliter esse operaturum, et infallibiliter salvatum iri.

1057. — II. *Sententia communis docet, justum posse operibus gratias efficaces promereri merito de congruo saltem fallibili.* Decet enim divinam bonitatem ut homini facienti quod est in se ex auxilio gratiæ totum quod potest, Deus uberiora largiatur gratiæ auxilia ad ea peragenda, ad quæ gratia communis sese non extendit. — Præsertim gratia efficax merito orationis obtineri potest, et quidem infallibiliter, sicuti in primâ parte Tractatus abunde probatum est. *Cf. n. 714.*

1058. — **Quæritur VI.** *Utrum justus perseverantiam sibi mereri possit?*

Resp. De Perseverantiâ satis superque tractavimus *n. 235 et ss.* Unum de eâ inquirendum superest, an scilicet cadat sub meritum. Per perseverantiam hìc intelligimus continuationem in gratiâ usque ad mortem inclusive, ita ut homo semel justificatus non excidat amplius e statu justitiæ, et moriatur in gratiâ.

1° Si agitur de merito condigni, dicendum: *Neminem posse sibi perseverantiam mereri.* Ita omnes theologi, quorum aliqui propositionem vocant *de fide, fide certam,* propter verba Tridentini et Scripturæ testimonia.

Probatur: a) Ex Tridentino, quod agens de munere perseverantiæ, ait: « Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui po» tens est eum qui stat, statuere ut perseveranter stet, et eum qui » cadit restituere. » *(Sess. VI, cap. 13). — Præterea, can. 16,* perseverantiam vocat *magnum donum.* Licet autem in ordine supernaturali merces vocari debeat aliquo modo donum propter radicem gratiæ, quæ est semper gratuita, non est tamen donum simpliciter, sed debitum, quia *ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* (Rom. IV, 4). Cum igitur Tridentinum perseveran-

tiam simpliciter vocet *donum*, et quidem *magnum donum*, aperte declarat ipsam esse donum purum, meritis nullatenus debitum.

b) *Ex S. Scriptura.* SS. Litteræ bonis operibus præmium vitæ æternæ promittant, dummodò homo ad finem usque perseveraverit. (Matth. X, 22): *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ipsa autem perseverantia nusquam promittitur justis propter ipsorum opera; imò monentur justi ut cum metu et tremore salutem suam operentur (Phil. II, 12), et ut qui stare se existimant, videant ne cadant, (I Cor. X, 12). Cum autem divina promissio sit conditio necessaria ad meritum de condigno, manifeste patet, perseverantiam non cadere sub meritum de condigno.

c) *Ex Ratione.* Actualis perseverantia consistit in catenâ quadam gratiarum præsertim efficacium, quibus fit ut homo, semel justificatus, in bono ad finem usque firmiter perstet. Atqui, ut modo dictum est (n. 1056), nullus potest sibi gratias efficaces de condigno promereri. Ergo nec perseverantiam.

Præterea, si justus perseverantiam de condigno posset promereri, nullus propemodum damnari posset justus, cum merces merito de condigno ex justitiâ debeatur. « Omne quod quis meretur, *ait S. Th.*, a » Deo consequitur, nisi impediatur per peccatum. Sed multi habent » opera meritoria, qui non consequuntur perseverantiam; nec potest » dici quod hoc fiat propter impedimentum peccati; quia hoc ipsum » quod est peccare, opponitur perseverantiæ; ita quod si aliquis per- » severantiam mereretur, Deus non permitteret illum cadere in pec- » catum. Non igitur perseverantia cadit sub merito. » *(Q. 114, a. 9).*

2° Si agitur de *merito de congruo infallibili* et stricte dicto, dicendum: *Neminem posse mereri perseverantiam.* — Ita omnes. — *Ratio:* quia nulla adest divina promissio de perseverantiâ concedendâ ob opera nostra. — *Præterea,* leges et jura amicitiæ inter homines stricte non expostulant, ut amicus præcaveat ne alter eum graviter lædat; ac proinde nec amicitia Deum inter et hominem justum postulat, ut Deus justum bene operantem, concedendo specialissimam perseverantiæ gratiam, a mortali infallibiliter præservet. *(Cf. n. 254).*

3° Si agitur *de merito de congruo fallibili,* utrum tali merito aliquis possit sibi perseverantiam promereri, controvertitur: alii affirmant, negant alii. Affirmativa sententia magis placet. *Ratio:* perseverantia dependet a catenâ quadam gratiarum efficacium. Sed justus, juxta probabilem sententiam, gratias efficaces de congruo fallibili mereri potest. Ergo et perseverantiam.

4° Si agitur *de merito impetrationis*, quæ divinam misericordiam et liberalitatem invocat, dicendum est absolute : *Hominem posse sibi perseverantiam promereri, id est, obtinere per precationem.* Ita major pars theologorum. — « Hoc donum Dei, *ait S. August.*, suppliciter emereri potest. » *(De dono pers., c. 6. M., 45, c. 999).* — Et *S. Thomas:* « Etiam » ea quæ non meremur, orando impetramus... Et similiter perseve- » rantiæ donum aliquis petendo a Deo impetrat vel sibi vel alii, quamvis » sub merito non cadat. » *(Q. 114, a. 9, ad 1).* — Imò, ut docet *S. Alphonsus, (Magn. prec. adj., P. I, c. 3, § 4)*, oratione donum perseverantiæ infallibiliter impetrari potest, dummodo oratio conditiones requisitas possideat, et sit usque in finem perseverans. *(Cf. n. 259).*

Cum verò, propter innatam liberi arbitrii mutabilitatem, nemo scire possit, se ad finem usque vitæ in debitâ oratione esse perseveraturum, nemo etiam in hac vitâ, absque speciali Dei revelatione, de suâ perseverantiâ atque salute certus omninò et securus esse potest.

1059. — Quæritur VII. *Utrum homo possit sibi mereri reparationem post lapsum*[1] *?*

Resp. Sensus quæsiti est utrum justus, dum est in statu gratiæ, mereri possit ut, si postea in peccatum prolabatur, iterum justificetur.

1° Certum est reparationem post lapsum sub meritum de condigno non cadere. Legimus, (Ezech. XVIII, 24): *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem,... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* — Et (cap. XXXIII, 13): *Etiamsi dixero justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.* Porrò, si per sua opera bona justus mereri posset suam reparationem, hæc per peccatum oblivioni non traderentur, cum mercedem acciperent.

Præterea, per subsequens peccatum omnia merita mortificantur. Nequeunt igitur præcedentia merita de condigno sese extendere ad aliquid, ex justitiâ post peccatum obtinendum.

Denum, ad meritum de condigno requiritur divina promissio de dandâ mercede. Sed in nullo S. Scripturæ loco legimus, Deum promisisse se daturum veniam peccatori ob ejus merita præcedentia. — Hac ratione evincitur etiam, neminem posse de congruo infallibili mereri suam reparationem, cum ad meritum de congruo infallibili requiratur divina promissio.

[1] Cf. *S. Th.*, q. 114, a. 7. - *Salmant.*, Disp. 6, dub. 3; p. 834. - *Gamachæus*, In q. 114, cap. 5; p. 437. - *Gibbon*, Disp. 3, dub. 6; p. 51.

2° Si quæstio movetur de merito congrui fallibili, major est difficultas. Thomistæ, qui ad meritum de congruo expostulant jus quoddam amicitiæ, sententiam negantem amplectuntur; pro quâ etiam stare videtur S. Thomas, dicens: « Nullus potest sibi mereri reparationem » post lapsum futurum, neque merito condigni, neque merito congrui. » *(Q. 114, a. 7)*. — Alii verò, qui meritum de congruo fundant in solâ condecentiâ et in Dei misericordiâ, sententiam affirmantem tuentur. *Ratio:* quia decet divinam misericordiam ut homini, qui ei bona opera eâ intentione offert ut reparetur, si forte lapsus fuerit, gratiam conversionis concedat; dummodo tamen absit præsumptio, id est, dummodo homo non fidat suis operibus ad peccandum, inductus spe veniæ propter sua merita postea accipiendæ.

3° Si verò eadem quæstio ponitur de merito impetrationis, sententia communis docet, justum oratione aliisque operibus bonis suam reparationem mereri posse; licite enim ac utiliter quilibet divinam misericordiam oratione adire potest atque Deum adprecari, ut, cum defecerit, iterum reparetur. Quæ oratio quamdam in se habet decentiam ut a Dei misericordiâ exaudiatur, dummodo sit perseverans, neque præsumptionem conjunctam habeat.

1060. — Quæritur VIII. *Utrum homo possit alteri quidquam mereri?*

Resp. 1° Merito de condigno nullus potest alteri quidquam mereri. Ita omnes. — *Ratio:* quia illud tantum cadit sub meritum de condigno, ad quod gratia sanctificans ordinata est. Porro, gratia sanctificans puri hominis ad hoc ordinata est, ut ipse ad vitam æternam perveniat; ultra quod motio gratiæ ad nihil aliud se extendit. Nullus igitur purus homo potest alteri quidquam de condigno mereri. « Me» rito condigni, *inquit S. Th.*, nullus potest mereri alteri primam gra» tiam, nisi solus Christus, quia unusquisque nostrum movetur a Deo » per donum gratiæ, ut ipse ad vitam æternam perveniat; et ideò » meritum condigni ultra hanc motionem non se extendit. Sed anima » Christi mota est a Deo per gratiam, non solum ut ipse perveniret » ad gloriam vitæ æternæ, sed etiam ut alios in eam adduceret, in» quantum est caput Ecclesiæ, et auctor salutis humanæ. » *(Q. 114, a. 6)*.

2° Merito de congruo fallibili justus, quidquid sibi, hoc et alteri mereri potest, imò et aliquid plus, videlicet primam gratiam actualem. — Innuitur in Scripturis. Legimus, (Matth. IX, 2): *Videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: confide, fili: remittuntur tibi peccata*

tua. — (Jac. V, 16) : *Orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua.*

Comprobatur ex praxi Ecclesiæ, quæ pro peccatoribus, hæreticis, paganis, Judæis preces fundit et opera bona Deo offert, ut Deus eos illuminare et corpori mystico Christi aggregare dignetur.

Confirmatur ex ratione. « Quia enim homo in gratiâ constitutus » implet Dei voluntatem, *ait S. Th.*, congruum est secundum amicitiæ » proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione al- » terius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius, » cujus aliquis sanctus justificationem desiderat. » *(Q. 114, a. 6).*

3° An autem etiam peccator alteri quidquam mereri possit, magis est dubium. Sententia affirmativa videtur probabilior. Etenim : *a*) Ex parte merentis, ad meritum de congruo non requiritur status gratiæ. Si autem, ad merendum de congruo pro se, status gratiæ non requiritur, probabilius etiam non requiritur ad merendum alteri. — *b*) Peccator sibi primam justificationem de congruo mereri potest; ergo probabilius et alteri, cum juxta communem sententiam, quidquid aliquis sibi, hoc et alteri de congruo mereri potest. — *c*) Deus orationes peccatoris debitis conditionibus vestitas quandoque exaudit; ergo saltem merito impetrationis, peccator alteri potest aliquid mereri.

CAPUT IV.

DE MERITORUM REVIVISCENTIA.

1061. — Ob innatam humanæ naturæ fragilitatem, quæ morte solum aufertur, contingit sanctissimos etiam viros quandoque labi in peccatum, atque eo jure privari, quod sibi per præcedentia merita acquisierant ad cœlestem patriam. Ut igitur quæstio de merito totusque tractatus de Gratiâ absolvatur, inquirendum superest, utrum merita per peccatum deperdita sint irremediabiliter amissa, an per pœnitentiam reviviscant. Quæstio hæc ab aliis in tractatu de Pœnitentiâ, ab aliis verò in tractatu de Gratiâ pertractatur, et utrobique quidem aptissime : cum enim illa meritorum reviviscentia sit effectus Pœnitentiæ, jure de eâ agitur in Pœnitentiâ; cum autem sit quasi complementum doctrinæ de Merito, apte etiam de eâ in materiâ de Merito disseritur.

Reviviscentia meritorum est recuperatio pristinæ efficaciæ, quam opera bona habebant perducendi hominem ad vitam æternam, et quam peccato amiserant.

Opera quadruplicis generis distinximus, scilicet: opera viva, mortua, mortifera, et mortificata *(n. 1038)*. Hìc de solis mortificatis sermo esse potest, quippe quæ sola efficaciam prius habuerunt, quam peccato amiserant. Viva enim reviviscentiâ non indigent; mortifera ducunt ad gehennam; et mortua nullam unquam habuerunt efficaciam perducendi in cœlum.

De operibus mortificatis duplex agitari solet quæstio, nimirum: 1° utrum reviviscant; et 2° in quâ mensurâ reviviscant.

ARTICULUS I.

DE IPSA MERITORUM REVIVISCENTIA.

1062. — Antiquiores quidam auctores, quos suppressis nominibus refert S. Thomas, *(P. 3, q. 89, a. 5)*, docuerunt opera meritoria peccato mortificata, per subsequentem pœnitentiam non reviviscere; quia, ut aiunt, ea opera non remanent, ac proinde vivificari nequeunt. Contra quos unanimi voce docent theologi, opera mortificata per subsequentem pœnitentiam reviviscere; atque oppositam sententiam vocant temerariam [1], erroneam [2], impiam [3].

Propositio.

Opera meritoria mortificata per subsequentem pœnitentiam reviviscunt.

1063. — Prob. I. **Ex S. Scriptura et Traditione.** Etsi propositio nec in Scripturis nec in Patrum dictis explicite contineatur, nec proinde de fide aut ad fidem pertinens dici possit, ex ipsis tamen adeò manifeste colligitur, ut opposita sententia absque summâ temeritate sustineri non posset.

Legimus, (Ezech. XVIII, 21, 22): *Si impius egerit pœnitentiam ... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Atqui si bona opera peccato mortificata non reviviscerent ad præmium, Deus

[1] Ita *Oviedo*, Contr. 6, punct. 1, n. 2; p. 915. — [2] Ita *Soto*, IV. S., D. 16, q. 2, a. 5; p. 762. — [3] Ita *Suarez*, De Revivisc. merit., disp. 1, sect. 2, n. 9; T. 11, p. 450.

iniquitatum quam maxime recordaretur, quandoquidem, propter illam iniquitatem, hominem privaret præmio operibus præcedentibus promerito.

(Ezech. XXX, 12): *Justitia justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit; et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Si autem merita non reviviscerent, impietas etiam post pœnitentiam quàm maxime noceret justo, quandoquidem propter illam in æternum privaretur omnibus gradibus gloriæ, quos per præcedentia opera bona meruerat.

(Joel. II, 25): *Reddam vobis annos, quos comedit locusta;* id est, ut ait Glossa interl.: « Non patiar perire ubertatem, quam cum per» turbatione animi amisistis. » In quæ verba scribit S. Thomas: « Sed » illa ubertas est meritum bonorum operum, quod fuit perditum per » peccatum. Ergo per pœnitentiam reviviscunt opera meritoria prius » facta. » *(Q. 89, a. 5, Sed contra).*

(Gal. III, 1, 4): *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?... Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.* « Ex » hoc autem habetur, *ait S. Th.*, quod opera mortificata reviviscunt. » *(In Gal., c. III, lect. 2).* — In quæ verba Apostoli scribit *S. Hieronymus:* « Quicumque ob fidem Christi laboraverit et postea lapsus » fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse » dum peccat, sic rursum non perdit ea, si ad pristinam fidem et ad » antiquum studium revertatur. » *(Migne, 26, c. 350).* — Et *S. Joan. Chrysost.:* « Omnium, inquit (Apostolus) illorum, quæ sustinuistis, isti » (pseudoapostoli) jacturam vos facere volunt, et coronam vobis stu» dent intervertere. Mox... subtexuit: *Si tamen frustra.* Si volueritis, » inquit, expergisci ac revocare vos ipsos, non frustra passi fueritis. » *(Comment. in cap. 3 ad Gal. M., 61, c. 650).*

(Hebr. VI, 10): *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis.* His verbis Apostolus Hebræos alloquitur, ex quibus aliqui, sicut patet ex contextu, lapsi erant in peccatum; et tamen affirmat, Deum eorum operis et dilectionis, id est, meritorum ante peccatum acquisitorum, non oblivisci. Si autem Deus eorum non obliviscitur, ergo redditâ gratiâ per pœnitentiam, redditur operum efficacia ad mercedem. *Cf. S. Th., In Hebr., c. 6, lect. 3.*

Hæc istius textûs explicatio in favorem reviviscentiæ meritorum a Tridentino commendatur, *Sess. VI, cap. 16:* « Hac igitur ratione » justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservave» rint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba:

» Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est » inanis in Domino ; non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis » vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. » Verba autem *sive amissam gratiam recuperaverint*, manifeste ostendunt opera, ante peccatum facta, non carere mercede suâ, ac proinde reviviscere.

1064. — Prob. II. **Ex Tridentino.** Legimus, *Sess. VI, can. 32:* « Si » quis dixerit... ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per » Dei gratiam... fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam » æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ decesserit, con- » secutionem, atque etiam gloriæ augmentum ; A. S. » His ex verbis patet, tria esse necessaria ut opus bonum consequatur præmium vitæ æternæ, nimirum: *a*) ut fiat ab homine justo; *b*) ut ponatur sub motione gratiæ actualis; *c*) ut homo in gratiâ decedat. Atqui tres istæ conditiones in operibus bonis ejus, qui post peccatum resurgit et in gratiâ decedit, verificantur. Ergo illa opera, ante peccatum peracta, pristinam suam efficaciam ad vitam æternam iterum possident.

Et *in cap. 16, ejusdem Sessionis*, dicitur: « Nihil ipsis justificatis » amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem ope- » ribus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satis- » fecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratiâ » decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur. » His in verbis Concilium, absque ullâ restrictione, loquitur de omnibus operibus in Deo factis, et unam tantum apponit conditionem ut propter illa concedatur vita æterna, scilicet ut homo moriatur in gratiâ. Hanc autem conditionem adimplet ille, qui post opera bona cadit in peccatum, sed resurgit et moritur in gratiâ. Ergo et pro operibus ante peccatum factis, recipiet mercedem in patriâ. Illa ergo opera reviviscunt.

1065. — Prob. III. **Ex Ratione.** Causa, quæ a suo effectu producendo impeditur propter aliquod obstaculum, remoto impedimento, suum effectum iterum statim producit. Atqui opera bona ex naturâ suâ habent efficaciam perducendi hominem in vitam æternam. Jamverò, per peccatum merita non destruuntur, sed ipsa etiam post peccatum remanent in acceptatione divinâ, et quantum est de se, totam suam efficaciam conservant; quod autem effectum suum, qui est perducere hominem in vitam æternam, non consequuntur, provenit ex impedimento peccati supervenientis, quia peccans est indignus vitâ æternâ. Sed per pœnitentiam aufertur impedimentum peccati; ergo et merita, quorum tota efficacia remansit, suum effectum iterum pos-

sunt producere: quod est idem ac merita reviviscere. *Cf. S. Th., q. 89, a. 5.*

1066. — **Quæritur:** *Utrum merita mortificata reviviscant ex naturâ suâ, an ex Dei misericordiâ?* [1]

Resp. Aliqui meritorum reviviscentiam in solam Dei misericordiam refundunt; alii eam ex solâ meritorum naturâ desumunt. Communior verò et probabilior sententia docet, merita reviviscere partim ex naturâ rei, partim ex Dei misericordiâ.

a) Merita partim ex naturâ rei reviviscere, ex modo dictis constat, *(n. 1065)*. Merita enim mortificata quantum est ex se non amiserunt suam efficaciam per peccatum, sed impediuntur ne producant suum effectum, qui est perducere hominem in gloriam. Proinde ablato impedimento peccati, ex naturâ suâ merita mortificata suam efficaciam iterum educunt in actum et producunt suum effectum; sicut causa, ablato obstaculo, ex naturâ suâ suum producit effectum. Et ideò ex justitiâ illa merita sibi expostulant præmium, non secus ac si non fuissent mortificata.

b) Divinam intervenire misericordiam ex eo manifestatur quod, cum requiratur Dei promissio seu acceptatio ut opus habeat jus ad præmium, potuisset Deus, illæsâ justitiâ, statuere ut ea sola opera haberent jus ad præmium, quæ peccato nunquam mortificarentur; mortificata verò nunquam acceptarentur iterum ad præmium. Quod quia Deus non fecit, sed illimitate omnibus bonis operibus, eâ solâ conditione ut homo moriatur in gratiâ, promisit ut præmium vitam æternam, hoc, inquam, ex solâ Dei misericordiâ procedit; et sic partim in Dei misericordiam refundenda est meritorum reviviscentia.

ARTICULUS II.

DE MENSURA, QUA REVIVISCUNT MERITA.

1067. — Si in asserendâ meritorum reviviscentiâ mira adest auctorum consensio, mira etiam adest opinionum diversitas ubi agitur de mensurâ, quâ per pœnitentiam reviviscunt merita. Celebriores tantum referemus sententias, et cuinam tanquam probabiliori adhæreat major pars theologorum, indicabimus. Quisnam in hac quæstione sit sensus Doctoris Angelici, difficile est dictu, cum patroni omnium opinionum

[1] Cf. *Suarez*, De Revisc. merit., Disp. 1, sect. 3; p. 450.

auctoritatem S. Doctoris pro se vindicent, atque in sui gratiam ejus testimonia proferant.

1068. — PRIMA SENTENTIA. Docet merita reviviscere ad gratiam et gloriam essentialem, juxta præsentes pœnitentis dispositiones: non ita tamen quod eis respondeat specialis gradus gratiæ, præter gratiam infusam in justificatione juxta pœnitentis dispositiones, sed ita quod illa gratia et jus ei annexum ad præmium essentiale conferantur duplici titulo, titulo scilicet præsentis justificationis et titulo præcedentium meritorum. Sic, v. gr., qui habuit centum gradus meritorum, et e peccato resurgit cum intensione ad decem gradus, decem tantum gradus gratiæ et juris ad gloriam habet, sed accipit hos decem gradus et ob præsentem justificationem et in præmium præcedentium meritorum. De cæteris verò nonaginta gradibus meritorum habebit in cœlis gaudium tantùm accidentale. *Ratio:* quia gratia infunditur tantùm juxta præsentem dispositionem. Sed dispositio ad decem exhauritur collatione decem graduum gratiæ, qui vi justificationis infunduntur; unde nequit ulterior gradus conferri ob merita præcedentia. Et cum gloria correspondeat gratiæ, nec ob præcedentia merita dari potest major gloria quam decem graduum. Ita *Bannez* [1], *Contenson* [2], *Sylvius* [3], cum aliis paucis thomistis.

1069. — Hæc opinio ab aliis communiter rejicitur tanquam nimis austera, et quidem meritò. Reviviscentiam enim meritorum, quam verbis adstruit, factis destruit. Si enim, præter gratiam correspondentem præsentibus dispositionibus, nullus gradus redit de gratiâ præcedente aut de præcedente jure ad præmium essentiale, jam non apparet quomodo reviviscant merita, quandoquidem, etsi nulla omninò merita præcessissent, eamdem prorsus gratiam, et postea in cœlis eamdem prorsus gloriam, possideret ille homo.

Præterea, magnum sequeretur absurdum, scilicet: si vir valde sanctus, v. gr., ad mille gradus, cadit in peccatum, et postea resurgit cum solâ dispositione ad decem gradus et moritur, non habebit in cœlis majus præmium essentiale quam vir sceleratissimus, qui ante mortem convertitur cum eadem dispositione ad decem gradus. Sed tunc, quomodo dici posset, unumquemque accipere juxta laborem suum? aut quomodo impietas non noceret illi sanctiori, qui nihil amplius reciperet quam alter?

[1] In 2. 2, q. 24, a. 6, dub. 6; p. 385. — [2] Lib. XI, P. 3, Disp. unic., spec. 2, T. 4; p. 336. — [3] In P. 3, q. 89, a. 2; p. 454.

1070. — Secunda sententia. Affirmat cum primâ sententiâ, merita reviviscere ad gratiam et gloriam juxta proportionem dispositionum ipsius pœnitentis; ita tamen ut præter gratiam, quæ datur vi præsentis justificationis, conferantur etiam propter præcedentia merita tot gradus gratiæ et gloriæ, quot sunt gradus in ipsis dispositionibus. Sic, v. gr., qui resurgit cum dispositione ad quatuor, primò accipiet quatuor gradus gratiæ vi præsentis justificationis, et insuper quatuor alios gradus ob merita mortificata, et habebit gratiam ut octo, et jus ad totidem gradus gloriæ. *Ratio*, quia si ob merita præcedentia nullus daretur novus gradus gratiæ, sicut affirmat prima sententia, merita non reviviscerent; sed alterâ ex parte, cum gratia non infundatur nisi juxta præsentem dispositionem, affirmandum est non plus de præcedenti gratiâ redire posse, quam gradus qui respondent præsenti dispositioni; unde qui surgit cum dispositione ad quatuor, non potest de præcedenti suâ gratiâ recuperare nisi gradus quatuor. Ita *Alvarez* [1], *Joannes a S. Th.* [2], *Gotti* [3], *Mezger* [4], *Lud. Habert* [5], cum aliis Thomistis communiter.

1071. — Hæc sententia majori quam præcedens gaudet probabilitate, quia in eâ jam cernitur vera meritorum reviviscentia. Multis tamen non placet, nec immeritò. Nam etsi admittat veram quamdam meritorum reviviscentiam, eam tamen non admittit eâ extensione, quam exigere videntur rationes in superiori propositione allatæ ad meritorum reviviscentiam probandam. — *Præterea*, verba Tridentini, scilicet quod gratia datur juxta præsentes dispositiones pœnitentis, dicta sunt de gratiâ dandâ vi præsentis justificationis, non autem de gratiâ priori recuperandâ; ac proinde male applicantur ad meritorum reviviscentiam. — *Demum*, si requiritur dispositio ad reviviscentiam præcedentis gratiæ, dicendum est, in justificatione vel nihil de præcedenti gratiâ dari, vel eam totam dari. Ut enim dicunt auctores primæ sententiæ, tota dispositio ad gratiam exhauritur per novæ gratiæ infusionem; v. gr. dispositio ut quatuor exhauritur per quatuor gradus novæ gratiæ; ergo quidquid redit de priori gratiâ redit absque dispositione; si autem aliqui gradus possunt redire absque dispositione, non est ratio cur idem non affirmemus de omnibus gradibus. Ac proinde vel nihil redit de priori gratiâ, vel ipsa tota redit in qualibet justificatione.

[1] De Aux., Disp. 61, n. 6; p. 445. — [2] In P. 3, q. 89, a. 2; Tom. 9, p. 697. — [3] De Pœnit., q. 3, dub. 5; Tom. 14, p. 257. — [4] De Pœnit., Disp. 39, a. 5, § 5; p. 363. — [5] De Pœnit., cap. 12; p. 331.

1072. — Tertia sententia. Docet, in omni justificatione merita reviviscere perfecte et totaliter in ordine ad totam gloriam iisdem promeritam; gratiam autem eisdem respondentem nunquam restitui neque in hac vitâ, neque in alterâ, quia nunquam anima est in sufficienti dispositione ad illam; sed in justificatione dari tantum illam gratiam, quæ correspondeat præsenti dispositioni. Proinde, qui post deperdita merita moriuntur in gratiâ, in cœlis habebunt gloriam majorem gratiâ, quacum mortui sunt, quia ipsorum gloria respondebit et gratiæ quam habuerunt moriendo, et omnibus meritis quæ habuerunt ante peccatum. Ita *Frassen* [1], *Gavardi* [2], *Durandus* [3].

1073. — Hæc sententia admodum paucis probatur. Docent enim communiter theologi, gloriam in cœlis perfecte correspondere gratiæ, quam quis habuit moriendo; proinde excessum gloriæ supra gratiam, quem defendit illa opinio, nequit admitti. — *Præterea*, si reviviscunt merita quantum ad gloriam, debent etiam reviviscere quantum ad gratiam, quia augmentum gratiæ cadit sub meritum, non secus ac augmentum gloriæ.

1074. — Quarta sententia. Docet, in momento justificationis restitui semper jus ad totam gloriam meritis promeritam; restitui etiam illicò totam quantitatem gratiæ, quam homo meritis de condigno acquisierat; gratiam verò, quam homo acceperat in Sacramentis ex opere operato et sine meritis, nunquam restitui nec in hac vitâ, nec in alterâ. Ita *Vasquez* [4], *Gaspar Hurtadus* [5], *Yribarne* [6], *Did. Gonzalez* [7].

1075. — Dum asserit, merita reviviscere in quacumque justificatione quoad totum jus ad gloriam, et quoad totam gratiam meritis promeritam, hæc sententia fulcitur auctoritate majoris partis theologorum, ut dicetur infra. Quod verò attinet ad gratiam receptam in Sacramentis ex opere operato, quamvis sit magis dubium utrum etiam reddatur necne [8], major tamen pars theologorum stat pro parte affirmativa [9].

[1] De Pœnit., Disp. 2, a 1, sect. 3, q. 4. Tom. 10, p. 429, qui pro ea opinione citat Scotum. — [2] Theol. exantiquata, De Pœnit., q. 2, a. 3. T. 6. p. 479. — [3] In III. S., D. 31, q. 2, ad 3; fol. 204. — [4] In 1. 2, disp. 221, cap. 7; p. 909. — [5] De Pœnit., Disp. 2, diffic. 25; p. 111. — [6] In IV. S., D. 22, p. 520, qui pro se etiam citat Scotum. — [7] In II. S., Tr. 7, disp. 3; p. 508, qui pro se citat Scotum. — [8] Cf. *Mæratius*, De Pœnit., Disp. 16, sect. 2; p. 558. — [9] Cf *Ysambert*, In III P., De Pœnit., disp. 26, art. 11; p. 297. - *Suarez*, De Reviv., disp. 2, sect. 3, n. 56; p. 511. - *Ripalda*, Tom. 2, disp. 91, sect. 9; p. 255. - *Becanus*, De Sacr., c. 34, q. 5; p. 918.

Testimonia enim S. Scripturæ, ut Joelis, Ezechielis, sunt universalia, et sese extendunt ad omnia bona, quæ justus jure possedit ante lapsum. Sed jure possedit tam gratiam actibus promeritam et jus ad gloriam eidem gratiæ annexum, quam gratiam ex opere operato in Sacramentis receptam et jus huic gratiæ annexum ad gloriam. Per susceptionem enim Sacramentorum homo incorporatus est Christo, factus est filius Dei, et habet jus ad hæreditatem. Unde, ablato impedimento peccati, jus illud ad gloriam debet reviviscere, non secus ac jus procedens ex meritis: secus dicendum foret Deum valde recordari iniquitatis, cum propter illam hominem privaret toto cumulo gloriæ, quem per Sacramentorum frequentationem sibi acquisierat.

1076. — QUINTA SENTENTIA. Docet, in quacumque justificatione merita mortificata semper totaliter reviviscere ad totam gratiam et ad totum jus gloriæ, quæ homo habuit ante lapsum. — Sed qui hanc tuentur opinionem, in duas adhuc abeunt partes quoad momentum, quo gratia restituitur.

1077. — Alii dicunt, in justificatione conferri tantum habitum gratiæ correspondentem præsenti dispositioni; sed quia homo justificatus iterum acceptus est Deo ad totam gloriam, quam antea promeruerat, ideò antiqua gratia tota redditur in justificatione quoad esse morale, seu quoad esse gratiæ, sed non quoad esse physicum, seu quoad habitum, quia anima non est satis disposita. Redditur verò totus habitus in alterâ vitâ, postquam anima per ferventissimum actum caritatis sese ad ipsum recipiendum disposuit. Ita *Salmantic.* [1], *Paulus a Concept.* [2], *Montesinus* [3], *Marsilius* [4], *Gabriel a S. Vinc.* [5], *Puteobonelli* [6], *Labat* [7], et communiter ii omnes qui docent augmentum physicum gratiæ, promeritum actibus remissis, in alterâ tantum vitâ conferri.

1078. — Alii verò docent, præter gratiam correspondentem præsenti dispositioni, restitui statim in ipsa justificatione non solum integrum jus ad gloriam, sed etiam integram illam gratiam, non solum in esse gratiæ sed in esse habitûs, quam habuit homo ante lapsum; ac proinde merita plene et perfecte reviviscere, et hominem in majori semper resurgere gratiâ, quam fuit illa ex quâ ceciderat. Ita *Sua-*

[1] Disp. 5, dub. un., n. 9; p. 783. — [2] De Eff. grat., disp. 2, dub. 11; p. 319. — [3] Disp. 36, q. 6, n. 370; p. 1057. — [4] In IV. S., D. 21, q. 11, a. 1; fol. 563. — [5] Disp. 21, q. 8; p. 561. — [6] In 1. 2, De Grat., q. 4, a. 5; p. 498. — [7] De Pœnit., Disp. 1, dub. 7; p. 79.

rez [1], *Ysambertus* [2], *Ripalda* [3], *Tanner* [4], *Poncius* [5], *Mastrius* [6], *Lessius* [7], *Becanus* [8], *Major* [9], *Bonæspei* [10], *Maurus* [11], *Oviedo* [12], *De Lugo* [13], *Puteanus* [14], *Pesantius* [15], *Esparza* [16], *Gibbon* [17], *Schiffini* [18], *Grandin* [19], *Muniessa* [20], *Wiggers* [21], cum majori parte theologorum Soc. Jesu, sicut et extraneorum.

1079. — Quinta hæc sententia, præsertim si intelligatur de reditu totius gratiæ statim in ipsâ justificatione, primo adspectu videtur nimis indulgens, et talem eam olim existimabamus [22]. Rem autem accuratius perscrutati, isti sententiæ tanquam probabiliori subscribendum esse existimamus. Etenim:

1° Majori præ cæteris gaudet probabilitate extrinsecâ, ob numerum scilicet doctorum maximæ auctoritatis qui eidem adhærent: nulla siquidem ex aliis sententiis tot pro se citare potest theologos, quam hæc nostra sententia. — Eam explicite tradit *S. Joan. Chrysostomus.* Instituens enim comparationem materialia inter et spiritualia bona, ait: « Non sicut in sensibilibus rebus, ita et hìc usu evenit; illic namque » is qui ex divitiis in extremam redactus fuerit inopiam, brevi eas » reparare nequit; hìc autem per misericordiam Dei, si modo condem- » nare facta nostra et jam sistere ignaviam voluerimus, poterimus » *statim ad pristinam abundantiam redire.* Talis enim est Dominus » noster, tamque magnificus et liberalis. » *(Hom. 6 in Genes., n. 2. M., 53, c. 56).* Ubi verba *statim ad pristinam abundantiam redire,* hanc nostram sententiam apprime confirmant.

2° Argumenta ex SS. Scripturis et traditione *n. 1063* allata, absque restrictione affirmant merita reviviscere, Deum non recordari præteritæ iniquitatis, iniquitatem non nocere ei qui iterum conversus sit ad Dominum. Sed quâ ratione hæc possent esse vera, si meriti præteriti pars tantum reviviscerat, non verò totum meritum? — *Præterea,* sæpius affirmant Scripturæ quemlibet in cœlis mercedem recipere

[1] De Reviv., Disp. 2, sect. 2, p. 482. — [2] Disp. 26, a. 12; p. 301. — [3] Tom. 2, disp. 91, sect. 7; p. 251. — [4] De Pœnit., disp. 6, q. 2, dub. 2; p. 1496. — [5] Disp. 45, q. 7; p. 637. — [6] Disp. 7, q. 10, a. 3; p. 630. — [7] In III P. D. Th., q. 89; p. 725. — [8] De Sacr., c. 34, q. 3; p. 918. — [9] In IV. Sent., D. 22, q. 1; fol. 150. — [10] De Pœnit., Tr. V, disp. 3, dub. 4; p. 188. — [11] Opus theol., Tom. 2, q. 88; p. 282. — [12] Contr. 6, punct. 3; p. 919. — [13] De Pœnit., Disp. 11, sect. 2; p. 175; [14] In III. P. D. Th., q. 89, dub. 1; p. 386. — [15] In III. P. D. Th., q. 89; p. 938. — [16] De Sacr., q. 96; p. 490. — [17] De Merito, disp. 5, dub. 2; p. 73. — [18] De Gr., disp. 6, sect. 6; p. 661. — [19] De Pœnit., Disp. 1, cap. ult., q. 3; p. 172. — [20] Disp. 30, sect. 3 et 4; p. 563. — [21] In III. P. D. Th., q. 89; p. 341. — [22] Cf. Institutiones, n. 1809.

juxta suum laborem, juxta sua opera. Si verò pars tantum prioris mercedis redderetur, et non tota merces, homines nullatenus reciperent juxta suum laborem.

3° Confirmatur ex Tridentino, *Sess. VI, cap. 16*: « Docet enim, » *inquit Suarez*, omnibus meritis de condigno integrum essentiale » præmium infallibiliter reddi, si homo in gratiâ decedat; ergo ex » mente Concilii nunquam potest contingere, quod homo in gratiâ de- » cedens non assequatur totum essentiale præmium quod aliquando » meruit; quia in eo jam impletur conditio, sub qua totum illud præ- » mium promeruit. Ex quo ulterius consequenter concluditur, per re- » missionem peccati mortalis semper vivificari integre omnia merita, » quia constituitur homo in statu gratiæ, in quo si statim decederet, » totum præmium talium meritorum consequeretur. » *(De Reviv. merit., Disp. 2, sect. 2; p. 488).*

Quamvis autem verba Tridentini directe et immediate solum probent, gloriam integre restitui in patriâ, indirecte tamen probant gratiam etiam restitui integre, et quidem statim in ipsâ justificatione. Jus ad gloriam nititur in gratiâ; ergo restitutâ gloriâ, necessariò etiam gratia debet restitui; sed jus ad gloriam statim redditur in justificatione. Ergo et gratia. — *Præterea*, augmentum gratiæ est objectum meriti de condigno, non secus ac gloria et gloriæ augmentum. Ergo si gloria, quia promerita, restituitur, restitui etiam debet saltem ea pars gratiæ, quæ provenit ex merito. *(Pro gratiâ sacramentali cf. n. 1075).* — Quod autem gratia statim restituatur in ipsa justificatione, ulterius ex eo deducitur quod, posito merito, objectum meriti statim redditur, dummodo homo sit in statu quo possit illud recipere, ut patet de collatione gloriæ post mortem, et de augmento gratiæ saltem per actus ferventiores. Sed ablato peccato per justificationem, homo est in statu recipiendi gratiam; ergo et statim recipiet.

4° Juxta S. Thomam, *P. 3, q. 89, a. 5*, per peccatum merita non moriuntur, nec exstirpantur, nec eorum quidquam deperit; sed remanent integre et perfecte in acceptatione Dei; impediuntur tantummodo per peccatum ne possint suum effectum consequi. Ablato igitur peccati impedimento, merita suum effectum statim iterum producunt; sicut causa naturalis, ablato impedimento, effectum suum producit Sed in qualibet justificatione, peccatum mortale quoad reatum culpæ totaliter et integre aufertur. Ergo et in qualibet justificatione, totum meritum mortificatum integre reviviscit; et sicut totum jus ad gloriam

immediate confertur, ita etiam immediate confertur tota præcedens gratia.

Et in hoc, ut ait S. Joan. Chrysostomus supra citatus, maxime commendatur Dei magnificentia et liberalitas, qui cum ingratum peccatorem in æternum a se repellere potuisset, atque omni dono gratuito privare, eum non solum suâ gratiâ invitat ut ad se redeat, et redeuntem benigne excipit, sed eum primâ stolâ induit, eique suam partem cœlestis hæreditatis, quam ut filius prodigus dissipaverat, integre restituit.

Atque hæc de Merito et de Gratiâ dixisse sit satis.

Dignetur autem misericors Deus, bonorum omnium largitor, illud divinæ suæ naturæ consortium, quod nobis per gratiam sanctificantem elargitus est, perpetuo in nobis conservare, sicque nos semper gratiis suis ad bonum efficaciter movere, ut euntes de virtute in virtutem, procedamus inoffenso pede usque ad perfectum diem beatæ æternitatis, in quâ divinam pulchritudinem facie ad faciem contemplemur: messuri jam cum exsultatione, quod flentes nunc exsulesque seminamus.

INDEX I

AUCTORUM ET OPERUM IN HOC OPERE ALLEGATORUM CUM EDITIONIS INDICATIONE.

NB. In allegandis SS. Patribus, aliisque Scriptoribus ecclesiasticis antiquis, semper usi sumus collectione Migniana (Migne): pro uno S. Cyrillo Alexandrino aliquoties, præter editionem Mignianam, usi sumus editione Parisiensi, in fol. 1604. — Littera **M.**, cum numero ei annexo, post citationem operis, indicat editionem Mignianam cum volumine; et littera **c.**, cum adjuncto numero, voluminis columnam indicat, in quâ citatus textus reperitur.

Libros incerti Auctoris, brevitatis causâ, sub eo nomine allegavimus, sub quo generatim circumferuntur; v. gr. *S. Prosperi, de Vocatione gentium.*

Abulensis (Tostatus). Opera. In fol.; Venetiis, 1596.

Acta Concessionis Tituli Doctoris S. Alphonsi M. de Ligorio. In 4°; Romæ, 1870.

Aegidius Columna, *Erem. S. Aug.* In librum II^m^ Sententiarum. In fol.; Venetiis, 1482.

Aguirre, *O. S. B.* Theologia S. Anselmi. In fol.; Romæ, 1688.

Albertus Magnus, *O. P.* Opera. In fol.; Lugduni, 1651.

Alphonsus (S.) de Ligorio. Opera ascetica. Editio Marietti.

Id. Opera dogmatica; versio latina R. P. Walter. In 4°; Romæ, 1903.

Alensis Alexander, *Ord. Min.* Summa theologiæ. In fol.; Venetiis, 1575.

Alvarez, *O. P.* De Auxiliis divinæ gratiæ. In fol.; Romæ, 1610.

Ambrosius (S.). Opera. Editio Migne.

Ariminensis, Gregorius, *Erem. S. Aug.* In librum II^m^ Sententiarum. In fol.; Mediolani, 1484.

Arriaga *S. J.* Disputationes theologicæ. In fol.; Antverpiæ, 1643.

Arrubal, *S. J.* In I^m^ Partem D. Thomæ. In fol.; Coloniæ, 1630.

Athanasius (S.). Opera. Editio Migne.

Augustinus (S.). Opera. Editio Migne.

Aureolus, *Ord. Min.* In librum II^m^ Sententiarum. In fol.; Romæ, 1605.

Bancel, *O. P.* Brevis universæ theologiæ cursus. In 12°; Avenione, 1684.

Bannez, *O. P.* Commentaria in I^m^ Partem D. Thomæ. In fol.; Duaci, 1614.

Basilius (S.). Opera. Editio Migne.

Bassolis, *Ord. Min.* In librum II^m^ Sententiarum. In fol.; Parisiis, 1516.

Becanus, *S. J.* Summa theologiæ scholasticæ. In fol.; Lugduni, 1683.

Becerra, *Ord. Min.* Asserta theo-subtilia. In fol.; Barcinonæ, 1737.

Bedianus Morange, *Soc. Sorb.* Summa universæ theologiæ. In 18°; Lugduni, 1670.
Bellamy. La vie surnaturelle. In 8°; Paris, 1891.
Bellarminus, *S. J.* De Controversiis fidei. In fol.; Parisiis, 1613.
Bellelli, *Erem. S. Aug.* Mens Augustini de modo reparationis humanæ. In 4°; Romæ, 1737.
Benedictus Papa XII. Constitutio: *Benedictus Deus*, an. 1336.
Benitez Lugo, *O. P.* Vera Christi gratia. In 4°; Romæ, 1733.
Bernardus (S.). Opera. Editio Migne.
Berti, *Erem. S. Aug.* Theologia historico-dogmatica, seu: De theologicis Disciplinis. In fol.; Monachii, 1737.
Biel Gabriel. In librum II^m^ Sententiarum. In 4°; Brixiæ, 1574.
Billuart, *O. P.* Summa S. Thomæ. In 4°; Atrebati, 1867.
Bolivar, *O. P.* Salmantinæ lecturæ. In fol.; Salmantinæ, 1701.
Bonaventura (S.). *Ord. Min.* Opera. Editio Quaracchi.
Bonæspei, *Carm.* Commentarii in theologiam. In fol.; Antverpiæ, 1662.
Boucat, *Ord. S. Franc. de Paula.* Theologia Patrum. In 4°; Venetiis, 1736.
Brancatus de Laurea, *Ord. Min.* In librum III^m^ Sententiarum. Tom. 4, De Spe et Caritate. In fol.; Romæ, 1676.
Id. Opuscula tria: De prædestinatione, de gratia, etc. In 4°; Romæ, 1779.
Bucceroni, *S. J.* Commentarium de Axiomate: Facienti quod est in se, etc. In 8°; Romæ, 1890.
Cabrera, *Ord. S. Hieron.* In III^m^ Partem S. Thomæ. In 4°; Cordubæ, 1602.
Cajetanus, *O. P.* Commentaria in D. Thomam. In fol.; Romæ, 1773.
Capreolus, *O. P.* In IV libros Sententiarum. In fol.; Venetiis, 1514.
Caspensis Ludovicus, *Ord. Cap.* Cursus theologicus. In fol.; Lugduni, 1666.
Catechismus Concilii Tridentini.
Censuræ facultatum S. Theologiæ Lovaniensis et Duacensis. In 12°. Parisiis, 1683.
Clemens Alexandrinus. Opera. Editio Migne.
Clemens (S.) Romanus. Opera. Editio Migne.
Clichtoveus Jodocus, *Soc. Sorb.* Antilutherus. In fol.; Parisiis, 1524.
Cœlestinus Papa I. Epistolæ. Editio Migne.
Concilium Arausicanum II. Labbe, Tom. IV.
— Coloniense I. Labbe, Tom. XIV.
— Diospolitanum. Labbe, Tom. IV.
— Lateranense IV. Labbe, Tom. XI, P. 1.
— Milevitanum II. Labbe, Tom. II.
— Senonense. Labbe, Tom. XIV.
— Tridentinum. Labbe, Tom. XIV.
— Viennense. Labbe, Tom. XI, P. 2.
Contenson, *O. P.* Theologia mentis et cordis. In 4°; Augustæ Taurinorum, 1684.
Cornely, *S. J.* Historicæ et crit. Introd. in U. Test. In 8°; Parisiis, 1889.
Curiel. In I^m^ II^æ^ D. Thomæ. In fol.; Duaci, 1618.
Cyprianus (S.). Opera. Editio Migne.
Cyrillus (S.) Alexandrinus. Opera. Editio Migne. Et editio fol.; Parisiis, 1604.
Cyrillus (S.) Hierosolymitanus. Opera. Editio Migne.
Dechamps Stephanus, *S. J.* De hæresi janseniana. In fol.; Lutetiæ, 1728.

Denzinger. Enchiridion symbolorum et definitionum. In 8°; Wirceburgi, 1854.
De Lugo, *S. J.* De Pœnitentia. In fol.; Lugduni, 1638.
De Montefortino, *Ord. Min.* Summa theologica Scoti. In fol.; Romæ, 1737.
De Regnon, *S. J.* Bannez et Molina. In 12°; Paris, 1883.
De Rhodes, *S. J.* Disputationes theologiæ scholasticæ. In fol.; Lugduni, 1671.
Dionysius (S.). Opera. Editio Migne.
Dionysius Carthusianus. In IV libros Sententiarum. In fol.; Venetiis, 1584.
Driedo a Turnhout. Opera. In fol.; Lovanii, 1548.
Duhamel, *Soc. Sorb.* Theologia speculativa et practica. In 8°; Parisiis, 1690.
Dupasquier, *Ord. Min.* Summa theologiæ scotisticæ. In 12°; Patavii, 1706.
Duplessis d'Argentré, *Soc. Sorb.* Variæ disputationes ad opera Grandin. In 4°; Parisiis, 1712.
Durandus a S. Porciano. In IV libros Sententiarum. In fol.; Parisiis, 1539.
Durandus Bartholomæus, *Ord. Min.* Clypeus scoticæ theologiæ. In 12°; Venetiis, 1746.
Duvallius, *Soc. Sorb.* Commentarii in I^m II^æ et II^m II^æ D. Thomæ. In fol. Parisiis, 1636.
Egger. Enchiridion theologiæ dogmaticæ specialis. In 8°; Brixiæ, 1887.
Ephrem (S.). Opera. Editio Caillau.
Episcopi Afri. Epistolæ. Editio Migne; Tom. 51 et 65.
Esparza, *S. J.* Cursus theologicus. In fol.; Lugduni, 1666.
Estius. In IV libros Sententiarum. In fol.; Neapoli, 1720.
Faber Faventinus, *O. M.* In libros Sentent. In fol.; Venetiis.
Felisius Mathias, *Ord. Min.* Institutiones christianæ. In 8°; Antverpiæ, 1575.
Ferrariensis, *O. P.* In Summam contra gentiles. In fol.; Lugduni, 1586.
Fontana, *S. J.* Const. *Unigenitus* theologice propugnata. In fol.; Romæ, 1717.
Franciscus a Christo, *Erem. S. Aug.* In I^m librum Sententiarum. In fol.; Conimbriæ, 1569.
Franciscus (S.) Salesius. Traité de l'Amour de Dieu.
Frassen, *Ord. Min.* Scotus academicus. In 4°; Romæ, 1720.
Froget, *O. P.* De l'habitation du Saint-Esprit dans les âmes justes. In 12°; 2e édit. Paris.
Fulgentius (S.). Opera. Editio Migne.
Gabriel; vide **Biel.**
Gabriel a S. Vincentio, *Carm.* Tractatus de gratia et justificatione. In fol.; Romæ, 1658.
Gamachaeus, *Soc. Sorb.* Summa theologica. In fol.; Parisiis, 1634.
Gaudentius Bontempus, *Ord. Cap.* Palladium theologicum. In fol.; Lugduni, 1676.
Gavardi, *Erem. S. Aug.* Theologia exantiquata. In fol.; Neapoli, 1683.
Gazzaniga, *O. P.* Prælectiones theologicæ: De Gratia. In 8°; Vindobonæ, 1765.
Gibbon, *Erem. S. Aug.* Speculum theologicum. In fol.; Antverpiæ, 1700.
Godoy, *O. P.* Disputationes theologicæ. In fol.; Venetiis, 1763.
Gonet, *O. P.* Clypeus theologiæ thomisticæ. In 4°; Parisiis, 1875.
Gonzalez de Albelda (aut **de Albeda**), *O. P.* Commentaria in I^m Partem D. Thomæ. In fol.; Neapoli, 1637.
Gonzalez Didacus, *Ord. Min.* Theologia scotica. In fol.; Matriti, 1749.
Gotti, *O. P.* Theologia scholastico-dogmatica. In 4°; Bononiæ, 1727.
Grandi, *O. P.* Cursus theologicus. In fol.; Ferrariæ, 1692.

Grandin, *Soc. Sorb.* Opera theologica. In 4°; Parisiis, 1710.
Gregorius (S.) M. Opera. Editio Migne.
Gregorius (S.) Nazianzenus. Opera. Editio Migne.
Gregorius (S.) Nyssenus. Opera. Editio Migne.
Gregorius a Rimini, vide **Ariminensis.**
Guillelmus Alvernus, *Parisiensis.* Opera. In fol.; Venetiis, 1591.
Guillermin, *O. P.* De la grâce suffisante. (Revue thomiste, Tom. 9, 10 et 11).
Hadrianus VI. In IV^m librum Sententiarum. In fol.; Romæ, 1522.
Habertus Isaac, *Soc. Sorb.* Theologia Græcorum Patrum de Gratia. In fol.; Parisiis, 1647.
Habertus Ludovicus, *Soc. Sorb.* Theologia dogmatica et moralis. In fol.; Augustæ Vindelicorum, 1751.
Haunoldus, *S. J.* Theologia speculativa. In fol.; Ingolstadii, 1670.
Henricus a Gandavo, *Soc. Sorb.* Quodlibeta. In fol.; Parisiis, 1518.
Henricus a Gorichem. Tractatus consultatorii. In 8°; Coloniæ, 1503.
Herice, *S. J.* In I^m Partem D. Thomæ. In fol.; Pampilonæ, 1623.
Herincx, *Ord. Min. Rec.* Theologia scholastica. In fol.; Antverpiæ, 1704.
Herrmann, *C. SS. R.* Institutiones theologiæ dogmaticæ. In 12; Romæ, 1897.
Hieronymus (S.). Opera. Editio Migne.
Hieronymus ab Hangesto, *Soc. Sorb.* De possibili præceptorum Dei impletione. In 4°; Parisiis, 1528.
Id. De libero arbitrio. In 4°; Parisiis, 1515.
Hilarius (S.). Opera. Editio Migne.
Hilarius Parisiensis, *Ord. Cap.* Cur Deus homo. In 8°; Lugduni, 1867.
Hugo a S. Victore. Opera. Editio Migne.
Hurter, *S. J.* Compendium theologiæ. In 8°; Oeniponte, 1882.
Ignatius (S.). Epistola ad Romanos. Editio Migne.
Innocentius PP. I. Epistolæ. Editio Migne.
Innocentius PP. III. Opera. Editio Migne.
Jansenius Cornelius. Augustinus. In fol.; Rothomagi, 1643.
Joannes (S.) Chrysostomus. Opera. Editio Migne.
Joannes a S. Thoma, *O. P.* Cursus theologicus. In 4°; Parisiis, 1883.
Joseph ab Exspectatione, *O. S. B.* Systema theologic. In 4°; Conimbr., 1765.
Jungmann. De Gratia. In 12°; Bruxelles, 1868.
Justinus (S.). Apologiæ. Editio Migne.
Katschthaler *Card.* De Gratia. In 8°; Salisburgi, 1886.
Kirsch, *S. J.* Tractatus de gratia. In 4°; Vetero-Pragæ, 1766.
Kleutgen, *S. J.* De Deo. In 8°; Ratisbonæ, 1881.
Knoll (Albertus a Pulsano), *Ord. Min.* Institut. theologiæ. In 8°; Taurin., 1868.
Kœllin, *O. P.* Comment. in D. Thomam. In fol.; Venetiis, 1689.
Labat, *O. P.* Theol. Scholast. In 8°; Tolosæ, 1658.
Laneau. De deificatione justorum. In 12°; Hong-Kong, 1887.
Lemos, *O. P.* Panoplia gratiæ. In fol.; Leodii, 1676.
Lemoyne Alphonsus, *Soc. Sorb.* De dono orandi. In 4°; Parisiis, 1650.
Leo (S.) Magnus. Opera. Editio Migne.
Leo PP. XIII. Encyclica: *Divinum illud munus.* Acta Leonis XIII, Tom. 17°.
Lessius, *S. J.* De gratia efficaci. In 4°; Antverpiæ, 1610.
Id. Apologia Patrum Societ. contra censur. lovaniensem. In 12°; Leodii, 1634.

Ludovicus Granatensis, *O. P.* Conciones de præcipuis Sanctorum festis. In 4°; Romæ, 1587.
Lyranus. Glossa interlinearis et ordinaria. In fol.; Venetiis, 1588.
Macedo, *Ord. Min.* Collationes doctrinæ S. Thomæ et Scoti. In fol.; Patavii, 1671.
Madernus, *Barnabita.* Cursus theologicus. In fol.; Romæ, 1671.
Mæratius, *S. J.* Disputationes in Summam D. Thomæ. In fol.; Lutetiæ, 1633.
Maffei. Historia theologica dogmatum de gratia. In fol.; Francofurti, 1756.
Major Joannes, *Soc. Sorb.* In librum II^m Sententiarum. In fol.; Parisiis, 1519.
Malderus. In I^m II^æ D. Thomæ. In fol.; Antverpiæ, 1623.
Malvenda, *O. P.* De Antichristo. In fol.; Romæ, 1604.
Marcellius, *Erem. S. Aug.* Institutiones theologicæ. In 4°; Fulginii, 1847.
Marcellus, *Ord. Cap.* Summa seraphica S. Bonaventuræ. In fol.; Massiliæ, 1669.
Mariana, *S. J.* Tractatus septem. — De morte et immortalitate. In fol.; Coloniæ, 1609.
Marsilius ab Inghen. Quæstiones super IV libros Sententiarum. In fol.; Argentinæ, 1501.
Martinet. Institutiones theologicæ. In 8°; Parisiis, 1859.
Mascarenhas. De Auxiliis divinæ gratiæ. In 12°; Lugduni, 1612.
Mastrius de Meldula, *Ord. Min. Conv.* Disputationes theologicæ. In fol.; Venetiis, 1655.
Maurus, *S. J.* Opus theologicum. In fol.; Romæ, 1687.
Mazzella, *S. J.* De Gratia. In 8°, Romæ, 1880.
Mayr, *S. J.* Theologia scholastica. In fol.; Ingolstadii, 1732.
Medina Barth., *O. P.* Expositio in I^m II^æ D. Thomæ. In fol.; Venetiis, 1590.
Mezger, *O. S. B.* Theologia scholastica. In fol.; Augustæ Vindelicorum, 1719.
Missale Romanum. Editio Pustet.
Montanius, *Soc. Sorb.* Compendium Tournelii de gratia. In 12°; Venetiis, 1736.
Montesinus. Commentaria in I^m II^æ D. Thomæ. In fol.; Compluti, 1621.
Montoya, vide **Ruiz de Montoya.**
Moretus, *Ord. Min.* De Gratia Christi. In 4°; Friburgi Helv., 1741.
Muniessa, *S. J.* Disputationes scholasticæ de Gratia. In fol.; Cæsaraugustæ, 1694.
Nazarius, *O. P.* Commentaria in Summam D. Thomæ. In fol.; Coloniæ, 1621.
Nicolaus de Orbellis, *Ord. Min.* In Sententias. In 8°, Parisiis, 1498.
Norisius (*Card.*). Jansenii errores calumnia sublata. (Opera, in fol.; Tom, 3, p. 1057). Veronæ, 1729.
Ockam Guillelmus. In librum I^m Sententiarum. In fol.
Origenes. Opera. Editio Migne.
Orosius Paulus. De arbitrii libertate. Editio Migne. Patr. lat., tom. 31.
Osorius Hieronymus. Opera. In fol.; Romæ, 1592.
Oviedo, *S. J.* In I^m II^æ D. Thomæ. In fol.; Lugduni, 1646.
Panger, *Ord. Min. Rec.* Theologia scholastica. In fol.; Augustæ Vindelicorum, 1732.
Paulus a Conceptione, *Carm.* Tractatus theologici. In fol.; Augustæ Vindelicorum, 1626.
Pererius, *S. J.* In Joannem; - In Genesim. In fol.; Moguntiæ, 1612.
Pesantius. Commentaria in univers. theologiam D. Thomæ. In fol.; Colon., 1617.
Petavius, *S. J.* De theologicis dogmatibus. In fol.; Antverpiæ, 1700.

Petrocorenses. Theologia speculativa. In 12°; Patavii, 1735.
Petrus ab Alliaco. In Sententias. In fol.; Argentinæ, 1490.
Petrus Diaconus. Opera. Editio Migne; Patr. Lat., tom. 65.
Petrus Lombardus, *Magister Sententiarum.* Textus Sententiarum.
Petrus a S. Joseph, *Ord. Full.* Tractatus de gratia. In 12°; Parisiis, 1625.
Id. Idea theologiæ speculativæ. In 32°, Parisiis, 1641.
Pettschacher, *O. S. B.* Theologia universa. In fol.; Salisburgi, 1743.
Philippus a SS. Trinitate, *Carm.* Disputationes in I^m II^æ D. Thomæ. In fol.; Lugduni, 1658.
Platel, *S. J.* Synopsis universi cursûs theologici. In 12°; Venetiis, 1735.
Poncius, *Ord. Min.* Theologiæ cursus. In fol.; Lugduni, 1671.
Prosper (S.). Opera. Editio Migne.
Puig et Xarrié, *O. P.* Institutiones theologicæ. In 8; Barcinonæ, 1861.
Puteanus. *Erem. S. Aug.* Comment. in Summ. D. Thomæ. In fol.; Tolosæ, 1627.
Puteobonelli, *Barnabita.* In I^m II^æ S. Thomæ. In fol.; Mediolani, 1705.
Raynerius de Pisis, *O. P.* Pantheologia, In 4°; Venetiis, 1585.
Richardus a Mediavilla, *Ord. Min.* In IV libros Sententiarum. In fol.; Brixiæ, 1591.
Richardus a S. Victore. Opera. Editio Migne. Patr. lat., Tom. 196.
Ripalda, *S. J.* De Ente supernaturali. In fol.; Parisiis, 1870.
Robertus Pullus, *Doct. Paris.* Sententiæ. In fol.; Parisiis, 1655.
Ruardus. Opera. In fol.; Coloniæ, 1582.
Ruiz de Montoya, *S. J.* De prædestinatione et reprobatione. In fol.; Lugduni, 1628.
Id. De Providentia. In fol.; Lugduni, 1631.
Salmanticenses, *Carm.* Cursus theologicus. Editio Palmé.
Salmeron, *S. J.* In Epistolam ad Romanos. In fol.; Coloniæ, 1604.
Scheeben. La dogmatique. In 8°; Paris, 1877.
Schiffini, *S. J.* De gratia. In 8°; Friburgi, 1901.
Schmier, *O. S. B.* Sacra theologia scholastico-polemico-practica. In fol.; Augustæ Vindelicorum, 1737.
Schneemann, *S. J.* Controversiarum de divina gratia et liberi arbitrii concordia. In 8°; Friburgi, 1881.
Scholliner, *O. S. B.* Prælectiones theologicæ. In 12°; Augustæ Vindelicorum.
Schwetz, Theologia dogmatica. In 8°; Viennæ, 1852.
Scotus, *Ord. Min.* In IV libros Sententiarum. In fol.; Venetiis, 1597.
Serra, *O. P.* Summa commentariorum in D. Thomam. In 12°; Romæ, 1653.
Sfondratus. Nodus prædestinationis dissolutus. In 4°; Romæ, 1696.
Simeon a S. Cruce, *O. S. Aug.* Dubia selecta. In 8°; Romæ, 1709.
Simonnet, *S. J.* Institutiones theologicæ. In 12°; Nanceii, 1721.
Soto, *O. P.* In librum IV^m Sententiarum. In 4°; Venetiis, 1575.
Suarez, *S. J.* Opera. Editio Vivès.
Sylvius, Commentarii in D. Thomam. In fol.; Antverpiæ, 1698.
Tanner, *S. J.* Theologia scholastica. In fol.; Ingolstadii, 1626.
Tertullianus. Opera. Editio Migne.
Thomas (S.) Aquinas. Opera. Editio Parmensis.
Thomas ab Argentina, *Erem. S. Aug.* In IV libros Sententiarum. In fol.; Venetiis, 1564.

Thomassinus, *Orat.* Dogmata theologica. In fol.; Venetiis, 1730.
Toletus, *S. J.* In Lucam. In 4°; Venetiis 1600.
Torres (seu **Turrianus**), *S. J.* Tractatus de gratia. In 4°; Lugduni, 1623.
Tournely, *Soc. Sorb.* Prælectiones theologicæ. In 4°; Venetiis, 1736.
Valentia Greg., *S. J.* Commentaria in D. Thomam. In fol.; Ingolstadii, 1609.
Vega Andreas. De Justificatione. In fol.; Coloniæ, 1572.
Vlegas, *S. J.* In Apocalypsim. In 4°; Parisiis, 1606.
Walenburch (*Adrianus et Petrus de*). De Controversiis fidei. In fol.; Coloniæ, 1670.
Wenzl, *O. S. B.* Theologia scholastica. In fol.; Ratisbonæ, 1723.
Wiggers. Commentaria in D. Thomam. In fol.; Lovanii, 1689.
Wirceburgenses, *S. J.* Theologia dogmatica. In 8°; Lutetiæ, 1852.
Ysambertus, *Soc. Sorb.* Commentarii in I^{m} II^{æ} D. Thomæ. In fol. Duaci, 1618.
Zozymus Papa. Epistolæ. Editio Migne; Tom. 20.
Zumel, *Ord. S. Mar. de Merc.* Variarum disputationum libri tres. In fol.; Lugduni, 1609.

INDEX II

RERUM NOTABILIUM ORDINE ALPHABETICO CONGESTUS.

A

Abusus gratiæ provocat diminutionem gratiæ, 384 ss.

Acceptio personarum non est apud Deum, 282; 380.

Actio Dei ad Extra, communis tribus personis, 896, 1°.

Actus meritorius, 992 ss.; ejus conditiones, 993, ss.; (cf. **Conditiones**). Actus remissi, an meritorii, 1044 ss. Actus caritatis maxime meritorius, 1008. Actus caritatis an necessarius ad justificationem, 938.

Adamus, non creatus mortalis, 17; an indiguit speciali auxilio ad perseverandum, 265.

Adoptio, def. 879; adoptio humana, def. 881, 2°; divina diversa ab humana, 881; 882, 2°. Homo filius Dei adoptivus, 879.

Aequalitas, quænam requisita in amicitia, 877: quænam in opere meritorio ad præmium, 1028; 1032.

Alphonsus (S.). Systema de gratiâ, 502 ss.; compendium systematis, 506; init viam mediam, 503 ss.; est antiquius cæteris systematibus, 750; non est eclectismus, 750; S. Alph. unicus Doctor Eccl. qui systema concinnate dedit, 391. Ejus systema perfectius concordat cum sensu fidelium, 753.

Altitudo (O)! 383; 736. Cf. **Judicia Dei.**

Amentes, quomodo habent suff. gratiam ad salutem, 347.

Amicitia, def. 876; duplex 877; est effectus gratiæ, 875. Quænam æqualitas in eâ requisita, 877.

Amissibilitas gratiæ, 965 ss.

Amor, quid et quotuplex, 164. - Amor Dei super omnia, 163. Amor naturalis Dei super omnia, an possibilis, 165.

Amor, causa omnis actionis, 612; differt ab odio quoad effectum, 774. Amor Dei et hominis quomodo differunt, 769.

Analogia gratiæ cum natura, 859.

Antiochus, habuit gratiam suff., 344.

Appropriatio, quid 897; inhabitatio Dei appropriata Spiritui S., 898 ss.

Augmentum gratiæ sanctif. cadit sub merito, 1043; quibus actibus fit, 1044; quo tempore confertur, 1046 ss.; quâ mensurâ, 1048 ss.

Augustiniani rigidiores, systema de gratia, 450 ss.

B

Baius: Ejus doctrina, 28; asserit omnia peccatoris opera esse peccata, 131; error de statu gratiæ ad merendum de condigno, 981.

Baptismus, auxilium salutis pro parvulis, 373.

Beati, non merentur, 978; possident Deum in intellectu et voluntate, 903.

Beatitudo: hæreditas et merces, 969; cadit sub merito de condigno, 1014 ss.; 1024 ss.

Bonum particulare habet rationem boni et mali, 578.

C

Cain habuit gratiam suff. salutis, 344 *b*.

Calvinus negat possibilitatem statûs naturæ puræ, 24; et meritum, 1013; errat contra justificationem, 907.

Caritas, inseparabilis a gratiâ, 805; non est Spiritus S., 781; 783. Ejus influxus necessarius ad meritum, 999 ss.; ejus actus maxime meritorius, 1008.

Causa principalis, instrumentalis, 861; causæ gratiæ, 860 ss.; solus Deus causa principalis, 862.

Certitudo, quotuplex, 949; certit. scientiæ de justificatione non datur, 951, nec fidei, 954 ss., nisi ex speciali revelatione, 950; conjecturalis haberi potest, 952. An detur certitudo moralis de justif., 957. Signa conjecturalia gratiæ, 958.

Certitudo moralis quoad effectum gratiæ efficacis, 555; 610.

Christus mortuus pro omnibus, 356; quomodo factus nobis justitia, 771; et peccatum, 772. – Illuminat omnes, sed non æqualiter, 379.

Cœlum comparatur urbi Jerusalem, 964, 1°.

Cogitatio recta, quomodo a Deo, 104; cogitatio subitanea in gratiâ, 40 ss.; 59 ss.; undenam provenit, 47.

Conciliatio libertatis cum effectu gratiæ, 90 ss.; quæstio difficilis, 388; quomodo fit in systemate S. Alphonsi, 572 ss.

Conciliatio libertatis cum consensu infallibili in tentatione, 208 ss.; 580.

Concupiscentia in statu naturæ puræ, 161.

Concursus Dei prævius, simultaneus, 38; concursus Dei simultaneus ad nostrum consensum, qualis, 608; est gratia adjuvans, 72.

Conditiones meriti: *ex parte subjecti*, status viæ, 975 ss.; status gratiæ, 981 ss.; *ex parte Dei*, 1009 ss.: divina promissio, 1010; *ex parte operis*, 992 ss.; actus liber, 993 ss.; actus necessarius nequit esse meritorius, 994; actus bonus et honestus, 995; factus in obsequium Dei, 996. – Actus debet esse positivus, 997; opus præscriptum, an meritorium, 998.

Communicatio bonorum in amicitia, 876, 4°.

Confirmatio in gratia, quid, 233; 262 ss.; distincta a privilegio vitandi peccata, 233; et a dono perseverantiæ, 264.

Congregationes de Auxiliis, 390.

Congruismus Suaresii exponitur, 477 ss.; congruitas extrinseca, 561; intrinseca, 562; 564; quomodo differunt, 482; 561.

Connexio infallibilis gratiæ eff. cum effectu, 571; 589; connexio metaphysica non admittenda, 610; moralis admittenda et sufficit, 434 ss.; 610.

Consensus noster certus et infallib. sub motione morali gratiæ eff., 610; quomodo productus a Deo quoad entitatem physicam, 608; est a nobis et a Deo, 728.

Consortium naturæ divinæ in gratia, 809 ss. Cf. **Gratia sanctif.**

Contemperatio gratiæ eff., 553; prob., 556 ss.; in systemate Gonzalez, 437.

Contrarietas habituum, quandonam existit, 851.

Contritio necessaria ad justif., 941; an sufficit implicita, 942.

Conversio nostra ad Deum, quomodo a nobis, 281; quomodo opus Dei et hominis, 728.

Creatio, def., 867; juxta antiquiores theologos, 869; gratia non creatur, 868.

Credenda de necessitate, 932.
Crudelitas nulla apud Deum, ex eo quod multos sinit perire, 381.

D

Decretum Dei permissivum, 745; decretum dandi primam gratiam propter pactum cum Christo, an admittendum, 291 ss.; decretum P. Acquavivæ prohibens Molinismum, 475.
Delectatio, modus ordinarius operationis gratiæ, 546 ss. Delect. relative victrix Jansenii, 394; 611; quomodo fundamentum quinque prop. Jansenii, 34 ss.; differt omnino ab absolute victrici, 611.
Demeritum, non augetur ex præsentiâ majoris vitii, 989; quomodo differt a merito quoad conditiones, 1012.
Derelicti, qui, 320; 387; habent gratiam suff., 321; 329 ss.
Derelictio perfecta, imperfecta, 343.
Determinatio voluntatis, quænam aufert libertatem, 579.
Deus, quomodo creaturam superat, 831; est in omnibus ut causa essendi, 900; est auctor totius boni in homine, 175, 2°; est vita nostra, 782; est caritas, 783; non est acceptor personarum, 282; 380.
Impossibilia non jubet, 157; quo sensu exspectat nostram voluntatem, 729. — Ex operibus nostris non consequitur utilitatem, 1021. Nequit eumdem simul amore et odio habere, 911. — In opere salutis totum Deo tribuendum, 187. Ordinarie non dat gratias eff. nisi orantibus, 730.
Dilectio, dispositio ad justif., 938; quænam requisita, 939 ss.
Dimanatio virtutum ex gratia, quænam, 856 ss.
Discretio, duplex, per vires naturæ, aut gratiæ, 726. — Quis te discernit? 724 ss.; hæc difficultas solvenda in omni systemate, 725.
Dispositio: ad gratiam actualem, quid, 268; 285; non datur disp. positiva naturalis, 273 ss.; an detur negativa, 277 ss.; opus naturale factum ex gratia quoad modum, an sit dispositio, 279.
Dispositio ad justif., quid, 922; quotuplex, 925 ss.; debet esse supernaturalis, 927. Ultima dispositio an sit a gratiâ habit., 944.
Dispositio *mala* non semper vitiat opus, 142.
Disputationes de Auxiliis, 390.
Dissensus, quomodo possibilis sub gratia ex se eff., 556 ss.; 609; 610.
Distributio gratiæ, datur omnibus, 311 ss.; sed non æqualiter, 374 ss.
Dona Spiritûs S., quid, 842; infunduntur cum gratiâ, 853 ss.; quomodo dimanant a gratiâ, 856.
Donum perseverantiæ, cf. **perseverantia.**

E

Eclectismus, an sit in syst. S. Alphonsi, 750.
Eductio formæ ex subjecto, quid, 867. Gratia educitur ex potentiâ obedientiali animæ, 868.
Effectus formales gratiæ hab., 870 ss. Participatio naturæ div., 871; reddit hominem sanctum, 872; justum, 873; Deo gratum, 874; amicum Dei, 875; filium Dei adoptivum, 878 ss.; Templum Spiritus S., 891 ss. — An effectus a gratiâ physice vel moraliter producti, 884 ss. — Opponuntur effectibus formalibus peccati, 915, 2°.
Effectus gratiæ act., quomodo opus Dei et hominis, 728.
Elevatio facultatum per gratiam, 52; 511; 616.
Elias, an sit in statu merendi, 980.
Enoch, an sit in statu merendi, 980.

Esau habuit gratiam suff. salutis, 344.
Excæcati, qui, 320; recipiunt gratias suff., 322; 329 ss.. Gratia eis non solum præparatur aut offertur, sed confertur, 324. Cur vocantur derelicti, 337; tenentur sperare, 334.
Exhortationes ad conversionem, quomodo intelligendæ, 281.

F

Facilitas operandi data a virtutibus infusis, quæ, 852.
Favor Dei extrinsecus, non est gratia sanctif., 762 ss.; an sit causa effectuum formalium gratiæ, 884.
Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam, 287; 695; multiplex hujus axiomatis explicatio, 288 ss.; explicatio juxta Molinam, 291; juxta antiquiores theologos, 293; quomodo hi theol. debeant intelligi, 298.
Fidelitas Dei in reddenda mercede, 1030.
Fides, implicita, explicita, 932; quænam requisita ad justif., 929 ss.; fides justificans, juxta protestantes, 26, 3°; 928. — Fides, an prima gratia, 363 ss. — Remanet in peccatore, 857; non necessaria ad opus naturaliter bonum, 133; 143 ss.
Credenda de necessitate, 932. Quæ possunt credi fide div., 936.
Actus fidei, 114. Ad eum requiritur gratia, 116 ss.
Salutare initium fidei, 118.
Filiatio adoptiva Dei, 811 ss.; 878; est effectus gratiæ, 878 ss.; pertinet ad tres div. personas, sed appropriatur Patri, 880. Quomodo filiatio adoptiva differt a filiatione Verbi, 882 ss.
Finis noster ultimus, Deus unus et trinus, 896, 2°; duo fines ultimi repugnant, 915, 3°. — Finis perfectior non datur quam finis gratiæ sanctif., 839, 2°.

G

Generatio, def., 882, 1°; generatio spiritualis hominis a Deo, 882; 889, 3°.
Gloria et gratia non differunt essentialiter, 903. — Gloria, an perfectior gratiâ sanctif., 835.
Gloriatio hominis propter sua merita, 1023; quænam reprobata ab Apostolo, 727.
GRATIA. Etymologia, 1; 2; def., 3.
Gratiæ divisio: Creata, increata, 4; grat. Dei, Christi, 5; 112; interna, externa, 6; externa, occasio internæ, 47, 48; entitative supernaturalis, quoad modum, 7; sanans, elevans, 8; elevans semper entitative supernaturalis, 8; gratum faciens, gratis data, 9; quot gratiæ gratis datæ, 10; habitualis, actualis, 11; gratum faciens idem ac habitualis, 12; gratia pro gratiâ, 13.
Gratia communis et specialis, 74; communis ab antiquis scholasticis sæpe vocatur donum naturæ, 301 ss.; quæ gratia non communis omnibus, 362.
GRATIA ACTUALIS, def. 37; necessaria ad vitanda peccata, 219; ad verum cognoscendum, 95 ss.; ad bonum faciendum, 124 ss.; ad perseverandum, cf. *perseverantia.* — Juxta protestantes, necessitat hominem, 27, 1°; an prima cadat sub merito, 1054, an subsequentes cadant sub merito, 1055 ss.
Gratia excitans, 37; def. 39; illustrationis et inspirationis, 40 ss.; 45. Natura: est mysterium, 55; non est Dei voluntas, 56; nec actus deliberatus creaturæ, 57; est illuminatio intellectûs et inspiratio voluntatis, 58; 429; an consistat in entitate prævia, 59 ss.; duplex ejus elementum, actus indeliberati et motio virtuosa Dei, 63 ss.; 429. — Nomina, 50 ss.; munera: præbere

vires, et movere ad opus, 51; elevare facultatem, 52. — Necessaria justis, 181, 2°.

Gratia adjuvans seu concomitans, 65; 731; ejus necessitas, 66; 608; etiam pro justis, 181, 1°. Ejus natura, juxta Thomistas, 70; 731; juxta Molinistas, 71; juxta Sorbonicos, 72; 731; est concursus Dei simultaneus, 73. — Adjuvans thomistica diversa ab alphonsianâ, 731.

Gratia sufficiens, generice sumpta, 76; def., 78; 614; vere sufficiens, quid, 635; suff. in systemate Jansenii, 83; 396; in syst. communi Thomistarum, 400; 408; in syst. speciali Thomistarum, 429; in syst. Augustinianorum, 451; 458; in syst. Congruistarum, 486; 493.

Gratia præcisive, mere et pure suff., 79; efficax ab extrinseco, 79; proxime et remote suff., 80; 352; 411; differt a stricte efficaci, 80; mere sufficiens cur non inutilis, 89.

Ejus munera, elevare et dare vires, 616; auferre indifferentiam passivam voluntatis, movere ad actum, medium obtinendi efficacem, 616; est præcipue gratia orationis, 708; datur omnibus, 375; 617 ss.

Gratia efficax, generice sumpta, quid, 76; stricte sumpta, 81; efficax in actu primo, in actu secundo, 465.

Gratia eff. in syst. communi Thomistarum, 402 ss.; in thomismo speciali, 430; in syst. Augustinianorum, 452 ss.; in syst. Molinistarum, 466 ss.; in syst. Congruistarum, 479 ss.; in syst. S. Alphonsi, 510.

Admittenda est grat. eff. ab intrins., 514 ss. Ejus munera, 511 ss.; ejus natura, 535; agit motione morali, 536 ss.; præsertim, sed non unice, per delectationem, 546 ss., 459; ejus motio non est præmotio physica, sed moralis, 434; movet per actus indeliberatos, 431; 433; an differat entitative a sufficiente 82; 570. Ejus efficacia est relativa, 568; major vel minor, 436.

Efficienter est a solo Deo, 566.

Habet connexionem infallibilem cum effectu, 598; quomodo determinat voluntatem, 806; et exprimit consensum, 601; non destruit libertatem, 90; 576 ss.

Aliquando conceditur sine oratione, 709; sed ordinarie non datur nisi orantibus, 710 ss.; quibus datur juxta Thomistas, 406; juxta Augustinianos, 456.

GRATIA SANCTIFICANS, def., 11; 758; ejus decora, 756. Natura: mysterium, 759; est donum inhærens, 760 ss.; donum creatum, non persona Spiritûs S., 775 ss.; forma informans animam, 780; donum physice permanens, 784 ss.; 787; et non solum quid morale, 785. — Quid juxta protestantes, 26, 2°.

Non est substantia, sed accidens, 791; accidens spirituale, 791, I; per modum habitus, 791, II; est qualitas, 791, III; distincta a caritate, 792 ss.

Est consortium naturæ div., 809 ss.; 871; participatio moralis div. naturæ, 820; et etiam physica formalis, 821 ss.; sub quo respectu participat naturam div., 826 ss.

Gratiæ perfectio: est entitative supernaturalis, 831; nobilior omni ente creato, 834. An nobilior gloriâ Beatorum, 835; non differt essentialiter a gloriâ, 903; nobilior omni alio habitu infuso, 836; an nobilior Maternitate divinâ, 837; an gratia nunc existens sit perfectissima quæ potuit produci, 839 ss.

Infunditur a solo Deo, 862; juxta hominis dispositiones, 964, 2°.

Dignificat ad meritum, 988; 990; gratia major quando auget meritum, 990. Expellit peccatum physice, 913; 915; an posset subsistere cum peccato mortali, 915.

Est necessaria ad meritum de condigno, 981; ad totam legem naturalem servandam, 169; ad nova peccata vitanda, 213 ss. Non necessaria ad omne opus bonum, 133; 135 ss.; nec ad omnes veritates cognoscendas, 111.

Est amissibilis, 965 ss.

Gratia in fieri, in facto esse, 947.

Gratia semen vitæ æternæ, 1028, 1°; fons aquæ salientis in vitam æternam, 1028, 2°.

Gratiæ necessitas ad verum cognoscendum, 95 ss.; ad bonum faciendum, 124 ss.

Gratia gratuita, 268 ss.; prima gratia vocans, quæ, 269; non cadit sub merito, 270 ss.; 1052; non datur dispositio naturalis ad eam, 273.

Causa gratiæ, 860 ss.; solus Deus causa principalis, 862; producitur eductione, 867.

Gratia conversionis non datur omni momento, 325; 339 ss.; sed certis temporibus, 329 ss.

Gratia, quomodo est in hominis potestate, 286.

Gratia versatilis Molinæ, 463 ss.

Gratia relative victrix juxta Berti, 460.

Gratia imitatur naturam, 800; 801; 859.

Gratiarum mensura, 387; gratiis bene utendum, 386.

Gratitudo, virtus, non formaliter in Deo, 1029.

Gratus: esse Deo gratum, quid, 874.

H

Habitus virtutum infunduntur cum gratiâ, 841 ss.; etiam parvulis in baptismo, 784; 786. — Habitus vitiorum non remanent in justificatis, 831.

Henricus a Gorichem, primus qui refert distinctionem gratiæ in efficacem et sufficientem, 76; 641; 663.

Homo justus, cur dictus adoptatus simul et natus, 882. Cuilibet homini datur aliqua gratia vocans, 284.

I

Illuminatio Christi pertinet ad omnes, 354.

Illustratio intellectûs et inclinatio voluntatis in gratiâ excitante, 40 ss.; 45; immediate a Deo, 47. Est essentia gratiæ excitantis, 58.

Impossibile: ad imposs. nemo tenetur, 316.

Impotentia, physica, moralis, 107; moralis summa, 207. — Impotentia hominis ad opera salutaria, quæ, 176; ad legem implendam, 160; ad graves tentationes vincendas, 207.

Inæqualitas gratiæ *habitualis*, 960 ss.; radix hujus inæqualitatis, 964.

Inæqualitas gratiæ *actualis*, 376 ss.; ex voluntate Dei, 382; et ex inæquali cooperatione hominis, 384.

Incarnatio, perfectior gratiâ hab., 833.

Incertitudo justificationis, cur relinquitur in homine, 959, cf. **Certitudo.**

Incongrua gratia, quæ, 485.

Indifferentia passiva, activa, 599; 605; quæ tollitur per gratiam, quæ non, 605. — Indifferentia judicii, 576 ss.; remanet sub gratiâ efficaci, 577 ss.

Infideles, positivi, negativi, 348; non omnes habent grat. immediate sufficientem ad salutem, 353; sed remote suff., 354 ss. — Possunt facere quædam opera moraliter bona, 147 ss.; et omnia eorum opera non sunt peccata, 143 ss.

Infidelitas infidelium negativorum non est peccatum, 366.

Influentia gratiæ santif. in omnes facultates, 807; influentia caritatis in opus auget meritum, 999; 1008.

Inhabitatio Dei in animâ justâ, quomodo fit, 899 ss.; appropriatur Spiritui S., 897. — Inhabitatio Dei in animâ beatâ, 903; ut cognitum in cognoscente et amatum in amante, 903.

Iniquitas nulla apud Deum ex eo quod multos sinit perire, 381.

Initium salutare fidei, a gratiâ, 118 ss.

Inspiratio voluntatis elementum gratiæ excitantis, 45; semper necessaria, 46; est immediate a Deo, 49.

Intellectus, an debilior post peccatum quam ante, 99; quomodo indifferens ad verum et falsum, 99, 2°.

Intentio bona, an necessaria ad meritum, 999 ss.; quando renovanda, 1007 ss.

J

Jansenius: ejus doctrina, 33; ejus quinque propositiones, 34; fluunt ex delectatione relative victrici, 35.

Systema de gratiâ, 394 ss.; tollit libertatem, 395.

Agnoscit gratiam suff. parvam, 83; admittit delectationem relative victricem, 33; 611; errat circa perseverantiam, 238; pro omni opere bono requirit fidem, 132; infidelibus denegat omnem gratiam, 350; et excæcatis, 321; et Judæis in Vet. Test., 311.

Judæi acceperunt grat. suff., 311; quomodo non potuerunt credere juxta Isaïam, 342.

Judicia Dei inscrutabilia in distributione gratiarum, 272, 2°; 383; in conversione infidelium, 367; quomodo ad ea recurrendum in syst. S. Alphonsi, 736.

Judicium ultimum practicum, 578 *b*.

Jus ad cœlestem hæreditatem datum a gratiâ, 879 *c*; 890; jus ad finem non dat jus ad perseverantiam, 254, 1°. An homo posset privari gloriâ absque peccato, 890.

Jus amicitiæ in merito de condigno, 991; jus amicitiæ quid expostulat relate ad perseverantiam, 254, 2°.

Justificatio, quid, 905; def. 906. Tollit peccata mortalia, 908 ss; an sequatur infallibiliter dispositiones, 943. An maximum opus Dei, 921. Est incerta, 951. Cf. **Certitudo.**

Justificari, quid significat in S. Script., 773.

Justitia, effectus gratiæ, 873.

Justitia commutativa, def. 1032; non est in Deo, 1032. Just. distributiva, 1033.

Justus, semper peccabilis, 968, 2°; indiget gratia act. ad bene agendum, 177; 181.

L

Lex naturalis, quomodo superat vires naturales, 158; legis impletio divisive, collective, etc., 152; gratia necessaria ad impletionem totius legis, 153 ss.; 169.

Legem credendi statuit lex orandi, 43; 523.

Libertas, def. 576; habet radicem in ratione, 577. Stat cum gratiâ eff., 90; salvatur cum motione morali, 572; 576 ss.; non autem cum præmotione physicâ, 416; 545; 574; nec in syst. Jansenii, 395; remanet sub tentatione, 208.

Necessaria ad meritum, 993; 994, 4°. Juxta Baium libertas a necessitate non necessaria ad meritum, 31.

Conciliatio libertatis cum gratia, quæstio difficilis, 388; 572.

Lutherus negat meritum, 1013; et bona opera, 125 ss.; et possibilitatem statûs naturæ puræ, 24; et veram condonationem peccatorum, 761. — Errores circa justificationem, 761; 907.

M

Mandata possibilia, 88, 1°; quomodo non supra hominem, 157.

Maternitas divina, an nobilior gratia santif., 837.

Medium scientiæ Dei pro effectu gratiæ suff., 738; in nullo syst. explicatur, 739 ss.; juxta Molinistas, 739 ss.; juxta Augustinianos, 741 ss.; juxta Thomistas, 743 ss. Est mysterium, 744, 746. S. Alphonsus illud non explicat et meritò, 748.

Media via eligenda in systematibus de gratiâ, 393; in opinionibus theologicis, 751; media via inter duos scopulos, 14.

Mensura gratiarum, 387; peccatorum, 346.

Meritum: nominis significatio, 970; def., 971; meritum in actu primo, in actu secundo, 1009. — Differt ab oratione, 974.

Meritum de condigno, 972; fundatur in justitiâ, 1012; et non solum in jure amicitiæ, 991. — An possibile absque gratia sanctif., 987; an crescat ex solâ præsentiâ majoris gratiæ, 988.

Meritum de congruo, 973; quid juxta Thomistas, 1054.

Meritum est quoddam pretium, 993, III; 996.

Existentia meriti, 1014 ss.; merita nostra sunt dona Dei, 183.

Meritum naturale an sit dispositio ad gratiam, 268.

Merita Christi superabundantia, 1042.

Conditiones meriti, cf. **Conditiones.**

Objectum meriti, cf. **Objectum.**

Modus, quo gratia operatur, connexus cum scientia Dei, 390.

Molina: Syst. de gratia, 461 ss.; rejicit gratiam eff. ab intrinseco, 462; solam admittit versatilem, 463; contradicit SS. Scripturis, 469; gratiam extenuat, 470; minuit necessitatem orationis, 471. Molinismus prohibetur a P. Acquaviva, 475. Quomodo explicat axioma: Facienti quod est in se, etc. 291.

Mors Christi pro omnibus, 372.

Mors naturalis aliquando donum Dei, 242, 2°.

Motio: *moralis,* 535 ss.; 603, 607; subsistit cum libertate, 553 ss.; imo eam perficit, 588. — Sufficit in gratia, 602; salvat dependentiam creaturæ a Creatore, 604; quomodo est semper defectibilis, 610.

Motio absolute victrix diversa a relative victrici, 611.

Motio moralis facta ab homine vel Angelo, diversa a motione in gratiâ, 603; 607.

Motio moralis in tentatione, 209 ss.

Motio voluntatis elementum præcipuum in gratiâ, 45.

Motio moralis in syst. speciali Thomistarum, 434; motio *physica,* quid juxta Gonzalez, 435.

Motio *physica,* qualis in gratia eff. moraliter movente, 605; qualis requisita ad tollendam indifferentiam passivam voluntatis, 605.

Aliud est movere infallibiliter, aliud necessario, 597.

Motiva credibilitatis, cum eis requiritur gratia ad credendum, 123. — Motivum vincendi tentationem, 192.

Motus indeliberati in gratia excitante, 429.

Munera gratiæ sufficientis, 616 ss.; gratiæ efficacis, 511 ss.

Mutatio intrinseca peccatoris an necessaria ad remissionem peccati, 916 ss.

N

Nativitas ex Deo per gratiam, 822, 2°.

Natura Dei, quid, 829; sub quo respectu participatur per gratiam, 829.

Natura humana intrinsece sanciata juxta protestantes, 25, 2°.

Necessitas gratiæ: antecedens, consequens, 601; ad verum naturale cognoscendum, 95 ss; ad verum supernaturale, 113 ss.; ad bonum faciendum, 124 ss.; ad vincendas tentationes, 188 ss.; ad perseverandum, 235 ss.

Necessitas gratiæ actualis in justis, 177; 181.

Negatio pura, an meritoria, 997.

O

Obdurati, qui, 320. Cf. **Excæcati.**

Objectum meriti de condigno, 1013 ss.; an prima gratia, 1052 ss.; an gratiæ actuales, 1055; an perseverantia, 1058; an reparatio post lapsum, 1059; an alteri quid mereri possumus, 1060.

Objectum specificativum proportionatum intellectûs, 122.

Observantia legis, possibilis omnibus, 316; necessaria ad salutem, 1039 ss.

Obstinatio inchoata, perfecta, quid, 332.

Œconomia salutis juxta Thomistas, 407; juxta August., 456; juxta Molinistas, 468; juxta Congruistas, 489.

Opus salutare, quid, 170; ad illud requiritur gratia, 171 ss. Operum quatuor genera, 1038.

Opera supernaturalia meritoria vitæ æternæ, 1014 ss.; et quidem de condigno, 1024.

Opera bona existunt, 127; sunt necessaria ad salutem, 1039 ss. Quomodo æqualia cum præmio, 1023; 1032.

Omnia peccatoris opera non sunt peccata, 136 ss; quædam naturaliter bona possunt fieri absque gratiâ, 147 ss.

Opera facilia, difficilia, 506; 508; 590 ss.; contra ea objicit Schneemann, 590 ss.

Opus salutare totum Deo tribuendum, 187; est totum Dei, et totum nostrum, 182; 728; 1020.

Opus præscriptum magis meritorium quam aliud, 998.

Opera mortificata reviviscunt, 1062. Cf. **Reviviscentia.**

Oratio: def. 184; naturalis, supernaturalis, 184; distincta a merito, 974.

Oratio interpretativa et implicita, 615; 974.

Ad orationem salutarem requiritur gratia, 185.

Oratio, sæpe opus arduum, 719; oratio tepida, 735.

Orandi obligatio, 718; 722; Deus ordinarie non dat gratias eff. nisi orantibus, 730.

Est medium necessarium ad gratias eff. obtinendas, 708 ss.; juxta omnes theologos, 712.

Oratio necessaria ad salutem, 714.

Oratio medium infallibile ad gratias eff. obtinendas, 715 ss.

Oratio pro perseverantia, 259, 1°; 259. Gratia suff. est præcipue gratia orationis, 708.

Juxta Gonzalez gratia suff. vere sufficit ad actu orandum, 440.

Oratio destruitur apud Thomistas, 424; apud Congruistas, 496; minuitur apud Molinistas, 471.

Gratia orationis juxta Thomistas et Augustin. debet esse eadem ac apud S. Alphonsum, 696 ss.

P

Participare, quid, 817; multiplex participatio, 818 ss; gratia santif. participatio naturæ div., 809. 820.

Parvuli, an habeant auxilium salutis, 368 ss.; an in baptismate eis

infunduntur habitus virtutum, 784. 786.

Peccator, recipit gratiam suff., 319; gratia ei non solum præparatur, sed confertur, 335. — An possit alteri aliquid mereri, 1060, 3°.

Peccatum, mortale, veniale, 219; omne mortale potest vitari a justo, 220 ss.; sed non omne veniale, 224 ss.; 230. Nemo absque peccato, 120.

Peccatum mortale gratiam expellit, 968, 1°; ejus repugnantia cum gratiâ, 911, 3°; 913; 915; impedit meritum, 986, 2°. Est mors spiritualis animæ. 859.

Aufertur in justif., 908 ss. An sit aliquod irremissibile, 345; an unum sit remissibile absque aliis, 920; an absque gratiâ, 916 ss. Quomodo dicuntur tecta, 912.

Mortale, an expellatur physice per gratiam, 913; an posset subsistere cum gratiâ, 915.

Ad mortale vitandum requiritur gratia sanctif., 213 ss.; 218; cur non sufficit gr. act., 217.

Peccatum imputabile, 88, 2°; non apud Thomistas, 415; 636.

Mensura peccatorum, 346.

Quomodo peccata prævidentur a Deo juxta rigidiores Thomistas. 744.

Pelagius, ejus doctrina, 16 ss.; ejus variationes, 20; condemnatio, 21.

Quamnam admisit motionem moralem in gratiâ, 602.

Docet gratiam dari juxta merita naturalia, 268; et discretionem fieri per vires naturæ, 726.

Errat circa actum fidei, 115; circa perseverantiam, 238; circa necessitatem gratiæ pro operibus salutaribus, 151, pro victoria tentationum, 194; docet hominem posse vitare omnia peccata venialia, 224.

PERSEVERANTIA, quid, 236; formalis, materialis, 238. Persev. virtus et donum, quomodo differunt, 255.

Aliud est posse perseverare, aliud perseverare de facto, 223; 256.

Persev., donum speciale, 248 ss.; cur magnum donum, 253; 1058, 1°. Est supra conditionem naturæ et supra meritum, 251. Requirit auxilium speciale, 248. Persev. parvulorum, 239.

Quilibet justus potest perseverare, 243 ss.; 246.

Donum persev. in quo consistit, 257 ss.; quibus datur, 259.

Perseverantia non cadit sub merito, 259; 1058. Emereri potest oratione, 259; 1058, 4°; 721. Deus paratus dare illud omnibus, 260. Quotidie petenda, 720.

Persev. distincta a confirmatione in gratiâ, 262.

An Adamus indiguit auxilio speciali ad perseverandum, 265.

Petrus (B.) habuit grat. suff. ad non negandum Christum, 317

Pharao, habuit grat. suff., 344, *c*.

Pœnitentia, dispositio ad justif., 911.

Possibilitas resistendi gratiæ eff., 600; possibilitas resistendi gratiæ suff. non est ratio sufficiens pro necessitate gratiæ eff., 442; 446 ss.

Potentia, physica, moralis, 95. 4°; obedientialis, 867; conjungibilis cum actu et conjungenda cum actu, 600. — Potentia ad collective, divisive faciendum, 109.

Prædefinitio operum, quid, 483; 501.

Prædestinatio, an sita in hominis potestate, 247.

Præmotio physica, quid, 404; moralis, 434; 535 ss. Cf. **Motio.**

Præparatio cordis ad gratiam, quid, 280 ss.; ad gratiam sanctif., 924; quomodo est a nobis, 121.

Præparatio gratiæ pro excæcatis, 324.

Præsentia Dei in creaturis, 899; in justis per gratiam 900 ss.; in beatis

per gloriam, 903; ut cognitum in cognoscente, 902.
Præsentialitas rerum coram Deo ab æterno, 741.
Privilegium vitandi omnia venialia, quid, 232 ss.; quibus concessum, 234; distinctum a confirmatione in gratiâ, 233.
Promissio divina necessaria ad meritum, 1010.
Proprietates justificationis, 948 ss.
Protectio Dei, impedit ne leves tentationes fiant graves, 199.
Protestantismus, 24. Cf. **Lutherus, Calvinus.**
Prudentia perfecta, imperfecta, 105.
Punitio peccati, an citra condignum, 1037.

Q

Quantitas primæ gratiæ act. an mensuretur juxta dispositionem naturalem, 280; quantitas gratiæ sanctif. juxta dispositiones, 961 ss.; 1071.
Quesnellismus, 36.
Quis te discernit, etc., difficultas solvenda in omni systemate, 725; speciatim a Thomistis, 420 ss.

R

Redditio mercedis, actus justitiæ distrib., 1028 ss.; non autem gratitudinis; 1029; est actus fidelitatis, 1030; et actus justitiæ, 1031.
Regula ad seligendas opiniones theologicas, 751; ad judicanda systemata de gratia, 392.
Relatio actûs in Deum, 996; 999 ss.; implicita, explicita, 141. Quomodo necessaria, 141; quænam necessaria, 1001 ss.; habitualis non sufficit, 1002; virtualis requiritur et sufficit, 1003 ss.; quænam virtualis requiritur, 1007.
Remissio peccati mort. in justif., 908; an possibilis absque gratiâ, 916 ss.
Remuneratio, an supra condignum, 1035.
Reparatio post lapsum, an cadat sub merito, 1059.
Resistentia gratiæ suff., causa cur diminuantur gratiæ, 384 ss.; juxta Thomistas, quomodo causa cur non detur grat. eff., 421 ss.
Retributio vitæ æternæ, cf. **Redditio.**
Reviviscentia meritorum, 1061 ss.; ejus existentia, 1063 ss.; an ex naturâ suâ aut ex Dei misericordiâ, 1066.
Quâ mensurâ fit reviviscentia, 1067 ss.; reviviscunt totaliter, 1079.

S

Sacerdos debet alios ad orationem hortari, 722.
Sancti orant ut illuminentur, 106; in cœlis non merentur, 978.
Sanctitas, effectus gratiæ, 872.
Scientia Dei, 443; 555; connexa cum quæstione de modo operandi gratiæ, 391.
Medium scientiæ div. pro effectu grat. suff., 444.
Scientia media, 474; necessaria apud Molinistas, 467; et apud Congruistas, 486; non autem in syst. S. Alphonsi, nec pro grat. effic., 567; 737; nec pro grat. suff., 737.
Schneemann negat distinctionem operum in facilia et difficilia, 590 ss.; affirmat S. Alphonsum esse purum Molinistam, 596.
Scholastici antiquiores quid senserint de axiomate: Facienti quod est in se, etc., 298. Non multum scripserunt de gratiâ, 389; docent quoad substantiam systema S. Alphonsi, 733 ss.
Semipelagianismus exponitur, 22 ss.
Sensus compositus, divisus, 417 ss.
Signa conjecturalia gratiæ, 958.
Spes veniæ requisita ad justificationem, 936 ss.

*

Spes in excæcatis, 334.

Spes christiana destruitur apud Thomistas, 425 ss.; expostulat gratiam suff. ad sensum S. Alphonsi, 638.

Spiritus S., amor procedens, 898, 1°; donum Dei, 898, 2°; specialiter sanctus, 898, 3°; inhabitat hominem, 891 ss.

Status viæ, conditio meriti, 975 ss.

Status gratiæ, conditio meriti, 981 ss.

Statûs naturæ puræ possibilitas negatur a Baio, 30; an in eo statu tota lex potuisset servari absque gratiâ, 161; an in eo fuisset remissio peccati sine infusione gratiæ, 919.

Status naturæ integræ, an in eo tota lex potuisset servari sine gratiâ, 162.

Studium virtutis commendatur in syst. S. Alphonsi, 753; destruitur a Congruistis, 498.

Subjectum gratiæ sanctif., 806.

Subtractio gratiæ, an detur totalis, 344.

Supernaturalitas, quid, 831.

Systemata de Gratiâ, 388 ss.

T

Tectio peccatorum, quomodo intelligenda, 912.

Templum Spiritûs S. per gratiam, 891 ss. An Spiritus S. speciali modo præ cæteris div. personis inhabitat hominem, 892.

Tempus merendi, præsens vita, 975 ss.; ex Dei ordinatione, 977.

Tempus per quod homo potest abstinere ab omni peccato, 231.

Tentatio, quid, 189 ss.; alia aliâ gravior, 191; quibus modis vinci potest, 192; 195.

Levis potest vinci absque gratiâ, 196 ss.; non autem gravis, 202 ss.; 206. Datur semper auxilium suff. contra tentationem, 205. In naturâ integrâ, omnis potuit vinci absque gratiâ, 198.

Gravis, quomodo determinat voluntatem, 580; 610.

Theologi antiqui non multum scripserunt de gratiâ, 389; plures post prohibitionem Pauli V non scripserunt de systematibus, 390.

Quomodo explicant axioma: Facienti quod est in se, etc., 293 ss.; 298.

Antiquiores docent substantiam systematis S. Alphonsi, 733 ss.

Thomistæ et Molinistæ dimidiam tantum partem doctrinæ antiquiorum theol. sumunt, 734.

Thomistæ, systema commune de gratiâ, 399 ss.; systema speciale, 428. Thomistæ et Augustiniani, si sibi constant, debent pro oratione admittere gratiam ab extrins. eff., 704.

Timor, dispositio ad justificationem, 934.

Titulus necessitatis gratiæ eff., juxta Thomistas, 405; juxta Augustin., 454; juxta Congruistas, 484.

Tournelius non est primus qui docuit systema S. Alphonsi, 595.

U

Unio Dei cum beatis in gloria, 903; cum justis per gratiam, 892 ss. Non est propria Spiritui S., sed attribuitur ei, 895.

Universalitas gratiæ, 310; nemini negatur, 312, nequidem peccatoribus, 319, aut obduratis, 322 ss.

Usus bonus gratiæ provocat majores gratias, 384 ss.; 649; 654; 655.

V

Verum naturale, speculativum, practicum, 95; supernaturale, 113.

Aliquæ veritates natur. speculativæ cognosci possunt absque gratiâ

96 ss.; etiam morales, 100 ss.; sed non omnes collective, 107; an omnes divisive, 110; quænam gratia requiritur, 111.

Virtus: def., 842; virt. theologicæ, 843, morales, 844; comitantur gratiam sanctif., 841 ss. Quomodo dimanant a gratiâ, 856 ss.

Virtus acquisita differt ab infusa, 849; 850.

Vita æterna, objectum meriti de condigno, 1014 ss.; 1024 ss.; vocatur corona, bravium, 1015, 4°; est hæreditas et merces, 1019. Est ex gratia seu misericordiâ, 1018.

Voluntas Dei salvifica, 88, 3°; 355; 371; 637; destruitur in syst. Thomist., 423; in syst. Congruist., 499.

Voluntas humana sequitur ductum rationis, 209.

Vulnus naturæ in voluntate, 124, 1°. Reddit hominem impotentem ad gravem tentationem superandam sine gratia, 204bis.

INDEX III

PARTITIONUM ET TITULORUM OPERIS.

PAG.

Procœmium IX

SECTIO PRÆVIA 1

CAPUT I. *De Notione gratiæ* 1
Nominis etymologia. — Variæ nominis acceptiones. — Definitio.

CAPUT II. *De Divisione gratiæ* 4

CAPUT III. *De Erroribus contra doctrinam de gratia* 11
Art. I. De Pelagianismo 12
Art. II. De Semipelagianismo 15
Art. III. De Protestantismo 17
Art. IV. De Jansenismo 20
§ 1. De Baianismo 20
§ 2. De Jansenismo proprie dicto 22
§ 3. De Quesnellismo 25

PARS I.

De Gratia actuali.

SECTIO I. De Gratiæ actualis divisione atque natura . . . 27

CAPUT I. *De Gratia excitante et adjuvante.* 27
Art. I. De Gratia excitant. 29
§ 1. Definitio 29
Prop. Gratia excitans complectitur et intellectus illuminationem et voluntatis inspirationem 30
Quæritur I. Utrum pia voluntatis inspiratio semper sit necessaria ad quemlibet actum supernaturalem 34
Quæritur II. Undenam proveniant, cum gratia excitans conceditur, humanæ mentis illuminatio et inclinatio voluntatis 35
§ 2. Gratiæ excitantis nomina 38

PAG.

§ 3. Gratiæ excitantis munera 39
§ 4. Gratiæ excitantis natura 41
Sententiæ removendæ 42
Sententiæ liberæ discussionis 43
Conclusio 45
Art. II. De Gratia adjuvante. 46
§ 1. Definitio 47
§ 2. Gratiæ adjuvantis nomina 49
§ 3. Gratiæ adjuvantis natura 51
Scholium. Quomodo adjuvans differt ab excitante 54

CAPUT II. *De Gratia communi et speciali.* 54

CAPUT III. *De Gratia sufficiente et efficaci* 56
Art. I. De Gratia sufficiente 57
Art. II. De Gratia efficaci 59
Art. III. Errores circa gratiam sufficientem et efficacem 60
Prop. I. Admittenda est in præsenti statu naturæ lapsæ gratia vere et relative, sed mere sufficiens. 61
Prop. II. Gratia efficax ita hominem ad bonum adducit, ut ejus libertatem non tollat 65

SECTIO II. De Necessitate Gratiæ 68

CAPUT I. *De Necessitate gratiæ ad verum cognoscendum* 68
Art. I. De necessitate gratiæ ad verum naturale cognoscendum . . 68
Prænotanda 68
Prop. I. Homo in statu naturæ lapsæ, cum solo concursu Dei generali absque ullo auxilio gratuito, potest aliquas veritates speculativas ordinis naturalis certò cognoscere 70
Prop. II. Homo in statu naturæ lapsæ, cum solo concursu Dei generali absque ullo auxilio gratuito, potest aliquas veritates practicas seu morales ordinis naturalis certò cognoscere 72
Solvuntur objectiones 74
Prop. III. Homo in statu naturæ lapsæ non potest, sine speciali auxilio gratiæ, omnes veritates tam speculativas quam practicas ordinis naturalis collective certò cognoscere 76
Solvuntur objectiones 77
Quæritur I. Utrum in statu naturæ lapsæ homo possit, absque speciali gratiæ auxilio, divisive omnes veritates naturales cognoscere 78
Quæritur II. Quodnam requiratur gratiæ auxilium ut homo lapsus omnes veritates naturales collective cognoscere valeat 79
Quæritur III. Utrum prædicta gratia sit gratia Redemptoris, an Conditoris 80
Art. II. De necessitate gratiæ ad verum supernaturale cognoscendum . 81
Prænotanda 81
Errores 82

PAG.

Prop. I. Ad salutarem actum fidei requiritur interior Spiritûs Sancti gratia tam illustrationis quam inspirationis 83
Prop. II. Ad salutare initium fidei necessaria est interior Spiritûs Sancti gratia 84
Solvuntur objectiones 86
Quæritur. An, propositis motivis credibilitatis, quibus probatur fidem esse amplectendam, possit homo eisdem absque interiori gratia consentire 88

CAPUT II. *De Necessitate Gratiæ ad bonum faciendum* 88
Art. I. De bonorum operum existentia 89
Prop. Dantur in præsenti statu naturæ lapsæ opera quædam bona, quæ proinde non sunt peccata 90
Solvuntur objectiones 91
Art. II. De his quæ potest homo sine gratia 92
Errores: Baii, Jansenii, Gregorii Arim. et Vasquez. 92
§ 1. Assertio contra Baium. 94
Prop. Ad opus naturaliter bonum non requiritur gratia sanctificans, nec imperium caritatis, ac proinde omnia peccatoris opera non sunt peccata 94
Solvuntur objectiones 96
§ 2. Assertio contra Jansenium 98
Prop. Ad omne opus moraliter bonum non requiritur gratia fidei, ac proinde omnia infidelium opera non sunt peccata 98
§ 3. Assertio contra Gregorium Arim. et Vasquez 100
Prop. Potest homo lapsus, absque ulla gratia, sed cum solo concursu Dei generali, opera quædam moraliter bona ordinis naturalis facere 100
Art. III. De bonis, quæ non potest homo absque gratuito Dei adjutorio 103
§ 1. De impletione legis naturalis 104
Prop. Homo lapsus non potest, absque speciali gratiæ auxilio, totam legem naturalem collective sumptam servare 104
Solvuntur objectiones 107
Quæritur I. Utrum homo possit absque gratiâ servare omnia præcepta naturalia divisivè? 109
Quæritur II. Utrum hominis lapsi impotentia ad totam legem naturalem servandam physica sit, an tantum moralis? 110
Quæritur III. Utrum homo in statu naturæ puræ potuisset propriis viribus totam legem naturalem servare? 110
Quæritur IV. Utrum homo in statu naturæ integræ potuisset absque auxilio gratiæ totam legem naturalem quoad substantiam servare . 111
Quæritur V. Utrum homo lapsus possit amore naturali diligere Deum super omnia ex solis naturalibus absque gratiâ? 112
Quæritur VI. Quodnam requiratur gratiæ auxilium ad totam legem naturalem servandam quoad substantiam? 115
§ 2. De operibus salutaribus 116

PAG.

Prop. Ad omnes et singulos actus salutares homini necessaria est interior Spiritûs Sancti gratia 117
Quæritur I. Quænam est hominis impotentia ad opera salutaria? . 120
Quæritur II. An in homine justo, præter gratiam habitualem, requiratur etiam gratia actualis ad omnes et singulos actus salutares? . 121
Corollarium I. Opus salutare est totum Dei, et totum nostrum . 124
Corollarium II. Merita nostra sunt Dei dona 126
§ 3. De Oratione 126
Prop. Oratio, ut vim habeat impetrandi auxilia ad salutem conferentia, debet a supernaturalis gratiæ auxilio procedere 127

CAPUT III. *De Necessitate Gratiæ ad resistendum tentationibus et ad non peccandum* 129
Art. I. De Victoria tentationum. 130
Prænotanda 130
Prop. I. Potest homo lapsus absque gratiæ auxilio, ex solius naturæ viribus aliquas leviores tentationes vincere 133
Solvuntur difficultates 135
Prop. II. Non potest homo lapsus per solas vires naturales, absque auxilio gratiæ, ullam tentationem gravem, etiam divisive sumptam, vincere 137
Solvuntur difficultates 139
Quæritur: Quænam est hominis impotentia ad graves tentationes contra legem naturalem vincendas 140
Scholium. De conciliatione libertatis humanæ cum infallibili consensu in gravem tentationem, si deest gratia 141
Art. II. De Fuga peccatorum. 143
§ 1. An peccator possit nova vitare peccata 144
Prop. In statu naturæ lapsæ, homo existens in peccato mortali, non potest diu manere quin in novum peccatum mortale prolabatur . 145
Quæritur: Utrum ad diu vitanda omnia mortalia, gratia sanctificans requiratur ex parte principii? 147
§ 2. An homo justus possit ab omni peccato abstinere . . . 147
Prop. I. In statu naturæ lapsæ, homo justus vi auxiliorum gratiæ, quæ a Deo omnibus justis communiter conferuntur, potest omnia et singula peccata mortalia vitare 148
Prop. II. In statu naturæ lapsæ, nemo sine speciali Dei privilegio, potest omnia peccata venialia vitare 150
Quæritur I. Utrum statuta thesis intelligenda sit tantum de venialibus ex subreptione et ex imperfectione actûs, an etiam de venialibus ex genere suo, et ex plena advertentiâ positis? . . . 153
Quæritur II. Quanto tempore possuntne justi esse sine novo peccato veniali? 154
Quæritur III. In quo consistat privilegium vitandi collective omnia venialia? 155
Quæritur IV. Utrum privilegium vitandi venialia sit idem ac confirmatio in gratia? 156

PAG.

Quæritur V. Quibusnam collatum fuit privilegium vitandi omnia venialia? 157

CAPUT IV. *De Necessitate gratiæ ad perseverandum* 159
Prænotanda 159
Prop. I. Perseverantia parvulorum qui ante usum rationis, et adultorum qui statim post acceptam justitiam in gratia decedunt, est speciale Dei donum 162
Prop. II. Justis omnibus datur gratia vere sufficiens cum quâ, saltem mediate, per orationem uberius impetrando auxilium, possunt perseverare usque in finem 164
Prop. III. Ut justus de facto ad mortem usque in Dei amicitiâ perseveret, præter gratiam sanctificantem et gratias actuales illi communiter annexas, requiritur speciale Dei auxilium, quod Concilium Tridentinum (can. 16) vocat magnum perseverantiæ donum. 167
Solvuntur objectiones 172
Quæritur I. In quo consistit magnum perseverantiæ donum? . . 174
Quæritur II. Quibusnam conceditur donum perseverantiæ? . . . 176
Quæritur III. An Deus paratus sit dare omnibus donum perseverantiæ? 178
Quæritur IV. Utrum donum perseverantiæ sit idem ac confirmatio in gratiâ? 179
Quæritur V. Utrum Adamus innocens speciali indiguerit auxilio ad perseverandum? 181

SECTIO III. De Gratiarum Distributione.

CAPUT I. *De Gratuitate Gratiæ* 183
Prop. I. Auxilians gratia ita est gratuita, ut homo eam operibus suis naturalibus nullatenus possit mereri 184
Prop. II. Auxilians gratia ita est gratuita, ut homo ex solius naturæ viribus sese ad eam positive disponere nequeat. 187
Quæritur I. Utrum homo possit saltem negative se ad primam gratiam disponere? 189
Quæritur II. Utrum opere naturali posito cum gratiâ supernaturali quoad modum tantum, possit homo primam gratiam mereri, aut se ad ipsam disponere? 190
Quæritur III. Utrum saltem quantitas primæ gratiæ mensuretur secundum quantitatem majorem vel minorem præcedentis conatûs liberi arbitrii? 191
Solvuntur objectiones 191
Appendix: De Axiomate: facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam 196

CAPUT II. *De Universalitate Gratiæ* 207
Art. I. De universali gratiarum distributione pro legis observantia.
Prop. Urgente præcepto, conceditur omnibus hominibus, tam justis quam peccatoribus, gratia vere et relative sufficiens. 208

PAG.

Art. II. De Gratiæ distributione respectu peccatorum 213
Prop. I. Gratia sufficiens ad conversionem non datur peccatoribus fidelibus omni momento 216
Prop. II. Peccatores omnes, etiam excæcati et obdurati, recipiunt pro tempore et loco, gratiam saltem remote sufficientem ad conversionem et salutem 219
Prop. III. Gratia sufficiens ad salutem non solum offertur aut præparatur, sed omnibus peccatoribus reapse confertur 222
Corollarium 224
Solvuntur objectiones 225
Art. III. De Gratiæ distributione respectu infidelium 232
Prop. Omnibus et singulis infidelibus confertur a Deo gratia saltem remote sufficiens ad salutem 234
Solvuntur objectiones 241
Art. IV. De salutis remediis relate ad parvulos 244
Prop. Parvulis absque baptismo decedentibus Deus, quantum est ex se, sufficientia salutis media præparavit 246

CAPUT III. *De inæquali gratiarum distributione* 248
Art. I. De ipsa inæquali gratiarum distributione 248
Prop. Inæqualis est gratiarum distributio, tam pro singulis hominibus, quam pro universis nationibus. 249
Solvuntur objectiones. 252
Art. II. De causis inæqualis gratiarum distributionis 254

SECTIO IV. De modo operandi gratiæ, seu de Concordia efficacitatis gratiæ cum libertate creata. 259

Prænotanda 259

CAPUT I. *De Systemate Jansenii.* 264
Prop. Systema Jansenii de efficacitate gratiæ falsum est et hæreticum 266

CAPUT II. *De systematibus Thomistarum* 268
Art. I. De communi systemate Thomistarum. 269
Art. II. De speciali systemate Thomistarum 289

CAPUT III. *De systemate Augustinianorum* 305

CAPUT IV. *De systemate Molinistarum* 312

CAPUT V. *De systemate Congruistarum.* 324

CAPUT VI. *De systemate S. Alphonsi.* 337
Introductio 337
Art. I. De Gratia ab intrinseco efficaci 340

PAG.

Definitio. — Munera.

§ 1. De Existentia gratiæ ab intrinseco efficacis 343

Prop. In præsenti saltem statu naturæ lapsæ admittenda est gratia ab intrinseco efficax 343

§ 2. De Natura motionis gratiæ efficacis 354

Prop. I. Gratia efficax, ad voluntatis consensum operandum, in eam agit non præmotione physica, sed motione tantum morali . . . 355

Prop. II. Gratia efficax voluntatem plerumque delectatione, persæpe tamen aliis etiam motivis ad bonum salutare determinat . . . 361

§ 3. In quo formaliter consistit vis gratiæ efficacis 364

Prop. Infallibilis vis gratiæ efficacis consistit in perfectâ ejus adaptatione et contemperatione ad voluntatem ejus cui conceditur . 366

Scholium. De differentiâ congruismi Suaresii atque Doctorum Augustinianorum et Sorbonicorum. 370

Corollaria 372

§ 4. De Concordia humanæ libertatis cum gratiâ. 375

Prop. Humana libertas sub influxu gratiæ ab intrinseco efficacis moraliter moventis integra et illæsa subsistit 376

Corollaria 381

§ 5. Solvuntur objectiones 383

Art. II. De Gratia sufficiente. 399

§ 1. De Natura gratiæ sufficientis 400

Definitio. — Munera.

Prop. Gratia sufficiens quæ, urgente præcepto, omnibus communiter conceditur, ita est immediate et proxime ad orandum sufficiens, ut quilibet homo, si velit, possit cum ea actu orare, et per orationem uberiora auxilia, quibus ad difficiliora peragenda et ad salutem consequendam indiget, obtinere 402

Prob. I. Ex S. Scripturâ 403

II. Ex Concilio Tridentino. 404

III. Ex Traditione Patrum 407

IV. Ex Ratione 415

V. Ex auctoritate theologorum 417

A. Antiquorum scholasticorum testimonia 418

B. Testimonia theologorum qui systema S. Alphonsi explicite tradunt 451

C. Adversariorum testimonia. 460

§ 2. De Gratiæ sufficientis relatione cum efficaci 466

Prop. I. Ad gratias efficaces a Deo obtinendas oratio est medium ordinarium omninò necessarium. 468

Scholium. De necessitate orationis ad salutem. 471

Prop. II. Oratio debitis conditionibus prædita est medium omninò infallibile obtinendi gratias ad salutem necessarias. 472

Corollaria 474

§ 3. Solvuntur difficultates 477

Commendatio systematis S. Alphonsi 496

PARS II.

De Gratia Habituali.

PAG.

Introductio 503

SECTIO I. De ipsâ Gratiâ sanctificante. 504

CAPUT I. *De gratiæ sanctificantis natura* 504
Art. I. De Gratiæ sanctificantis naturâ 505
§ 1. De Gratiâ quâ dono nobis inhærente 505
Prop. Gratia sanctificans quâ formaliter justificamur, non est extrinsecus favor Dei, sed donum quoddam animæ intrinsece inhærens 506
Diluuntur objectiones. 511
§ 2. De Gratiâ quâ dono creato 514
Prop. Gratia sanctificans est donum creatum, non autem ipsa Spiritûs Sancti persona 515
Solvuntur objectiones. 519
§ 3. De Gratiâ quâ dono physice permanente 520
Prop. Gratia sanctificans consistit in entitate physice permanente . 522
Corollaria. I. Gratia sanctificans non est substantia sed accidens. 525
II. Est accidens spirituale 526
III. Est accidens de categoriâ qualitatis 526
IV. Est qualitas per modum habitus. 526
§ 4. De Distinctione gratiæ a caritate. 527
Exponitur et probatur sententia affirmans identitatem gratiæ cum caritate 527
Exponitur et probatur sententia negans prædictam identitatem . . 529
Solvuntur argumenta primæ sententiæ 532
Scholium: De subjecto gratiæ 534
Art. II. De intrinsecâ gratiæ sanctificantis perfectione 535
§ 1. An gratia sanctificans sit divinæ naturæ participatio . . 535
I. Existentia consortii divinæ naturæ in gratiâ 536
Prop. Gratia sanctificans est naturæ divinæ consortium quoddam atque participatio. 536
II. Quid sit illud naturæ divinæ consortium 541
Prop. Gratia sanctificans est physica formalis, sed analoga, divinæ naturæ participatio 544
§ 2. An gratia sit entitative supernaturalis, atque omnium entium nobilissimum 549
I. De Supernaturalitate Gratiæ. 549
II. De Nobilitate Gratiæ 550
1. An sit nobilior Incarnatione 551
2. An sit nobilior omni ente creato vel creabili. 551
3. An sit nobilior gloriâ Beatorum 552

PAG.
4. An sit nobilior aliis habitibus infusis. 553
5. An sit nobilior Maternitate divinâ. 554
6. An gratia nunc existens sit perfectissima quam Deus de potentiâ absoluta posset producere 555
§ 3. An Gratia sit radix virtutum 557
Prop. I. In justificatione unà cum gratiâ infunduntur homini virtutes theologicæ 559
Prop. II. In justificatione unà cum gratiâ infunduntur homini virtutes morales 560
Solvuntur objectiones. 563
Prop. III. In justificatione unà cum gratiâ infunduntur homini dona Spiritûs Sancti 565
Quæritur: Quomodo virtutes et dona dimanant a gratiâ. 566
Scholium: De analogia gratiæ cum naturâ. 569
Art. III. De Causis gratiæ. 570
Prop. Solus Deus est causa efficiens principalis gratiæ 571
Quæritur: An gratia producatur creatione vel eductione? 573

CAPUT II. *De formalibus gratiæ habitualis effectibus* 576
Prop I. Per gratiam sanctificantem homo efficitur naturæ divinæ particeps 576
Prop. II. Per gratiam sanctificantem homo efficitur sanctus . . . 577
Prop. III. Per gratiam sanctificantem homo efficitur justus . . . 577
Prop. IV. Per gratiam sanctificantem homo redditur Deo gratus . 578
Prop. V. Per gratiam sanctificantem homo constituitur Dei amicus 579
Prop. VI. Per gratiam sanctificantem homo filius Dei adoptivus, atque hæres cœlestis hæreditatis efficitur 581
Quæritur I. Utrum per adoptionem efficiamur filii Dei Patris potius quam aliarum divinarum personarum? 583
Quæritur II. Utrum nostra adoptio in filios Dei sit perfecte similis adoptioni humanæ? 584
Quæritur III. Quomodo possimus dici nati ex Deo, et tamen esse filii adoptivi? 585
Quæritur IV. Utrum gratia sanctificans prædictos effectus producat physice et ex naturâ suâ, an solum moraliter et ex extrinsecâ Dei ordinatione? 587
Prop. VII. Per gratiam sanctificantem homo fit templum Spiritûs Sancti 589
Quæritur I. Utrum per gratiam Persona Spiritûs S. uniatur animæ modo quodam speciali, qui aliis personis SS. Trinitatis non competat? 590
Quæritur II. In quo consistit ille modus quo Deus animam justi inhabitat per gratiam? 595

PAG.

SECTIO II. De Justificatione 601

Prænotanda 601

CAPUT I. *De Justificationis Natura* 603

Prop. In Justificatione impii peccata vere remittuntur, et prorsus delentur 604

Quæritur I. Utrum gratia sanctificans ex naturâ suâ peccatum physice expellat, vel solum ex extrinsecâ Dei ordinatione? . . . 608

Quæritur II. Utrum de potentiâ Dei absolutâ gratia et peccatum mortale possint in animâ coexistere? 610

Quæritur III. Utrum de potentiâ Dei absolutâ peccatum mortale possit remitti absque infusione gratiæ, per solam externam condonationem? 612

Quæritur IV. Utrum possit unum peccatum mortale remitti sine aliis? 615

Quæritur V. Utrum justificatio impii sit maximum opus Dei? . . 616

CAPUT II. *De Dispositionibus ad justificationem requisitis* 617

Prænotanda 617

Prop. I. Fides, quæ ad justificationem requiritur, non est fiducia peccata nobis esse remissa, sed firmus assensus quo credimus veritates divinitus revelatas 620

Quæritur: Quarum rerum debeat esse fides, ut homo possit justificari. 621

Prop. II. Præter fidem, quæ est assensus intellectûs, aliæ requiruntur in homine dispositiones ex parte voluntatis, ut ad justificationem perveniat, scilicet 622

1. Timor 622
2. Spes 624
3. Dilectio 626
4. Pœnitentia 628

Quæritur I. Utrum justificatio sequatur infallibiliter præsentiam dispositionum? 630

Quæritur II. Utrum ultima dispositio ad gratiam sit a gratiâ habituali tanquam a causâ efficiente? 630

CAPUT III. *De Proprietatibus Justificationis* 634

Art. I. De incertitudine justificationis 634

Prop. Nemo absque speciali revelatione scire potest certitudine fidei, se esse in gratiâ 637

Quæritur I. Utrum aliquis possit scire certitudine morali se esse in gratiâ? 639

Quæritur II. Quænam sint signa præsentiæ gratiæ? 640

Quæritur III. Curnam relinquatur homo incertus de suâ gratiâ? . 641

Art. II. De inæqualitate gratiæ 642

Prop. Gratia sanctificans non est æqualis in omnibus justis . . . 643

Art. III. De Amissibilitate gratiæ 645

Prop. Accepta justitia amitti potest, et per quodlibet peccatum mortale revera amittitur 645

PARS III.

De Merito.

PAG.

CAPUT I. *De Notione Meriti* 649
Art. I. De definitione et divisione meriti 650
Scholium. De distinctione meriti ab oratione 652
Art. II. De conditionibus meriti. 653
§ 1. De conditionibus ex parte subjecti 653
Prop. I. Pro utroque merito requiritur status viæ. 653
Scholium. De Enoch et Elia 655
Prop. II. Pro merito de condigno requiritur status gratiæ. . . . 657
Quæritur I. Utrum de potentiâ Dei absolutâ homo posset absque gratiâ sanctificante aliquid mereri de condigno 660
Quæritur II. An, cæteris paribus, quò major est gratia sanctificans in homine, eò majus est etiam operis meritum 661
§ 2. De conditionibus meriti ex parte operis 663
Prop. Actus meritorius debet esse liber, bonus, atque in obsequium Dei factus 663
Quæritur I. Utrum ad meritum requiratur actus positivus, an sufficiat pura negatio 665
Quaritur II. An opus lege præscriptum possit esse meritorium . . 666
Quaritur III. Utrum ad meritum de condigno requiratur ut opus in Deum per imperium caritatis referatur 667
§ 3. De Conditionibus meriti ex parte Dei præmiantis. . . . 672
Prop. Ad completam rationem meriti de condigno divina requiritur promissio 673

CAPUT II. *De Meriti existentia atque bonorum operum necessitate.* . . 675
Art. I. De Meriti existentia 675
Prop. I. Justorum opera supernaturalia sunt vitæ æternæ meritoria. 675
Solvuntur objectiones 678
Prop. II. Justorum opera supernaturalia sunt vitæ æternæ meritoria de condigno 680
Quæritur I. Utrum retributio vitæ æternæ pro meritis sit ex parte Dei actus justitiæ. 684
Quæritur II. Utrum Deus bona opera remuneret supra condignum, mala verò puniat citra condignum. 688
Art. II. De Necessitate bonorum operum 690
Prop. Bona opera et legis observantia sunt ad salutem necessaria . 690

CAPUT III. *De objecto meriti* 693
Quæritur I. Quibusnam actibus homo mereatur augmentum gratiæ sanctificantis. 694
Quæritur II. Quonam tempore conferatur augmentum gratiæ actibus bonis promeritum 696

PAG.

Quæritur III. Quanam proportione augeatur gratia per actus meritorios 698
Quæritur IV. Utrum aliquis primam gratiam sibi mereri possit . . 701
Quæritur V. Utrum homo possit gratias actuales, primâ exceptâ, sibi mereri 703
Quæritur VI. Utrum justus perseverantiam sibi mereri possit . . 704
Quæritur VII. Utrum homo possit sibi mereri reparationem post lapsum 706
Quæritur VIII. Utrum homo possit alteri quidquam mereri . . . 707

CAPUT IV. *De Meritorum Reviviscentia* 708
Art. I. De ipsa meritorum reviviscentia. 709
Prop. Opera meritoria mortificata per subsequentem pœnitentiam reviviscunt 709
Quæritur: Utrum merita mortificata reviviscant ex naturâ suâ, an ex Dei misericordiâ 712
Art. II. De Mensurâ, quâ reviviscunt merita 712

234.02
H436

43679

HERRMANN, C. SS. R., JOANNES
AUTHOR

Tractatus De Divina Gratia.
TITLE

DATE DUE | BORROWER'S NAME

Toran
Cercera
Martinez
STORAGE

43679